S.A.Z. N.º 132.

Palaneo

2083

2083
XXVIII 4

545

CHA-
RI-
TAS.

TRACTATVS
DE
CONSCIENTIA HVMANA
IN COMMVNI, ET IN
PARTICVLARI,

IN QVO CONTROVERSIA ILLA DE OPINIONVM Probabilium delectu, totius Theologiæ Moralis celeberrima, & casuum conscientiæ Consultoribus vtilissima, affatim dilucidatur, & methodus formandi conscientiam tutus, ac securus edocetur,

OBITER ETIAM ENODANTVR HAVD LEVES, ET PAVCÆ difficultates ad tractatus de bonitate, & malitia humanorum actuum, de voluntario & involuntario, de legibus, ac de peccatis spectantes.

AD EMINENTISSIM. DOM. CARDINALEM,

DE AGVIRRE,

BENEDICTINVM, TITVLI S. BALBINÆ, ET REGNI SICILIÆ PROTECTOREM,

AVTHORE

R. P. Fr. FRANCISCO

PALANCO, CAMPO-REGALENSI,

IN SALMANTINO MINIMORVM S. FRANCISCI de Paula Collegio Primario Theologiæ Professore, studiorum Præfecto, & Correctore, ac Diœcesis Salmantinæ Synodali Examinatore.

CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICÆ: EX OFFICINA GREGORIj ORTIZ GALLARDO, Anno Domini M. DC. LXXXXIIII.

EMINENTISSIMO

ET AMPLISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,

S. R. E.

CARDINALI DE AGVIRRE,

BENEDICTINO, TITVLI SANCTÆ BALBINÆ, AC REGNI SICILIÆ PROTECTORI.

NOPINATVS Sanè videbitur, EMINENTISSIME PRINCEPS, auſus ingẽs huius minimi Theologi; vtpotè qui nullo fretus auſpicio, meritorũ exilitate, vel potius nullitate æquè, vel magis quàm locorũ diſtantia à Te longiſſimè diſsitus, nihilominus tam alta petat, vt labores proprios dignos exiſtimet, qui EMINENTIÆ TVÆ ſacrẽtur obſequio, patrociniũ mereantur. Verumtamen, quæ metum propulſavere, indixereque animum exponere non detrectabor, vt ſaltem veniam, ſi nó meritum apud Te mereat invenire. Ex quo igitur ſcholaſticos labores à limine ſalutavi, ad aures, quinimo & ad oculos (nàm ex tunc opera tua Philoſophica perluſtrabam) Tuæ ingentis eruditionis fama pervenit. Cum videlicèt (vt tuis verbis vtar) *Aureo illo litterarum ſæculo concurrente affluentiſsima lectiſsimorum Antagoniſtarum copia*, clarior præ omnibus ſplendeſcebas, non ſolùm Salmantinæ Academiæ, ſed ceteris Hiſpaniæ Vniverſitatibus iam conſpicuus, tòt doctrinæ radijs, quòt philoſophicis diſſertationibus evulgatis, non tam publicam lucem accepturis, quam daturis ſcholarum congreſibus; tantaque celeritate promulgatis, vt omnibus eſſet admirationi talis, àc tanta ingenij fęcunditas, & vbertas, quæ proprios fœtus penè ſimul, àc partu vnico emiſſiſſe videretur in lucem. Sed quid mirum? privilegium lucis eſt ſuos radios ſine mora diffundere, celerrimèque protendere in diſsitiſsimas etiam regiones. Maiorem mihi ingerebat admirationem, àc veneration em extorquebat animum conſiderare inter ipſos ſcholaſticos labores deſudantem, nihilominus ab omni tumultu, & humano plauſu ſemotiſsimum. Proferam in medium Tui ingenuam cõfeſsionem: *Vellem* (aiebas) *toto animi deſiderio, vel inter fagos, & quercus, aut in obſcuro*

Tom. 2. Philoſ. nor. ant. in epiſt. dedic. ad Supremm Caſtellæ Senatũ.

vbi ſupra.

curo angulo procùl ab omni hoc tumultu ; & congreſſu potius politico, quàm academico tempus impendere ſacris, àc ſeverioribus ſtudijs. Vellem tranquillo, àc beato otio perfrui, vt Deo liberius vacarem : novit ille, qui ſcrutatur hominum corda. At præcepto Superiorum conſtringor, &c. Cui namque admirationi non ſit, quod maiori mentis portione toto videlicet animi deſiderio inter ſagos, & quercus latitans, minori tantum ſcholaſticis congreſibus incumbens, nihilominus talia, àc tanta eruditionis, àc ſapientiæ edideris monimenta, non quidem libidine aucupandi hominum gloriam, quinimo ſcholarum plauſus prorſus faſtidiens, niſi conſtringeret obedientia. Propterea ni fallor Te honores, àc dignitates certatim adiere : veluti enim vmbra ſequentem fugit, inſequiturque fugientem, ſic communes plauſus, Cathedrę, àc dignitates tanto cumulatius Te inſignire ambiebant, quo Te longius ab omni honoris ambitu ſemotum ſpectabant. Indè cunctis in dies venerationi, & amori paritèr eras ; vt enim de me fatear, Pinciæ cum reſiderem, vt auribus inſonuit quod comitijs generalibus ibi celebrandis adfueras, ingenti gratulatione (quod & cæteris fermè omnibus ſcholæ profeſſoribus contigiſſe memini) accurri, vti ad virum fama, & ſcriptis vniverſam per Hiſpaniam celebratiſsimum, fœlicem ſortem autumnans, ſi tanti viri aſpectu frui, doctrinaque imbui valerem. Neque fefellit ſpes, non ſemèl enim id ibi aſſecutus, celebriorum illius Academiæ Magiſtrorum cœtum ex ore Tuo pendentem, àc ſuſpenſum conſpexi ; vtpotè ex quo doctrinæ, eruditionis, àc eloquentiæ rivos dulci, àc perenni fluxu promanantes hauſtu inſatiabili ebibebant. Ex tunc igitur ſtrictiſsimo, licet ſterili, affectionis vinculo Tibi addictiſsimus eſſe cœpi, àc proindè emulari ardentius fœlicitatem Diſcipulorum, qui Te Magiſtro familiarius, àc diutius frui mererentur. Sed ecce Superiorum iuſſu Salmantinam conſtringor adire Academiam eius in celebratiſsimo Theatro theſſes Theologicas propugnaturus, ibi inter tot Magiſtrorum cuneos Te mihi ſors fortunata Patronum tulit. Sub cuius auſpicio, non ſolùm quod alijs inviſſeram, aſſequutus, tanti nimirùm Magiſterij diſcipulatum, verumetiam, quanti Tuum patrocinium, & opitulatio valeret expertus ſum. Necnon è propinquo ſuſcipere merui egregias animi Tui dotes, àc virtutes, eas potiſsimum, quæ Te Magiſtrum, àc Eccleſiæ Doctorem omnibus numeris abſolutum commonſtrabant. Ingenuitatem imprimis quibuslibet paſsionibus, aut affectionibus ſuperiorem, genium item ſumme pacatum à factionibus prorſus liberum, àc iuxtà Philoſophi præſcriptum vtroſque amans, ſed à certioribus perſuaderi deſiderans, docilitatem etiam animi præſtantiſsimam, qua maiorum, antiquorumque ſemper veneratus ſapien-

tiam,

tiam, veteri eorum doctrinæ; novâ placita mirè concilias, àc copiosa eruditione fęcundas, acumineque profundus ingenij profers de thesauro Tuo nova, & vetera, ideſt Philoſophiam, àc Theoſophiam nov-antiquam. Linguarũ item peritiam ſingularem, qua ad græcorum Primatum ſapientiam, & eloquentiam comparandam Tibi facilem paraſti viam. Zelum denique, vt alia prætéream innumera, ſeverioris, àc verioris diſciplinæ propagandæ, quo errores quoslibet, àc novitates de falſitate ſuſpectas mucrone veluti ancipiti iugulas dùm impugnas. Ex quibus ambigere iam non licebat tantum virum magna quidem nactum, ſed ad maiora natum. Nec eventus deſtitit auſpicio, potiſsimè cum ingenti totius Hiſpaniæ, imò & vniverſæ Catholicæ Eccleſiæ gratulatione, ex albo pileo ad purpuram, ex Salmantina Academia ad Romanam Curiam, ex Cathedris ad eminentiorem orbis ſpeculam, ſupernæ Maieſtatis afflatu inſpirante, evexit Te beatæ memoriæ Innocentius XI. vt inde pateret omnibus, quanti apud Deum meriti eſſes, quem, nihil minus cogitantem, per ſui Supremum in terris Vicarium, non ſecus, ac humilem Davidem per Prophetam Samuelem, in gregis ſui Principem delegit, vt ex eminentiori Cathedra paſceres Iacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, vt non iam Civitas in valle demiſsionis ſuæ deliteſceret, ſed ſupra montem locaretur altiſsimum, nec lux tanta ſub modio latitaret, ſed ſupra candelabrum vniverſo clareſceret orbi, errorumque tenebras vniverſalius profligaret activioribus doctrinæ, àc eruditionis radijs. Huic nunc muneri indefeſsè, àc fœlicitèr incumbis, licet innumeris Romanæ Curiæ præſuris, àc negotiorum occurrentium expeditionibus ſimul aſsiſtens. Teſtantur id Hiſpanorum Conciliorum volumina, quæ in Nationis noſtræ gloriam, àc Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem promulgas, in quibus ſeveriorem morum diſciplinam inſtaurare ſcopus eſt præcipuus, àc probabiliſmum luxuriantem compeſcere, vt in ſecundo volumine lectori præmittis.

Hęc meminerim, EMINENTISSIME PRINCEPS, vt indè cauſas, & motiva eliciam, quæ meam excitarunt puſilitatẽ, extorqueruntque fiduciam ad hoc Tibi libádum opus, ſi namque huius generis munera in amoris, àc venerationis teſſeram ſacrari conſueverunt, cuinam aptius hunc mentis fœtum ſacrandum decernerem, niſi in quem voluntas tantis allecta motiuis ſuplexque affectus toto pondere fertur iam diù. Si item in gratitudinis monimentum, quo munere olim Tuo præſidio, alijſque favoribus cumulatus, oportuniores grates rependerem, quam opere iſto? Quandoquidem non iam auſpicamur, ſed ſcimus patentèr eius doctrinam Tuo ſapientiſsimo placituram iudicio, diſcretiſsimo obſecuturá zelo. Si denique ſimilia pignora patrocinium quęrunt dùm ſacrantur, ingenuè fateor, neceſsitatis, non libertatis fuit. Tantum Mœcenam huic operi delegiſſe. Vbique namque varios ad-

verſarij ſpargunt rumores, nec deſunt, qui doctrinam hoc in opere perſpicuè traditam novitatis accuſant, imò Ianſenianæ hæreſis labe infectam calumniantur, atque his,& alijs terriculamentis piorum animos adverſus doctrinam re ipſa ſanam armare non ceſſant. Opus ergò fuit ei patrocinium adaptaſſe, ſub cuius auſpicio, tòt adverſantium tela contemneret,àc munita prodiret. Id iam diù cũ inquirerem, EMINENTISSIME PRINCEPS, audio imò,& lego Tuũ de Probabiliſmo ſenſũ, quanto adverſus moralẽ laxam zelo dimicas, àc vexillum ducis adverſus regulam illam Iesbiam, quæ tantos nacta eſt ſectatores: expertus olim novi quãtum interſit Tui opitulatio ad retundenda adverſantium ſpicula: Quid ergò? Fuit nè libertas alium deligendi, qui doctrinę huius operis patrocinium ferret? Minimè gentium. Quinimò, fidentiùs dicam, & in Te id etiam potiùs obligationis, quam libertatis erit. Quandoquidem doctrina mea non eſt mea, ſed per prius tua, cui proinde ſuffragium denegare iam vltra haud poteris. De patrocinio igitur tanto ſecurus, grates iam Tibi rependere liceat, quod puſillis corde robur addideris vt pro veritate contra probabilitatem falſo & vero ambiguam in campum proſilire auſi fuerint. Scio equidem nunquam Eccleſiæ defuiſſe Doctores, quibus probabiliſmum foret exoſum, ſed magno obruti numero adverſantium pauci fuerant, qui in aciem adverſus ipſum contendere non formidarent. At poſtquam tãtum Eccleſiæ Principem agmen ducere conſpiciunt omnes, alterna vice variantur eventus, nàm probabiliſmum iam incipit apparere ſuſpectum, eius ſectatores, & numero, & viribus decreſcent in dies, impugnatores ècontrà liberiori animo pro veritate impavidi decertabũt, numero, atque viribus prę̃valebunt. Quot autem emolumenta indè Eccleſiæ accedant, quantiſque alias exorituris corruptelis occludatur aditus, facilè quiſque rimari poterit. At cuinã potiſsimè id gratulãdum erit? Tibi ſanè, EMINENTISSIME PRINCEPS, cuius authoritate, ſub cuius nominis protectione, & clypeo decertamus ceteri, vires ſumimus, àc in lucem prodire non formidamus. Vivas igitur Eccleſiæ Sanctæ Dei neſtorianos annos, vt ſplendore virtutum, eruditionis copia, doctrinæ veritate, diſciplinæ zelo orbi chriſtiano effulgeas, & valeas. Sic enixè optat, àc ſupplicitèr à Supremo expoſtulat numine.

EMINENTIÆ TVÆ

Obſequentiſsimus, àc minimus ſervus,

Fr. Franciſcus Palanco.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS.

CONSCIENTIÆ Librum eruditione refertum, ſuperiorum imperio, vidimus, & Authorem doctum haud difficulter novimus, ex fructibus enimverò arboris cuiuſpiam proceritas dignoſcitur, & ex abundantia metitur fœcunditas, vtraque reverà lauro Scriptor progreditur ovans, ſplendet ſiquidem proceritate, dùm maioris ponderis, & momenti colluſtrat materiem, fœcunditate pollet, cum vnius libri, non exſiccato attramenti prælo, alterius copioſum fructum demonſtrat, & maturum. Primus *de Providentia Divina* ſuperſcriptus eſt ille, *de Conſcientia* ſecundo datus eſt titulus, primo perlecto, in admirationem deducti, Eccleſiaſtici verba proferebamus ſæpè: *Primus eſt, & ſecundum non habet.* Aſt ad nos, expenſo ſecundo, læti canere cum Poeta debemus: *Eccleſiaſtic. cap. 4.*

Primo avulſo non deficit alter
Aurus, & ſimili frondeſcit virga metallo. *Virg. Æneid. lib. 6.*

Et ſanè auro doctrinæ, & ſapientiæ plenus, rutilans apparebit iſte ſecundus, in quibuſvis enim paginis fidele ſpeculum putamus eſſe conſcientiæ, quarè quiſque illum ſecurè conſulere valet, characteribus quippè ſuis veracius deteget dolos, quam blanda aliorum inloquitur aſſentatio. De vtroque igitur fortunato fœtu licet aſſerere, ſub ſimili apprehenſione eſſe natos, adeò vt neuter eorum ſit, nec in minimo diſcolor, quinimò veritatis, & lucis ineunctis pari adſint fœderati nexu. Duo ſunt adamantes, quibus, vt ſcribitur, æqualis eſt cum ſplendore ſoliditas, & ex vtroque maior orietur æſtimatio apud omnes.

Diutiùs in curam ancipitem diſtractam, auſcultavimus, noſtri Scriptoris permanſiſſe animum, in magnam hæſitationem fuiſſe olim inductum, an ſuos ſcholaſticos typis mandaret labores? cumque iàm de ſuo ingenij theſauro protuliſſet nova, & vetera, ab Hildiberti nota, ſcripturientibus aptata, cum conſideramus exulem, qui aiebat: *Citrà profectum enim proficit, quiſquis alteri, cum poteſt, non prodeſt: ſcientia diſtributa ſuſcipit incrementum, & avarum dedignatur poſſeſſorem; niſi publicetur elabitur*: alius tunc nequibat eſſe ſuæ ambiguitatis ſcopus, niſi fortè præclara Sancti Paulini ſententia, humiliter cuinam ſcriptori reſpondens: *Nunc verè ſapiens, verè diſſertus, qui mundo huic ſtultus, & mutus eſt*: Quamobrem aliquandiù à ſuorum operum excuſione Author ſe abſtinuit, & fortaſis non ſine lucrorum plurium diſpendio, quouſque ipſiſsimum ei evenire videtur, quod Caſiodoro cunctanti ſui ingenij monimenta publicare accidit, ſicque quiſpiam reſcripſit: *Celas (vt ità dixerim) ſpeculum mentis, vbi te omnis ætas ventura poſsit inſpicere. Contingit enim diſsimilem filium plerumque generari. Oratio diſpar moribus vix poteſt inveniri. Eſt ergò iſta valdè certior arbitrij proles. Nàm quod arcano pectore gignitur Authoris ſui, poſteritas veracius æſtimat.* Liber itidem hic de conſcientia tractans eſt authoris animi index, & abſtruſæ mentis eius linguatus interpres, ex quo vberes excerpentur fructus, dùm rerum honeſtiorum directione orthodoxæ alentur animæ, & in eruditionis latice ſales ſapientiæ ebibentur, lectionis varietate, quæſtionum deductu, & ſolido, vt opus eſt, iudicij pondere, totum abſolvit argumentum, & premens certantium opinionum frontes, eſt pro meliore, pro ſecuriore, àc probabiliore vſque ad difficultatis apices integerrimus vindex, ſtrenuiſsimus dux certans pro lege, de quo cum Appollonio dicimus: *Sapientiſsimus doctrinæ fons omnibus vtilis, comprehendens vniverſa.* In cunctiſque reperiet, & ſingulis plagulis vnuſquiſque concinnam ſententiæ phraſim, iudicio vberem, non lenocinijs tumentem; ſed vera, & æqua lance permanentem probabiliorum opinionem ſtateram moralis diſciplinæ. In ſudoris etenim viridario iſto præeſt ſub folio eſſe fructus, quam in foliorum copijs ingenij luxuriaſſe ſubtiles argutias. Cenſorum demùm rigidam aſſumentes virgam R. admodum P. N. Marci de Villa real, Lectoris Iubilati, Toletanæ Diœceſeos Synodalis Iudicis, & Caſtellæ Provinciæ Minimorum Provincialis iuſſu, Panegyris tametſi deberemus extenſa luce luſtrari, proficuum valdè iudicamus opus, nil Fidei Chriſtianæ, boniſvè moribus diſſonum, vtrique Maieſtati contrarium nihil; in omnibus verè conſonum, & quamvis præ manibus in hoc egregio opere, quid lucro afficimur maximo, plura alia opera ſitit deſiderium noſtrum, alijſque inhiamus, vtinàm conſilijs ſcribentis Senecæ R. P. Fr. Fran-

Hildiberti epiſt. 1.

S. Paulini epiſt. 27.

Caſiodor. in Proœm. variarum.

Appollonius.

ciſcus Palanco, Minimorum Salmanticenſium Theologiæ Lector, ſtudiorum Regens, & eiuſdem Collegij Præſul memor ſit ſemper, ſic dictitabat ille Cordubenſis Hiſpanus cupiens ſuos libros in lucem proferre. *Veneror inventa ſapientia, inventoreſque adire tanquam multorum hæreditatem iuvat, mihi iſta acquiſita mihi elaborata; ſed agamus bonum patrem familiæ, faciamus ampliora, quæ accepimus, maior iſta hæreditas à me ad poſteros tranſeat. Multum adhuc reſtat operis, nec vlli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adijciendi.* Prodeant ergò quam citiùs reliqua opera, nè remoretur forenſium praxi vtilius, & Religioni noſtræ ſingulare glorioſius, ſic ſentimus in hoc almo Virginis Mariæ Victricis cœtu. Matriti die 14 menſis Ianuarij, anno 1694.

Seneca ad Lucill. epiſt. 6.

Fr. Ioannes Calderon. *Fr. Franciſcus del Rincon.*

FACVLTAS ORDINIS.

Fr. MARCVS DE VILLA-REAL, IN SACRA THEOLOGIA LECTOR IVBILATVS, Diœceſis Toletanæ Cenſor, necnon vtriuſque Caſtellæ Ordinis Minimorum S. P. N. Franciſci de Paula Provinciæ Corrector Provincialis, poteſtate ad id nobis facta ab Illuſtriſſimo, ac RR. D. D. Fr. Bernardino à Foſcaldo, noſtræ Religionis Apoſtolico Generali, & per SS. D. Innocentium XII. Epiſcopo Oppidenſi in Calabriæ Ducatu deſignato.

CVM Nobis conſtiterit ex approbatione ſubſcripta à RR. A. PP. Fr. Ioanne Calderon, Lectore Iubilato, Archiepiſcopus Toletani Examinatori Synodali, Supremi, ac Generalis Inquiſitionis Senatus, & à Secretis ex munere Cenſore, & Fr. Franciſco del Rincon, Iubilato Lectore, Sanctæ Inquiſitionis Qualificatore, Catholicæ Maieſtatis Caroli Secundi Concionatore, & huius Provinciæ Diffinitore, quibus examen commiſimus libri, qui inſcribitur; *Tractatus de Conſcientia*, elaborati, ac concinnati per R. P. Fr. Franciſcum Palanco, noſtri Inſtituti, & Minimorum Salmanticenſium noſtri Collegij Sacræ Theologiæ Primarium Lectorem, & ſtudiorum Regentem, prædictum opus nil Catholicæ Fidei, nec bonis moribus continere difforme, ei tenore præſentium, licentiam, & facultatem impartimur, vt Typis prælibatum librum mandare poſsit, ſervatis prius de more, & iure his, quæ circa librorum excuſionem ſervari debent. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, ac per infra ſcriptum in officio Collegam, & Secretarium referendari iuſsimus. In hoc almæ Mariæ Victricis Matritenſi Conventu. Die 15. menſis Ianuarij, Anno Domini 1694.

Fr. Marcus de Villareal.
Provincialis.

De mandato R. admodum P N. Provincialis,
Fr. Petrus Eugenius de Camargo,
Collega, & Secretarius.

CENSVRA EX COMMISSIONE ORDINARIJ LATA, A RR. P. M. Fr. IOANNE Baptiſta Lardito, ſuæ Benedictinæ Congregationis Generali Magiſtro, in hac Salmantina Academia Theologiæ Laurea decorato, necnon Primariæ Cathedræ moderatore, inſignis ſui Collegij D. Vincentio Sacri meretiſsimo Abbate, &c.

EX Comiſsione D. D. Emanuelis de Herrera & Quiros, Proviſoris ac Vicarij Generalis Illuſtriſsimi, ac RR. D. D. Franciſci Calderon de la Barca, Epiſcopi Salmantini, opus *de Conſcientia in communi, & in particulari*, elaboratū ab Eruditiſsimo P. M. Fr. Franciſco Palanco, Ordinis Minimorum in Salmanticenſi eiuſdem Ordinis Collegio meritiſsimo Prælectore, non minori attentione, quàm animi oblectatione perlegi, & acuratè expendi, in quo tantùm abeſt, vt quidquid fidei Catholicæ, probitvè moribus diſsonum offenderim, vt omnia è contrario ad illius amuſsim, ſeverioremque morum normam, penitùs deprehenderim. Nihil proinde, quod cenſuram, multa, quæ laudem, &

con-

commendationem mereantur, doctiſsima viri perſpicaciſsimi elucubratio complectitur. Grates igitur rependere litteraria tàm de ſe benemerito Authori debet ingentes, qui dùm mentem inſtruit, voluntatem inflammat, atque ad arctam, quam ſupremus omnium Dominus, & Magiſter diſcipulis viam oſtendit alacriter arripiendam calcar addit.

Eius vigiliæ hoc maioris fieri debent, quod res minus noſtratibus Theologis tritas pie àc ſolidè tractat, glaciemque hanc primus, certe inter primos Hiſpaniæ noſtræ Doctores, fregiſſe videtur. Morum certe doctrina ab aliquòt annis ità ieiunè apud noſtrates exculta eſt, vt non parum de nonnullorum, àc doctiſsimorum alioqui virorum exiſtimatione deceſſerit, dum ſublimiora (vt vulgo putant) ingenia infra ſuam dignitatem hæc acurate tractare crediderunt ſciolis quibuſdam, àc ſemidoctis tam gravi provintia demandata, quo factum eſt, vt quam exornare, & perpolire debuerant, haud ſanè parum deformarint.

Magni quidem Theologica dogmata, magni Sacræ Paginæ interpretatio, magni ſublimes de Deo, rebuſque divinis diſſertationes fieri debent, vt hæc omnia quanvis ſumma, niſi ad morum reformationem, vitamque Chriſtiano homine dignam, inſtituendam referantur, plurimum à ſua præcellentia, & ſplendore, declinant. Vita autem rectè, & ex divinæ legis præcepto quomodo inſtitui poteſt Theologia morali inſuper habita, aut dignitate qua decet, non exculta? Id autem qui præſtari poteſt niſi ea in anteceſſum fundamenta iaciantur, quèis vniverſa deinde moles citra caſus, & recidendi periculum tutò incumbat? Quod profecto probabiliſmi vſu, aut abuſu valide coniutato, & proſcripto Author noſter egregie præſtat.

Non deerunt forraſſe, quibus effactanova, & pacadoxa videantur, ijs nimirum, qui vulgarium Caſuiſtarum, & Summiſtarum libellis contenti, mentis aciem non vltrà intendunt, neque evoluere curæ eſt, quæ in dies apud exteras nationes æthicæ verè Chriſtiana prodeunt. Quælibet opinio ab eiſdem ſpeculativè (vt aiunt) ſolidis improbata rationum momentis maximè arridet inpraxi ſi faveat libertati, àc beneficio iuditij reflexi redditur honeſta operatio, quæ ex proprio dictamine convincitur inhoneſta; vnde ſi propria, & probabilior non prodeſt ad fovendam libertatem ſententia, alterius eligitur opinionis ſuſragium, quaſi liceret illud vſurpare Poetæ.

Sepe premente Deo fert Deus alter opem.

In hoc ergò opere tutiorem doctrinam non per otium examinatam, non ab vno, alterovè Doctore probatam, noſter Author eligendam proponit, ſed quæ à probatis viris ad lydium rationis lapidem, ſeu rectam iuſtitiæ, æquitatiivè trutinam probatur, quæve ab integris Vniverſitatibus, ſapientiſsimis, ſeverioriſque diſciplinæ eccleſiaſticæ tenaciſsimis Paſtoribus, & Epiſcopis, populo Chriſtiano ad mores probos formandos ſuadenda cenſetur.

Haud ſanè grata, ſenſibus, carnique blandientia, quod non nulli hactenus factitarunt, hoc opus invehit, arctam quam ſuis Chriſtus Dominus viam aſſeclis commendavit, ſuis Lectoribus Author inculcat, ſemitam, quam veteres Eccleſiæ pugiles, præclara fidei lumina, & columina, calcarunt, & ipſe premit. *Guigon. Ord. Carth. Genealis.* Quod ſi quis male feriatus Magiſtellus improbat, exclamet licet cum ſapientiſsimo quodam Carthuſiani Ordinis General; O *Apoſtolorum tempora infeliciſsima ò viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſsimos, qui vt ad vitam pertingerent propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant*, hæc igitur, quæ ille iocabundus, aut indignabundus potius effudit, ipſe ex animo proferat.

Mirandum profectò, quàm citra delectum, & examen hinc plerique ancipiti aleæque plenæ ſententiæ, in qua non de lana, quod dicitur, caprina, ſed de ſalute, eaque æterna agitur, manus dederint. *Si veſtimentum* (ait pervetus Author, cuius in Math. commentaria inter Chriſoſt. opera circunferuntur) *empturus, vnum giras negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas, quomodo non opportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere vbi ſincera veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta, & omnium confeſsiones cognoſcere, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?* *Hom. 41.*

Neque profectò deſunt, aut vnquam deficere, ad quos pateret acceſſus, veſtutiores ad vnum fere omnes, quod noſter Author luculenter probat, ſententię probabiliori adhærendũ, minus probabilem repudiandã conſenſu docuerunt, Recentio-

tiorum idem aſſerentium infinitus eſt numerus. Vbi igitur prudentia, vbi circunſpectio, vt cum recta via ſe pandat, & in oculos, vt ità dicam, incurrat, in devia, abrupta, præcipitiumque minitantia nos inducamus?

Vbi res dubia, & anceps eſt, peccas, omnium, quos viderim conſenſu, ſi commodiorem, ſenſibuſque gratiorem ſententiam amplectaris. At quando res anceps demum, & dubia eſt? Cum vtrinque, arbitror, æqua rationum, & iuditiorum momenta ſunt. Quando minus probabilis? Cum rationes quidem, & ſuffragia non deſunt, àt minoris ponderis, àc momenti. Quod igitur in æquo verum, àc momentorum articulo non licet, id in ingenti rerum, àc ponderum diſcrimine licebit? Sed enim hæc omnia Author noſter ſuſè iuſtà, àc erudite demonſtrat, quæ, vel ex ſuper vacaneo, libuit hic innuiſſe. Prodeat igitur fauſtibus avibus adeò eruditum, & pium opus minio, àc cedro dignum; faxitque Deus Opt. Max. vt quam ipſum legi, àc relegi eſt dignum, tam multos Lectores, ſalubertimæque doctrinæ Sectatores inveniat. Ità ex animo centio &c. Salmanticæ in hoc Benedictino Collegio. Die 1. April. anno 1694.

Mag. Fr. Ioannes Bauptiſta Lardito.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS El Licenciado D. Manuel Franciſco de Herrera y Quiros, Canonigo en la Sancta Igleſia Cathedral de eſta Ciudad de Salamanca: Proviſor, y Vicario General en ella, y ſu Obiſpado, &c. Por la preſente mediante la aprobacion de arriba damos licencia al R.R.P. Fr. Franciſco Palanco, Lector de Theologia, y Regente de los eſtudios de ſu Colegio de Minimos de Sanfranciſco de Paula, de eſta dicha Ciudad, para que pueda imprimir el libro *Tractatus de Conſcientia*, que tiene trabajado, y compueſto ſin incurrir en pena alguna. Salamanca, y Abril 6. de 1694.

D. Manuel de Herrera.

Por Pozo.

Por mandado del ſeñor Proviſor.

Iuan Mocino.

CENSVRA DOCTORIS D. DIDACI CASTELL ROS ET MEDRANO, IN ALMA Complutenſi Vniverſitate Primariæ Sancti Thomæ Cathedræ moderatoris, in Magiſtrali eiuſdem Academiæ Eccleſia Theſaurarij, & Cononici; Regij, àc Supremi Sanctæ Generalis Inquiſitionis Senatus Cenſoris, & à ſecretioribus conſilijs, Archiepiſcopatus Toletani Synodalis Examinatoris, &c.

DOCTISSIMVM Tractatum *De Conſcientia in communi, & in particulari* à RR.P.Fr.Franciſco Palanco in Salmantino Minimorum S.Franciſci de Paula Collegio Primario Lectore, apprimè elaboratum ex Decreto Supremi Caſtellæ Senatus maxima animi voluptate perlegi. Præſpicaciſſimam enim ſcribendi Methodum, dexteritatem extricandi difficultatum nodos, ingenij acumen diluendo calida argumenta, iam olim miratus fui in eiuſdem Authoris tractatu *de Providentia Dei* ſummo plauſu publici iuris facto. Sed dum *Conſcientiam* monet, quam *pauci quærunt*, vtilius ſcientiam indigitat, cum abſtruſam materiam ſumma eruditione dilucidat: *Cogitare de conſcientia ſenſus eſt conſummatus: Salva reverentia ſapientiæ, vtilius eſt currere ad conſcientiam, quàm ad ſapientiam: n ſi ſapientia illa ſit, quæ edificat conſcientiam*, quam vt rupem in vadoſo mari deſtitutam fluctus opinionum non deſinunt vndecumque moti ſunt verberare. O virum divinis *Diſciplinis non tantum nutritum, ſed innatum: longiſsimum illi ævum ingenij fama promitit; quandiu fuerit vllus litteris honor, vigebit cum maximis viris; quorum ſe ingenijs, vel contulit, vel ſi hoc verecundia eius recuſat, aplicuit.* O virum *exactæ ſapientiæ, & eloquentiæ, quæ res fortiſsimas deceat, non concinnatæ, nec in verba ſollicitæ, ſed ingenti animo, prout impetus tulit, res ſuas proſequentis. Huic non dubito, quin providentia*, cuius efficaciam edocuit, & *talem* conſcientiam, & *talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum ſæculo noſtro, aut convicium deeſſet*: Cumque omnia hoc contenta volumine ſapientia huius Doctiſsimi Magiſtri ſint digna, quin interſit aliquid fidei, aut moribus diſſonum, Typis non ſolum licet, ſed debet; ſubſcripſi compluti. Die 24. April. anno à Chriſto Nato 1694.

D. Bernard. de interiori domo cap. 21.

Seneca ad Polipium c. 21.

Seneca de beneficijs lib. 7. cap. 8.

Doct. D. Didacus Caſtell Ros & Medrano.

EL

EL REY.

POR Quanto por partes de vos Fr. Franciſco Palanco, Religioſo de la Orden de los Minimos de San Franciſco de Paula, Lector de Theologia, y Regente de los Eſtudios del Colegio de vueſtra Orden de la Vniverſidad de Salamanca, nos fue fecha relacion aviades compueſto vn libro intitulado *Tractatus de Conſcientia*, el qual pretendiades dar à la imprenta, para lo qual nos pediſteis, y ſuplicaſteis mandaſemos daros licencia para poderlo imprimir, y Privilegio por diez años, ò como la nueſtra merced fueſſe: lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo; por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligencia que la Pragmatica vltimamente hecha ſobre la impreſsion de los libros diſpone, ſe acordò dar eſta nueſtra Cedula: por la qual os damos licencia, y facultad, para que Vos, ò la perſona que vueſtro poder tuviere, y no otra alguna, podais imprimir el dicho libro de que de ſuſſo va fecha mencion en todos eſtos nueſtros Reynos de Caſtilla por tiempo, y eſpacio de diez años, que han de correr, y contarſe deſde el dia de la fecha de eſta nueſtra Cedula en adelante, pena que la perſona, ò perſonas, que ſin tener vueſtro poder lo imprimiere, ò vendiere, ò hiziere imprimir, ò vender, por el miſmo caſſo pierda la impreſsion con los moldes, y aparejos de ella, y mas, incurra en pena de cinquenta mil maravedis, cada vez que lo contrario hiziere; la qual dicha pena, ſea la tercia parte para la nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para la perſona que lo acuſſare; con tanto que todas las vezes que huvieredes de hazer imprimir el dicho libro, durante el tiempo de los dichos diez años, lo traigais al nueſtro Conſejo, juntamente con el original, que en èl fue viſto, que va rubricado, y firmado al fin dèl de D. Manuel Negrete y Angulo, nueſtro Eſcrivano de Camara, de los que en èl reſiden; para que ſe vea ſi la dicha impeſsion eſta conforme à el original, y traigais fee en publica forma, de como por Corrector nombrado por nueſtro mandado ſe viò, y corrigio la dicha impreſsion po el original, y ſe imprimiò conforme à èl, y quedan impreſſas las erratas, por è apuntadas para cada vn libro de los que aſsi fueren impreſſos, para que ſe taſſe el precio que por cada volumen huvieredes de aver. Y mandamos al impreſſor que aſsi le imprimiere no imprima el principio ni el primer pliego dèl, ni entregue mas que vn ſolo libro con el original al Autor, ò perſona à cuya coſta lo imprimiere, ni à otra alguna, para efecto de la dicha correccion, y taſſa, haſta que antes, y primero el dicho libro eſtè corregido, y taſſado por los del nueſtro Conſejo, y eſtando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y ſucceſsivamente eſta nueſtra Cedula, y la aprobacion, taſſa, y erratas, pena de caer, è incurrir, en las penas contenidas en las leyes, y pragmaticas de eſtos nueſtros Reynos: y mandamos à los de el nueſtro Conſejo, Preſidentes, y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nueſtra Caſa, y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Aſiſtentes, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iuſticias qualeſquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos nueſtros Reynos, y Señorios, que os guarden, y cumplan, y hagan guardar, y cumplir eſta nueſtra Cedula, y lo en ella contenido, y contra ſu tenor, y forma no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir ni paſſar en manera alguna. Fecha en Madrid à 28. dias del mes de Abril de 1694. años.

YO EL REY.

FEE

FEE DE ERRATAS.

Fol.	*Col.*	*Lin.*	*Errata.*	*Correctio.*
18.	2.	33.	ſi talem,	etſi talem
33.	1.	24.	invincibilitèr,	vincibilitèr.
40.	1.	33.	venitur,	invenitur.
49.	2.	34.	in re,	in re.
51.	1.	43.	regalæ,	regulæ
52.	2.	12.	ad agendam,	ad agendum
53.	2.	55.	voluntariè,	involuntariè
54.	1.	5.	inſpectam,	inſpectum.
64.	2.	2.	operis,	opereris.
69.	1.	56.	præcipiens,	præcipit.
101.	1.	47.	illeque,	ille qui.
112.	1.	12.	quælibet,	quilibet.
127.	1.	18.	&,	nec.
154.	2.	14.	honeſtatem,	inhoneſtatẽ.
161.	2.	53.	procedat,	procedebat.
169.	2.	54.	bonum,	malum.
171.	1.	1.	vſucaptio,	vſucapio.
183.	2.	13.	iuri,	iure.
188	2.	25.	æſtimare,	eſtimare.
197.	2.	12.	vtramque,	vtrumque.
209.	2.	47.	probabilis,	probabili.
231.	1.	21.	per cõſequẽtia,	per cõſequẽs.
180.	1.	38.	partibus,	paribus.
218.	1.	52.	Theologorũ,	Theologum.
284.	2.	50.	tendentia,	ſententia.
289.	2.	20.	affirmativa,	negativa.
310.	2.	2.	conferende,	confundere.
327.	1.	56.	quia,	ſed quia.
339.	2.	59.	gravi,	gravium.
351.	2.	33.	nõ limitant,	lim tant ; nàm
358.	1.	5.	prudẽteſpoſſet,	prudẽtèr poſſes
369.	2.	60.	futurus,	futuris.
370.	2.	60.	probabilitatis,	probabilitas.
371.	2.	40.	affectu,	effectu
404.	1.	17.	culpabilis,	inculpabilis.
404.	2.	31.	omnis,	annis.
404.	2.	31.	habeatur,	habebatur.
423.	1.	1.	reſolutionum,	reſolutionem.
424.	1.	2.	aliqui,	aliqua.
429	2.	35	infero,	in foro.
437.	2.	52.	ad eſſectum,	ad effectum.
484.	1.	38.	licitum,	illicitum.
492.	1.	58	honeſte,	honeſtate.
496.	1.	44.	hæc,	hæ.
500.	1.	2.	certiſsimum,	certiſsimas.
509.	1.	37.	in honeſtandũ,	honeſtandum.
512.	1.	31.	quod,	quoad.
514	2.	57.	licitum,	illicitum.
518.	1.	7.	metirer,	mentirer.
523.	2.	60.	potiſsimi,	potiſsimè.
547	1.	6.	percipiunt,	præcipiunt.
547.	1.	6.	ſubditus,	ſubditis.
547.	2.	5.	licitum,	illicitum.
568.	1.	17.	cavendus,	cavendum.

De orden del Conſejo, he viſto eſte libro, intitulado, Tractatus de conſcientia, *compueſto por el P. Fr. Franciſco Palanco, y con eſtas erratas, correſponde con ſu original. Madrid, y Octubre cinco de mil ſeiſcientos y noventa y quatro años.*

Lic. D. Simon Ioſeph de Olivares y Balcazar.

SVMA DE LA TASSA.

DON Manuel Negrete, y Angulo, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor, de los que en ſu Conſejo reſiden, certifico, que avèndoſe viſto por los Señores del vn libro, que con ſu licencia fue impreſſo, intitulado, *Tractatus de conſcientia*, compueſto por Fr. Franciſco Palanco, del Orden de los Minimos de San Franciſco de Paula, taſſaron el dicho libro, y cada pliego dèl, à ſeis maravedis, el qual tiene ciento y cinquenta y vn pliegos, q̃ al dicho reſpecto monta novecientos y ſeis maravedis, y à eſte precio, y no mas, mandaron ſe venda en papel; y que eſta taſſa ſe aſsiente, y ponga al principio de cada vno de los libros que ſe imprimieren: como conſta del decreto original que queda en eſte oficio, à que me refiero, y para que conſte, doy eſta certificacion. En Madrid, à cinco dias del mes de Octubre de mil y ſeiſcientos y noventa y quatro años.

D. Manuel Negrete y Angulo.

IN-

INDEX QVAESTIONVM,

ET ARTICVLORVM, QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR.

QVÆSTIO Prima. Quid ſit conſcientia? fol. 1.

Quæſtio. 2. Quotuplex ſit conſcientia? fol. 5.

Quæſt. 3. An diviſio conſcientiæ in rectam, & erroneam ſit adæquata? fol. 7.

Quæſt. 4 An conſcientia erronea excuſet à culpa? fol. 9.

Quæſt. 5. An actum ea regulatum reddat poſitive honeſtum? fol. 10.

Quæſt. 6. Vtrum conſcientia erronea liget, & in vi cuius legis? fol. 57.

Quæſt. 7. An actus, quo ſequimur conſcientiam culpabiliter errantem, ſit peccatum diſtinctum à culpa ignorantiæ, vel erroris? fol. 89.

Quæſt. 8. An dentur peccata formalia, & proprie talia commiſſa cum ignorantia, & inadvertentia malitiæ? fol. 96.

Quæſt. 9. An detur ignorantia invincibilis iuris naturalis? fol. 105.

Quæſt 10. Qualiter ſit deponenda conſcientia vincibiliter erronea? fol. 121.

Quæſt. 11. An conſcientia obliget magis quam præceptum Prælati? fol. 126.

Quæſt. 12. An licite poſsit quis inducere alium ad operandum ſecundum conſcientiam erroneam? fol. 127.

Quæſt. 13. Quid ſit dubitare, & àn ſemper ſit cum ratione? fol 130.

Quæſt, 14. An detur, & quid ſit conſcientia dubia? fol 133.

Quæſt. 15. An liceat operari eum conſcientia dubia illud, de quo dubitatur àn ſit licitum? fol. 135.

Quæſt. 16. An detur lex reflexa, ſeu præceptum ſequendi partem tutiorem in dubio? fol. 136.

Quæſt. 17. An ſolvere dubitationem ſit cum ratione, quali, & quanta? fol. 155.

Quæſt. 18. An cum dubio ſpeculatiuo, ſeu vniverſali de licito, vel illicito componatur certitudo practica, & in ſingulari de honeſtate actus? fol. 162.

Quæſt. 19. An adſolvendum dubium in ſingulari ſufficiat certa, & æqualis probabilitas in vniverſali pro vtraque parte contradictionis? fol. 165.

Quæſt 20. An cum dubio de obiecto ſalvis eiſdem circunſtantijs ſtare poſsit certitudo de operatione quoad licitum, vel illicitum? fol. 167.

Quæſt. 21. An titulus poſſeſsionis propriæ libertatis ſit circunſtantia rationabiliter ſolvens dubium in praxi? fol. 170.

Quæſt. 22. Quid ſit opinio, & quid probabile? fol. 190.

Quæſt. 23. An vtraque pars contradictionis poſsit eſſe ſimul probabilis, & qualiter? fol. 194.

Quæſt 24. An idem intellectus poſsit ſimul exiſtimari, aut opinari vtramque partem contradictionis veram? fol. 201.

Quæſt. 25. An poſsit intellectus opinari practicæ in ſingulari contra propriam apinionem ſpeculativam, & vniverſalem? fol. 205.

Quæſt. 26. An intellectus actu conſiderans rationes, & motiva probabilia pro vtraque parte contradictionis poſsit pro libito aſſentiri parti æquè, vel minus probabili? & àn prudenter? fol. 208.

Quæſt. 27. An ex eo quod iudex non poſſit iudicare ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem in foro iuſtitiæ inferatur idem dicendum de intellectu in foro conſcientiæ? fol. 243.

Quæſt. 28. An liceat voluntati ſequi in praxi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, relicta probabiliori, vel æque probabili pro lege? fol. 257.

Art. 1. An ſit æquè periculoſum ſequi in praxi opinionem æquè aut minus probabilem pro libertate, àc operari cùm conſcientia dubia? fol. 257.

Art. 2. An ex lege charitatis teneamur vitare periculum proximum, aut probabile peccati materialis? fol. 270.

Art. 3. An cum licentia ſequendi quamlibet opinionem de licito cohæreat divinam legem eſſe primam, & vniverſalem regulam moralitatis? fol. 289.

Art. 4. An opinio æque, vel minus probabilis ſua contradicente ſit tuta regula conſcientiæ, vel morum? fol. 301.

Art. 5. An proſit contrarijs recurſus ad diſtinctionem de probabilitate practica, & ſpeculativa? fol. 306.

Art. 6.

Art. 6. An recurſus ad maiorem probabilitate remflexam, ſeu ad reflexam evidentiam, & certitudinem ſit vtilis ad probandum, vel reſpondendum in præſenti quæſtione? fol. 321.
Art 7 An ab inconvenientibus efficaciter ſuadeatur noſtra ſententia? fol. 338.
Art. 8. An argumenta contrariorum ſint alicuius roboris? fol. 350.
Quæſt. 29. An opinio reflexa pro libertate ſit probabilior noſtra pro lege, ſaltem authentice? fol. 374.
Art. 1. An noſtra reflexa pro lege ſit probabilior ab authoritate Scripturæ? fol. 376.
Art. 2. An ſit probabilior ab authoritate Sacrorum Canonum? fol 390.
Art. 3. An ex Sanctis Patribus reflexa pro libertate ſit probabilior noſtra pro lege? fol 399.
Art. 4. An ſit probabilior ex mente Theologorum antiquorum, & recentiorum? fol. 421.
Quæſt 30. Vtrum prudentis, vel prudentioris ſit eligere in regulam conſcientiæ reflexam pro libertate? fol. 459.
Quæſt. 31. Qualiter debeat eſſe probabilior opinio pro libertate, vt eam licite ſequi poſsimus? fol. 470.
Quæſt. 32. Qualiter debeat veritas inquiri vt eius ignorantia inculpabilis ſit? fol. 477.
Quæſt. 33. Quænam honeſtatis certitudo requiratur ad honeſte operandum? fol. 487.
Quæſt. 34. Quænam ſit regula moralitatis obiectiva, & formalis, cui teneamur conformari in operando? fol. 504.
Quæſt. 35. An liceat operari, conſulere, aut præcipere contra propriam opinionem iuxta oppoſitam aliorum minus probabilem? fol. 512.
Quæſt. 36. An confeſſarius poſsit vel debeat abſolvere pœnitentem, qui ſequitur opinionem ſuæ contrariam? fol 527.
Quæſt. 37. Quid faciendum ei qui verſatur inter opiniones probabiles pro legibus oppoſitis? fol. 534.
Quæſt. 38 An ſubditus teneatur obedire Prælato præcipienti ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem, relicta probabiliori? fol. 538.
Quæſt. 39. An liceat Magiſtro, aut Doctori Theologo docere doctrinam minus probabilem relicta probabiliori oppoſita? fol. 553.
Quæſt. 40. Qualiter medenda, vel deponenda ſit conſcientia ſcrupuloſa? fol. 564.

LECTORI.

IE, Ac benigne Lector, vix vnquam hæc nomina non vacua in te magis requiram, quam in hoc opere perlegendo; novi enim quam pluribus labor hic meus ex ſolo publico rumore, & fama quod probabilitatem à regulandis moribus relegat, àc veritatem, vel probabilioritatem ad minus exactam decernit, exoſus habendus ſit, potiſsime apud eos, quibus Authoris ætas, exiliſque vel nulla eius authoritas nota fuerit. Protinus enim bilem movet quod Theologus Iunior, nomine vix ex propinquo notus, authoritate doctrinæ æquè vel magis quam inſtituto propriæ Religionis minimus, adverſus claſſem omnium Theologorum, & Scriptorum noſtri ævi doctrinam ſingularem in lucem emittat: &, quod longeacrius exalperat animos, non id prætendat in quæſtione aliqua Methaphiſicę vel Dialecticæ, ſed in doctrina morum vniverſaliſsima, in qua novitas vel ſingularitas nunquam non fuit vehementer ſuſpecta. Id ſanè vel antequam iſtum prologum ſalutaveris à pluribus forsàn audies, Pie, inquam àc benigne Lector, ſed propterea has in te virtutes requiro, nàm qui his præditus fuerit, neminem ex ſolo rumore condemnare audet, quandiù ipſe oculis proprijs de veritate certificari quiverit. Igitur doctrina in hoc opere expreſſa nec novitatis, nec ſingularitatis vitio laborat. Rumores ſunt iſti vulgares à re ipſa prorſus alieni. Non mihi credas, credes oculis proprijs, ſi legeris conſtanter in finem vſque, àc patenter invenies antiquam, non recentem, apud veteres quidem communem, non ſingularem, inter poſteros iterum illuſtri Theologorum, & Iuriſprudentum calculo confirmatam forè doctrinam iſtam. Nec animo ità elato ſum, vt propriam authoritatem contradicentibus opponere audeam, aut fidem proprijs aſſertis ex ea conciliare præſumam: ſolidiſsimis rationibus, Sacræ Paginæ teſtimonijs, Summorum Pontificum Decretis, SS. PP. doctrinis, veterum Theologorum eruditione, àc Illuſtrium aliquot RR. præſidio contra regulam illam Lesbiam probabilitatis vtrique opinioni contradicenti communis milito. Ad triumphum autem his armis reportandum non opus iudicavi expectare ſenectutem, nec authoritatem repetitis aut multiplicatis editionibus comparatam: prænumerata enim motiva, etſi ab homuncione nullius nominis proferantur, vim ſemper facient ingenuis mentibus; propterea que, non obſtante propriæ authoritatis defectu, ſpem concepi fundatam plerc ſque Theologos in iſtam ſententiam trahendi, ſi affectione àc paſsione depoſita, ſolo veritatis inveniendæ zelo opus hoc conſtanter perluſtrare dignati fuerint. Nec diutius ad hunc in lucem promendum tractatum expectandum cenſui, tum quià ſemel edito volumine de divina Providentia, in

quo

quo controverſiã totius Theologiæ ſpeculativæ maximam, ferè omnibus eius tractatibus pernecessariã enodare conati ſumus, & primatum Dei in cauſando, & determinando propugnare, conſequens viſum fuit ſtatim in lucem prodire diſertationem de humana conſcientia, deque opinionum delectu, quæ quidem totius Theologiæ moralis difficilima eſt, omneſque eius tranſcendit difficultates, ac materias, in eaque pro primatu divinæ legis in regulandis moribus pro viribus decertare. Tùm quià licet alia, tùm ad Phyſicam, tùm ad Methaphiſicam, tùm ad Theologiam ſpeculativam prælo parata eſſent, vrgentior tamèn viſſa fuit neceſsitas hunc tractatum, qui baſsis totius Theologiæ Moralis ſure nuncupari poſſet, evulgandi, eo quod licentia opinandi circa mores in dies magis ſerpit, & niſi compeſcatur quam primum, maiores radices mittet, & mora contradicendi vires præſtabit probabiliſmi Sectatoribus, qui propterea, quià aliquandiù tacuerunt contradictores, pacificam allegant poſſeſsionem. Ab his iàm controverſijs expediti, promiſsis ſtabimus, iuvante Numine, ac vel Methaphiſicam iàm promiſſam, vel Secundam ſecundæ à pluribus expetitam imprimis dabimus. Interim pie Lector eo fine, quo in lucem prodit, hoc opus perluſtra. Forsàn tibi faſtidio erit quod eodem ſuadendo aſſerto tot paginas expenderim; ſed memineris oportet affati illius: *Nunquam nimis quod nunquam ſatis*; ſi namque vnum, vel alterum argumentum ſat eſſet ad revincendos contradicentium animos, iure de prolixitate accuſarer; nunc autem, dùm reſiſtentia tanta eſt, vt vix vllis arguendi machinis cedat, venia dignus ero, ſi multimodis eam impetere diutius non deſiſtam. Forsàn item tædebit ex tot contradicentibus authoribus vnum tantum vel alterum, Terillum præcipue, percunctas ferè paginas impugnatum legere. Sed hunc præceteris impetendum cenſui, quià ceterorum omnium motiva copioſius expendit, & vrgentius promovet; ac proinde in eo ceterorum evaſiones præcluſas habes: quorum nomina vt plurimum ſilentio prætereo, quià non adverſus homines, ſed contra doctrinas milito mihi falſas. Forsàn denique moleſtus videbor, dum inſidias, ac fallatias amoris proprij ac verſuti detego, conſcientiamque de pluribus arguo, quæ per Probabiliſmum, vel ignorantiam, nedùm exculantur, ſed honeſtantur. Sed in hoc nõ voluptas, ſed veritas eſt quærẽda, quæ certius in humili confeſsione peccatorũ, quam in deſenſione elata propriæ iuſtitiæ reperitur. Interim audi dilectum Chriſti Diſcipulum *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emmundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis. Filioli mei hæc ſcribo vobis vt non peccetis, ſed & ſiquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Ieſum-Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

TRA-

ADVERTENTIA NOTABILIS.

Ad Lectorem tractatus de Providentia circa quæst. 13. num. 25.

OBITER, Non ex propoſito, ſic ibi aiebam: *Sicut Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 8. dixit, Vſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, vt lex non ſolum non proſit, verumetiã obſit, niſi adiuvetur gratia, ità ſimilitèr poſſet dici de gratia conſtituente poſſe, quod non ſolum non prodeſt, verumetiam obeſt, niſi adiuvetur alia gratia.* In quem periodum cùm incidiſſent doctiſsimi Complutenſes, illum putarunt coincidere cùm propoſitione 5. damnata ab Alexandro VIII. vel ſaltem eam inferre, quæ huius tenoris eſt: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tàm vtilis, quàm perniciosa eſt, ſic vt proinde merito petere poſsimus, à gratia ſufficiente libera nos Domine.* Eà propter, & quià in qualibet, licet brevi clauſula meorum operum procul ſemper abeſſe cupio à peſtiferis hæreticorum erroribus, in quo nulli partes dabo, non incongruum iudicavi, hæc nunc Lectori advertere. Primo, quod nec ad oculos, nec ad aures pervenerat propoſitio iſta damnata dum prædicta dictabam. Quod ſi perveniſſet, forsàn me, & Auguſt. dilucidius expoſſuiſſem. Secundò, me *abſolute* non aſſeruiſſe de gratia ſufficiente, *quod non ſolum non prodeſt, verumetiam obeſt, niſi adiuvetur alia gratia*; ſed ſolum dixi quod id *poſſet dici*, ſeu *poterit dici*, ad quod non exigitur quod in rigore litteræ verum teneat, ſed ſat eſt ſi aliquali ſenſu cùm veritate proferri poſsit. Nec item *abſolute affirmavi poſſe dici*, ſed quaſi conditionate, aut de futuro, quod *poſſet dici*, ſeu *poterit dici*. Nec adhuc id *abſolute* protuli, ſed *ità ſimilitèr* àc Auguſt. idem dixit de lege Sancta Dei, ideſt in eodem ſenſu, & relative ad ipſum.

Quo ſuppoſito, ponamus iàm propoſitionem Auguſtini: *Lex*, inquit, *non ſolum nihil prodeſt, verumetiam obeſt, niſi adiuvetur gratia.* Nunc rogo; licebit ne dicere hanc propoſitionem Auguſt. coincidere cùm iſta, aut iſtam inferre legitime: *Lex ſtatui noſtro, non tam vtilis, quam perniciosa eſt, ſic vt proinde merito poſsimus petere, à lege Dei libera nos Domine*? Quis hanc horribilem blaſphemiam, vel illative quidem, imputet Auguſt? Ergò paritèr ex eo quod dixerim de gratia ſufficiente, poſſe dici: *Non ſolum nõ prodeſt, verumetiam obeſt, niſi adiuvetur alia gratia* in eodem ſenſu, àc id dixit Auguſt. de lege, ineptiſsime colligetur, nec arguitive quidem, me incurriſſe iſtam propoſitionem damnatam: *Gratia ſufficiens non tam vtilis, quam perniciosa eſt, &c.* Conſequentia patet, nàm illæ duæ propoſitiones de lege in nihilo differunt ab his duabus de gratia ſufficienti prolatis, æqualemque omnino diſtantiam important.

At inquit D. Caſtel. de Cõcord. libert. q. 4. ſect. 7. n. 211. *Sed nõ intelligo, quomodo non ſit magis perniciosum, quam vtile, quod plus obeſt quam prodeſt? Quià quod prodeſt eſt vtile, & quod obeſt perniciosum.* Sed nihilominus id intellexit Auguſt. quià de lege intellexit qualiter *non prodeſſet, ſed obeſſet*; procul tamèn fuit ab eius mente quod lex Dei *non eſſet vtilis, ſed perniciosa*. Sed ſic opponit: Qui veram gratiam donat eſt beneficus; ſed qui donat id, quod plus obeſt, quam prodeſt, non eſt beneficus: ergò non ſtat gratiam ſufficientem eſſe veram gratiam, & plus obeſſe, quam prodeſſe. Secundo: gratia eſt beneficium ſuprà debitum, materia orationis, & gratiarum actionem expoſcens: ſed quod plus obeſt, quam prodeſt bonum mihi non eſt, nec materia gratitudinis, & orationis, ſed querelæ: ergò. Sed in primis inſto: lex Dei iuxta Auguſt. plus obeſt, quam prodeſt; ſed per te quod plus obeſt, quã prodeſt non eſt bonũ mihi, nec beneficiũ, nec materia orationis, nec gratiarum actionis, ſed querelæ: ergò inferre iàm licebit imprudentèr Davidem dixiſſe: *bonũ mihi lex oris tui*, inepte oraſſe: *legem pone mihi Domine*, ineptè etiam legem Dei dilexiſſe, pro illa gratias exhibuiſſe, noſque cùm illo quotidie ineptiemus, ſiquidem id ipſum dicimus, petimus, & gratulamur quotidie cum ipſo. Quis ſanè hoc dicat? Quid ergò dicemus?

Reſpondeo pro omnibus non eſſe novum de beneficijs, & gratijs dicere quod obſint, & noceant ingratis, nec id inintelligibile reputari debet. Quæ enim maior gratia quam Euchariſtia, cuius, vel ipſum nomen interpretatur *bona gratia*: & tamèn *mors eſt malis*, inquit Angel. Præc. & D. Thereſia in 3. exclamatione ex his, quæ eructabat illa bona gratia ſaginata, aiebat: *O! que à los que ſon deſagradecidos la grandeza de la merced les daña*; communiterque de his proferimus, *el bien les haze mal*; & apud SS. PP. pluries reperietur hic loquendi methodus, quo beneficia dicuntur nocere ingratis, idque omnes intelligimus: atqui illi, qui edoceentur à Deo legem, & accipiunt gratiam ſufficientem, ſi non adiuventur efficaci, ingrati ſunt: ergò rectè intelligi poteſt, quod ſi non adiuventur gratia efficaci, tùm lex, tùm gratia ſufficiens non ſolùm non proſit illis, verumetiam obſit.

Sed quo ſenſu obeſt? Non quidem per ſe, & ſua vi, ſed per accidens, & culpa recipientis, quiã culpa eius eſt non adiuvari gratia efficaci; & ex hac culpa obeſt gratia ſufficiens, & lex, ſiquidẽ peccatorem reum facit, & inexcuſabilem, ità vt confugere nequeat ad ignorantiam, dicens: *Neſcivi hoc eſſe peccatum*, nàm lex arguit: *Id ego tibi prohibui*: nec item ad impotentiam dicens: *Non potui illud cavere*, nàm gratia ſufficiens arguit: *Ego tibi poſſe dedi*. Primam excuſationem impedit lex, ſecundam gratia ſufficiens, & ſic vtraque aggravat culpam, & vtraque obeſt ne homo excuſetur à culpa.

Nec

Nec eſt idem ità obeſſe & pernicioſum eſſe: nã *pernicioſum* ſignificat vim de ſe & in actu primo nocivam, benè autem poteſt obeſſe, imò & nocere in actu ſecundo culpa recipientis & per accidens, id ipſum quod nec nocivum, nec pernicioſum ſit, ſed proficuum in actu primo ex propria vi & activitate: & ſic ſe habent tùm lex, tùm gratia ſufficiens, quæ in actu primo pro priori ad culpam recipientis omnino profunt, dando poſſe & illud inclinando in bonum, & ſolum nocent in actu ſecundo ex culpa hominis modo dicto.

Vnde in forma ad primum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: qui donat id, quod plus obeſt, quàm prodeſt de ſe & per ſe ante culpam recipientis non eſt beneficus, concedo; quod plus obeſt, quàm prodeſt per accidens, & culpa recipientis, nego minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu. Ad ſecundum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem vt diſtinxi: nàm recte poteſt eſſe beneficium, bonum mihi, & materia orationis, quod de ſe ex intentione dantis eſt mihi proficuum, & bonum, licet ex mea culpa per accidens cedat in detrimentum, & iudicium.

Sed efficaciſsime redarguo, proſequitur D. Caſtel. *Hæc ſunt Auguſt. verba: Vſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, vt lex non ſolum nihil proſit, verumetiam plurimum obſit, niſi adiuvetur gratia: ergò Auguſt. ex eo quod lex obeſt, niſi adiuvetur gratia, probat aliud eſſe legem, aliud gratiam ſeu legem non eſſe gratiam: ergò ſi gratia ſufficiens obeſt, niſi adiuvetur alia gratia, aliud erit gratia ſufficiens, aliud gratia, & exinde vera gratia non erit, quod eſt hæreticum.* Conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego ſecundam, quæ inepte infertur, cùm ſolum legitime deducatur iſta: *Ergò ſi gratia ſufficiens obeſt niſi adiuvetur alia gratia, aliud erit gratia ſufficiens, aliud illa alia gratia*, nimirum gratia efficax. Sed hoc rogo eſt hæreticum? Quis tale dicat de dogmate Thomiſtico? Aut quo pacto hoc argumentum efficaciſsimum dicitur?

Sed vlterius proſequitur: iuxta Auguſt. eo lex obeſſe dicitur, quià *Lex iubet magit quam iuvat, docet morbum eſſe, non ſanat, imò ab ea quod non ſanatur augetur*: ſed auxilium ſufficiens morbum non auget, iuvat, & non iubet: ergò non poſſumus de illo loqui ſicut Auguſt. de lege. Fateor quod auxilium ſufficiens iuvat vt poſsis, ſed ſi non adiuvet efficax, non aſſequitur vt facias quod potes & debes, àc proinde non ſanat morbum peccati, nec vitat, ſed inexcuſabilem reddit, & hoc pacto auget, non quidem ex eodem, ſed ex diverſo capite, àc lex; lex quidem inquit Auguſt. quià *Si ſpiritus vivificans deſit, ſciri facit peccatum potius quam caveri, & ideò magis augeri quam minui*, quià tollit excuſationem ignorantiæ, qua ſaltem minueretur. Gratia autem ſufficiens, quià ſi deſit efficax, non cavet peccatum, ſed tantum facit poſſe caveri, àc proinde magis augeri, quam minui, quià tollit excuſationem impotentiæ, qua vitaretur aut decreſceret culpa. Nec litigabo àn alijs etiam modis poſsit lex augere morbum concupiſcentiæ, quibus id non poſsit gratia ſufficiens, dummodo enim vtraque augeat peccatum illud inexcuſabile reddendo, culpam aggravando, reum convincendo, & prævaricatorem hominem, hoc abunde, ſufficit, vt ſicut de lege, ità de gratia ſufficienti dici poſsit, quod niſi adiuvet efficax, plus obſit quàm proſit modo explicato.

Nec item inferas me non diſtinguere auxilium ſufficiens à lege & doctrina, eo quod dixerim num. 23. *Omnis gratia conſtituens poſſe includitur in gratia legis & doctrinæ, illamque non excedit.* Aliud enim eſt *gratia legis & doctrinæ*, aliud *ipſa lex & doctrina*, ſicut aliud eſt *gratia habitus militaris*, aliud *ipſe habitus militaris*. Vnde ſicut verum eſt & cum veritate dicitur quod in gratia habitus includuntur omnia privilegia, honores, & exemptiones habitui annexa, eamque non excedunt, falſum tamèn quod ea omnia indiſtincta ſint ab ipſo habitu, quià gratia habitus præter ipſum habitum alia plurà importat habitui annexa, ità in gratia legis & doctrinæ includi poteſt gratia ſeu auxilium conſtituens poſſe, quin tamèn inde inferatur hoc auxilium eſſe in diſtinctum à lege & doctrina, quià gratia legis & doctrinæ præter ipſam legem, & doctrinam importat alia ipſi annexa, quorum præcipuum eſt auxilium dans poſſe.

Nec denique recte infert præcitatus D. me excidiſſe *Affirmantem abſolute quod S. Auguſt. ſupponere videtur poſſe* ad opus ſalutare *conſiſtere in natura & doctrina*; nàm imprimis hæc non eſt affirmatio abſoluta, ſed limitatiſsima, cùm ſolùm dixerim id *videri*, non ità eſſe, & oppoſito in ſenſu immediate expoſſuerim Auguſt. Valde autem differunt *ſupponere videtur*, & *ſupponit*. Sicut valde diſtinguntur, *negari Dei gratia videtur*, & *negatur Dei gratia*. Cùm enim illud primum dixiſſet Auguſt. pro caſu quo defenditur liberum arbitrium, & ex inde hoc ſecundum ei imputaſſet Iulianus, Auguſt. reſpondet: *Calumniaris, non hoc à me dictum eſt, ſed videri hoc poſſe dictum eſt*: ex qua aſſertione de *videri* nullum excidium incurrit Auguſt. Sic igitur non dixi Auguſtinum illud ſupponere, ſed hoc videri ex littera textus, quod & cuique legenti ità videbitur, & nullum inde excidium incurriſſe me puto, potiſsimè cum ibidem perſpicuè ſuppoſuerim, tam ex mente Auguſt. quam ex propria, gratiam ex parte potentiæ à lege, & doctrina diſtinctam, licet nomine legis comprehenſam, quià eadem liberalitate, & gratia inſeparabiliter à Deo donatam, & ideò ab illa in eſſe gratiæ formaliter indiſtinctam.

TRA-

CHA-
RI-
TAS.

TRACTATVS DE CONSCIENTIA IN COMMVNI, ET IN PARTICVLARI.

ENE In vniversa Theologia res vlla agitur maioris momenti, quàm præsens de conscientia dissertatio. Cùm enim ex recta conscientia morum probitas in omne genus hominum profluat, ex pravaque, & erronea innumera oriãtur vitia, sceleraque; & aliundè Theologis incumbat docere, qualis sit recta, qualis prava, & erronea conscientia, vt homines in via salutis, tutum, àc rectum iter assumant; nihil videtur magis scitu dignum esse ipsis, quàm præsentis tractatus materia. Eoque,& quià nollem fruſtrà sudores scholasticos pro innani plausu sustinere, sed pro salute, àc proximorum edificatione, hunc selegi dictandum tractatum. In quo sanè non parum cœlesti luce indigemus, tùm ob arduitatem, àc summam difficultatem materiæ, tùm ob varietatem, & multitudinem opinionum sibi invicem adversantium, quibus moderni Scriptores eam illustrarunt (obscurarũt forsàm de aliquibus dicerem melius) Tùm denique, quià nullibi magis quærẽda veritas, nullibi periculosior error, & falsitas. Cùm enim doctrina de conscientia sit quasi regula, & generale principium in moralibus; si in generali principio erramus, quòt sequentur in conclusionibus ad mores spectantibus errores? Eoque eam, quam assuevi pro cœlesti impetranda luce, orationem præmittere non erubescam.

Domine Iesu-Christe, Sapientia Patris, & Vera Lux, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, te supplicitèr deprecor, & humilitèr exoro, vt mentẽ huius famuli tui, quem pretioso Sanguine redemisti, ità illuminare digneris, vt quidquid ad maiorem tui Nominis gloriam, meamque, & proximorum vtilitatem conducere cognoveris, doceas, & à corde meo per veram humilitatem scientiæ inflantis vanum tumorem expellas, omnemque curiositatis libidinem procùl amoveas, & non plus sapere, quam oportet sapere, tribuas. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum.

QVÆSTIO I.

Quid sit conscientia?

VT Videamus quid sit conscientia statuendũ est per prius quid nõ sit.

§. I.

Prima conclusio defenditur:

DICO Primo: *Conscientia non est habitus, nec potentia, sed actus.* Ità D. Thom. quæst. 17. de verit. art. 1. & 1. 2. q. 19. art. 5. & ex ipso probatur primò. Nàm conscientia ex propria nominis significatione importat ordinem, seu applicationem scientiæ ad aliquid. Vndè dicitur conscientia, quasi cum alio scientia; sed applicatio scientię ad aliquid est actus, & non habitus, nec potentia: ergò. Secundo, quià omnia munera conscientiæ consequuntur ad applicationem scientiæ correlativè ad ea, quæ agimus: ergò conscientia consistit in huiusmodi applicatione, quæ actus est. Antecedens probatur; quià omnia munera conscientiæ sunt te-

ſtificari, ligare, accuſare, remordere, ſeu reprehendere; ſed hæc conſequuntur ad actualem applicationem noſtræ ſcientiæ ad ea, quæ agimus: ergò. Minor probatur: nàm teſtificari provenit ex eo, quod applicamus noſtram ſcientiam ad id, quod benè, vel malè fecimus. Iuxtà illud Eccleſiaſtici: *Scit conſcientia tua te crebro maledixiſſe alijs.* Ligare, & inſtigare provenit ex eo, quod applicamus ſcientiam vniverſalem, qua ſcimus aliquid eſſe faciendum, vel omittendum ex lege Dei in talibus, vel talibus occaſionibus, ad hanc præſentem occaſionem, ex quo obligatur homo ad illud hic, & nunc faciendum. Accuſare, vel excuſare provenit ex eo, quod applicamus ſcientiam vniverſalem, ſive vniverſales regulas ad iudicandum, àn opus à nobis factum ſit hic, & nunc, benè, vel malè factum, culpabiliter, vel inculpabiliter. Quando talis ſcientia vniverſalis ſingulariter applicata dictat eſſe culpabiliter factum, eſt conſcientia accuſans; quando aliter, excuſans: ergò omnia munera, & officia conſcientię conſequuntur ad applicationem ſcientiæ ad ea, quæ agimus.

3 Secundo probatur concluſio; quià imprimis conſcientia non eſt potentia; deinde nec habitus: ergò eſt actus. Maior patet, quià conſcientia deponi poteſt: ſed potentia deponi non poteſt, quià adhæret inamiſsibiliter ſuo ſubiecto: ergò non eſt potentia. Maior patet, quià ſepè deponimus conſcientiam, & aliquando obligamur ad deponẽdam conſcientiam errãtem. Deinde probatur minor primi ſyllogiſmi; quià nec eſt habitus congenitus, nec acquiſitus, nec infuſus: ergò non eſt habitus. Antecedens quoad primam partem patet: quià habitus congenitus, ſicut eſt lumen primorum principiorum, eſt inamiſsibilis, & deponi non poteſt; conſcientia autem deponi poteſt. Secunda pars etiam patet, quià habitus acquiſitus acquiritur proprijs actibus: conſcientia autem non acquiritur noſtris actibus, ſed potius ſupponitur tanquàm regula ad omnes noſtros actus morales: ergò non eſt habitus acquiſitus. Tertia pars etiam ſuadetur; quià non ſolùm habemus conſcientiam circà actus ſupernaturales, immò, multo magis circà naturales, & intrà ordinem naturalem; ſed intrà ordinem naturalem, & circà actus naturales non datur habitus infuſus: ergò conſcientia non eſt habitus infuſus.

4 Sed obijcies primo; quià D. Hyeronim. in gloſſa Ezechielis, cap. 1. Syndereſim appellat conſcientiam; ſed ſyndereſis eſt habitus, cuius actus conſcientia dicitur: ergò conſcientia eſt habitus, & non ſolùm actus. Item D. Baſil. in princip. Proverb. ait: conſcientiam eſſe *naturale iudicatorium*. Et Damaſc. lib. 2. de fide, cap. 12. ait: quòd conſcientia eſt *lux intellectus noſtri*: ſed naturale iudicatorium, & lux intellectus noſtri eſt habitus: ergò conſcientia eſt habitus.

5 Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, appellat ſyndereſim conſcientiam in ſenſu cauſali, concedo maiorem, in ſenſu formali, nego maiorem. Et ſim iliter ad Baſil. & Damaſc. dico, quod conſcientia cauſaliter ſumpta eſt lux intellectus noſtri, & naturale iudicatorium; quià habitus luminis principiorum moralium, qui eſt ſyndereſis, lux intellectus noſtri, & naturale iudicatorium, eſt qui proximè cauſat conſcientiam, ideò cauſaliter appellatur conſcientia, ſed non quià formaliter ſit ipſa conſcientia. Quam ſolutionem expreſsit Angelicus Præc. 1. p. quæſt. 79. art. 13. dicens: *Quià tamen habitus eſt principium actus, quandoque nomen conſcientiæ attribuitur primo habitui naturali, ſcilicet, ſyndereſi; conſuetum enim eſt quod cauſæ, & effectus per invicem nominentur*: habitus ergò ſyndereſis ſolùm cauſaliter dicitur conſcientia, non formaliter.

6 Obijcies ſecundo: conſcientia manet in nobis etiam dormientibus; adhuc enim, quando quis dormit, dicitur homo bonæ, vel malæ conſcientiæ; ſed in nobis dormientibus non permanet actus aliquis, qui ſit conſcientia: ergò conſcientia eſt habitus. Confirmatur: conſcientia habet plures actus, vti accuſare, ligare, teſtificari, &c. Sed actus non habet plures actus, ſed ſolùm habitus, vel potentia: ergò conſcientia eſt habitus, vel potentia. Secundò, quià conſcientia non eſt actuale iudicium: ergò non eſt actus. Antecedens probatur: quando quis operatur contra conſcientiã, non operatur contra proprium iudicium; ſed, ſi conſcientia eſſet actuale iudicium, idem eſſet agere contra conſcientiam, àc agere contra proprium iudicium: ergò. Maior probatur, quià, quando quis agit contra conſcientiam, agit iuxta proprium iudicium, cum agat ex propria electione, & iudicio; ſed implicat agere iuxtà proprium iudicium, & contra proprium iudicium: aliàs enim ſimùl eſſent in intellectu duo iudicia contraria: ergò.

7 Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: conſcientia manet in nobis etiam dormientibus, manet moraliter, concedo: phyſicè, & realiter, nego maiorem, &

ſub

ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; quià bene poteſt aliquis actus manere moralitèr in dormiente, ſeu quantum ad denominationem moralem: & ſic manet conſcientia in dormiente, vt denominetur homo malæ, vel bonæ conſcientiæ, ſicut permanet in illo moralitèr bona, vel mala vita, vt denominetur homo bonæ, vel malæ vitæ. Ad primam confirmationem, nego maiorem; quià ligare, accuſare, teſtificari, &c. non ſunt plures actus, ſed vnus cum reſpectu ad diverſa. Vnicus enim actus conſcientiæ, reſpectivè ad opus faciendum, dicitur obligare, & inſtigare, reſpectivè ad opus factum, dicitur accuſare, & teſtificari. Vndè conſcientia non habet plures actus, ſed eſt vnus actus cum diverſis muneribus reſpectivè ad diverſa tempora, vel obiecta. Ad ſecundam, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem, vel eam diſtinguo: non operatur contra proprium iudicium de honeſtate operationis, nego: contra propium iudicium de abſoluta convenientia operationis, concedo maiorem. Ad probationem paritèr, diſtinguo maiorem, & minorem; nàm ſimul poſſunt eſſe in intellectu duo iudicia, quorum primum dicat: *Inhoneſtum eſt: Non licet hoc facere.* Aliud, quod dicat: *Non obſtante inhoneſtate, mihi eſt bonum, & delectabile hoc facere.* Quæ duo iudicia ſunt contraria moralitèr, eo quod primum moralitèr prohibet, vt inhoneſtum, quod ſecundum approbat vt bonum ſibi: ſed non ſunt contraria phyſicè, ſeu incompoſsibilia ſubiectivè; quià ſunt de diſtincto obiecto, licèt obiectum primi moralitèr contradicat obiectum ſecundi, quatenus movet moralitèr ad oppoſitum actum. Qui ergò malè operatur, operatur iuxtà ſecundum iudicium, ſed moralitèr contra primum; & ideò agit contra conſcientiam; quià primum iudicium eſt iudicium conſcientiæ, quo conſcientia ſemper clamat, ſicut Ioanes Herodi: *Non licet tibi hoc facere.*

8 Tertio obijcies: Nàm Origenes lib. 2. in epiſt. ad Rom. 3. ait, quod conſcientia eſt: *Spiritus corrector, & pedagogus animæ ſociatus, quo ſeparatur à malis, & adhæret bonis*; ſed ſpiritus in anima eſt potentia aliqua, vel ipſa mens, iuxtà illud ad Epheſeos 3. *Renovamini in ſpiritu mentis veſtræ*: ergò conſcientia eſt quædam potentia. Confirmatur: ſola anima, vel potentia eius eſt ſubiectum peccati; ſed conſcientia eſt ſubiectum peccati: ergò, cum non ſit anima, erit potentia eius. Minor probatur ex epiſt. ad Timotheum, cap. 1. vbi de quibuſdam dicitur: *Inquinatæ ſunt eorum mentes, & conſcientiæ*: ergò conſcientia eſt ſubiectum peccati. Ad primum reſpondeo cum Divo Thoma, quod Origenes ibi accipit ſpiritum pro mente, & quià conſcientia eſt mentis dictamen, mens enim eſt, quæ dictat, ideò appellat conſcientiam ſpiritum rectorem, non quià ſit formalitèr ſpiritus, ſeu mens, ſed quià eſt dictamen ipſius. Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem dico, quod conſcientia dicitur inquinata, non ſicut ſubiectum iniquitatis, vel peccati, ſed obiectivè, ſicut denominatur actus ab obiecto; quià, cùm quis per conſcientiam agnoſcit ſe inquinatum, iniquitas eſt in conſcientia, ſicut obiectum cognitum in cognoſcente. Vel dicitur inquinata; quià pravè, & iniquè dictat. Quo caſu iniquitas eſt in ipſa conſcientia, ſicut modus eius intrinſecus; & hoc pacto benè poteſt iniquitas eſſe in actu, actuſque appellari inquinatus, nimirùm à propria pravitate; & tunc iniquitas, ſicut & actus, ſunt in potentia tanquam in ſubiecto propriæ inhæſionis.

§. II.

Defenditur ſecunda concluſio.

9 DICO Igitur ſecundo: *Conſcientia eſt actus ſolius intellectus, non verò voluntatis.* Probatur, quià conſcientia, vt docet D. Thom. locis citatis, eſt ſcientia cum alio; ſed ſcientia cum alio eſt verè ſcientia, ſicut condiſcipulus eſt verè diſcipulus; ſcientia autē eſt actus ſolius intellectus: ergò. Secundo, quià conſcientia iuxtà communem eius notionem eſt dictamen de agendis, applicans ſcientiam vniverſalem agibili particulari; ſed dictamen eſt actus ſolius intellectus: ergò. Tertio; quià conſcientia teſtificatur, iuxtà illud 2. ad Corinth. cap. 10. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: Conſcientia ſcit, iuxtà illud Eccleſiaſtici: *Scit enim conſcientia tua*: Conſcientia iudicat, iuxtà illud 1. ad Corinth. cap. 10. *Vt quid libertas mea iudicabitur ab aliena conſcientia?* Conſcientia reprehendit, ligat, errat, &c. Sed hæc omnia propria ſunt ſolius intellectus: ergò conſcientia eſt actus ſolius intellectus.

10 Sed contra obijcies; conſcientia dicitur bona iuxta illud 1. ad Timoth. 1. *De corde puro, & conſcientia bona*; ſed bonum, & malum per ſe expectant ad voluntatem: ergò conſcientia eſt actus voluntatis. Secundo, quià conſcientia eſt applicatio, ſeu vſus ſcientiæ vniverſalis ad agibilia particularia; ſed vſus activus iuxta D. Thom. 1. 2. quæſt. 17. eſt actus voluntatis: ergò. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem; conſcientia dicitur bona regulativè, & directivè, concedo: formaliter, & in ſe, nego maiorem; & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quià bonum, aut malum regulativè etiam pertinent ad intellectum, conſcientia autem ſolum dicitur bona, vel mala regulativè, non formaliter. Ad ſecundam diſtingo maiorem, conſcientia eſt applicatio, ſeu vſus ſcientiæ vniverſalis ad agibilia particularia, vſus, inquam activus, aut executivus propriè dictus, nego; impropriè dictus concedo maiorem: & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quià vſus activus propriè dictus eſt applicatio alicuius potentiæ ad agendum, vel applicatio alicuius principij, ſeu reductio illius de potentia ad actum ſecundum; & hic vſus eſt actus voluntatis ſemper, prout dicit D. Thom. loco citato. Sed conſcientia aliter eſt vſus, quià non eſt applicatio ſcientiæ vniverſalis, quaſi reducendo illam de potentia ad actum, ſed eſt vſus illius in cognoſcendo, & dictando, inquantum dictat iuxta regulas ſcientiæ vniverſalis. Sicut logica vtens, ſive vſus logicæ non eſt actus voluntatis, ſed actus intellectus ſilogizans, vel diſcurrens iuxta regulas vniverſales; & huiuſmodi vſus non eſt propriè activus, ſed cognoſcitivus, & eſt propriè actus intellectus, & non voluntatis.

§. III.

Explicatur quid ſit conſcientia.

IVLIVS Mercorus in ſuo tractatu de praxi opinionum limitata art. 1. ſic definivit conſcientiam: *Eſt iudicium præconſultatum, & certum immediate directivum operationis humanæ.* Hanc definitionem ſequuntur plures moderni; ſed eam carpit M. Ferre. Primo, quià per eam non definitur conſcientia in communi, prout ambit erroneam, probabilem, & dubiam. Nàm conſcientia erronea, probabilis, & dubia non ſunt iudicium certum; ſed conſcientia debet definiri incommuni, prout amplectitur omnes conſcientias: ergò. Secundo, quià in ea definitione ponitur quod conſcientia ſit iudicium immediate directivum operationis humanæ: hoc autem eſt falſum; nàm inter conſcientiam, & operationem humanam mediat aliud iudicium operationis humanæ directivum, ſcilicet actus imperij, quo intellectus imperat, & præcipit efficaciter de agendis: ergò.

12 Sed hi defectus facile vitari poſſunt, ſi formetur ſic definitio: *Eſt iudicium præconſultatum directivum operationis humanæ conformiter ad regulas morum vniverſaliter præcognitas.* Dicitur *iudicium*, quià conſcientia non eſt ſola apprehenſio de honeſtate, vel inhoneſtate operationis, ſed verum iudicium afirmans, vel negans opus ſingulare eſſe licitum. Dicitur *præconſultatum*, quià conſcientia eſt quædam prudentia, quæ exigit præconſultationem ad diſcernendum inter bonum, & malum, hoc eſt, inter honeſtum, & inhoneſtum. Dicitur *directivum operationis humanæ iuxta regulas morum*, ad diferentiam actus imperij, qui non tam dirigit, quam imprat non iuxta regulas morum, nec enim ex illis menſuratur, ſed ſolum iuxta regulas cõvenientię, vel diſconvenientiæ ad finem intentum efficaciter: & ſimiliter ad diferentiam aliorum iudiciorum dirigentium conformiter ac regulas artis, vel alterius facultatis.

13 Aliter definit Ioannes à S. Thom. in 1. 2. diſp. 12. art. 1. conſcientiam, ſic nimirum: *Eſt iudicium, ſeu actus intellectus, quo quis applicat ſuam ſcientiam practicam, ſeu dictamẽ rationis ad aliquid agendum.* Sed contra illam obſtat, quod conſcientia dubia non eſt iudicium, quià nihil afirmat, aut negat: ergò prædicta definitio non comprehendit conſcientiam dubiam. Secundo, quià non ſemper conſcientia applicat ſcientiam practicam, ſed aliquando ſpeculativam, vt quando teſtificat, & acuſat de peccato præterito: nec tunc etiam applicat ad agendum, ſed reſpicit opus factum. Tertio, quià actus intellectus, quo Medicus applicat medicinam infirmo, eſt iudicium, quo applicat ſcientiam practicam, qualis eſt Medicina, ad aliquid agendum; & tamen talis actus non eſt conſcientia: ergò.

14 Sed iſti etiam defectus facile vitari poſſunt, ſic formando prædictam definitionem: *Eſt actus intellectus, quo quis applicat ſcientiam vniverſalem de honeſtate, vel inhonoſtate operis ad opus ſingulare proprium.* Dicitur *actus intellectus*, & non determinate *iudicium*, vt comprehendatur conſcientia dubia, quæ eſt actus intellectus, & non eſt iudicium, quidquid dicat M. Ferre; quià dubitatio dubitat, ſed non iudicat. Sed inquit, iudicare ipſam dubietatem.

tatem. Sed contra eſt, quià hoc fit per iudicium reflexum, quod non eſt dubitatio ipſa; dubitatio enim ipſa non iudicat de ſe ipſa eſſe dubiam, ſed tantum directe dubitat de obiecto. Dicitur: *quo quis applicat ſuam ſcientiam vniverſalem de honeſtate, vel inhoneſtate operis*, quià non cuiuslibet ſcientiæ vniverſalis applicatio eſt conſcientia, ſed tantum ea, quæ applicat ſcientiam moralem de honeſtate, vel inhoneſtate operis, ſeu quæ applicat regulas vniverſales moralitatis. Dicitur denique: *ad opus ſingulare proprium*, prælcindendo ab eo quod ſit opus factum, vel faciendum, quià conſcientia teſtificans, & accuſans applicat ſcientiam vniverſalem ad opus factum, & conſcientia ligans ad opus faciendum, & ſic vtraque comprehenditur. Dicitur denique: *ad opus proprium*, quià conſcientia non dictat de operibus alienis, ſed de proprijs. Exquibus iam habes ſufficientem conſcientiæ notionem, vtraque enim definitio explicata ſufficienter eius eſſentiam explicat, àc deſcribit.

QVÆSTIO. II.

Quotuplex ſit conſcientia?

1 MELIVS. Solent res aliquę dignoſci per diviſionem earum in varias ſpecies, quam per ſimplicem definitionem: huiuſmodi eſt conſcientia; ideoque ad exactam eius explicationem, quotuplex ſit, indagamus.

§. I.

Variè dividitur conſcientia.

2 IGITVR Conſcientia primo dividitur in certam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam. Conſcientia certa dicitur ea, quæ cum certitudine dictat, & abſque formidine errandi, vt dum conſcientia dictat vnicuique rem omnino certam, v.g. Patrem eſſe colendum, furtum eſſe malum, &c. Conſcientia dubia eſt, quæ nec determinate dictat hoc eſſe licitum, nec determinate quod ſit illicitum, ſed fluctuat inter vtrumque. Nota tamen, quod dubium aliud eſt pure negativum, aliud poſitivum. Dubium negativum eſt, quando nullum eſt fundamentum, aut ratio pro vlla ex partibus contradictionis. V.g. negative dubito an aſtra ſint paria, quià nullam rationem habeo, vt ſint paria, nec vllam habeo, vt ſint imparia. Dubium poſitivum eſt quando vtrinque militant rationes, & fundamenta pro vtraque parte contradictionis, vt qui dubitat inter duas opiniones probabiles, quænam ſit vera. Conſcientia igitur vtroque modo poteſt eſſe dubia, vel poſitivè, vel negativè.

3 Conſcientia probabilis eſt, quæ dictat vnam partem contradictionis ex motivo gravi, licet non omnino certo, vt cùm dictat eſſe licitum pingere in die feſto, cùm aliquali formidine partis oppoſitæ. Conſcientia ſcrupuloſa eſt, quæ ex quolibet levi motivo dubitat, àc hæſitat, ſemper nutabunda, in nullo firma, & conſtans; hæc autem conſcientia deponi debet, & in aliquo extremo cùm conſtantia firmari ſecundum rectam rationem; quod ſi non poſsit, debet illam contemnere, & per illam minime gubernari, ſed per conſcientiam firmam, & conſtantem alterius.

4 Rurſus conſcientia dividitur in bonam, & malam, in veram, & falſam. Conſcientia bona eſt, quæ bonum benè dictat. Conſcientia mala, quæ malum, vel bonum malè dictat. Conſcientia vera eſt, quæ dictat vt bonum, quod revera bonum eſt, vel vt malum, quod revera malum eſt. Conſcientia falſa eſt, quæ dicit bonum malum, & malum bonum. Hic adiungitur alia non contemnenda diviſio, quàm tradit Mellifluus Bern. lib. de Conſcientia. Alia, inquit, eſt conſcientia bona, & tranquilla, alia bona, & turbata, alia mala & turbata, alia mala & tranquilla. Bonam & tranquillam poſsidet, qui teſtimonio interiori gaudet de probitate vitæ ſuæ, cùm tanta, & tali pace, vt paſsiones rationi facilè obtemperent, & ratio Deo: & hæc cõſcientia eſt propria perfectorum. Conſcientiam bonam, & turbatam habet, qui recte operatur, tanta tamen difficultate, quod inteſtino poſsionum bello quatitur propter rebellionem inter carnem, & ſpiritum, & hæc eſt propria imperfectorum, & proficientium. Conſcientiam malam, & turbatam habet, qui male operatur, practiceque approbat mala pro bonis, ſed ſtimulis conſcientiæ interius reprehenditur, conſcientia contradicente, & remurmurante: & hæc eſt propria malorum, qui non dum in malo obſtinati inveniuntur. Conſcientiam denique malam, & tranquillam habent obſtinati in malo, qui penè iam extinxerunt in ſe conſcientiæ lumen, de quibus dictum eſt, quod *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis*. Ex his quatuor conſcientijs, prima eſt optima, vltima peſsima, ſecunda minus bona, tertia minus mala.

5 Celebris denique diviſio conſcientiæ eſt, qua dividitur in rectam, & erroneam. Recta eſt, quæ dictat quid ſit

agendum ſecundum rectam rationem. Erronea, quæ dictat aliquid agendum ſecundum rationem errantem.

6 At rogabis, quid ſit recta ratio, prout diſtincta à ratione erranti? Reſpondet D. Thom. in præſenti quæſt. 19. art. 3. ad 2. *Quod rectitudo rationis conſiſtit in conformitate ad appetitum finis debiti.* Sed contra videtur obſtare, quod idem D. Thom. immediate ſubdit, quod *Ipſe appetitus finis debiti præſupponit rectam apprehenſionem de fine, quæ eſt per rationem*: Ergo definit appetitum rectum per ordinem ad rectam rationem; ſed aliàs definit rectam rationem per ordinem ad appetitum rectum: ergò committit circulum vitioſum, definiendo rationem rectam per appetitum finis debiti, & appetitum finis debiti per ordinem ad rationem rectam.

7 Varij variant in explicanda mente D. Thom. ſed ſine cauſa. Nam D. Thom. in prædicto loco expreſſe diſtinguit intellectum, ſeu rationem, & quatenus ſe habet in ordine ad finem, & quatenus ſe habet in ordine ad ea, quæ ſunt ad finem, ſcilicet, ad media. In ordine ad finem ſupponit intellectum tantum apprehenſivum eſſe, & æſtimativum; vt enim voluntas appetat finem, non requiritur quod ratio diſcurrat, vel iudicet de fine, ſed ſufficit aprehenſio practica finis. In ordine ad media ait Ang. Præc. *Intellectum practicum eſſe conſiliativum, & ratiocinativum*, in quo ſenſu eſt vere ratio practica. De hac ergo ratione, quæ dictat per diſcurſum, & conſilium de medijs eligendis ad finem, ait D. Thom. quod eſt recta per ordinem, & conformitatem ad appetitum finis debiti. Dum autem ait appetitum finis debiti ſupponere apprehenſionem rectam, quæ eſt per rationem, non eſt ſenſus quod præſupponat rationem rectam diſcurſivam, & conſiliativam de medijs, ſed expreſſe ait ſuponere apprehenſionem rectã de fine. Cùm autem nullus ſit circulus in eo quod ratio conſiliativa de medijs ſit recta per conformitatem ad appetitum rectum, & quod appetitus ſit rectus per ordinem ad rectam aprehenſionem finis, inde eſt D. Thom. nullum circulum vitioſum commitere.

8 Sed inquiris, in quo conſiſtit, quod ratio conſiliativa de medijs ſit conformis appetitui recto finis? Reſpondeo quod conſiſtit in eo quod conſilietur, & iudicet ea media eligenda, quæ revera conducunt, & vtilia ſunt ad finem recte intentum, & appetitum. Si vero ratio dictet media, quæ proportionata non fuerint in rei veritate fini præſuppoſitive, recteque intento, tunc erit diſconformis appetitui recto, & erit ratio errans. Hoc explicatur: appetit quis obſequium præſtare Deo. Hic appetitus eſt rectus, & finis debiti. Si poſtea conſulens de medijs dictet bonum eſſe ad hunc finem venerari Sanctos, hoſpitio recipere prædicantes Evangelium Chriſti, &c. eſt ratio recta, quià dictat id quod vere conformatur cùm appetitu obſequendi Deo. At ſi dictet occidere Apoſtolos, perſequi omnes, qui prædicant Evangelium Chriſti, eſſe bonum, ac vtile ad obſequendum Deo, vti putabant, qui Apoſtolos perſequebantur, *putantes obſequium ſe præſtare Deo*, tunc ratio illa eſt errans, quià iudicat eſſe bonum ad finem intentum, quod revera tali intentioni, & appetitui contrariatur.

9 Inquires ſecundo: in quo conſiſtit, quod appetitus finis ſit rectus? Reſpondet D. Thom. quod in eo quod æquatur ad aprehenſionem rectam, & per illam reguletur. At quænam eſt aprehenſio recta? Reſpondeo, quod, ea quæ apprehendit finem vltimum, vt amabilem ſuper omnia, & finem intermedium cùm ſubordinatione ad vltimum. Econtrà vero apprehenſio prava eſt, quæ proponit finem revera vltimum, vt intermedium, hoc eſt vt amabilem propter aliud; vt ſi proponeret Deum, vt amabilem propter honorem, quem mihi dare poſſet. Vel quæ proponit finem intermedium, vt vltimum, hoc eſt, vt amabilem propter ſe, vt cùm quis ſe ipſum apprehendit, vt finem vltimum ſuarum operationum, ſine ſubordinatione ad Deum.

10 Rurſus, conſcientia erronea dividitur in erroneam invincibiliter, & in erroneam vincibiliter. Prima eſt, qua quis errat in his, quæ ſcire non poteſt. Secunda eſt, qua errat in his, quæ ſcire poteſt. Quæ adhuc eſt duplex, alia eſt inculpabiliter errans, & eſt, qua quis errat in his quæ ſcire poteſt, ſed non tenetur ea ſcire. Igitur conſcientia errans, ſive invincibiliter, ſive inculpabiliter, totaliter excuſat à culpa.

11 Erronea vincibilis, & culpabilis eſt, quæ errat in his, quæ quis ſcire poteſt, & tenetur, vt ſi confeſſarius erret in abſolutione, iudicando eum eſſe abſolvendum, qui revera eſt indignus, quia ignorat, quod ſcire debebat, & tenebatur. Huiuſmodi autem conſcientia ſubdividitur inculpabilem ex ignorantia craſa, & culpabilem ex ignorantia affectata. Primam habet, qui errat ex negligentia ad diſcendi, quæ poteſt, & tenetur ſcire. Secundam, qui errat, qui à poſitivè vult ignorare, aut noluit addiſcere, quæ tenetur ſcire, de quo ſcriptum eſt, quod *noluit intelligere, vt bene ageret*, quià, ſcilicet, ne cogere-

geretur per legem ad bene agendum, nolluit intelligere legem Dei, nec ſuam obligationem. In his duabus conſcientijs eſt maxima diſparitas; nàm prima quidem non excuſat totaliter à culpa, ſed minuit culpam, hoc eſt, vt terminis vtar Ang. Præcep. excuſat à tanto, ſed non à toto. Secunda vero, nedum non excuſat, ſed auget culpam.

12 Prædicta ſufficere videbantur ad claram notitiam conſcientiæ, verumtamen, quià RR. varijs opinionibus rem difficilem rediderunt, ideo pro veritate declaranda, & cruenda, varias etiam excitabimus quæſtiones.

QVÆST. III.

An diviſio conſcientiæ in rectam, & erroneam ſit adæquata?

DIFFICVLTAS Poteſt eſſe, tum de conſcientia dubia, tum de conſcientia probabili. Aliqui enim aſſerunt has conſcientias non claudi in prædicta diviſione, àc proinde eam eſſe diminutam, & inadæquatam. Sed tamen cùm communiori ſententia.

1 Dico primo quod *prædicta diviſio eſt adæquata*. Probatur: quià omnis conſcientia, vel dictat conformiter ad appetitum finis debiti, vel diſconformiter, nõ enim poteſt dari medium. Si dictat conformiter, eſt recta, vt iam vidimus: ſi diſconformiter, eſt erronea: ergò omnis conſcientia, vel eſt recta, vel erronea: ergò prædicta diviſio eſt adæquata. Rurſus, omnis conſcientia, vel eſt mala, vel bona, non enim datur conſcientia indiferens, ſicuti nec actus indiferens in individuo in ſententia D. Thom. Sed conſcientia bona eſt recta, & mala erronea: ergò omnis conſcientia, vel eſt recta, vel erronea. Denique, quià omnis conſcientia, vel eſt falſa, vel vera, non enim datur medium inter verum, & falſum in intellectus iudicio: ſed conſcientia vera eſt recta, & falſa erronea: ergò omnis conſcientia, vel eſt recta, vel erronea.

2 Sed dices: conſcientia dubia nec eſt vera, nec falſa: ergò nec eſt recta, nec erronea. Reſpondeo, conſcientiam dubiam non eſſe conſcientiam perfecte, & ſimpliciter talem, quià nihil determinate dictat; in præſenti autem ſolum dividitur conſcientia perfecte, & ſimpliciter talis, quæ nimirum aliquid determinate dictat.

3 Maior difficultas eſt de conſcientia probabili, orta ex probabili opinione. De hac igitur dico ſecundo, *quòd quando eſt vera, eſt conſcientia recta; quando vero eſt falſa pertinet ad conſcientiam erroneam*. Probatur primo quoad primam partem, quià ſi eſt probabilis, per illam non temere, ſed conſiderate iudicat, hoc enim requiritur, vt ſit ratio, & conſcientia vere probabilis: deinde, ſi vera eſt, dictat id quod revera eſt conforme appetitui finis debiti; ſed in hoc conſiſtit eius rectitudo, nimirum quod conſiderate dictet, & conformiter ad appetitum finis debiti: ergõ, ſi conſcientia probabilis eſt vera, eſt recta.

4 Quoad ſecundam partem probatur etiam. Primo ex Ariſt. lib. 6. Æthic. cap. 2. vbi expresè ait, rationem rectam, & rationem veram, & ècontrà, idem eſſe. Sed conſcientia, aut ratio probabilis falſa non eſt vera: ergò nec recta, ſed erronea. Secundo, nàm ratio errans, & ſi certa quoad nos, non fundat conſcientiam rectam, ſed erroneam: ergò ratio errans, probabilis quoad nos, non fundat conſcientiam rectam, ſed erroneam. Mirum enim eſſet quod ratio certa quoad nos, ſi eſt falſa, ſit errans, & quod ratio probabilis, & ſi falſa, non ſit errans. Antecedens probatur, quià, dum quis invincibiliter iudicat, tanquam certiſsimum, & veriſsimum aliquid eſſe licitum, quod revera eſt illicitum, habet conſcientiam erroneam; & tamen eſt certus apud ſe: ergò. Reſpondet Ferre, quod ratio certa quoad nos, & falſa, errat non ſolum ſpeculativè, ſed etiam practice. Ratio vero probabilis, & ſi falſa, dummodo ſit probabilis certo, errat tantum ſpeculative, ſed non practice, quià obiectum eius eſt verum prudentiale. Sed hoc potius auget difficultatem, quam ſolvit. Etenim iudicium certum quoad nos, ſi in re eſt falſum, errat non ſolum ſpeculative, ſed etiam practicè: ergò iudicium probabile, quod eſt falſum, non ſolum debet errare ſpeculative, ſed etiam practice. Rurſus obiectum iudicij certi quoad nos, ſed falſi in rei veritate, non poteſt eſſe verum prudentiale, quià tale iudicium in re eſt falſum: ergò ſi ratio probabilis in re eſt falſa obiectum eius non poteſt eſſe verum prudentiale.

5 Reſpondet, quod ex opinione privata de eo quod aliquid ſit verum, ſi falſum ſit, nequit fieri verum, nec ſpeculative, nec practice prudentialiter, nàm mea privata exiſtimatio ad hoc non ſufficit: ſufficit autem ratio certo probabilis, quæ fundamento gravi nititur, & graviſsimorum AA. calculo firmatur. Sed contra eſt, nàm ratio certa apud nos, ſed falſa, gravi fundamento neceſſario nititur, immo ita gravi, vt magis certificet intellectum, quam fundamentum rationis probabilis, cum huius

ſundamentum relinquat in opinante formidinem, fundamentum vero rationis certæ formidinem non relinquit in iudicante: ergò ex hac parte ratio certa, ſed falſa, magis poſſet reddere ſuum obiectum verũ practicum, & prudentiale, quam ratio probabilis falſa. Deinde, quià ratio certa quoad nos, ſed falſa, etiam ſolet inniti teſtimonio graviſsimorum virorum, vt ſi graviſs imi teſtes dicerent alicui mulieri ſuum virum in bello interemptum fuiſſe, ipſaque cum altero cõtraheret matrimonium, & ei redderet debitum, hæc ſane certa eſſet ex teſtimonio graviſsimorum virorum; & tamen, ſi revera eius vir viveret, totum illud factum fuiſſet ex conſcientia erronea, & matrimonium eſſet nullum: ergò, & ſi ratio probabilis innitatur calculo graviſsimorum virorum, ſi tamen omnes illi fallantur, & conſequenter ratio illa ſit falſa, ad ſummum poteſt fundare conſcientiam erroneam, non rectam. Vrgetur: per te opinio privata non poteſt facere obiectum eius prudentialitèr verum, ſi in rei veritate ſit falſum: ergò opinio privata vnius Auth. non facit ſuum obiectum prudentialiter verum, ſi in rei veritate eſt falſum: ergò nec id præſtat opinio privata ſecundi Authoris: ergò nec opinio privata tertij, nec quarti, nec quinti, nec aliorum, ſi tale obiectum in rei veritate ſit falſum: ergò illa opinio, vel ratio probabilis nunquam ex vi Authorum facit ſuum obiectum verum prudentiale, ſi in rei veritate ſit falſum.

6 Secundo probatur concluſio: conſcientia erronea eſt illa, quæ dicit malum bonum, & bonum malum; ſed quoties ratio probabilis eſt falſa, & ex illa formatur conſcientia, conſcientia dicit malum bonum, & bonum malum: ergò tunc conſcientia eſt erronea: ergò ex ratione probabili falſa ſolum poteſt formari conſcientia erronea, non recta. Minor probatur; ſupponamus enim rationem probantem eſſe bonum, àc licitum pingere indie feſto eſſe iſtam, quià nimirum non eſt opus ſervile: ſupponamus hanc rationem eſſe falſam, quià in rei veritate pingere ſit opus ſervile; ſupponamus item ex hac ratione probabili, ſed falſa, ſic formari conſcientiam: *Licitum eſt mihi facere hic, & nunc opus non ſervile in hoc die feſto; ſed pingere eſt opus non ſervile: ergò licitum eſt mihi hic & nunc in hoc die feſto pingere.* Certe, ſi minor eſt probabilis tantum, ſed revera falſa, concluſio tantum erit probabilis, & falſa, nàm iuxta regulas dialecticæ concluſio ſequitur debiliorem partem; ſed concluſio huius ſyllogiſmi eſt conſcientia ipſa, minor vero eſt ratio probabilis, & falſa: ergò ex ratione probabili falſa tantum formari poteſt conſcientia probabilis falſa; ſed conſcientia falſa eſt erronea, & non recta: ergò ſolum formari poteſt conſcientia erronea.

7 Sed obijcies, conſcientiam non formari prædicto modo, ſed aliter, nimirum per principia reflexa, hoc pacto: *Licitum eſt operàri iuxta opinionem non ſolum ſpeculativè, ſed etiam practicè probabilem; ſed quod ſit licitum pingere in die feſto eſt probabile, non ſolum ſpeculativè, ſed etiam practicè: ergò mihi licitum eſt pingere in die feſto.* In hoc autem ſyllogiſmo vtramque præmiſſam eſſe veram, certam, & iuxta plures evidentem, àc proinde concluſio non eſt erronea, ſed vera, & totum hoc ita eſt, quanvis ſit falſum quod pingere in die feſto eſt licitum, dummodo maneat certo prababile practice: ergò ex ratione probabili, & falſa poteſt formari conſcientia, recta.

8 Sed contra eſt; quià prædictus modus formandi conſcientiam eſt omnino fallax, & eius fallatia detegitur diſtinguendo maiorem; licitum eſt mihi operari id quod probabiliter iudico, tam ſpeculative, quam practice eſſe mihi licitum, iudicio probabili vero, concedo maiorem: iudicio probabili fallo, ſubdiſtingo, licitum eſt exiſtimative exiſtimatione falſa, concedo maiorem: licitum eſt in rei veritate, nego maiorem. Et diſtingo minorem: ſed ego hic & nunc iudico probabiliter, tàm ſpeculativè, quam practicè eſſe mihi licitum pingere in die feſto, iudicio probabili falſo, concedo minorem; iudicio probabili vero nego minorem. Et diſtingo conſeqnens: ergò mihi licitum eſt hic, & nunc pingere in die feſto, licitum eſt, inquam, in rei veritate, nego conſequentiam: licitum eſt in mea exiſtimatione falſa, concedo conſequentiam. En igitur quomodo ſolum infertur ex illis præmiſsis rectè intellectis concluſio fallo exiſtimans eſſe licitum, quod revera eſt illicitum, & conſequenter conſcientia erronea.

9 Quod vt evidenter agnoſcas, placet explicare diſtinctionem prædictam. In primis illa maior, quam vt per ſe notam, & evidentem ſupponunt contrarij, dupliciter intelligi poteſt, nimirum, vel de caſu, quo iudicem probabiliter tam ſpeculative, quam practicè iudicio vero aliquid mihi eſſe licitum: vel de caſu, quo id iudicem probabiliter tam ſpeculative, quam practicè, ſed iudicio falſo. Hoc evidenter patet, nàm iudicium probabile, tàm ſpeculativè, quàm practicè, de eo quod

quod aliquid eſt licitum, non eſt metaphyſicè, nec phyſicè infallibile, nec evidenter verum, ſed poteſt contingere quod ſit falſum; nàm de eſſentia iudicij probabilis in eo ſenſu, in quo eſt probabile, eſt quod ſit tàm phyſicè, quàm metaphyſicè fallibile: poteſt igitur contingere quod tale iudicium probabile, licet ſit probabile, tàm ſpeculativè, quàm practicè, fallatur tamen, & in rei veritate ſit falſum: & quidem non ſolum falſum ſpeculativè, ſed etiam practicè; nàm practicè etiam ſolum eſt probabile, vt ſupponit arguens. Supponamus igitur ita eſſe in aliquo caſu: tunc igitur dicimus non eſſe licitum in rei veritate agere illud, quod aliquis falſo iudicat, licèt probabilitèr, tàm ſpeculativè, quàm practicè, eſſe licitum; quià ſi tale iudicium eſt falſum ſpeculativè, & practicè, potius ſequitur non eſſe licitum in rei veritate id quod iudicat probabilitèr eſſe licitum; in hoc enim conſiſtit quod tale iudicium ſit falſum, nimirum, quod non ſit id ipſum quod affirmat. Hoc autem ſuppoſito, quis non evidenter agnoſcit illam maiorem eſſe evidenter falſam, ſi intelligatur de iudicio probabili, & falſo? Nàm evidenter falſum eſt eſſe licitum in rei veritate operari id quod falſo iudico eſſe mihi licitum. Deinde minor prædicti ſyllogiſmi ſolùm intelligi poteſt de iudicio probabili falſo; nàm ſupponimus ſententiam probabilem eſſe falſam: ergò falſo etiam infertur in conſequenti, quod mihi licitum ſit in rei veritate pingere in die feſto, ſed tantum inferri poterit, quod mihi ſit licitum in mea exiſtimatione probabili, licet falſa: ergò ſemper concluſio illius ſyllogiſmi, in qua conſiſtit conſcientia, evadit falſa, & erronea in rei veritate.

10 Et quidem inſtatur manifeſtè prędictus ſyllogiſmus in conſcientia erronea formata ex iudicio apparenter certo, tàm practicè, quàm ſpeculativè, & in rei veritate falſo. Tunc enim ità etiam poteſt formari conſcientia: *Licitum eſt mihi hic, & nunc operari, quod certo iudico, tàm ſpeculativè, quàm practicè mihi eſſe licitum; ſed ego nunc iudico certo, tàm ſpeculativè, quàm practicè, hoc matrimonium mihi eſſe licitum: ergò hic, & nunc mihi licitum eſt contrahere hoc matrimonium.* Certè in hoc ſyllogiſmo cum maiori ſecuritate formari videtur conſcientia, quam in ſyllogiſmo cõtrariorum fundato in opinione probabili; & tamen in hoc ſyllogiſmo, iuxta ipſos contrarios, ſi iudicium certum, quantumvis certum appareat, ſit in rei veritate falſum, non formatur ex illo conſcientia recta, ſed erronea: ergò minus poterit formari conſcientia recta ex iudicio probabili falſo.

QVÆSTIO IV.

An conſcientia erronea excuſſet à culpa?

1 LVTHERVS Apud M. Ferre in præſenti q. 3. num. 18. hoc de Catholicis protulit aſſertũ: *Scholaſtici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excuſabiles; tanta cæcitas eſt in Papæ Scholis, & Eccleſijs.* Et Hieronymus Zumelius eiuſdem farinæ hæreticus: *Falluntur ſcholaſtici cum tali ignorantia, quam invincibilem vocant, ideò à peccato excuſant; quià invincibilis eſt.* Contra hos igitur catholicam concluſionem ſtatuimus.

2 Dico igitur: *Conſcientiam invincibiliter errantem excuſare à culpa.* Probatur primo ex D. Thom. qui pluribus in locis, & præſertim in præſenti id ipſum docet. Eius verba ſunt q. 19. art. 6. in corp. *Si autem ſit error, qui cauſat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicuius circunſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, vt voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.* Et ponit exemplum in caſu, quo quis credat, *aliquam mulierem ſummiſſam eſſe ſuam vxorem, &, ea petente debitum, velit eam cognoſcere, excuſatur voluntas eius, vt non ſit mala.*

3 Probo concluſionem: culpa, & peccatum formalitèr tale eſt eſſentialitèr voluntarium; ſed conſcientia invincibilitèr errans tollit voluntarium: ergò excuſat à culpa, & peccato. Minor probatur in exemplo D. Thom. nàm error, quo ille homo iudicaret illam mulierem eſſe ſuam (dato caſu, quo eſſet aliena) impediret ne foret voluntarium illi homini accedere ad alienam: ergò tolleret voluntarium. Antecedens probatur, quià error ille talis eſſet, quod nec cognoſceret, nec teneretur cognoſcere eam eſſe alienam; ſed dùm homo accedit ad eam, quam nec cognoſcit, nec tenetur cognoſcere eam eſſe alienam, licèt reverà accedat ad alienam, hoc non eſt ei voluntarium: ergò error ille impediret, nè foret illi homini voluntarium accedere ad alienam. Minor probatur; quià voluntarium eſt ſemper cum cognitione; nihil enim volitum, quin prægnitum; ſed ille homo, nec cognoſceret, nec deberet agnoſcere, quià non poſſet, ſe accedere ad alienam, ſed potius inculpabilitèr iudicaret eſſe ſuam vxo-

rem;

rem: ergò quanvis reverà accederet ad alienam, hoc tamen ei non eſſet voluntarium: & ità ſanè contigit Iacobo accedenti ad Liam, quam Rachelem exiſtimavit; profectò enim non fuit ei voluntarium accedere ad Liam determinatè, ſed ſimpliciter involũtarium; quià hoc fuit ab illo totaliter, & invincibiliter ignoratum.

4 Sed objicies: poſſet quis ignorare invincibiliter pœnam æternam deberi pro culpa mortali, quià hoc non eſt expreſſum in Symbolo; & tamen, ſi in tali culpa mortali moriatur, non liberabitur ab æterna pœna: ergò conſcientia invincibiliter erronea non excuſat à culpa, ſiquidem non excuſat à pœna. Reſpondeo primo, negando maiorem, quià licèt poſsit aliquis non cognoſcere expreſsè pœnam æternam, non tamen poſſet totaliter illam invincibiliter ignorare; quià lumine ipſo naturæ, omnis qui malè agit, agnoſcit, ſe reddere dignum pœna: & quo maius malum agit, tanto maiori pœna dignum ſe reddere cognoſcit: qui ergò peccat mortaliter, cùm videat ſe maximum malum facere, nimirùm offenſam gravem Dei, neceſſariò agnoſcit ipſo lumine naturæ ſe ipſum reddere dignum maxima pœna, & hoc nullus invincibiliter ignorare poſſet: hoc autem eſt cognoſcere ſe fieri dignum pœna æterna, ſaltim implicitè, nàm ſub pœna maxima implicitè continetur pœna æterna. Deinde, omiſſa minori, nego conſequentiam. Quià, vt aliquis iuſtè incurrat pœnam, non eſt neceſſarium, quod pœnam præcognoverit, ſed ſufficit quod agnoverit culpam; per hoc enim quod quis ſcienter malum operetur, & ſi de pœna non cogitet, ſe reddit dignum pœna. Et ratio eſt, quià culpa eſſentialiter eſt voluntaria; pœna verò non petit eſſe voluntaria, immò ſæpiſſimè eſt violenta: error igitur de malo culpæ excuſat à culpa, quià reddit illud malum involuntarium, & de ratione culpæ eſt, quod ſit voluntaria; error autem, vel ignorantia de malo pœnæ non excuſat à pœna; quià licet reddat pœnam involuntariam, de ratione pœnæ non eſt quod ſit voluntaria.

5 Obijcies ſecundò: quod quis ignorat vincibiliter tollit voluntarium; & tamen non excuſat à culpa: ergò quanvis ignorantia, vel error invincibilis tollat voluntarium, non excuſat à culpa. Maior probatur: ideò per nos, quod quis ignorat invincibiliter, tollit voluntarium, quià voluntarium debet eſſe præcognitum, & non cognoſcitur quod invincibiliter ignoratur; ſed etiam non agnoſcitur quod vincibiliter ignoratur: ergò etiam ignorantia vincibilis tollit voluntarium. Reſpondeo, negando maiorem: ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: ideò quià voluntarium debet eſſe præcognitum in re, vel in debito, concedo: in re præcisè, nego maiorem quoad primam partem; & diſtinguo ſecundam: & non cognoſcitur quod invincibiliter ignoratur; non inquam, nec in re, nec in debito cognoſcitur, concedo: in re præcisè, nego maiorem; & diſtinguo minorem: non cognoſcitur in re quod vincibiliter ignoratur, concedo: non cognoſcitur in debito, nego minorem, & conſequentiam. Quià vt aliquid ſit voluntarium, non requiritur quod determinatè ſit in re cognitum, ſed quod cognoſcatur, vel debuerit cognoſci. Id autem quod invincibiliter ignoratur, talitèr ignoratur, quod non debuit præcognoſci, & ideò totaliter tollit voluntarium. At verò quòd vincibiliter ignoratur, ità ignoratur; quod debuit præcognoſci, & ex culpa errantis non cognoſcitur; & huiuſmodi ignorantia non tollit voluntarium, quià ipſa eſt voluntaria.

QVÆSTIO V.

An conſcientia invincibiliter erraus, non ſolùm excuſſet à culpa, ſed actum ab ea regulatum reddat poſitivè
1 *honeſtum?*

QVÆSTIO Hæc, ſatis per ſe difficilis, vix exagitatur ab Antiquis. Ex modernis autem illam tractarunt M. Serna expreſsò, tractatu de merito, appoſito ad finem 1. 2. M. Ferre, art. 4. dub. 3. & P. Terillus in ſuo opere de Conſc. quæſt. 16. à n. 21. qui partem affirmativam tenent. Zælla Dei, & M. Ferre, qui negativam tuentur, ille 1. p. ſui oper. lib. 3. quæſt. 4: iſte in 1. 2. tract. de Probab. quæſt. 3. §. 2. dicens eſſe expreſſam ſententiam D. Thom. & pro ea ſtat etiam Contenſon, tract. de probabilitate, diſſ. 6. cap. 1. His adhærco.

§. I.

Prima concluſio authoritate probatur.

1 DICO Igitur: *Conſcientia invincibiliter erronea, licèt actum ea regulatum excuſſet à culpa, illum tamen non reddit poſitivè honeſtum, & bonum.* Nota autem quod nunc non decidi-

cidimus, àn actus ille aliunde poſsit eſſe aliqualiter honeſtus, & bonus, ſed ſolum quod ex conſcientia erronea, & quatenus ab illa regulatus non accipit honeſtatem. Et probatur primo ex D. Thom. in præſenti q. 19. art. 6. in corp. vbi ſic ait: *Manifeſtum eſt quod illa ignorantia, quæ cauſat involuntarium, tollit rationem boni, & mali moralis.* Sed conſcientia invincibiliter erronea eſt ignorantia, quæ cauſat involuntarium, vt ex ſupra dictis patet: ergò tollit rationem boni, & mali moralis: ergò actus ab ea regulatus non poteſt evadere ex illa moraliter bonus. Rurſus, nàm vt vidimus quæſt. precedenti locis ibi citatis, D. Thom. diſerte ait, quod prædicta ignorantia *excuſat, vt voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.* Et in exemplo de muliere ſummiſſa, quam quis per errorem iudicaret ſuam, ait, *quod excuſatur voluntas eius, vt non ſit mala*; nunquam autem dixit quod redditur bona, aut excuſſatur, vt ſit bona: ergò iuxta D. Thom. conſcientia illa erronea ſolum excuſſat à culpa actum illa regulatum, ſed non reddit illum bonum, & honeſtum.

2 Sed, vt apertiſsime conſtet mens D. Thom. obiter propono capitale fundamentum contrariæ ſententiæ, prout ponitur à P. Terillo quæſt. 16. n. 21. *Actus* (inquit) *voluntatis non aliter dependet à prævio dictamine conſcientiæ ad contrahendam malitiam, quam ad contrahendam bonitatem; ſed actus voluntatis diſcordans à dictamine conſcientiæ, & ſi erroneæ, malus eſt, eamque rationem malitiæ contrahit, quam dictamen errans proponit, vt conſtat: ergò actus concordans dictamini conſcientiæ invincibiliter erranti bonus eſt, eamque rationem bonitatis acquirit, quam dictamen falſum proponit. Nec enim maior vis eſt in dictamine falſo ad reffundendam malitiam in actum difformem, quam ad reffundendam bonitatem in actum conformem.* Ita Terillus. Sed audi D. Thom. idem argumentum ſibi proponentem: *ſicut enim*, inquit, *voluntas diſcordans à ratione, tendit in id, quod ratio iudicat malum, ità voluntas concordans rationi tendit in id, quod ratio iudicat bonum; ſed voluntas etiam diſcordans à ratione errante eſt mala: ergò voluntas concordans rationi erranti eſt bona.* Certe hoc argumentum idem eſt cùm argumento Terilli, licet brebius, & formalius propoſitum.

3 Iam ergò ſi D. Thomas ſentiret, quod conſcientia invincibiliter erronea redderet actum voluntaris ab ea regulatum bonum, & honeſtum, vltro concederet conſequentiam; taleque argumentum, non contra ſe, ſed pro ſe adduxiſſet. Sed contra ſe opponit tale argumentum, & conſequentiam negat: ergò apertè ſenſit conſcientiam errantem non rèddere actum per illam regulatum poſsitivè bonum, & honeſtum. Quod D. Thom. neget conſequentiam prædicti argumenti, fit manifeſtum, refferendo eius ſolutionem. *Ad primum* (inquit) *dicendum, quod, vt Dioniſius dicit in 4. de divinis nominibus, bonum cauſatur ex integra cauſa, malum ex ſingularibus deffectibus; & ideo, ad hoc quod dicatur malum id in quod fertur voluntas, ſufficit, ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur, vt malum; ſed ad hoc quod ſit bonum, requiritur quod vtroque modo ſit bonum, nempe quod apprehendatur, vt bonum, & quod in re ſit bonum.* Ergò D. Thom. apertè negat conſequentiam, quod, ſcilicet, ſicut voluntas diſcordans rationi erranti, quià ſequitur quod illa proponit vt malum, eſt mala, ità concordans, quià ſequitur quod illa proponit, vt bonum, ſit bona. Negatque, contra Terillum, quod non ſit maior vis in dictamine falſo, proponente obiectum, vt malum, ad reffundendam malitiam, quam in dictamine falſo, proponente obiectum, vt bonum, ad reffundendam bonitatem: quia videlicet, vt actus evadat bonus, non ſufficit dictamen proponens obiectum, vt bonum, ſed requiritur, quod obiectum in rei veritate ſit conforme divinæ legi, quià bonum ex integra cauſa; ècontrà vero, vt actus evadat malus, quià malum ex quocunque deffectu.

4 Confirmatur: nàm D. Thom. ſic proponit ſecundum argumentum: *Voluntas concordans præcepto Dei, & legi æternæ, ſemper eſt bona; ſed lex æterna, & præceptum Dei proponitur nobis per apprehẽſionem rationis etiam errantem: ergò voluntas concordans rationi erranti etiam eſt bona.* Certe, ſi D. Thom. teneret oppoſitam ſententiam, manifeſte concederet conſequentiam, & hoc argumento in ſui favorem vteretur, vt AA. contrarij eo vtuntur; ècontrà tamen facit, & reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quod lex æterna errare non poteſt, & ideo actus cum illa conformis ſemper eſt rectus; ſed ratio humana poteſt errare, & ideo voluntas concordans rationi humanæ non ſemper eſt recta, nec ſemper concordat legi Dei.* Quid clarius? Certe his lectis de mente D. Thom. iàm dubitare non licet.

5 Secundo probatur concluſio ex D. Bern. lib. de Præcep. & diſp. cap. 17. vbi inquirit, àn ſit regula generalis, *Quod ſit cuique malum, ipſum bonum, quod agit, ſi malum eſſe crediderit, & tantum malum, quantum crediderit*: & ponit

ponit rationem dubitandi ſequentibus verbis: *Quod ſi annuero, pergitis inquirere: Cur non è contrario, tantum bonum cuique ſit quod operatur, quantum vel falſo opinatur.* Sanè ità diſcurrit ſententia contraria, & ponit ſtatim pro ea Bern. rationem ſequentem: *Mirum quipè vobis, immò & iniuſtum videtur, vt plus in malo, quam in bono humanæ valeat intentionis opinio.* Fallor niſi eſt eadem ratio, quam nobis opponebat Terillus, & quam ſibi oppoſuit D. Thom.

6 Reſpondet tamen Bern. *In malis merito ita credi propter oculum nequam.* Hoc eſt, ideò facientem id quod falſo putat malum, in malum ei imputari, quià habet oculum nequam, ideſt, malam intentionem. Sed contra ſibi replicat: *Nàm qui dixit: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit, paritèr dixit, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*: Sed quando oculus eſt nequam, ideſt, intentio mala, opus evadit ſimpliciter malum: ergò quando oculus eſt ſimplex, ideſt, intentio bona, opus erit ſimpliciter bonum, quià bonum iudicatur, licet in re malum ſit.

7 Reſpondet tamen: *Quod non eſt vere oculus ſimplex, qui fallitur, fallitur autem tàm qui bonum malum, quam qui malum bonum putaverit; & neutrum horum vitat illud Væ propheticum: væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ergò vt interior oculus vere ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam; & neſcio quomodo iudicio veritatis vera eſſe poſſit cùm falſitate ſimplicitas? Quomodo vere ſimplex erit oculus cùm ignorantia veritatis? Aut vero vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: ignorans ignorabitur. Patet ergò laudabilem illam, & à Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentia, atque prudentia, vt oculus videlicet cordis, non ſolum pius, qui fallere nolit, ſed cautus ſit, qui falli non poſſit. Ceterum ſicut oculum ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni, & cognitio veri, &c.*

8 Item capite ſequenti, reddens ad eandem quæſtionem ait: *Quod oculus nequam, rectum operando, ſed opinando iniquè, bonum ſibi in malum vertit, & tantum malum quantum crediderit. At non ideo ſequitur, vt qui è contrario malum facit, & bonum putat, iuxta ſuam fidem ſimiliter, & ipſe inveniat. Quare? Quià non eſt ſimplex oculus ille, qui ex iudicio veritatis totum corpus* (ideſt totum opus) *lucidum reddat qualem profectò ſupra deſinimus. Nec enim ex toto adhuc tenebræ deſunt, vbi ignorantia veritatis lucem obſcurat voluntatis.* Et immediate reſpondet ad rationem dubitandi ſupra poſitam his verbis: *Cum itaque ille oculus vtrumque malum, is vero minime vtrumque habeat bonum; non ne exigere ratio videtur, vt plus ille noceat, quam proſit iſte? Nec enim conſequens eſt, vt tantum valeat in bonum bonum vnum, quantum duo mala in malum.* Hanc Melliflui Bern. doctrinam prolixius ſolito retuli, quià perſpicuè declarat, quantum interſit veritas in opinando ad rectam, & bonam electionem, & quantum noceat falſitas: de quo parum videntur curare, qui ſola probabilitate, ſivè maiori, ſivè minori contenti, eam aſſignant pro recta regula conſcientiæ.

9 Ex illis tamen ſic multipliciter inſurgo. Primo, vt opus aliquod evadat ſimpliciter honeſtum, neceſſum eſt quod procedat ab oculo ſimplici, de quo ſalvator ait: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c.* Sed dum procedit ex conſcientia erronea, non procedit ex oculo ſimplici: ergò non evadit ſimpliciter honeſtum. Minor probatur, quià iuxta Bern. vt interior oculus vere ſimplex ſit in ſenſu Salvatoris, requiritur non ſolum charitas in intentione, ſed veritas in electione; non ſolum quod bonum diligat, ſed quod verum eligat; non ſolum amor boni, ſed & cognitio veri; non ſolum quod fallere nolit, ſed quod falli non poſsit; ſed dum aliquis operatur ex conſcientia erronea, licet habeat charitatem in intentione, non tamen habet veritatem in electione; licet bonum diligat, non tamen verum eligit; & licet habeat amorem boni, non tamen habet cognitionem veri; & denique licet fallere nolit, non tamen cautus eſt qui falli non poſsit: ergò iuxta Bern eius opus non procedit ex oculo interiori vere ſimplici, & conſequenter non poteſt eius opus eſſe ſimpliciter bonum, & honeſtum.

10 Sed contra obijcit P. Terillus quæſt. 27. num. 32. Nàm Bernardus immediate ſubdit: *Et quidem laude dignam dixerim, vel ſolam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas: atamen ſine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas*: ergò bona intentio, & ſi in errore fundata, eſt laudabilis, & retributione digna: ergò conſcientia erronea poteſt reddere actum voluntatis ab ea regulatum, honeſtum, & laudabilem. Reſpondeo: Melliſluum Doctorem expreſſe diſtinguere duos actus in voluntate, nimirum & intentionem

nem piam, & electionem erroneam; vndè ad oculum interiorem verè ſimplicem, requirit, & charitatem in intentione, & veritatem in electione, quæ quidem veritas in electione deficit, quando electio procedit ex conſcientia erronea. Ex his duobus actibus ſola electio fundatur in conſcientia erronea; & hanc non approbat D. Bern. tanquàm honeſtam, & laudabilem: intentio verò, quæ terminatur ad finem debitum, non fundatur in conſcientia erronea iuxtà Bern. & ideò illa poteſt eſſe honeſta, laudabilis, & meritoria. Fallitur ergò Terillus, dùm vtrumque confundit.

11 Quod quidèm vlterius confirmatur: nàm cùm Bernardus dixiſſet: *Sine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas.* Immediatè ſibi obijcit: *Cur inquis? Nunquid non ex fide?* quaſi diceret: cur in malum incidit decepta ſimplicitas, quando quidem agit, quod ex fide putat bonum? Reſpondet autèm: *Prorſus fide, ſed falſa, vel potius non ex fide, quià fides falſa fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa, credo dixiſſe Apoſt. Quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Non autem ex fide vera creditur bonum, quod malum eſt; eſt enim malum: peccatum igitur eſt.* Vnde concludit: *Sivè igitur malum putes bonum, quod fortè agis, ſivè bonum malum, quod operaris, vtrumque peccatum eſt; quià neutrum ex fide. Licèt ſanè levius ad modum peccetur, vbi ſana intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quam vbi maligna latet, etiam in non mala actione, intentio.* Talia, & tanta D. Bern. quibus clarè innuit, tam longè abeſſe, vt deceptio, vel error conſcientiæ, etiam quando intentio eſt bona, reddat opus electum, ſeu electionem formalitèr honeſtam, quod potius ait, ex tali errore neceſſariò incurri malum in opere electo, aut in electione operis; quià licèt ſit ex fide, eſt tamen ex fide falſa, quæ non ſufficit ad reddendam operationem poſitive honeſtam.

12 Sed inquit Terillus, Bernardum intelligendum eſſe, quod opus illud ſit materialitèr peccatum; quià obiectum ſemper manet prohibitum cum aliqua denominatione mali, & ideò non manet vndequaque bonum, ſicut opus ex veritate, & bona intentione. Fateor quidem Bern. non poſſe intelligi de peccato formali, & voluntario, præcipuè loquendo de caſu, in quo quis agit ex bona intentione, & per ignorantiam invincibilem veritatis, de quo eſt præſens quæſtio. Sed valdè notandum eſt, quod non ſolum obiectum volitum ad extra per electionem, ſed ipſa electio iuxtà doctrinam Bern. debet eſſe materialitèr peccaminoſa, & defectuoſa; quià ipſa electio eſt, quæ potiſſimè procedit ex fide falſa, & ipſa eſt, cui deficit veritas, & quam obvmbrat ignorantia veritatis, & cui tenebræ ex toto non deſſunt; eſt enim reverà electio difformis, & erronea, ſicut eſt erroneum dictamen, quo regulatur, licèt totum hoc ſit involuntarium, & inculpabile; ſed electio, quæ ex conſcientia erronea redditur ſic prava, defectuoſa, & peccaminoſa, implicat quod per illam reddatur poſitivè honeſta, laudabilis, & meritoria: ergò ſemper manet verum ex D. Bern. quod illa electio non redditur bona, & honeſta poſitivè ex conſcientia erronea, qua regulatur.

§. II.

Noſtra concluſio ratione probatur.

13 PRIMA Ratio, & efficaciſsima pro concluſione, ſic formatur: implicat conſcientiam erroneam eſſe conſcientiam rectam; ſed ſi redderet actum ea regulatum bonum, & honeſtum, eſſet conſcientia recta: ergò implicat conſcientiam erroneam reddere actum ea regulatum bonum, & honeſtum. Minor probatur; quia reddere actum bonum, & honeſtum, eſt illum reddere rectum moralitèr; nàm bonum moralitèr idem eſt, àc rectum; ſed ſi conſcientia erronea redderet actum ea regulatum rectum, eſſet conſcientia recta: ergò, ſi illum redderet bonum, & honeſtum, eſſet conſcientia recta. Minor probatur; quià implicat aliquid fieri rectum per conformitatem ad regulam non rectam, vt patet evidentèr in linea regulata per regulam curbam, & obliquam, quæ neceſſariò evadit curba, & obliqua; implicatque evadere rectam per conformitatem ad regulam obliquam: ergò implicat quod actus voluntatis fiat rectus per conformitatem ad conſcientiam regulantem, niſi conſcientia regulans ſit recta: ergò, ſi conſcientia erronea redderet actum ea regulatum rectum, & honeſtum, eſſet conſcientia recta, ſivè recta regula voluntatis.

14 Reſpondet M. Serna, tract. de merito, inſerto in 1.2. Magiſtri Ferre, tom. 3. quod conſcientia erronea per ſe, & immediatè non facit operationem bonam, & rectam, ſed mediante iudicio vero prudentiæ; & per conformitatem ad ipſum redditur actus rectus, & bonus. Qui enim

bona

bona fide orat pro defuncto beato, aut damnato, duplex habet iudicium, alterum, quo exiſtimat eſſe in purgatorio, quod iudicium eſt falſum; alterum, quo iudicat bonum eſſe orare pro tali defuncto, & hoc iudicium eſt verum practice ſaltim: & per hoc iudicium verum regulatur voluntas orandi pro tali defuncto; & ita conſcientia erronea dicitur recta, non immediate, & ratione ſui, ſed mediante iudicio recto prudentię immediate regulante actum voluntatis.

15 Sed contra eſt primo, quià per te conſcientia erronea, non per ſe, & immediate, ſed ratione iudicij prudentiæ recti, & veri, reddit opus bonum, & rectum; ſed per te conſcientia erronea ratione talis iudicij prudentiæ, eſt recta, & ratione illius non eſt erronea: ergò actus voluntatis non redditur bonus, & honeſtus per conſcientiam erroneam ipſum regulantem, ea ratione qua erronea eſt, ſed per conſcientiam rectam, ea ratione qua recta eſt. Hoc autem plane eſt nobis concedere intentum; quià nos aliud non defendimus, quam conſcientiam erroneam, prout diſtinctam à conſcientia recta, non reddere actum ea regulatum bonum, & honeſtum.

16 Contra ſecundo, quià conſcientia nec mediante iudicio recto prudentiæ poteſt reddere actum voluntatis rectum: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur: quià conſcientia erronea non reddit immediate rectum iudicium prudentiæ; ſed hoc eſt neceſſarium, vt mediante ipſo reddat actum voluntatis rectum, quià rectitudo actus voluntatis non poteſt provenire ex conſcientia erronea, mediante iudicio prudentiæ, niſi immediate derivetur ex ipſa conſcientia talis rectitudo in iudicium prudentiæ, vt, eo mediante, perveniat ad actum voluntatis ergò conſcientia erronea, nec mediante iudicio prudentię, reddit actum voluntatis rectum. Maior patet, quià, ideo ſolutio negat actum voluntatis immediate rectificari per conſcientiam erroneam, quià iudicat, rectum non poſſe fieri immediate rectum per regulam erroneam: ergò iuxta ipſam iudicium rectum prudentiæ non poteſt immediate fieri rectum per conſcientiam erroneam, aut per conformitatem ad ipſam.

17 Vrgetur: conſcientia erronea non poteſt regulare actum voluntatis mediante iudicio recto prudentiæ, vt recto: ergò. Antecedens probatur; quià regulare actum voluntatis mediante iudicio recto prudentiæ, vt recto, eſt regulare immediate iudicium rectum prudentiæ, vt rectum; ſed implicat conſcientiam erroneam regulare immediate iudicium rectum prudentiæ, vt rectum, quià implicat rectum; vt rectum immediate regulari per erroneum, vt probatum manet: ergò.

18 Contra tertio: quià prædicta ſolutio falſo ſupponit conſcientiam erroneam regulare actum voluntatis, quoad eius honeſtatem, mediante alio iudicio prudentiæ. Conſcientia enim, ſivè recta, ſivè erronea eſt immediata regula actus voluntatis, quantum ad eius moralitatem, vt omnes fatentur, & nos ſtatim probabimus; ergò ex hac parte ruit etiam ſolutio. Contra quarto: quià in exemplo adducto ineptiſſime ponitur pro ſimili conſcientiæ erroneæ iudicium illud, quo quis, forſam falſo, exiſtimat defunctum aliquem eſſe in purgatorio; illud enim iudicium non eſt conſcientia. Primo, quià non reſpicit pro obiecto honeſtatem operis, nec ipſum opus; conſcientia autem eſſentialiter reſpicit pro obiecto honeſtatem, vel inhoneſtatem operis. Secundo, quià conſcientia eſt concluſio ſyllogiſmi practici, concludens aliquam operationem hic, & nunc eſſe honeſtam, & licitam, vel ècontrà. Iudicium autem illud non eſt concluſio ſyllogiſmi practici, nec dictat aliquid de honeſtate operationis: ergò iudicium illud, forte falſum, inepte adducitur pro exemplo conſcientiæ erroneæ.

Contra quinto, quià ex illis duobus iudicijs allatis in exemplo, conſcientia non conſiſtit in primo, quo iudicatur, forſam falſo, illum defunctum eſſe in purgatorio; ſed in ſecundo, quo concluditur bonum, & licitum eſſe hic, & nunc orare pro tali defuncto; ſed iuxta ſolutionem hoc iudicium non eſt erroneum, nec conſcientia erronea, ſed rectum, & conſequèter conſcientia recta: ergò exemplum non eſt de conſcientia erronea, ſed de recta; non igitur eſt ad rem, ſicuti nec alia plura, quæ congerit prædictus Magiſter. Deberet enim adducere caſum in quo dictamen conſcientiæ, ſeu concluſio practica, dictans hoc opus hic, & nunc eſſe licitum, & honeſtum, eſſet erronea, & falſa, & tamen voluntas per hanc conſcientiam erroneam redderetur formaliter honeſta, & laudabilis: nàm hic eſt caſus noſtræ concluſionis, cęterum hoc non facile præſtabit.

19 Secundo reſpondet Terillus quæſt. 16. num. 37. quod duplex debet diſtingui dictamen conſcientiæ, ſcilicet, vltimum, & penultimum, & vtrumque de honeſtate, vel inhoneſtate operis: primum quidem deductum ex principijs directis, vt ſi quis ità diſcurreret: *Licitum eſt mentiri pro vitando damnum proximi; quando neceſſa-*

neceſſarium eſt; ſed hic, & nunc mendacium eſt neceſſarium ad vitandum damnum proximi: ergò hic, & nunc eſt licitum mentiri. Et hoc dictamen, inquit ipſe, non eſt vltimum dictamen conſcientiæ, nec regula immediata, & formalis voluntatis mentiendi, ſed ſolum eſt penultimum, & regula mediata, ſeu occaſionalis, quatenus fundat aliud dictamen reflexum, & vltimum. Quod quidem ſuppoſito illo directo ſic formatur: *Licitum eſt mihi facere, quod hic, & nunc invincibiliter iudico, vt bonum, & honeſtum; ſed nunc invincibiliter iudico, vt bonum, & honeſtum mentiri: ergò licitum eſt mihi hic, & nunc mentiri.* Igitur hoc vltimum dictamen, ait, eſſe regulam immediatam, & formalem voluntatis, & eſſe dictamen rectum, & evidens, quià formatur ex maiori per ſe nota, & ex minori experimentali, & evidenti Primum autem eſſe falſum, & erroneum, quià procedit ex maiori directa falſa, & erronea, àc proinde actum voluntatis evadere formaliter, àc poſsitivè honeſtum per conformitatem ad vltimum dictamen conſcientiæ, quod ſemper eſt rectum, verum, & evidens, quidquid ſit de dictamine penultimo, quod falſum, & erroneum eſt, quià ſolum materialiter, & occaſionaliter, ſeu per modum circunſtantiæ reflexè cognitæ ex parte obiecti conducit ad formandum vltimum conſcientiæ dictamen ex principijs reflexis.

20 Sed contra eſt: primo, quià hic etiam Author extra chorum ſaltat. Quæſtio enim noſtra procedit de actu voluntatis regulato formaliter per conſcientiam erroneam, ſeu de conſcientia erronea regulante formaliter actum voluntatis, & de illa inquirit, àn reddat actum voluntatis rectum, & honeſtum? Ipſe autem negat actum voluntatis regulari formaliter per conſcientiam erroneam, aſſeritque ſemper regulari formaliter per dictamen rectum conſcientiæ: ſi autem hoc ità eſt deſtruitur ſuppoſitum quæſtionis, & nos non negabimus, tunc actum voluntatis formaliter evadere rectum, & honeſtum per conformitatem ad illud vltimum dictamen conſcientiæ.

21 Contra ſecundo: quià, vt infra probabimus, voluntas poteſt, immò, & ſæpiſsime regulatur per dictamen illud conſcientiæ deductum ex principijs directis, quo concluditur opus hic, & nunc eſſe licitum, & honeſtum, non expectando reflexum illum diſcurſum, nec dictamen ex principijs reflexis formandum; ſed dictamen illud eſt falſum, & erroneum iuxta ſolutionem: ergò poteſt voluntas, & ſæpè dirigitur immediate per dictamen invincibiliter erroneum, non expectando aliud reflexum. Inquiro igitur, àn in eo caſu voluntas ſic regulata evadat formaliter honeſta, & recta, vel non? Si non: ergò iàm habemus intentum, quod ſcilicet actus voluntatis formaliter per conſcientiam invincibiliter errantem regulatus, non redditur ex illa formaliter honeſtus. Si autem dicat quod evadit formaliter honeſtus, manifeſte eſt falsũ; nàm, vt efficaciter probatum manet, per regulam erroneam, aut per conformitatem ad illam, nullus actus poteſt evadere formaliter rectus, & honeſtus; nec eſt amplius recurſus ad dictamen reflexum, quià ſupponimus voluntatem vnice, & formaliter regulatam per dictamen directum, & erroneum: ergò tunc voluntas illa ex conſcientia invincibiliter erronea tantum excuſabitur à culpa, ſed non erit formaliter honeſta, & recta.

22 Dices forſàm ex doctrina prædicti Auth. quod ſi voluntas immediate poſt dictamen erroneum formatum ex principijs directis, ſe determinaret ad opus, non excuſaretur à culpa, quià tenetur expectare illud dictamen reflexum evidens, vt ſecure, & recte procedat. Sed O infœlices, & miſeri ruſtici, & ſimplices, qui talem diſcurſum reflexum, vel formare neſciunt, vel raro formant! Quià ſane in omnibus ſuis actibus peccabunt, & quidem abſque vlla excuſatione, quià tenentur per diſcurſum reflexum formare dictamen evidens conſcientiæ, & id raro, vel nunquam faciunt, ſed hoc diſcurſu non expectato per principia directa ſimpliciter regulantur. Sane Terillus, & ſimiles AA. dum per probabilitatis regulas intendunt iugum Chriſti reddere ſuave, & onus leve, per has reflexiones neceſſarias ad recte operandum onus imponunt ſimplicibus, àc ruſticis importabile. Deinde quià implicat voluntatem immediate regulatam per iudicium invincibiliter erroneum, culpabiliter errare, & voluntarie peccare; error enim invincibilis tollit voluntarium, & excuſat à peccato, vt omnes Theologicum D. Thom. fatentur; ſed voluntas in illo caſu abſque omni reflexione regularetur immediate per iudicium invincibiliter erroneum: ergò non peccaret voluntariè, ſed excuſaretur à culpa.

23 Contra ſecundo, ſic impugno ſolutionem principalem: nàm conſcientia propriè ſumpta eſt regula proxima, & formalis moralitatis actuum humanorum, ad diſtinctionem legis divinæ, quæ eſt prima, & obiectiva regula illius; ſed conſcientia erronea eſt propriè conſcien-

tia:

tia : ergò conſcientia erronea eſt proxima, & formalis regula moralitatis actuum humanorum : ergò eſt vltimum dictamen conſcientiæ immediate regulans actum voluntatis, minimeque expectat aliud dictamen reflexum, quo mediante, regulet actum voluntatis, vt vult Terillus. Cetera patent, & minor probatur, nàm conſcientia in propria ſua acceptione dividitur in rectam, & erroneam : ergò conſcientia erronea eſt verè, & propriè conſcientia.

24 Reſpondet Terillus quæſt. 13. num. 41. *Quod, ſi expreſsè loquamur de vltimo conſcientiæ dictamine, ideſt, de conſcientia in primaria ſua acceptione, conſtat illam eſſe ſemper evidenter veram, ideoque nunquam erroneam, nunquam aut ſcrupuloſam eſſe, aut dubiam.* Sed hæc doctrina nova eſt, & contra communem ſenſum antiquorum, & Recentium Theologorum; qui omnes cùm D. Thoma ſemper intellexerunt, conſcientiam in propria ſua acceptione aliquando eſſe rectam, & aliquando erroneam, ſæpiſsimeque voluntatem operari immediate ſequendo conſcientiam erroneam, ſivè invincibilem, ſivè vincibilem; nulluſque vnquam dixit, homines ſemper, & in omnibus ſuis actibus regulari per conſcientiam rectam, & veram, & evidentem. In materia autem adeò gravi, qualis eſt hæc pars Theologiæ de conſcientia, non licet introducere doctrinam novam contra communem hucuſque traditam: ergò.

25 Contra ſecundo: quià nemo negare poteſt homines aliquando peccare ſequendo conſcientiam dubiam; alias enim, vt quid moneremur in dubijs tutiorem partem eligere, & non operari cùm conſcientia dubia? Sed ſi vltimum conſcientiæ dictamen nunquam eſſet dubium, nunquam ſequeremur conſcientiam dubiam; quià per vltimum dictamen certum, & evidens, quale requirit ſemper prædictus Auth. tolleretur dubium: ergò vltimum conſcientiæ dictamen aliquando poteſt eſſe dubium: ergò multo melius erroneum. Tertio, quià ſyllogiſmus directus, quo quis v.g. ſic concludit: *Licitum eſt cuilibet accedere ad vxorem ſuam; ſed hæc eſt vxor mea : ergò licitum eſt mihi accedere ad hanc.* Hic, inquam, ſyllogiſmus verè eſt practicus, & eius concluſio eſt ſimpliciter practica, non autem ſpeculativa, vt omnibus per ſe notum eſt; ſed de eſſentia practicæ concluſionis eſt quod ſit regula operis, ſeu dictamen regulans operationem: ergò illa concluſio ſyllogiſmi directi verè, & propriè eſt regula operationis humanæ, & moralis. Sed illa concluſio poteſt eſſe erronea, vt fuit in Iacob, cùm acceſsit ad Liam: ergò concluſio, erronea poteſt eſſe regula operis, & conſequenter conſcientia verè, & propriè.

26 Dices ex Terillo: illam concluſionem eſſe regulam occaſionalem ex parte obiecti, quaſi circunſtantia conſiderata per iudicium reflexum, obiectiveque honeſtans operationem; quià videlicet illud iudicium directum eſt circunſtantia requiſita ex parte obiecti, vt operatio illa ſit honeſta, & ſic debet præcognoſci reflexè, vt poſsit talis operatio eligi à voluntate honeſtè. Sed contra eſt, quià huic dictamini practico: *Hic & nunc mihi licet accedere ad hanc*, ex proprio modo tendendi convenit per ſe eſſe moralem regulam dirigentem ad talem acceſſum; ſed eſſe regulam obiectivè, & per modum circunſtantiæ ex parte obiecti cogniti, non convenit tali iudicio per ſe, nec ex peculari modo tendendi, ſed ſolum per accidens, quatenus poteſt conſiderari reflexè per modum circunſtantiæ obiectivæ; ergò per ſe, & ex proprio modo tendendi eſt regula formalis, & non obiectiva operationis. Sed de hoc infra reddibit ſermo contra Terillum.

27 Tertio impugnatur ſolutio principalis; quià etiam ſi vltimum dictamen conſcientiæ formetur per ſyllogiſmum reflexum ibi aſsignatum, poteſt eſſe erroneum: ergò falſum eſt quod vltimum conſcientiæ dictamen, & ſi per dictum ſyllogiſmum formatum, ſemper ſit rectum, & evidens. Antecedens probatur primo, quià maior illius ſyllogiſmi reflexi falſa eſt, ſi loquatur de iudicio invincibili falſo. Nàm quod ego falſo iudico, licet invincibiliter, vt mihi licitum, & honeſtum, falſum eſt quod ſit mihi licitum, & honeſtum; ſicut quod falſo iudico, licet invincibiliter, vt mihi debitum ex iuſtitia, falſum eſt quod ſit mihi debitum ex iuſtitia: ergò illa maior, ſi intelligatur de iudicio invincibili falſo, hoc pacto: *Licitum eſt mihi hic & nunc facere quod invincibiliter falſo iudico eſſe mihi licitum*, eſt falſa; ſed ex maiori falſa concluſio poteſt evadere falſa ergò concluſio illius ſyllogiſmi reflexi ex falſitate maioris poteſt evadere falſa : ergò & dictamen vltimum conſcientiæ, quod in tali concluſione conſiſtit.

28 Secundo, poteſt etiam tale dictamen eſſe erroneum ex falſitate minoris, quià bene poteſt aliquis exiſtimare ſuum iudicium eſſe invincibile, quamvis revera non ſit invincibile: ergò illa minor: *Sed ego nunc invincibiliter iudico eſſe bonum, & honeſtum mentiri*, poteſt eſſe falſa, & ex eius falſitate erroneum evadere dictamen vltimum conſcientiæ. Antecedens probatur,

quià

quià vt iudiciũ aliquod verè ſit invincibile, debet præcedere debita diligẽtia pro veritate inquirẽda: ſed poteſt cõtingere, quod quis iudicet ſe adhibuiſſe debitã diligentiam, quod tamen falsũ ſit, quià in aſsignãdo debitam diligentiam plerumque homines deficiunt, & falluntur: ergò poteſt aliquis iudicare ſuum iudicium eſſe invincibile, quod tamen falſum ſit. Vndè non ſatis capio, quo iure, P. Terillus totã ſuam doctrinam vbique fundet in illa minori, quã ſemper ſupponit, vt evidentem, & experimẽtalem. Sanè, ſi tota reflexionum machina, & ſtructura in illa minori, tanquàm in lapide fundamentali, nititur, parũ firmitatis habere poteſt, nàm licet poſsit quis experimentaliter agnoſcere ſe iudicare aliquid vt honeſtũ, & licitum, tamen experimẽtaliter ſcire non poteſt, ſe id iudicare invincibiliter, hoc eſt, ſe adhibuiſſe omnem diligentiam debitam, & nullum appoſuiſſe impedimentum voluntarium ad cognoſcendam veritatem; hoc enim vix probabiliter agnoſci poteſt, cũ cor hominis ſit inſcrutabile, & plurimę in eo lateãt paſsiones, & negligẽtię culpabiles nobis evidenter nõ manifeſtæ: propter quod rectiſsimè petit quiſque: *Ab occultis meis munda me Domine.*

29 Denique impugnatur ſolutio: quià in præſenti quæſt. debet ſupponi, & non diſputari, quod datur conſcientia erronea, quę invincibiliter errat dictando vt honeſtum, & bonũ, quod reverà malum, & inhoneſtum ſit, aut ècontrà: tùm quià hanc conſcientiam ſupponit D. Thom. & Bern. locis citatis expreſsiſsimè. Tùm quià aliter non eſt locus quæſtioni. Item ſupponi debet talem conſcientiam eſſe regulã proximam, & formalem operationis, quià de eſſentia cuiuslibet conſcientiæ verè talis eſt, quod ſit regula formalis, & proxima honeſtatis, vel inhoneſtatis operationis humanæ; ſicuti iuxtà omnes Theologos Divina lex eſt prima, ſeu obiectiva regula talis honeſtatis, vel inhoneſtatis. Non ergò negari poteſt in præſenti conſcientia invicibiliter erronea, quæ ſit proxima, & formalis regula moralitatis. Ea autẽ ſuppoſita, fit efficaciſsimum argumentum ad probandum, quod licet excuſet à culpa, nõ tamen reddit actum ea regulatum formaliter honeſtum, & bonum, quià ex regula erronea, & obliqua non poteſt evadere actus regulatus, rectus, & honeſtus, niſi regula erronea ſit recta, & recta erronea.

§. III.

Secunda ratio pro noſtra concluſione.

30 SECVNDO Probatur concluſio: quia omnis bona voluntas, per ſe loquendo, regulatur per prudentiam, vt omnes Ariſt. interpretes cum ipſo dicunt in lib. 6. Ethic. c. 13. & in 3. diſt. 16. & 1. 2. q. 58. art. 1. Sed nulla voluntas in eo, in quo cõcordat conſcientię, ſeu rationi errãti invincibiliter, per ſe loquendo, regulatur per prudentiam: ergò nulla voluntas in eo, in quo concordat rationi, vel conſcientiæ erranti invincibiliter, eſt poſitivè bona, & honeſta. Min. probatur, quià prudentia, per ſe loquendo, nihil falſum dictare poteſt; ſed omnis voluntas in eo, in quo concordat rationi errapti, reſpicit obiectũ reverà falsũ: ergò nulla voluntas in eo, in quo cõcordat rationi errãti, per ſe loquendo, regulari poteſt per prudentiam, aliàs prudentia per ſe dictaret obiectum reverà falsũ. Maior probatur, quià prudentia eſt virt⁹ intellectualis; ſed virtus intellectualis, ſaltim per ſe loquẽdo nihil falsũ dictare poteſt: ergò prudentia nihil falsũ dictare poteſt. Min. probatur; quià virtus intellectualis per ſe determinat intellectũ ad verum: ergò ipſa nequit per ſe dictare falsũ. Antec. probatur, quià virtus cuiuslibet potẽtiæ determinat per ſe potentiam illã ad bonum ſuum; ſed bonũ intellect⁹ eſt verum, ſicut malũ eius eſt falsũ: ergò virt⁹ intellectualis determinat per ſe intellectum ad verum. Confirmatur: iuxtà Philoſophum 6. Æthic. c. 2. & D. Thom. 1. 2. q. 37. art. 2. ad 3. opinio non eſt virtus intellectualis, quià non determinat intellectũ ad verũ, ſed indifferẽter ſe habet, ità quod poteſt dictare falſum; ſed prudentia eſt virtus intellectualis: ergò determinat per ſe intellectũ ad verũ, & non poteſt dictare falsũ per ſe vide infra n. 134.

31 Reſpondebis, diſtinguendo inter verum intellectus practici, & verum intellectus ſpeculativi: verum namque intellectus ſpeculativi ſumitur per conformitatẽ intellectus ad rem: verũ autem intellectus practici ſumitur per cõformitatem ad appetitum rectum, hoc eſt, ad rectã intentionem finis. Ex quo infertur, quod verũ ſpeculativum potiſsimè reſidet in rebus neceſſarijs, quià in illis tantùm poteſt inveniri conformitas indefectibilis cum intellectu ſpeculativo. At verum practicum nõ reſidet in rebus neceſſarijs, quià non ſunt factibilia, nec agibilia à voluntate propter finẽ, ſed ſolùm in contingentibus, quæ cadunt ſub electione volũtatis, & ab eligente poſſunt fieri, & diſponi. Ex indeque circà neceſſaria ponũtur ſciẽtię ſpeculativæ, determinãtes intellectũ ad verũ ſpeculativũ; circà contingentia verò ponuntur facultates practicę, determinantes intellectum ad verum practicum. Huiuſmodi ſunt, ars circà factibilia, & prudentia circà agi-

bilia; ſcientiæ igitur ſunt virtutes intellectus ſpeculativi, prudentia verò, & ars, virtutes intellectus practici. Et hæc doctrina eſt expreſſa Philoſophi 6. Æthic. c. 2. & D. Thom. ibid. & 1. 2. q. 19. art. 3. ad 2. & q. 57 art. 5 ad 3. Ex qua doctrina M. Serna ad argumentũ reſpondet, quod prudentia determinat intellectũ ad verum practicũ, & non poteſt dictare falſum practicum; verumtamèn ſuppoſita conſcientia invincibiliter erronea, & per errorẽ invincibilẽ dictãre hoc opus eſſe licitũ, eſſe practicè verũ illud opus, vt hic, & nũc exercẽdũ, quia eſt conforme appetitui recto finis.

32 Sed contra eſt: nã licet prædicta doctrina, in qua fundatur ſolutio, ſit veriſsima, falsũ tamen eſt, quod opus dictatũ per conſcientiam erroneã ſit conforme appetitui recto finis: ergò nunquã ſalvatur quod opus dictatũ per conſciẽtiam erroneam ſit verum practicũ, prout contendit ſolutio. Maior probatur, quià in præſenti, rectus appetitus finis eſt amor Dei finis vltimi, quo appetimus illi in omnibus obſequium præſtare; ſed quod reverà eſt prohibitum à Deo, & per cõſcientiam erroneã iudicatur licitũ, & honeſtũ, revera non eſt conforme prædicto appetitui: ergò opus, quod dictatur per conſcientiam erroneam, nõ eſt verum practicũ, quià non eſt conforme appetitui recto finis. Minor probatur: nã amor Dei eſt appetitus faciendi, quę reverà iuſsit Deus, & vitãdi, quæ reverà prohibuit, iuxtà illud: *Qui diligit me ſermones meos ſervabit.* Sed huic appetitui non eſt reverà conforme facere, quod reverà eſt prohibitum à Deo, & ſi per conſcientiã erroneam repræſentetur, vt licitũ, & honeſtum: ergò, Min. hæc patet, quià velle vitare, quæ reverà prohibuit Deus, & facere, quod reverà prohibitũ habet, non conformantur, vt ex ſe patet. Maior verò probatur: quià intẽtio, quam habem⁹ obſequẽdi Deo, ex vero Dei amore orta, nõ eſt pręcisè faciẽdi, quę nobis occurrunt, vt à Deo pręcepta, nec præcisè vitandi, quæ nobis occurrunt, vt à Deo prohibita: ergò eſt appetit⁹, & intentio faciendi, quæ reverà iuſsit Deus, & vitandi, quę reverà prohibuit. Antec. probatur, quià illa intentio obligat ad inquirendum, diligentia poſsibili, quænã ſint à Deo præcepta in rei veritate, & quænã ab ipſo prohibita; ſed, ſi præcisè appeteret facere, quæ occurrunt nobis, vt à Deo præcepta, & vitare quæ à nobis exiſtimantur, vt prohibita, nõ obligaret ad diligentem inquiſitionem veritatis, ſed ſtatim àc aliquid nobis appareret præceptũ, moveret efficacitèr ad illud faciendũ, & ſtatim vt appareret prohibitũ, moveret ad illud vitandum; ergò nõ præcisè appetit facere, quæ apparẽt nobis, vt à Deo pręcepta, & vitare, quę proponuntur vt prohibita; ſed principalius intendit facere, quę reverà ſunt pręcepta, & vitare, quæ reverà ſunt prohibita.

33 Reſpondebis ex M. Serna, appetitũ rectũ in caſu argumenti non eſſe ſervandi Dei mandata cognita modo angelico, aut modo divino, ſed cognita modo humano, adhibita prius diligentia ſufficienti iuxtà regulas prudentiæ: hic appetitus eſt cõformis naturæ humanæ, ille verò eſt præſũptuoſus, & pravus. Huic autẽ appetitui eſſe cõforme, quod homo faciat, quod poſt ſufficientẽ diligentiã iudicat à Deo pręceptũ, quanvis re ipſa prohibitum ſit; quià ſuppoſito errore invincibili, ille appetitus, ſeu illa recta intentio movet ad illud faciendum, quod invincibiliter iudicatur, vt honeſtum.

34 Hæc ſolutio eſt, in qua ſiſtit tota cõtrariorũ doctrina. Impugnatur tamen primo; quià licèt intẽtio dilectionis Dei non intẽdat ſervare Dei mãdata cognita modo angelico, aut divino; tamẽ intendit ſervare Dei mãdata vera, & realia, prout sũt in ſe, & ad hæc invenienda adhibet omnẽ diligẽtiam humanã; vnde David aiebat *Quomodò dilexi legẽ tuam Domine, tota die meditatio mea eſt*: ergò ſi facta diligentia humana nõ inveniat legẽ verã Dei, ſed per errorẽ inveniat legem falſam, re ipſa fruſtratur intentio illa recta, invenitque medium cõtrarium ſuæ intẽtioni, reverà q. ſi talẽ legẽ obſervet, facit contra id, quod intendebat, licet per errorẽ, & falſam exiſtimationem. Ergò opus illud reverà non eſt conforme appetitui recto, ſed potius ei contrarium, licet exiſtimetur vt conforme. Explicatur exemplo: nàm ſi venator maximè diligens filium ſuum, ipſum occideret, exiſtimans invincibilitè eſſe feram, reverà nõ faceret aliquid cõforme amori filij; quià amor filij non eſt ſolũ amor filij exiſtimati talis, ſed amor filij veri, & re ipſa talis; ſed amor Dei non eſt amor ſolius divinæ legis exiſtimatæ, ſed amor divinæ legis re ipſa talis, quià diligentes Deum re ipſa amant veram legem Dei: ergò ſi aliquis veram diligens legem Dei, propter errorem invincibilem eam violaret, non faceret aliquid re ipſa conforme ſuo appetitui, ſed potius maximè contrarium, & diſconforme.

35 Reſpondet Serna, venatorem in illo caſu non occidere filium exiſtimatũ ferã ex amore filij, ſed ex amore venand, àc proindè nihil mirum, quod ſit diſconformis re ipſa illa occiſio cum amore filij veri: àt in caſu noſtrę quæſtionis electio obiecti re ipſa prohibiti ſupponitur procedens ex amore Diuinæ legis, & ex intentione eam

ſervan-

ſervandi, vnde nequit eſſe diſconformis tali amori, & intentioni. Sed contra eſt manifeſte, nàm poſſet venator ex amore filij illam occiſionem patrare, ſi nimirum, vt filium ſubſtentaret, iudicans ſignum eſſe feram, ad illud ſagittam mitteret, volens feram occidere, vt filium aleret; in quo caſu, ſi per errorem contingeret ſignum illud eſſe ſuum filium, ſane occiſio illa ex amore filij procederet: & tamen eſſet totaliter contraria re ipſa, & diſconformis amori filij: ergò pariter, licet ex amore obſervandi veram Dei legem quis faciat aliquid, quod iudicat honeſtum, re tamen ipſa prohibitum eſt, operatur cùm reali diſconformitate ad rectam intentionem, & appetitum obſervandi legem Dei.

36 Confirmatur, nã ſi quis eſuriens ſumeret cibum ad ſubſtentandã vitam, iudicans invincibiliter illum eſſe ſalubrẽ, cùm tamen eſſet venenatus, & mortiferus, tunc caſus talem cibũ ſumeret ex intẽtione recta conſervandi vitam: & tamen ſumptio illius cibi eſſet totaliter contraria illi intentioni in rei veritate: ergo idem quod prius.

37 Contra ſecundo: nàm licet charitas tantum intendat ſervare Dei mãdata cognita modo humano, non tamẽ intendit ſolũ ſervare Dei mandata cognita modo humano, ſivè verò, ſivè falſo, ſed cognita modo humano verò; ſed quando conſcientia eſt invincibiliter erronea, nõ cognoſcitur mãdatum Dei modo humano vero, ſed falſo: ergò tunc dictamen intellectus non eſt cõforme, ſed potius contrariũ intentioni charitatis. Maior probatur: nàm ſi charitas ſolum intenderet ſervare Dei mandata cognita modo humano, ſivè verò, ſivè falſo, tãtum intenderet ſervare Dei mandata ſivè vera, ſivè falſa; itẽque non obligaret ad diligentiam verè cognoſcendi Dei mandata, nã ad ſervanda Dei mandata cognita modo humano, ſivè verò, ſivè falſo, nulla requiritur diligentia illa cognoſcendi modo verò prę falſo, ſed ſufficit ſivè verè, ſivè falſo cognoſcantur: ergo.

38 Tertio impugnatur principalis ſolutio data: nàm electio mali in rei veritate mali, exiſtimati boni, eſt contra intentionẽ operantis ſecundũ id in quo errat: ergò eſt contra appetitum rectũ finis, & conſequẽter non reſpicit verũ practicũ. Antecedens probatur: nàm cùm quis ablata ignorantia cognoſcit ſe elegiſſe id, quòd in rei veritate erat malũ, & contrarium legi Dei, exiſtimãdo illud vt bonũ, triſtatur de ſuo errore, & de ſua electione; naturaliſſimum enim eſt, quod poſtquam quis agnoſcit ſe erraſſe, iudicãdo licitam comeſtionem carnis in die, in qua erat prohibita, & illam comediſſe; ſtatim triſtetur, & forſam iraſcatur contra eum à quo deceptus fuit, vel qui eum advertere neglexit; ſed nemo triſtatur de eo quod fecit conformiter ad propriã intentionẽ, & voluntatem rectam, & bonam, ſed ſolùm de eo quod eſt contra illã: ergò ſignũ evidens eſt, quod tã deceptio, & error, quo iudicavit eo die eſſe licitam comeſtionem carnis, quam electio, qua talem comeſtionẽ elegit, fuit involũtaria, & cõtra propriam intentionẽ, & rectum appetitũ finis.

39 Reſpondet Serna: prędictam comeſtionẽ carnis eſſe contrariam appetitui cõdicionato ſervandi verã legem Dei, ſi fuerit ſibi poſsibile, & ideò triſtari poſtea, cũ ſublata ignorantia, agnoſcit nõ ſervaſſe verã, & realem legẽ Dei; non tamen eſſe contra deſiderium, & appetitum efficacem, & abſolutum, ſervandi legẽ; quià efficaciter, & abſolutè ſolum appetit obſervare legem, vt ſibi cognitam, & cum obſervaverit legem, vt ſibi cognitam, potius talis comeſtio fuit conformis appetitui abſoluto recto. Idque explicat in eo, qui ob mortis periculũ projicit merces in mare, qui triſtatur poſtea de tali projectione mercũ, non quià fuit contra eius appetitum abſolutum; ſed quià fuit contra eius appetitum condicionatũ, quo vellet ſervare merces, ſi ſibi foret poſsibile.

40 Sed contra eſt; quià non adverſatur appetitui conditionato, quod res aliter ſe habeat, pro caſu pro quo non purificatur conditio. Vndè, ſi quis appetat cõditionatè aliquid facere ſub conditione quod Prælatus id iubeat, non triſtratur eo quod illud non fecerit, ſi Prælatus nõ iuſſerit. Et, ſi aliquis ſolum habet appetitum conditionatũ bibendi, ſub cõditione quod habeat ſitim, nõ triſtatur, ſi nõ biberit, caſu quo ſitim non habuerit. Et ratio eſt evidens, quià ſolùm contrariatur appetitui, quod fruſtrat appetitum fine intento: ſi autẽ aliquis ſolùm appetit conditionatè aliquid facere ſub aliqua cõditione, ſolùm fruſtratur talis appetitus, ſi purificata illa conditione non fiat quod optaverat, nõ verò, ſi non fiat id quod optaverat, quando nõ purificatur conditio; aliàs enim qui vult ieiunare, ſi ſit dies ieiunij, fruſtraretur eius intentio, & triſtaretur, ſi non ieiunaret die Dominica, aut Paſchali, quod per ſe falſum eſt: ergò, ſi aliquis tantũ cõditionatè vellet obſervare verã Dei legẽ ſub cõditione, ſcilicet, quod eã cognoſceret, caſu quo illã ignorãdo nõ obſervaret, nec fruſtraretur eius conatus, & intẽtio, nec triſtaretur de tali ignorantia, & nõ obſervantia.

41 Exemplũ autẽ, oppoſitũ probat; nã qui adducit merces in navi, illas adducit cũ deſiderio abſoluto illas ſervãdi, àc proindè deſiderat, optatque quod nulla ſit tẽpeſtas co-

gens ad proiectionem earum; quod ſi, adveniente tempeſtate, illas abſolutè proijcit, & habet voluntatem abſolutam illas proijciendi, hęc eadē voluntas eſt contra aliam, etiam abſolutam, quam habebat eas retinendi, vndè non concipitur ſine triſtitia. Et quanvis actu eas ſimplicitèr voluntario proijciat in mare, quià talis proiectio eſt ex intentione ſervandi vitam; triſtatur tamen eo quod hæc proiectio eſt contra appetitū abſolutum, quod habet eas retinendi, & cōſequentèr involuntaria ſecundùm quid: & multo magis triſtatur de tempeſtate, eo quod videt per illam fruſtrari appetitum abſolutum, quod habebat ſervandi divitias: quod minimè ità contingeret, ſi tantum voluiſſet conditionatè ſervare divitias pro caſu, quo non adeſſet periculum mortis: ergò paritèr, ſi ille, qui per errorē violavit aliquam Dei legem, poſteà, agnita veritate, triſtatur eo quod videt fruſtratam ſuam intentionē ſervandi veram legē Dei, ſignū evidens eſt, quod nō ſolùm appetebat ſervare legem veram Dei conditionatè, ſub conditione ſcilicet quod illam agnoviſſet, ſed illam ſervare intendebat abſolutè.

42 Sed dices: homo, qui adducit per mare merces, nō vult ſervare ipſas pro caſu gravis periculi, & tempeſtatis, aliàs vellet ſuam mortem: & item ille, qui vult ſervare verā legem Dei, non vult illam ſervare pro caſu, quo illam ignoret, & circà illā erret: ergò ſolùm vult ille ſervare merces pro caſu, quo poſſint ſervari ſine periculo mortis, & iſte ſervare verā legem Dei pro caſu, quo illam agnoſcat: ergò ſolùm habēt intentionem conditionatam, ille ſervandi merces, ſi non adſit periculū, & iſte ſervādi veram legem Dei, ſi non adſit ignorantia illius. Diſtinguo antec. non vult ſervare merces pro caſu gravis periculi, nec vult, quod nō adſit grave periculū, nego antec. vult tamen quod non adſit grave periculū, concedo antecedens: & diſtinguo ſimiliter ſecundam partem: non vult ſervare legem, pro caſu quo illam ignoret, nec vult ignorantiam depellere, nego antec. ſed vult ignorantiā depellere, concedo antec. & nego conſequentiam primam & ſecundā. Quià ad appetitum abſolutum alicuius rei non eſt neceſſum velle illam pro omni caſu, & hypotheſi, pro qua eſt impoſsibilis phyſicè, aut moraliter talis res; ſed ſufficit velle illam taliter, quod propter appetitum eius, deſideret tollere, & vitare omne impedimentum, quo redditur impoſsibilis phyſicè, aut moraliter talis res. Quod patet in appetitu, & conatu ſervandi propriam vitā, qui ſanè appetitus abſolutus eſt, & non purè conditionatus; & tamen nemo prudēter appetit ſervare vitā pro caſu, quo vulnere mortali ſit in corde percuſus, nec pro caſu, quo venenum mortale ebiberit; hoc enim eſſet velle aliquod impoſsibile; vult tamē quilibet vitare quodlibet vulnº mortale, ſeu mortale venęnum ex deſiderio ſervandi vitam, ex quo infertur illum habere deſiderium abſolutū illam ſervandi. Sic igitur, qui adducit merces per mare, nō vult illas ſervare pro caſu, quo non poſsit illas ſervare ſine periculo vitæ, vult tamen, & conatur vitare talē caſum, & ideò, quantum poteſt, fugit tempeſtatem, & orat Deum vt illam propulſet, & indè infertur abſolutè appetere ſervare divitias. Itemq; qui vult ſervare verā Dei legem, non vult eam ſervare, caſu quo eam non cognoſcat, vult tamen eam cognoſcere, & ideò inquirit debita diligentia vbinam ſit vera lex Dei, dicens: *Scrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo*; & Deum exorat, vt illam eum doceat, dicens: *Doce me facere voluntatem tuam*. Ex quo apertè infertur habere appetitum abſolutum ſervandi veram legem Dei.

43 Quod ſic efficaciter cōfirmo: qui vult ſervare verā Dei legē ſi illam agnoverit, & vult, conaturq; eam agnoſcere, abſolutè, & nō tantum cōditionatè vult, & appetit ſervare verā Dei legē; ſed qui verè diligit Deū non ſolū vult ſervare verā Dei legē ſi illam agnoverit, ſed vult illā agnoſcere ergò abſolutè appetit ſervare verā legē Dei. Maior patet, nā qui vult aliquid ſub cōditione, & vult cōditionē, abſolutè illud vult; ſicut qui affirmat aliquid ſub conditione, & affirmat ipſā conditionem, abſolutè illud affirmat. Min etiam patet, nā qui verè diligit Deū, non ſolum conatur ſervare veram legem Dei, ſi illā agnoverit, ſed quærit, & inquirit ipſā verā legem Dei ad eam obſervandam.

44 Confirmatur ſecundo: nā ex amore Dei immediatè oritur inclinatio, & appetitº ſciendi voluntatē Dei, & eius vera mādata ad ea facienda, ſicuti ex qualibet vera amicitia oritur immediatè deſideriū ſciēdi voluntatē amici, & eam implendi; ſed fruſtranea eſſet hæc inclinatio, & appetitus ſciendi verā Dei voluntatē & vera Dei mandata, ſi non appeteret abſolutè ſervare vera Dei mandata, & implere verā Dei voluntatem; ad nihil enim prodeſſe poteſt diligentèr inquirere vera Dei mandata, niſi ad ea veracitèr implenda: ergò ex amore Dei vero immediatè reſultat appetitus abſolutus ſervandi veram Dei legem.

45 Ex quibus iam ſic infero: ergò ſi aliquis verè diligens Deum erret circà legem Dei veram, iudicando eſſe prohibitum, quod reverà eſt à Deo præceptum, vel

ècontrà, hoc errore fruſtratur eius intentio, & hoc iudicium erroneum reverà eſt diſconforme appetitui recto, quo intendebat ſcire veram Dei legem, & eam obſervare; quomodo enim non fruſtratur intentio quærentis veram Dei legem ad eam obſervandam, quando loco veræ legis Dei invenit legem falſam, quæ reverà non eſt? Et quomodo hic error erit conformis appetitui recto inquærenti veram Dei legẽ? Si autẽ illud iudicium errans eſt contrariũ appetitui recto finis, evidenter infertur nõ eſſe iudicium prudentiæ, nec eſſe rationẽ rectã, quià non eſt conforme appetitui recto. Item infertur illud iudicium non eſſe practicè, & prudentialiter verum, quià non reſpicit obiectum conforme, ſed potius reverà diſconforme appetitui recto.

46 Sed dices, quod licet iudicium affirmans aliquid eſſe præceptũ, quod reverà eſt prohibitum, ſit reverà contrariũ appetitui recto finis, tamen, ſuppoſito tali iudicio erroneo, nõ eſt contrarium fini intento facere illud, quod per errorem iudicatur præceptum à Deo, ſed potius valdè conforme; quià valdè conforme eſt diligẽti Deum facere id, quod iudicat invincibiliter præceptum à Deo; àc per conſequens iudiciũ prudentiæ dictans hic, & nunc eſſe faciendum id, quod iudicatur præceptũ à Deo, reſpicit verum practicum, ideſt, conforme appetitui recto. Sed contra redeunt argumenta facta; quià, adhuc ſuppoſito illo iudicio erroneo, manet reverà prohibitũ à Deo, quod exiſtimatur falſo, vt à Deo præceptum; ſed quod reverà eſt à Deo prohibitum, reverà non eſt cõforme, ſed potius eſt contrariũ appetitui volenti facere, quæ reverà præcipit Deus, & vitare quæ reverà prohibuit: ergò. Explicatur: adhuc ſuppoſito illo iudicio erroneo, amans Deũ appetit ſervare veram legẽ Dei, prout eſt in ſe; ſed, ſi facit quod per errorem iudicat præceptum à Deo, cùm ſit reverà prohibitũ, non ſervat, ſed potius violat veram Dei legem: ergò facere illud, adhuc ſuppoſito iudicio erroneo, eſt cõtra proprium appetitum rectũ. Maior probatur, quià ideò vult facere illud, quod invincibiliter iudicat vt à Deo præceptũ, quià vult, & intendit ſervare veram Dei legem, & iudicat illã eſſe veram Dei legem: ergò adhuc ſuppoſito illo iudicio erroneo, vult diligens Deum ſervare veram Dei legem.

47 Vrgetur ex doctrina D. Thom. q. 17. de verit. art. 4. in corp. vbi ſic ait: *Qui enim vult vnum propter aliud, illud quidem, propter quod amat reliquum, per ſe amat, quod verò propter aliud, quaſi per accidens: ſicut qui vinum amat propter dulce, amat dulce per ſe, vinum autem per accidens. Ille autem, qui conſcientiam erroneam habet, credens eam eſſe rectam, aliàs non erraret, & inhæret conſcientiæ erroneæ propter rectitudinem, quam in ea credit eſſe, inhæret quidem per ſe loquendo conſcientiæ rectæ, ſed erroneæ quaſi per accidens, inquantũ hanc conſcientiam, quam credit eſſe rectam, contigit eſſe erroneam.* Ex quibus verbis ſic pariformiter diſcurro: qui iudicat aliquid reverà eſſe præceptũ à Deo, quod quidẽ eſt reverà prohibitum, ideò illud facit, quià exiſtimat in eo faciendo ſervari verã Dei legẽ: ergò illud facit propter ſervandam verã Dei legem: ergò per ſe intẽdit in eo facto ſervare veram Dei legem, licet per accidens ſervet falſam, quatenus contigit eſſe falſam, quam ipſe iudicat veram. Patet conſequentia, quià illud quiſque per ſe amat in aliquo facto, propter quod illud facit: ergò ſi facit, quod dictat ex cõſcientia erronea, propter ſervandam veram Dei legẽ, per ſe amat, & intendit ſervare veram Dei legẽ, licet præter intentionem, & per accidens operetur conformiter ad legẽ Dei falſam, & ad conſcientiam erroneam: ergò operari conformiter ad conſcientiam erroneam nunquam eſt conforme appetitui recto, ſeu rectæ intentioni, ſed potius eſt per accidens, & præter intentionem, ſeu potius contra intentionem, quando revera violatur lex Dei.

§. IV.

Aliter probatur concluſio, & præcedentia confirmatur.

48 TERTIO Probatur concluſio, & præcedens doctrina roboratur: nã, dum quis ſequitur conſcientiam erroneam, voluntas illa, in eo, in quo ſequitur errorẽ conſcientiæ, nullam habet rectã regulã, qua rectificetur; ſed implicat actus voluntatis rectus, qui non ſit rectus ex aliqua recta regula: ergò implicat, quod talis actꝰ voluntatis ſit rectus in eo, in quo ſequitur conſcientiã erroneam. Maior probatur: nàm in primis conſcientia ipſa erronea non eſt recta regula rectificans actum voluntatis, vt fatẽtur contrarij; deindè nec iudicium reflexũ dictans hic, & nunc faciendum eſſe, quod conſcientia illa invincibiliter dictat: ergò nulla eſt regula; quià contrarij aliam non aſsignant. Min. in qua ſtat difficultas, probatur: quià tale iudiciũ nõ eſt regula prima, & non regulata; deindè nec eſt regula ſecũda, & regulata: ergò illud iudicium non eſt regula rectificans actũ voluntatis. Maior patet, quià iudiciũ humanũ nõ eſt prima regula honeſtatis, & rectitudinis, vt omnes fatentur, quia hoc ſolũ convenit legi æternę Dei, quę eſt prima regula humanorũ actuum nõ regulata

per aliam. Min. verò probatur, quià illud iudicium non regulatur per divinam legẽ, tanquã per primam regulam: ergò non eſt regula ſecunda, & regulata per primam.

49 Reſpondet Terillus: illud iudicium eſſe regulatũ per legem Dei, non quidem per legem falſo exiſtimatã per conſcientiã erroneam, ſed per legem Dei reflexam prę-cipientẽ facere id, quod conſcientia invincibiliter iudicat agendũ; & cũ in caſu conſcientię erroneę ipſa dictet eſſe mentiendũ, v.g. propter damnũ proximi vitandũ, tunc adeſt lex Dei reflexa, pręcipiens quod hic, & nũc, ſuppoſita tali conſcientia erronea, quis mentiatur: & per hanc legẽ reflexam regulatur vltimũ conſcientiæ dictamen de eo quod hic, & nunc eſt licitũ mentiri. Sed contra eſt, quià prędicta lex reflexa repugnat Deo: ergò dictamen illud reflexũ non poteſt regulari per illam. Antec. probatur; quià in Deo de facto datur lex directa prohibens mentiri in quocũque caſu; ſupponimus enim mẽdacium eſſe intrinſecè malũ, àc proinde pro omni caſu prohibitum; ſed cũ hac lege directa manifeſtè repugnat lex reflexa præcipiens in aliquo caſu, ſcilicet conſcientiæ erroneæ, mentiri: ergò. Minor probatur; quià implicat Deum ſua lege cõtraria præcipere, aut ſimul habere leges contrarias obiectivè; ſed, ſi per legẽ directã præciperet nunquam mentiri, & per reflexam pręciperet aliquando, ideſt, pro caſu conſcientiæ erroneæ mentiri, ſimul haberet leges obiectivè contrarias, oppoſita cõtradictoriè præcipientes: ergò. Sed hanc rationem infrà proſequemur.

50 Dices ſecundo, cum contradicentib⁹ Thomiſtis, iudicium illud reflexum regulari per legẽ Dei falſo exiſtimatã per conſciẽtiam erroneam; quià eo ipſo quod conſciẽtia erronea dictet Deum pręcipere mẽdacium, lex Dei pręſumpta regulat iudiciũ reflexũ, quo quis iudicat pro tunc mẽtiendum eſſe ad damnũ proximi vitandũ. Sed contra eſt etiam, quià iudicium regulatum per legem Dei falsã, non poteſt eſſe iudiciũ verũ, & rectũ, adhuc practicè, regula enim falſa non poteſt reddere actum regulatum rectum, & verum, vt per ſe patet: ergò vel illud iudicium reflexum non eſt verum, aut rectum, vel non regulatur per legem Dei falſam, ſeu falſo exiſtimatam.

Dices: non regulari per illam legẽ falsã, vt falsã, ſed per illam exiſtimatam vt verã. Sed cõtra, quià licet illa lex exiſtimetur vt vera, reverà eſt falſa, falſoque exiſtimatur, vt vera: ergò ſi regulatur per illã exiſtimatã vt veram, regulatur per exiſtimationem erroneam, & falsã. Sed iudicium regulatũ per exiſtimationẽ erroneam nunquam poteſt evadere rectum: ergò ſemper deficit regula, vi cuius illud iudiciũ rectũ evadat. Explicatur: nàm vel illud iudicium regulatur per illam legem prout eſt in ſe ipſa immediatè, vel prout eſt in exiſtimatione: ſi primũ, cum illa lex in ſe ipſa reverà ſit falſa regulabitur immediatè per legem, & regulam falsã, & conſequentèr illud iudicium non erit rectũ. Si ſecundum: cũ illa exiſtimatio ſit falſa, regulabitur etiam immediatè per regulam falsã, & erroneam, nullibi igitur apparet regula recta illius iudicij.

Nec prodeſt, quod illa lex exiſtimetur vt vera, quià hoc tantũ probat quod illud iudicium exiſtimabitur vt rectũ ceterum, ſicut eſt falſa exiſtimatio, qua illa lex exiſtimatur vt vera, ità erit falſa exiſtimatio, qua tale iudicium exiſtimatur vt rectũ, àc per conſequens ſolũ in exiſtimatione falſa erit rectũ, reverà tamen erit iudicium erroneũ. Quod explicatur: nàm ſi aliqua vlna, qua menſuratur pannũ, v.g. exiſtimetur recta menſura, & reverà nõ ſit recta, ſed falſa, & erronea, menſura palsiva panni, non erit iuſta, ſed prava, vt per ſe patet, licet pro tunc ſit iuſta in exiſtimatione: ergò pariter, ſi lex Dei, qua regulatur vltimũ conſcientię dictamen, exiſtimetur vera, attamẽ ipſa ſit in rei veritate falſa, iudiciũ per illã regulatum reverà nõ erit rectum, ſed erroneum, & pravũ, licet exiſtimetur rectum.

51 Quarto probatur concluſio: quià actus formaliter, & poſitivè bonus, & honeſtus, non indiget excuſari à culpa, vel à peccato, quià nihil pravitatis habet de quo accuſari poſsit; ſed actus elicitus ex conſcientia erronea contra legem Dei veram indiget excuſari à culpa, & ideò recurrimus ad ignorantiam invincibilem: ergò non evadit ex conſcientia erronea poſitivè honeſtus, & bonus, ſed neceſſariò incurrit aliquid pravitatis, de quo excuſari debet, alias enim non recurrerent Auctores ad ignorantiam, vt talem actum excuſarent à culpa.

52 Reſpondet M. Serna, quod opera facta cõtra legẽ cum ignorãtia invincibili, & recta intentione, non poſſunt accuſari, nec indigent excuſatione apud Deum, qui intuetur corda hominũ, ſed tantũ apud homines, quià nõ cognoſcunt invincibilẽ ignorantiam, & rectam intentionem, & cõſequentèr non cognoſcunt talia opera eſſe moraliter bona. Sed contra primo, quia peccatum voluntas mentiendi, v.g. indiget apud homines excuſatione, & defenſione: ergò in voluntate mentiendi agnoſcunt homines aliquam diſconformitatem, & pravitatem, de qua cum veritate illam accuſare poſſunt, & quæ, niſi ſe excu-

excuſet, imputabitur ad culpam. Patet cõſequentia; quià etiam apud homines nullus actus re ipſa indiget excuſatione, niſi verè accuſari poſsit de aliqua inordinatione, & pravitate: ergò ille actus, quo volũtas vult mentiri, habet re ipſa aliquam inordinationem, & pravitatem inquantum regulatũ per conſcientiam erroneam, aliàs non poſſet de illa verè accuſari apud homines. Ergò inquantum regulatur per conſcientiam erroneam non evadit formaliter, & poſitivè honeſtus, & rectus; implicat enim ex conſcientia erronea contrahere pravitatem, & inordinationem, & ſimul ex ipſa contrahere rectitudinem, & ordinem. Cõfirmatur: voluntas mẽtiendi, ſi procedat ex errore vincibili, intrinſecè eſt mala, & inordinata, & hæc inordinatio imputatur ad culpam, quià tunc non habet vnde excuſetur; ſed talis voluntas eandem inordinationem, & pravitatem habet, quanvis error, ex quo procedit, ſit invincibilis: ergò adhuc, quando procedit ex errore invincibili, eſt intrinſecè inordinata, & prava, licèt tunc excuſetur à culpa. Minor probatur, nàm, ſuppoſito errore dictãte eſſe licitum, & honeſtum mẽtiri, eodem ipſiſsimo modo voluntas tendit in mendacium, ſivè ille error ſit vincibiliter conceptus, ſivè invincibiliter; quià hoc omnino prę ſuppoſitivè ſe habet reſpectu illius tẽdentiæ in mendacium; ſed, ſi error ille fuerit vincibiliter cõceptus, negari non poteſt, quod voluntas illa mentiendi habet veram inordinationem, & pravitatem: ergò eandem inordinationem habebit, quanvis error ille ſit invincibiliter conceptus.

53 Dices, hoc multum probare; quià probat illam voluntatem eſſe formaliter pravam, & peccaminoſam, etiam quando ex errore invincibili procedit. Reſpondeo, hoc non probari; quià licèt contineat eandem inordinationem, & pravitatem in vtroque caſu, tamen talis inordinatio eſt voluntaria, quando potuit, & debuit præcognoſci, ideſt, quando procedit ex errore vincibili; eſt tamen involuntaria, quando procedit ex errore invincibili, quià nõ potuit præcognoſci: & ideò in primo caſu vocatur pravitas, & malitia formalis, ideſt, voluntaria, in ſecundo materialis, ideſt, involuntaria.

54 Contra ſecundo: ideò illa voluntas mentiendi, iuxtà ſolutionem, non indiget excuſatione apud Deum, quià Deus cognoſcit intentionem bonam, ex qua procedit, & ignorantiam invincibilẽ: ergò, ſi Deus præcisè cognoſceret illam voluntatem procedentem ex errore dictante mendacium vt honeſtum, & præſcinderet, vel non cognoſceret invincibilitatem illius erroris, nec bonam intentionẽ, tunc eſſet accuſabilis illa voluntas apud Deum de inordinatione, & pravitate, & indigeret defenſione, & excuſatione: ergò ideò eſt, quià illa voluntas, vt procedens ex illo errore dicit inordinationem, quæ, ſi probetur eſſe voluntaria, imputabitur ad culpam: ſi verò probetur eſſe involuntaria, excuſabitur à culpa. Vrgetur: ideò, iuxtà D. Thom. & omnes, voluntas contra legem Dei excuſatur à culpa, quando procedit ex errore invincibili, quià error, ſivè ignorantia invincibilis tollit voluntarium: ergò manifeſtè ſentiunt omnes eam voluntatẽ habere talem inordinationem, & contrarietatem ad legem, quæ ſi foret voluntaria, imputaretur ad culpam formaliter, & ideò excuſatur, non quià ſit recta, ſed quià licet inordinata, talis tamen inordinatio, & defectus rectitudinis eſt involuntarius.

55 Contra denique: quià aliud eſt aliquam voluntatem eſſe excuſabilem, aliud eſſe laudabilem: aliud non eſſe dignam pœna, & aliud eſſe dignam premio; ſed licet homo, quando mentitur ex ignorantia invincibili, ſit excuſabilis, & nõ dignus pœna, tamen falsũ eſt, quod in tali mendacio ſit dignus premio, & laudabilis: ergò ignorantia invincibilis, licèt excuſet, nõ honeſtat actum. Minor probatur; quià mẽdacium nõ poteſt vnquam eſſe premio dignũ, nec laudabile, aliàs poſſet dari caſus in quo eſſet Deo gratum, & propter illud alicui Cęlum donaret: & poſſet Deus in die iudicij dicere: *Venite benedicti Patris mei; &c. quià mentiti fuiſtis ex errore invincibili.* Quod ſanè valdè per ſe videtur abſurdum.

Reſpondet Serna, concedendo hanc ſequelam, quod ſcilicet mendacium ex ignorantia invincibili poteſt eſſe Deo gratũ, & à Deo premiari, ſicut à Deo premiatũ fuit mendacium, quo obſtetrices Ægypti occultarũt filios Hębreorũ. Sed hoc mihi penit⁹ abſurdum videtur: nã implicat quod Deo placeat, & gratũ ſit, id cuius Deus Author eſſe non poteſt; ſed Deus Author eſſe non poteſt mendacij procedentis ex ignorantia invincibili: ergò nec illud Deo placere, aut gratũ eſſe poteſt. Maior patet; quià implicat, quod aliquid Deo placeat, & ei gratũ ſit, niſi ab ipſo ametur, implicat autem aliquid à Deo amari, & quod ab eo authore procedere nõ poſsit; cũ eius amor ſit factivus, & efficax. Minor etiã patet; quia aliàs Deus poſſet eſſe Author falſitatis, & erroris, poſſetque vt Author, & cauſa per ſe facere, quod homines ex ignorantia invincibili alios fallerẽt, & per mendacia in errorẽ inducerẽt, & alia plura ſequerẽtur abſurda

intolerabilia. Vnde de obſtetricibus Ægypti ſentio à Deo præmiatas fuiſſe, & Deo placuiſſe propter bonam voluntatem, & intentionem, qua voluerunt liberare filios Hæbreorum à morte tyranica Pharaonis; non autem propter mendacium electum ad eos liberandos, nec propter voluntatem mentiendi, & fallendi Ægyptios; hæc enim voluntas, dato caſu quod excuſaretur à culpa propter errorem invincibilem, ſemper tamen obliqua, ſeu inordinata manet, nunquamque poteſt eſſe recta, & honeſta. Et hæc ſolutio eſt D. Thom. Quodlib. 8. art. 14. vbi ait: *Non enim commendantur, quia mentitæ ſunt, ſed propter miſericordiam, ex qua in mendacium inciderunt.*

56 Denique probatur concluſio: quià actio, vel voluntas poſitive honeſta, & bona eſt ſalutaris; ſed voluntas, ſeu actio ſalutaris neceſſario petit regulari per doctrinam ſanam: ergò quælibet voluntas honeſta, & bona requirit doctrinam ſanam, per quam reguletur. Sed doctrina ſana eſt doctrina vera: ergò omnis voluntas poſitive honeſta petit regulari per doctrinam veram. Non ergò poteſt eſſe honeſta, & vera poſitive, & regulari per conſcientiam, aut doctrinam erroneam. Minor ſubſumpta probatur primo, quià doctrina ſana eſt à Deo authore; ſed ſi non ſit vera, ſed erronea, non poteſt eſſe à Deo authore, quià Deus ſolum eſt author doctrinæ veræ, non doctrinæ falſæ, & erroneæ: ergò doctrina ſana eſſentialiter eſt vera, & non poteſt eſſe ſimul ſana, & erronea. Secundo, quià doctrinæ ſanitas idem eſt àc veritas iuxta D. Thom. 1. Corinth. cap. 3. ad illa verba: *Dei ædificatio eſtis.* Et cap. 6. ad illa verba: *Et non acquieſcit ſanis ſermonibus.* Et 2. ad Timoth cap. 4. ad illa verba: *A veritate quidem auditum avertent*: Ergò doctrina ſana eſt idem, àc doctrina vera. Tertio, quià iuxta Philoſophum 6. Æthicor. bonum intellectus eſt verum, & malum eius eſt falſum: ergò bonitas, & ſanitas cuiuſcumque cognitionis, & doctrinæ eſt veritas, ſicut falſitas erit virus, & venenum. Quarto, quià omnis doctrina falſa admiſſa ſeducit, vt ait D. Thom. ad Coloſenſes cap. 2. lec. 2. ad illa verba: *Videte ne quis vos decipiat*; ſed nulla doctrina ſana ſeducit quamvis admittatur: ergò nulla doctrina ſana eſt falſa, ſed quæcũque eſt vera. Minor vero probatur: nàm doctrina ſeducens in fide, & moribus cavenda eſt, vt dicitur ad Coloſenſes cap. 2. & ad Epheſ. cap. 5. *nemo vos ſeducat*: ſed doctrina ſana cavenda non eſt, ſed admittenda, quærenda, & amanda, vt dicitur 1. ad Timoth. cap. 1. & cap. 6. & 2. ad Timoth. cap. 1. & 4. & ad Titum 1. & 2. ergò nulla doctrina ſana ſeducit.

57 Huic ſolidiſsimo fundamento reſpondet primo M. Serna, negando minorem ſubſumptam: nàm non ſolum eſt doctrina ſana, quæ reddit actum ſalutarem, ſed quæ præſervat hominem à peccato; ſed conſcientia erronea invincibilis præſervat hominem à culpa, ſiquidem à culpa excuſat: ergò verè eſt ſana. Hoc autem patificatur in medicina, vel cibo, quià non tantum eſt ſanus, qui reſtituit homini ſanitatem, ſed qui præſervat hominem ab infirmitate; ſed negari nõ poteſt quod doctrina, vel conſcientia invincibiliter erronea præſervat hominem ab infirmitate peccati, quià à culpa excuſat; ergò eſt verè ſana, ſaltim præſervative. Sed contra eſt, quià vt doctrina dicatur ſana non ſufficit quod præſervet à culpa vt cumque, alias enim amentia, quæ præſervat amentem à culpa, eſſet ſalutaris, & ſana animæ ipſius; quod ridiculum eſt. Solum igitur ſana doctrina dicitur, quæ præſervat à culpa perficiendo naturam, & eam rectificando circa finem vltimum, & circa media ad ipſum; non quæ præſervat à culpa malificando, & imperficiendo naturam, eamque invincibiliter avertendo, & deordinando ab vltimo fine, & à medijs deſignatis à Deo. Ni vellis ignorantiam invincibilem, qua quis putaret nullum eſſe Deum, nec peccatum contra Deum, ſi foret poſsibilis, ſaniſsimam fore, & ſalutarem ipſius animæ, quià, avertendo invincibiliter hominem ab vltimo fine, eum redderet aliqualiter impeccabilem. Tunc ſic, ſed licet conſcientia invincibiliter erronea excuſet errantem à culpa, non tamen illum excuſat perficiendo, & rectificando naturam rationalem circa finem vltimum, aut circa viam à Deo præſcriptam, ſed potius eam avertendo à fine vltimo, vel ſaltim à via divina lege præſcripta, licet invincibiliter: ergò conſcientia erronea, adhuc præſervativè, nequit dici conſcientia verè ſana.

58 Confirmatur primo: nàm conſcientia erronea non præſervat à peccato auferendo ab actu voluntatis inordinationem, & deviationem à divina lege, nàm adhuc illa ſuppoſita, voluntas tendit per viam revera prohibitam à lege Dei, & non per ſemitam mandatorum. Quomodo igitur præſervat à culpa? Auferẽdo nimirũ invincibiliter debitam, & veram cognitionẽ de illa inordinatione voluntatis, quę cognitio neceſſaria eſt, vt inordinatio illa ſit voluntaria. Valde autem notandum eſt quod in peccato id quod eſt inordinationis, & obliquationis à via Dei eſt ipſa malitia eius, & tota eius imperfectio, voluntarietas autẽ,

& cognitio talis inordinationis, non dicunt per ſe imperfectionem, ſed potius perfectionem naturę in ordine ad finem. Conſcientia ergò erronea in tantum præſervat à culpa, in quantum tollit id quod perfectionis, & rectitudinis requiritur in intellectu, vt inordinatio in voluntate imputetur ad culpam, non autem inquantum tollit re ipſa in ordinationem voluntatis. Quis autem dicat conſcientiam, vel doctrinam ſic præſervantem à culpa eſſe ſanã? Cùm potius re ipſa nociva ſit, & malificativa, & deceptiva naturæ, licet nocumento non voluntario, ſed involuntario ipſi erranti. Quod ſi velis impropijſsimè talem doctrinam appellare ſanam negativè, ſivè quatenus minus nocivam, quam ignorantia craſa, & vincibilis, ſivè quatenus negativè præſervat à culpa, ſicuti mors præſervat hominem ab infirmitate, & amentia à peccato, hoc non eſt ad rem, quià noſtra ratio non procedit de doctrina ſana in hac improprijſsima acceptione, ſed in ſenſu proprio.

59 Confirmatur ſecundo: quià falſum etiam eſt, quod conſcientia erronea ratione ſui præſervet à culpa, adhuc negativè, quando quis illam ſequitur ex intentione bona, ſervandi, & placendi Deo, in quo caſu procedit quæſtio. Quià tũc ſolum verum eſt quod aliquid præſervat hominem à culpa, quando, ſi illud deficeret, homo peccaret, & peius ageret; ſed in dicto caſu, deficienti errore, & ignorantia invincibili veritatis, id eſt, cognita veritate, quod ſcilicet mendacium pro omni caſu eſſet à Deo prohibitum, minime illud patraret, ſed melius ageret illud omittendo; quià, ſi illud profert, eſt quià iudicat pro tunc eſſe à Deo præceptum, & placere Deo: ergò ignorantia, & error invincibilis dictans mendacium eſſe hic, & nunc præceptum à Deo non præſervat à culpa mentiendi, ſed potius inducit ad mentiendum, licet excuſabiliter.

Tertio: quià, ſi propriè loquamur, id, quod excuſat errantem à culpa, non eſt ipſe error conſcientiæ, nec ipſa conſcientia erronea, ſed eius invincibilitas, quæ valdè diſtincta eſt à tali errore; conſiſtit enim in conatu, & intentione bona ſciendi veritatem, ſi vè in diligentia debita adhibita pro veritate invenienda, vi cuius diligentiæ, & intentionis bonæ ignorantia, & error denominatur inculpabilis; quamvis enim ipſe error ex natura ſua eſſet invincibilis, tamen ſi non haberet bonam intentionem, & debitam diligentiam inquirendi veritatem non excuſaretur à culpa: ergò, rebus benè, & maturè perpenſis, non eſt ipſe error, qui excuſat à culpa, ſed bona intentio, & diligentia adhibita pro invenienda veritate, quæ quidem diſtinctiſſima eſt ab ipſo errore: ergò error conſcientiæ nunquam dici poteſt doctrina ſana, adhuc præſervativè.

60 Ex quo patet ineptè adduci à M. Serna exemplum de medicina ſana præſervativè: quià medicina aliqua dicitur ſana præſervativè, quæ conſervat in homine proportionem, & ordinem debitum inter eius humores, & qualitates: àt conſcientia erronea non conſervat in homine moralem ordinem, & proportionem debitam ſuarum actionum cum lege Dei, in qua ſanitas ſpiritualis conſiſtit, ſed potius deordinat voluntatem à lege Dei, & tollit debitam proportionem humanarum operationum cum ſua prima regula, quæ eſt lex divina: ineptiſsimè ergò vocari poteſt doctrina ſana præſervativè proportione deſumpta ex medicina præſervativè ſana.

61 Secundo reſpondet: aliam eſſe doctrinam ſanam per ſe, aliam peraccidens. Doctrina ſana per ſe eſt doctrina ſupernaturalis, quæ ordinatur ad ſupernaturalem ſalutem animæ, & huius ſanitatem fatetur conſiſtere in eius veritate. Doctrina ſana per accidens eſt doctrina naturalis, quæ quidem, quando eſt erronea in rebus obſcuris, & ſolùm cognoſcibilibus fide humana, etiam tunc eſt ſana per accidens, & ſufficit non ſolùm ad præſeruandum ab infirmitate peccati, ſed ad reddendum actum meritorium vitæ æternæ, accedentibus ceteris requiſitis. Sed contra eſt, nàm ad æquivocationem vitandam diſtinguenda eſt, & ſalus naturalis animæ, & ſalus ſupernaturalis; quià cùm anima peccare poſsit, & contra legem naturalem, & contra legem ſupernaturalem, infirmari poteſt amittendo ſalutem ſupernaturalem, & etiam amittendo ſanitatem, & integritatẽ naturalem. Amittit quidem ſalutem ſuper naturalem cùm deficit ab integritate debita in ordine ad finem ſuper naturalem, cùm ſe privat actibus proportionatis ad finem ſuper naturalem. Amittit vero ſanitatem, & integritatem naturalem, quando deficit ab integritate vitæ naturalis, privando ſe actibus debitis, & vita conformi ad finem, & legem naturalem. Poterit ergò anima ſanari dupliciter, & ſanitate naturali, quæ conſiſtit in integritate vitę conformis ad legẽ naturalem, quæ acquiritur per actus virtutum naturalium: & ſalute ſupernaturali, quæ conſiſtit in integritate vitæ ſupernaturalis conformiter ad finem, & legem ſupernaturalem.

Hoc

62 Hoc ſuppoſito, ſic impugno ſolutionem: actio poſitivè honeſta, inquantum talis, debet regulari doctrina ſana per ſe: ſed iuxta ſolutionem doctrina invincibiliter errans non eſt doctrina ſana per ſe: ergò actio poſitivè honeſta, vt talis, non poteſt regulari doctrina, ſeu conſcientia invincibiliter erranti: ergò actio per talem doctrinam, & conſcientiam regulata, ſecundum quod per illam regulatur, non eſt poſitivè honeſta. Cætera patent, & maior probatur, quià actio poſitivè honeſta eſt per ſe, & poſitivè ſalutaris animæ; ſed omnis effectus per ſe, & poſitive talis petit cauſam per ſe talem: ergò actio poſitivè honeſta, inquantũ talis, debet regulari doctrina ſana per ſe. Explicatur: omnis actio poſitivè honeſta, inquantum talis, vel eſt honeſta honeſtate naturali, vel honeſtate ſupernaturali; ſed ſi eſt honeſta honeſtate ſupernaturali, exigit regulari doctrina ſupernaturali, quæ ſit per ſe ſana in ordine ſupernaturali, & ſi eſt honeſta honeſtate naturali, exigit regulari doctrina naturali, quæ ſit per ſe ſana in ordine naturali: ergò omnis actio poſitivè honeſta petit regulari doctrina per ſe ſana, & non tantum doctrina ſana per accidens. Minor quoad primam partem, conceditur à contrario. Quoad ſecundam vero patet ex prima; nàm ideo actio honeſta honeſtate ſupernaturali petit regulari doctrina ſupernaturali, quæ ſit ſana per ſe in ordine ſupernaturali, quià talis actio eſt ſalutaris per ſe ad ſalutem ſupernaturalem animæ: ſed actio poſitive honeſta honeſtate naturali eſt per ſe ſalutaris ad ſanitatem, & integritatem naturalem animæ: ergò actio poſitive honeſta honeſtate naturali petit regulari doctrina naturali per ſe ſana in ordine naturali.

63 Contra ſecundo, nàm doctrina errans invincibiliter circa legem ſupernaturalem, v g. qnæ proponit, vt præceptum lege ſupernaturali, quod revera eſt prohibitum lege ſupernaturali, nequit eſſe ſana in ordine ſupernaturali, ità vt poſsit reddere actum ea regulatum honeſtum honeſtate ſupernaturali; implicat enim actum ſupernaturaliter honeſtum regulari doctrina erronea, vt omnes fatentur; & tamen actum ea regulatum excuſaret à culpa contra legem ſupernaturalem: ergò doctrina, vel conſcientia invincibiliter errans contra legem ſupernaturalem excuſat actum à culpa contra talem legem, & non reddit ipſuum poſitive honeſtum honeſtate ſupernaturali. Iàm ergò datur conſcientia erronea in ordine ſupernaturali, quæ non reddit actum poſitivè honeſtum honeſtate talis ordinis, excuſat tamen illum à culpa in tali ordine. Ergò pariter datur conſcientia, ſivè doctrina errans invincibiliter contra legem naturalem, vel in ordine naturali, quę excuſet actum ea regulatum à culpa in ordine naturali, & non reddat illum honeſtum poſitive in tali ordine. Explicatur: quamvis aliquis invincibiliter exiſtimet per errorem aliquid eſſe honeſtum ſupernaturaliter, v g. credere quod Perſonæ Trinitatis ſunt quatuor, nõ ideo illud credens operabitur honeſte honeſtate ſupernaturali, excuſabitur tamen à culpa contra legem ſupernaturalem illud prohibentem: ergò pariter, ſi quis errore invincibili exiſtimet aliquid eſſe honeſtum honeſtate naturali, quod tamen eſt prohibitum, non ideo operabitur honeſte honeſtate naturali, licet excuſetur à culpa contra talem prohibitionem.

64 Contra tertio; nàm, dum inquis doctrinam naturalem invincibiliter errantem eſſe ſanam per accidens, vel ſenſus eſt quod eſt ſana per accidens ad ſanitatem naturalem animæ; vel quod ſolum eſt ſana per accidens ad ſanitatem ſupernaturalem, per ſe tamen ſana ad integritatem naturalem animæ conſervandam. Si primum, non ſolvis difficultatem, nàm cùm honeſtas poſitivè naturalis ſit ſanitas naturalis animæ, neceſſario indiget doctrina naturali ſana per ſe, à qua per ſe proveniat; & hęc nõ aſsignatur in doctrina invincibiliter errante, ſi ſolum eſt ſana per accidens. Si ſecundum, ſic argumentor: talis doctrina non eſt ſana per ſe ad ſanitatem naturalem animæ conſervandam: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur primo, quià doctrina invincibiliter erronea circa ſupernaturalia non eſt ſana per ſe ad ſalutem ſupernaturalem animæ: ergò doctrina invincibiliter erronea circa naturalia non eſt ſana per ſe ad ſalutem, ſeu ſanitatem, & integritatem naturalem animæ conſervandam. Secundo, doctrina inducens improportionem in actibus humanis naturalibus, non eſt ſana per ſe ad ſalutem naturalem animæ; ſicut medicina inducens improportionem in humoribus, & qualitatibus corporis, non eſt ſana per ſe ad ſanitatem corporis; ſed doctrina invincibiliter errans circa mendacium, v.g. inducit improportionem inter loquutionem, & conceptum mentis, qnæ eſt improportio inter actiones naturales hominis: ergò talis doctrina non eſt ſana per ſe ad ſanitatem naturalem animæ. Tertio: nàm ſanitas naturalis animæ conſiſtit in ejus conformitate cùm lege naturali in moribus, & vita; ſed conſcientia, & doctrina erronea circa mores naturales hominis tollit conformitatem realem animæ

mæ cùm lege naturali in moribus, & vita, & inducit diſconformitatem realem cùm ipſa, licet involuntariam: ergò non eſt ſana per ſe, ſed potius contraria ſanitati naturali. Minor patet, nàm doctrina erronea circà mores naturales, illa eſt, quæ dictat eſſe conformes legi naturali actiones, quæ revera illi contrariantur: ergò inducit contrarietatem reàem in moribus, & actionibus humanis ad legem naturalem.

Quarto: quià ſanitas naturalis, & integritas animæ conſiſtit in virtutibus naturalibus eam rectificantibus in ſuis operationibus per ordinem ad finem vltimum naturalem; ſed doctrina invincibiliter errans circa materiam virtutum naturalium, corrumpit virtutes naturales: ergò non eſt doctrina ſana in ordine ad ſanitatem naturalem animæ. Minor probatur: nàm doctrina per invincibilem errorem dictans, licitum eſſe Filio optare mortem Patris, & de illa gaudere propter hereditatem ex illa ſibi ſequutam, corrumpit virtutem naturalem pietatis erga parentes. Item doctrina, errore invincibili dictans, præceptum diligendi proximum ſolum obligare ad ſigna externa charitatis, non ad amorem internum, & cordialem ipſius, corrumpit veram virtutem charitatis naturalis. Item doctrina dictans errore invincibili, divites vix vnquam teneri ad elargiẽdam eleemoſynam ex ſuperfluis ſuo ſtatui, abſdubio corrumpit virtutem miſericordiæ in pauperes. Item doctrina dictans errore invincibili, licitum, & honeſtum eſſe comedere vſque ad ſatietatem propter meram voluptatem, deſtruit virtutem temperantiæ. Item doctrina dictans licitum eſſe recipere propter mutuum vſuras, deſtruit virtutem naturalem iuſtitiæ commutativæ. Item doctrina dictans per errorem invincibilem iudicem poſſe iudicare ſecundum opinionem minus probabilem, & electores poſſe eligere minus dignum, deſtruit virtutem naturalem iuſtitiæ diſtributivæ. Ac denique doctrina dictans delectationem moroſam in venereis non eſſe peccatum mortale, & dari materiam parvam in rebus venereis, corrumpit virtutem naturalem caſtitatis: ergò doctrina erronea circa mores naturales corrumpit virtutes naturales.

65 Confirmatur: nàm qui ex conſcientia invincibiliter erronea vſuras exigeret, mendacia proferret, nunquam eleemoſynã elargiretur, Patri mortem optaret, & de illa gauderet, iudicaret ſecundũ opinionem minus probabilem, eligeret minus dignum, comederetque vſque ad ſatietatem propter meram delectationem, nunquid haberet integras, & in corruptas virtutes morales naturales? Nunquid eſſet iuſtus, miſericors, verax, pius, & temperatus? Quis hoc dicat? Ergò doctrina, & conſcientia erronea non conſervat, ſed potius corrumpit integritatem virtutum moralium.

66 Dices forſam, ex M. Serna, doctrinam erroneam ſolum eſſe ſanam, quando eſt in materia opinabili, de qua non poteſt haberi certitudo evidens, nec infalibilis per fidem divinam. Sed contra eſt primo: ergò, ſi erret doctrina in materia improbabili, exiſtimando, v.g. mendacium ad vitandum damnum proximi eſſe licitum, aut furtum ad dandam eleemoſynam, eſſe honeſtum, vel iuramentum falſum eſſe in aliquo caſu obligatorium, & alia huiuſmodi: qui ex tali conſcientia operatur, non operabitur honeſte, & laudabiliter, ſiquidem tunc operatur ex doctrina, & conſcientia non ſana. Et tamen, ſi errat invincibiliter, excuſabitur à culpa: ergò falſum eſt vniverſaliter, quod qui operatur ex conſcientia invincibiliter erronea, non ſolum excuſatur à culpa, ſed eius opus redditur poſitivè honeſtum. Secundo, quià prædicti errores, & plures damnati à Summis Pontificibus circa materiam virtutum moralium, erant in materia opinabili, de qua pro tunc erant opiniones inter AA. &, ſi credimus probabiliſtis, illi Authores errabant invincibiliter; & tamen illi errores, & illa doctrina non erat ſana, ſed potius ſcandaloſa, propterea enim damnatur: ergò falſum eſt quod doctrina invincibiliter erronea in materia opinabili ſemper ſit ſana.

67 Tertio, quià doctrina erronea, licet in materia opinabili, caveri debet, quià ſeducit illam credentes: ergò non eſt ſana. Reſpondet Serna, quod ſeducit ſe ductione involuntaria, & inculpabili, non culpabili, & voluntaria ſeductione. Item quod doctrina ſeducens in fide, & moribus cavenda eſt, quando caveri poteſt, non tamen, ſi caveri non poſsit; quando autem eſt invincibiliter erronea, caveri non poteſt. Sed contra: nàm doctrina ſana non eſt cavenda, & ſi caveri poſsit; ſed doctrina erronea eſt cavenda, quando caveri poſsit; ergò non eſt ſana, ſed nociva. Explicatur: ideo doctrina ſeducens ſeductione involuntaria non cavetur, quià caveri non poteſt: ergò non eſt ſana, ſed nociva. Probo conſequentiam, quià quod aliquis illam non caveat, nec vitet, quià non poteſt, non probat eam eſſe ſanam, ſed potius ex eo quod illam caveret, ſi poſſet, probatur eam eſſe nocivam; ſicut quod aliquis non poſsi

caver

cavere venenum, non probat venenum, eſſe ſanum, ſed potius ex eo quod illud caveret ſi poſſet, probatur eſſe nocivum: ergò. Rurſus: doctrina vere ſana non eſt involuntaria diligenti Deum; nàm diligens Deum voluntariè quærit doctrinam ſanam; ſed doctrina ſeducens ſeductione involuntaria, non eſt voluntaria diligenti Deum, ſed ei involuntaria, vt fatetur ſolutio. ergò non eſt verè doctrina ſana, ſed licet falſo exiſtimetur ſana, revera eſt nociva. Alia plura in huius confirmationem dicemus infra, probantes opinionem probabilem falſam non eſſe rectam regulam morum.

§. V.

Secunda concluſio explicatur.

68 DICO Secundo: *Licet conſcientia invincibiliter errans non reddat actum ea regulatum bonum, & honeſtum, ipſe tamen actus poteſt eſſe bonus, & honeſtus ſecundùm quid ex conformitate cum regulis univerſalibus veris, & rectis ſyndereſis.* Probatur primo: nàm actus volũtatis regulatus conſciẽtia erronea, v.g. actus, quo quis vult accedere ad eam, quam falſo iudicat ſuam, non ſolum regulatur per conſcientiam particularem erroneè dictantem, hanc eſſe ſuam, ſed per dictamen vniverſale ſyndereſis dictantis licitum eſſe cuilibet accedere ad ſuam; ſed talis voluntas, redduplicativè vt regulata à primo dictamine, ideo non eſt bona per conformitatem ad ipſum, quià tale dictamen eſt erroneum: ergò erit bona, prout regulata à ſecundo dictamine, quià ſecundum eſt rectiſsimum. Maior probatur, quià illa voluntas, non ſolum eſt voluntas accedendi ad ſuam in individuo, hoc eſt, ad hanc in particulari ſuam, ſed etiam eſt voluntas accedendi ad ſuam in ſpecie, ſeu in genere; ſed licet reguletur per dictamen particulare dictans hanc eſſe ſuam, quatenus eſt voluntas accedendi in particulari ad hanc ſuam, tamen quatenus vult accedere ad ſuam in genere, regulatur per dictamen vniverſale aſſerens licitum eſſe accedere ad ſuam in genere: ergò actus quo quis vult accedere ad ſuam, quam falſo iudicat ſuam, non ſolum regulatur per dictamen particulare erroneum, ſed per regulam vniverſalem rectam ſyndereſis.

69 Confirmatur: ſi Iacob, v.g. rogaretur: Cur accedis ad hanc? in acceſſu, quem habuit ad Liam; immediate reſponderet, quià licitum eſt cuilibet accedere ad ſuam, & hæc eſt mea: ergò in ſuo acceſſu regulatus fuit à duplici cognitione. Sed licet ſecunda eſſet erronea, & falſa, tamen prima eſt vera, & recta: ergò voluntas Iacob fuit regulata ab aliquo dictamine vniverſali vero, & recto, licet fuerit etiam regulata ab aliquo dictamine particulari falſo: ergò, licet per conformitatem ad dictamen falſum non potuerit evadere recta, tamen per conformitatem ad dictamen vniverſale rectum evaſit neceſſario recta.

70 Dices primo, actum voluntatis non regulari immediate vlla ex illis cognitionibus, ſed alia diverſa, nimirum hac, *Licitum eſt mihi accedere ad hanc.* Et ratio eſt, quià regula proxima actus voluntatis non ſunt præmiſſæ, exquibus formatur ſyllogiſmus practicus, ſed concluſio practica; duæ autem cognitiones à nobis poſitæ ſunt præmiſſæ, hæc autem eſt concluſio practica: ergò actus voluntatis non regulatur immediate illis duabus cognitionibus, ſed hac vltima tantum. Sed contra eſt, quià in hac vltima concluſione continetur illa duplex præmiſſa; illa enim concluſio, in qua conſiſtit conſcientia, nihil aliud eſt, quam ſcientia vniverſalis dictans eſſe licitum cuilibet accedere ad ſuam applicata huic ſingulari individuo. Syllogiſmus enim ille non aliter formatur, quam formando dictamen vniverſale, collocando ſub illo ſubiectum particulare, & deducendo ipſam vniverſalem, vt contractam, & particularizatam ad hoc ſingulare. Vnde concluſio continet dictamen vniverſale, vt applicatum, & contractum ad particulare individuum. Hoc autem ſuppoſito, patet concluſionem illam eſſe quidem falſam ex parte applicationis, quià falſo applicatur illa regula vniverſalis, *Licitum eſt cuilibet accedere ad ſuam*, huic particulari caſui, in quo hæc non eſt ſua; non tamen eſſe falſam ex parte vniverſalis applicatæ, ſed potius rectam, & veram. Ex quo iterum patet, quod illa concluſio, ſivè conſcientia eſt erronea ex parte applicationis, ſed recta ex parte ſcientiæ vniverſalis applicatæ; nàm illa conſcientia formatur, & regulatur proximè ex ſcientia vniverſali dictante eſſe licitum accedere ad ſuam, & ex particulari dictante hanc eſſe ſuam; ſed prima eſt recta, ſecunda erronea: ergò conſcientia illa, licet ſit erronea quatenus regulatur ex minori falſa, non tamen eſt erronea, ſed recta, quatenus regulatur ex maiori recta, & vera.

71 Explicatur: illud dictamen vniverſale, *Licitum eſt homini accedere ad ſuam*, poteſt eſſe regula operis, cum ſit dictamen verè practicum: ergò vel mediatè, vel immediatè. Si immediatè, ſequitur

iàm

iàm quod actus reguletur immediatè per dictamen rectum, quià illud dictamen vniverſale rectum eſt. Si mediante concluſione particulari, ſivè ſingulari, vt vult ſolutio: ergò immediatè regulat concluſionem ſingularem, vt ea mediante regulet actum: ergò concluſio particularis ſecundum quid eſt recta. Probo hanc conſequentiam: quod regulatur immediatè per regulam rectam, ſecundum quod per illam regulatur, non poteſt non evadere rectum per conformitatem ad ipſam; ſed illa concluſio, & conſcientia immediatè regulatur per regulam vniverſalem rectam: ergò ſecundum quod cùm illa conformatur, & per conformitatem ad ipſam evadit neceſſario recta.

72 Dices: conſcientiam illam regulari per illam regulam vniverſalem mediante particulari minori falſa, & vt determinata per illam. Sed contra eſt, quià propriè loquendo, licet concluſio, ſivè conſcientia non reguletur per maiorem vniverſalem, niſi, vt determinatam per minorem particularem, falſum tamen eſt, quod reguletur à maiori vniverſali mediante minori particulari. Et ratio eſt, quià minor particularis minimè regulatur per maiorem vniverſalem, nec maior vniverſalis regulat minorem particularem, aliàs ſicut maior vniverſalis eſt recta, ità minor eſſet recta, & vera, vtpote regulata per regulam rectam. Solum igitur maior vniverſalis determinatur, & contrahitur per minorem particularem, & ſic determinata, & contracta regulat, vel conſtituit concluſionem, ſeu conſcientiam: quæ quidem, quod ſit erronea habet ex minori falſa; ex maiori tamen vera neceſſario evadit ſecundum quid recta.

73 Contra ſecundo; quamvis demus quod maior vniverſalis regulet, & influat in conſcientiam media minori particulari, tamen negari non poteſt quod conſcientia participat aliquid rectitudinis ex maiori vniverſali vera, licet vt infectum per falſitatem minoris particularis; ſed eo ipſo conſcientia illa, licet ſimpliciter ſit erronea, neceſſario evadit ſecundum quid recta: ergò conſcientia illa, licet erronea ex minori falſa, eſt tamen recta ſecundum quid ex maiori vniverſali vera. Maior probatur, quià ſic influit maior vniverſalis mediante minori particulari in concluſionem, ſicut cauſa vniverſalis mediante particulari in efectum; ſed quando cauſa vniverſalis eſt benè diſpoſita, & indeficiens ex ſua parte, licet cauſa particularis ſit indiſpoſita, & defectuoſa, effectus participat aliquid bonitatis ex cauſa vniverſali, licet ex cauſa particulari contrahat malitiam, & pravitatem, vt aperte colligitur ex à nobis dictis tract. de Provid. q. 20. à num. 12. Ergò licet maior vniverſalis vera, & recta influat in concluſionem practicam, ſivè in conſcientiam media minori particulari erronea, hoc non tollit quod conſcientia participet aliquid rectitudinis ex maiori vniverſali recta.

74 Dices: ex hoc ſequi, quod illa concluſio, ſeu conſcientia ſimul ſit falſa, & vera; recta, & erronea, quod manifeſtam implicationem includit. Reſpondeo, ſolum inferri quod ſit vera practicè, & recta ſecundum quid, & quod ſit erronea, & practicè falſa ſimpliciter, & abſolute; in quo nulla invenitur implicatio; ſicut nulla eſt implicatio in eo quod actus aliquis voluntatis ex conformitate ad aliquas regulas moris habeat aliquid bonitatis, & rectitudinis, & conſequenter ſit rectus, & bonus ſecundum quid, licet ſimpliciter pravus ex diſconformitate ad alias regulas moris, vt colligitur ex à nobis dictis loco citato à num. 29. & dicemus tractatu de bonitate, & malitia, vti expreſsũ in D. Th.

75 Sed dices iterum: hoc verificari in bonitate, vel malitia actus voluntatis, quià illa non conſiſtit in indiviſibili, ſed in conformitate ad plures regulas rationis, quæ neceſſario eſt diviſibilis, quià poteſt ſalvari conformitas ad vnam regulam cùm diſconformitate ad aliam, & ideo poteſt ſalvari bonitas ſecundum quid cùm malitia ſimpliciter; atamen veritas conſiſtit in indiviſibili, ideoque iuſta communem ſententiam Thomiſtarum, non poteſt dari vna propoſitio verior alia; àc proinde non datur locus, vt concluſio practica ſecundum quid ſit recta, & vera, & ſimpliciter falſa. Reſpondeo primo, quod veritas practica conſcientiæ, quæ eſt idem àc rectitudo illius, etiam conſiſtit in divibiſili, ſicut bonitas moralis actus voluntatis. Nàm ſicut bonitas actus conſiſtit in commenſuratione ad plures regulas rationis, ità veritas practica, ſeu rectitudo conſcientiæ conſiſtit in commenſuratione ad plures regulas rationis, & non ad vnam tantum. Et ideo ſicut in actu voluntatis poteſt remanere conformitas cùm aliquibus regulis rationis, deficiente conformitate cùm alijs, vt expreſsè docet D. Thom. q. 2. de malo art. 12. ità in conſcientia poteſt remanere conformitas cùm aliqua, vel aliquibus regulis rationis, ſtante diſconformitate ad aliam, vel ad alias. Et hoc licet veritas ſpeculativa conſiſtat in indiviſibili, quià conſiſtit in conformitate ad vnicum obiectum, & non in conformitate ad plures regulas moris.

Se-

76 Secundo reſpondeo, quod cùm dicitur, quod veritas conſiſtit in indiviſibili, eſt ſermo de veritate ſimpliciter, & abſolute, & in ſenſu, quo aſſertio dicitur vera abſolute, & ſimpliciter; & de hac fatemur quod conſiſtit in indiviſibili, quià conſiſtit in adæquata, & totali commenſuratione cùm obiecto; & hæc commenſuratio adæquata, vt adæquata, conſiſtit in indiviſibili, & non admittit magis, & minus. Et in hoc ſenſu fatemur conſcientiam non poſſe eſſe ſimul rectam, & erroneam, veram, & falſam, ſed potius dicimus quod vt ſit ſimpliciter recta, & vera, debet habere conformitatem cùm omnibus regulis moris adæquatam, ita vt, deficiente conformitate cùm vna ſola, deficiat eius rectitudo ſimpliciter, & iàm ſit ſimpliciter erronea. Non tamen intelligendum eſt, quod veritas ſecundum quid conſiſtat ſemper in indiviſibili, quià ſic ſumpta non conſiſtit in conformitate adæquata cùm toto obiecto, ſed in conformitate cùm aliqua parte obiecti, vt ſi quis diceret: *Vmbra eſt clara*, abſolute, & ſimpliciter falſum diceret; at non ex toto, ſed ſecundum quid haberet eius dictum veritatem, quià vmbra habet aliquid claritatis: & hæc veritas ſecundum quid non conſiſtit in indiviſibili, quià poteſt obiectum ſecundum plures, vel maiores partes, vel ſecundum paucio res, vel minores actui correſpondere, vt ſi vmbra magis haberet de claritate, dictum aſſertum magis haberet de veritate ſecundum quid; & ſi minus, minus. Et hæc propoſitio: *Quatuor homines currunt.* Si ſolum tres currant, ſimpliciter, & abſolute non erit vera, ſed falſa; ſecundum quid tamen magis erit vera, quam ſi duo tantum currerent, & in hoc caſu magis haberet de veritate ſecundum quid, quam ſi vnus tantum curreret.

77 Et quidem omnes fatentur, quod falſitas non conſiſtit in indiviſibili, ſed poteſt eſſe maior, aut minor. Quando igitur actus aliquis intellectus erit magis falſus, & quando minus? Sane tunc erit magis falſus, quando magis deficit ei de conformitate cùm obiecto; & tunc minus, quando magis retinet de conformitate: ergò in actu falſo non deficit totaliter conformitas, ſed remanere poteſt plus, minuſve conformitatis cùm obiecto. Hæc autem conformitas derelicta non eſt veritas ſimpliciter, & abſolute, quià non eſt adæquata conformitas, ſed ſolum eſt veritas ſecundum quid. Sic igitur concluſio practica, ſeu conſcientia apud omnes poteſt eſſe magis, vel minus erronea, & tanto magis eſt erronea, quanto minus retinet de conformitate cùm regulis morum: & tanto minus, quanto magis retinet de tali conformitate: non quod talis conformitas reſidua ſit ſimpliciter rectitudo conſcientiæ, aut conſtituat conſcientiam ſimpliciter rectam, ſed ſolum ſecundum quid. Nàm conſcientiam eſſe ſimpliciter rectam fatemur quod conſiſtit in indiviſibili, ſcilicet in conformitate adæquata cùm omnibus regulis morum. At eſſe ſecundum quid rectam, poteſt eſſe penes magis, & minus, hoc eſt, penes conformitatem ad plures, vel pauciores regulas rationis.

78 Si denique dicas, ſequi ex hoc, quod vel illa conſcientia dicenda eſt ſecundum quid recta, & ſecundum quid tantum erronea, vel ſimpliciter recta, & ſimpliciter erronea. Dico, quod eſt ſimpliciter erronea, & ſecundum quid recta. Sed dices, ſicut habet aliquid conformitatis, & non eſt totaliter conformis, ita habet aliquid diſconformitatis, & non eſt totaliter diſconformis: ergò non eſt maior ratio, cur ſolum ſecundum quid ſit recta, & non ſolum ſecundum quid ſit erronea. Reſpondeo eſſe maiorem rationem, nimirum illud commune proloquium deſumptum ex Dioniſio de divinis nominibus, & toties repetitum à D. Thom. *Quod bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu.* Cùm enim denominatio erronei ſit mala, & denominatio recti ſit bona, vt conſcientia aliqua ſimpliciter, & abſolute ſit recta, debet habere rectitudinem ex integra cauſa. At vero vt ſit ſimpliciter erronea, non requiritur falſitas ex integra cauſa, ſed ſufficit ex quocumque defectu conformitatis; vnde cùm ex aliqua parte deficit conſcientiæ conformitas cùm aliqua regula moris, non dicitur ſecundum quid, ſed ſimpliciter erronea, quià erroneum dicitur ex quocumque defectu. Quando verò habet aliquid conformitatis ex aliqua parte, & cùm aliqua regula moris, non dicitur ſimpliciter recta, quià rectum ſimpliciter dicitur ex integra cauſa, ſed tantum manet recta cùm addito ſecundum quid.

79 Ex quibus, iàm infero, quod cùm conſcientia, vel prudentia dictat hic, & nunc aliquid eſſe agendum, licet dictamen illud ab vna, vel altera regula diſcordet, dicetur quidem ſimpliciter erroneum, tamen fere ſemper manebit ſecundum quid rectum, penes conformitatem cùm alijs regulis prudentiæ, & conſcientiæ. Quod explicari poteſt aliquibus exemplis, primo ex D. Thom. quæſt. 2. de malo art. 10. vbi ait, in peccato commiſsionis, *Semper remanere aliquid de ordine rationis, vt ſi aliquis comedat, quando non debet, poteſt remanere*

nere in illo actu, quod comedat vbi debet, nec poteſt, actu remanente, totaliter ordo rationis tolli. En igitur exemplum. Supponamus quod invincibiliter ignorans diem præſentem eſſe diem abſtinentiæ, dictet ſua conſcientia, & prudentia hic, & nunc comedere carnem, eſſe licitum; ſane hoc dictamen poteſt eſſe conforme regulis rationis præſcribentibus quantitatem determinatam, locum, finem, & alias circunſtantias; ſi nimirum dictet comedendum in quantitate temperata, in loco honeſto, & propter finem congruæ ſuſtentationis, erit tamen diſconforme regulæ præſcribenti *quando*, quià lex dictat non eſſe comedendam hodie carnem, & contra hanc regulam dictat conſcientia hic, & nunc eſſe comedendam carnem. Vnde tale dictamen conſcientiæ, & prudentiæ evadit ſimpliciter erroneum per defectum conformitatis cùm vna regula, quià erroneum ſimpliciter dicitur ex quocumque deflectu; manet tamen ſecundum quid rectum penes conformitates ad alias regulas præſcribentes quantitatem moderatam, finem honeſtum, locum debitum, &c.

80 Hoc idem explicatur in exemplo de accedente ex errore ad non ſuam, quo errore iudicat eſſe ſuam. Hic enim poteſt accedere propter finem debitum, ſcilicet procreandi filios, & in loco, & tempore debito, & cùm alijs debitis circunſtantijs: ergò dictamen dictans hic, & nunc accedere ad hanc, poteſt eſſe conforme regulis præſcribentibus finem, locum, aliaſque circunſtantias debitas, & conſequenter haberet aliquid rectitudinis, licet ſit erroneum ex obiecto, iudicando per errorem illam eſſe ſuam. Item illud dictamen dictat, non ſolum accedere ad hanc, in quo fallitur, ſed etiam, & potiori titulo dictat honeſtum eſſe accedere ad ſuam, propterea enim dictat vt honeſtum accedere ad hanc, quià principalius dictat accedere ad ſuam honeſtum eſſe; ſed licet erret in primo, in ſecundo autem conformatur cùm regula vniverſali dictanti cuilibet eſſe licitum accedere ad ſuam: ergò illud dictamen, quamvis erroneum ſimpliciter, conſervat aliquid rectitudinis per conformitatem ad aliquam, vel aliquas regulas rationis.

81 Ex qua doctrina, iàm liquido patet noſtra ſecunda concluſio. Nàm actus voluntatis regulatus conſcientia erronea, licet ex conformitate cùm illa, in eo in quo erronea eſt, non poſsit evadere rectus, vt ſatis ſuperque demoſtratum relinquimus in prima concluſione, tamen ex conformitate cùm illa, in eo in quo recta eſt ſecundum quid, ſivè in eo quod habet rectitudinis, ſeu ex conformitate cùm alijs regulis rationis rectis, & veris, habere poteſt aliquem ordinem rationis, & aliquam bonitatem, & rectitudinem moralem; nàm vt inquit D. Thom. *Actu remanente, non poteſt totaliter ordo rationis tolli*: ergò actus procedens ex conſcientia erronea invincibili, licet per conformitatem ad ipſam, vt erroneam, non habeat rectitudinem, nec bonitatem, tamen eſt bonus per conformitatem ad alias regulas rectas.

82 Sed replicabis principaliter: nàm actus procedens ex conſcientia erronea vincibili, vel etiam elicitus contra conſcientiam, retinet etiam aliquid conformitatis cùm aliqua, vel aliquibus regulis morum iuxta doctrinam citatam D. Thom. Et tamen non dicitur bonus, nec honeſtus moraliter: ergò licet in actu regulato conſcientia invincibiliter errante maneat aliquid conformitatis cùm regulis morum, non ſufficit vt dicatur bonus, & honeſtus moraliter. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo, minorem: non dicitur bonus, & honeſtus moraliter ſecundum quid, nego minorem: ſimpliciter, & abſolute, concedo minorem, & diſtinguo conſequens eodem modo.

83 Sed contra dices: ergò non eſt magis bonus moraliter actus aliquis, quando procedit ex conſcientia invincibiliter erronea, àc quando procedit ex conſcientia vincibiliter erronea, aut contra conſcientiam. Et ècontrà, erit æque moraliter bonus, quando procedit contra conſcientiam, àc quando oritur ex conſcientia invincibiliter erronea. Hoc autem quis non videat eſſe abſurdum? Reſpondeo negando conſequentiam propter triplicem diſparitatem. Prima eſt: nàm dum actus procedit ex conſcientia invincibiliter erronea, illa bonitas, & rectitudo moralis, quam retinet ex conformitate ad aliquas regulas rectas, non eſt infecta malitia morali, & voluntaria, quià quamvis ſit adiunta defectui conformitatis cùm alijs regulis; ille tamen defectus non eſt in eo caſu malitia moralis, quià non eſt voluntarius, vtpote procedens ex conſcientia invincibiliter errante. Econtrà vero quando actus procedit ex conſcientia vincibiliter errante, aut contra conſcientiam, illud aliquid rectitudinis, & bonitatis moralis, quod retinet, invenitur infectum, & deturpatum malitia morali, nàm ad iungitur defectui conformitatis ad àlias regulas moris, quiquidem defectus eſt malitia moralis, vtpote voluntarius, & procedens contra conſcientiam, ſeu ex conſcientia culpabiliter erran-

errante. Cùm igitur actus, qui retinet aliquid bonitatis moralis, non infectũ malitia morali potiori titulo dicatur bonus moraliter, quàm actus retinens aliquid bonitatis moralis deturpatum, & infectum malitia morali; indè eſt quod in primo caſu, actus potiori titulo dicitur bonus moraliter, quàm in ſecundo. Et ècontra in ſecundo nequit dici æquè bonus moraliter, àc in primo. Nec obſtat quod in vtroque caſu ſit bonus moraliter ſecundum quid, nàm in primo eſt bonus moraliter ſecundum quid bonitate non infecta, nec deturpata malitia morali, in ſecundo verò ècontra, & ità ſemper eſt diſtinguendum, & explicandum.

84 Secunda diſparitas eſt, quod quando actus procedit ex conſcientia invincibiliter errante, licet adæquatè ſumptus ſolum dicatur bonus moraliter ſecundum quid, quià ſolum ſecundum quid eſt voluntarius; tamen reduplicative vt voluntarius, & ſecundum totum id, quod voluntarie habet, ſimpliciter eſt bonus moraliter, quià defectus conformitatis, & rectitudinis, quem contrahit ille actus, non convenit ei voluntariè, nec culpabiliter, ſed inculpabiliter, & involuntariè, àc proinde quatenùs eſt voluntarius, & in eo in quo eſt voluntarius, adæquatè, & totaliter dicit rectitudinem. Attamen, quando actus procedit cõtra conſcientiam, aut ex conſcientia culpabiliter errante, etiam in quantùm voluntarius nequit dici ſimpliciter bonus moraliter, quià adhuc inquantum voluntarius eſt, non eſt integrè conformis cùm regulis morum, ſed ſicut importat aliquid de conformitate voluntaria, ità etiam importat aliquid de diſconformitate voluntaria ad rectas regulas rationis; quià cùm defectus conformitatis, quem habet, incurratur contra conſcientiam, aut ex conſcientia culpabiliter errante, eſt diſconformitas voluntaria, & convenit actui inquantum voluntarius eſt. Cùm igitur ſit magis bonus moraliter actus, qui in quantum voluntarius, & ſecundum id, quod de voluntario habet eſt integrè bonus moraliter, quàm actus, qui etiam in quantum voluntarius eſt, & ſecundum id, quod voluntarie habet, non integrè, ſed ſolùm ſecundum quid eſt bonus moraliter, & ſimul malus moraliter malitia voluntaria, indè eſt quod in primo caſu actus dicitur magis bonus moraliter, quàm in ſecundo, & ècontra in ſecundo nequit dici, æquè bonus moraliter, àc in primo.

85 Tertia diſparitas eſt: nàm quando actus ille provenit ex conſcientia invincibiliter errante, provenit etiam ex bona intentione ſervandi veram Dei legem, à qua intentione honeſtatur ille actus, & denominatur extrinſicè moraliter bonus. Attamen, cùm talis actus elicitur ex conſcientia culpabiliter errante, aut cõtra conſcientiam, non provenit ex recta intentione ſervandi verã Dei legem, nec ex intentione rectadebiti finis; vndè tunc non honeſtatur ex fine, nec ex intentione recta. Cùm autẽ magis moraliter ſit bonus actus, qui honeſtatur ex fine, & ex intentione recta ſervandi veram Dei legem, quàm actus, qui ex tali fine, & intentione non honeſtatur, indè eſt actum illum, quando procedit ex conſcientia invincibiliter erronea, eſſe magis bonum moraliter, quam ſi procedat ex conſcientia culpabiliter erronea, aut contra conſcientiam.

§. VI.

Solvitur primum argumentum.

85 MIRVM Eſt quantum faciat doctrina præcedens ad argumentorum ſolutionẽ. Puto enim quod ex non conſideratione illius, M. Serna tam acriter invehitur in noſtram ſententiam, quod eam appellat improbabilem, & abſurdam. Immerito tamen, nàm præter fundamenta, & motiva ſuprà poſita, quæ illam probabiliſsimam reddere poſſent, adſunt pro illa Authores ſuprà citati, inter quos M. Ferre eam appellat expreſſam D. Thom. Cui adiungo SS. àc RR. P. M. Barthòlomeum Echinique, Præmoſtratenſis Familiæ in Congregatione Hiſpanica emeritiſsimum Generalem, in hac alma Vniverſitate Magiſterij Laurea decoratũ, & Chatedræ Philoſophiæ Anteceſſorem. Cuius de conſcientia originale M. S. ſorte, dum hæc dictantur, ad manus devenit: in quo gaviſus ſum, quod tantum virum Antiprobabiliſtam agere novi, tanto veritatis àc ſolidæ doctrinæ zelo, vt merito fama, qua inter vivos adhuc agit, & aget diù, maiorem eius ſapientiam iudicarim ex parvo illo opuſculo, quod inter alia, quæ dictata, & publica luce digna dereliquit, (morte dirâ tanti viri vitam, ſpemque maiorem præripiente celeriter) tantum diligenter evoluere potui. In eo igitur præſentem, quintamque in ordine excitat quæſtionem, & ingenuè noſtram ipſam tenet ſententiam, dicens eam expreſſam eſſe in D. Thom. Cuius, præter loca ſuprà relata, alia duo non contemnenda in noſtrum favorem adducit. Quorum primum eſt, 2. ad Anibald. diſt. 41. art. 4. in corpore, vbi hæc habet: *Poteſt actio eſſe*

in

inordinata, & tamen non eſt demeritoria, ſi omnino involuntariè fiat. Et ad primũ. *Quod licet actiones aliquæ habeant aliquam inordinationem ex ſe ipſis, ſecundum quod dicuntur bonæ, vel malæ ex genere, tamen bonitatem vel malitiam moralem, ſecundum quod ſunt meritoriæ vel demeritoriæ, laudabiles, vel vituperabiles, non habent, niſi ſecundum quod ſunt voluntariæ.* Sed huiuſmodi actiones de ſe inordinatæ, non voluntariæ, aliæ non ſunt, niſi, quæ procedunt ex errore invincibili, aut ex invincibili ignorantia talis inordinationis. Ergò tales actiones ità ſunt pravæ, & inordinatæ, quod non ſunt formaliter, & poſsitivè honeſtæ, nec laudabiles, licet excuſentur à culpa, à demerito, & vituperio.

Secundum eſt ex quæſt. 17. de veritate art. 4 in corp. vbi ſic ait: *Non igitur propter hoc conſcientia dicitur ad aliquid ligare, quia, ſi illud fiat ex tali conſcientia, bonum ſit, ſed quia, ſi non fiat, peccatum invenitur.* Nec dicas Div. Thom. loqui tantum de conſcientia invincibiliter errante. Nàm ibi ad quintum ſic ait: *Dicendum quod ex illo argumento non colligitur, quod conſcientia erronea non liget ad peccatum, ſed, ſi impleatur, excuſat a peccato:* Sed conſcientia erronea excuſans à peccato eſt erronea invincibilis: ergò loquitur de conſcientia invincibiliter erranti. Cur igitur dicitur improbabilis, & abſurda ſententia ità in Div. Th. expreſſa? Sed audiamus quid pro ſe Mag. Serna adducit contra noſtram ſententiam?

86 Primo arguit ex Div. Thom. quodlib. 3. art. 7. vbi, Serna referente, ſic ait: *Cùm actus recipiat ex obiecto ſpeciem, non recipit ſpeciem ab eo ſecundum materiam obiecti, ſed ſecundum rationem formalem obiecti, ſicut viſio lapidis non recipit ſpeciem à lapide, ſed à colorato, quod eſt per ſe obiectum viſus; omnis enim actus humanus habet rationem peccati, vel meriti, inquantum eſt voluntarius, obiectum autem voluntatis ſecundum propriam rationem eſt bonum apprehenſum, & ideo actus humanus iudicatur virtuoſus, vel vitioſus ſecundum bonum apprehenſum, in quod per ſe fertur voluntas, & non ſecundum materiale obiectum actus.* Sed qui invincibiliter iudicat mendacium v. g. eſſe bonum, & honeſtum, dum per actum voluntatis illum proſequitur, reſpicit obiectum bonum, & honeſtum, inquantum apprehenſum, licet materialiter ſit malum, & inhoneſtum: ergò actus voluntatis ad illud terminatus erit bonus, & honeſtus.

Vrgetur: actus voluntatis ſolum ſpecificatur à bono, provt apprehenſo, ſivè provt eſt in apprehenſione; nàm ſub hac tantum ratione eſt obiectum formale voluntatis: ergò ſolum ſumit ſuam bonitatem à bono, & honeſto in apprehenſione tali, non verò à bono, & honeſto in re: ergò, dummodo obiectum ſit bonum in apprehenſione operantis, actus erit bonus, & honeſtus, quidquid ſit de bonitate, vel malitia in re, quæ tantum de materiali ſe habet.

87 Reſpondeo primo, inſtando in actu voluntatis procedenti ex conſcientia vincibiliter errante, ſeu dictante mendacium v. g. eſſe honeſtum. Hic enim actus ſolum reſpicit pro obiecto bonum in apprehenſione; nàm intellectus pro tunc, licet vincibiliter, apprehendit mendacium, vt honeſtum, non verò vt malum, & inhoneſtum; ergò tunc actus voluntatis erit ſimpliciter honeſtus, quod omnes Theologi negant.

88 Nec ab hac inſtantia eximitur Magiſter Serna dicens: quod obiectum actus honeſti non eſt præcisè bonum apprehenſum, vt cumque, ſed bonum benè, & ſtudiosè proſequendum, quod non ſervatur in caſu conſcientiæ vincibiliter erroneæ. Nàm ego pariter dicam, quod obiectum actus honeſti non eſt bonum apprehenſum vt cumque, ſed bonum rectè, àc verè apprehenſum, quod non ſalvatur in conſcientia erronea, etiam invincibili; quià per illam, licet apprehendatur mendacium, vt honeſtum, non ſic apprehenditur rectè, ſed erroneè, nec verè, ſed falsò, & ideo non ſufficit bonum ſic apprehenſum ad reddendum actum moraliter bonum, & honeſtum, ſed requiritur apprehenſio recta, & vera; ſicut apud omnes requiritur apprehenſio ſtudioſa, & debita, ſeu bonum ſtudiosè apprehenſum. Nec enim eſt maior ratio, vt contrario liceat addere ad textum D. Thom. quod apprehenſio, de qua loquitur, debeat eſſe ſtudioſa, & nobis non liceat addere quod debeat eſſe recta.

89 Secundo reſpondeo prædicta verba Div. Thom. non haberi loco citato à Magiſtro Serna, nàm ille articulus 7. quodlib. 3. inquirit, *An Angelus influat in animam*, vbi nihil ad propoſitum præſens. Facta tamen inquiſitione, inveni prædicta verba articulo 26. eiuſdem quodlib. ad probandum quod actus voluntatis, tendentis in obiectum, quod per conſcientiam erroneam proponitur, vt malum, eſt malus; quià tunc, inquit: *Manifeſtum eſt quod voluntas fertur, per ſe loquendo,*

& formaliter in id, quod eſt contra Legem Dei, materialiter autem in id, quod ſecundum legem eſt, vel non contra legem. Ex quo ſolum ſequitur actum voluntatis non ſpecificari à bonitate, vel malitia invincibiliter latente in obiecto, quià hæc purè de materiali ſe habet, ac proinde ſolùm ſpecificari à bono apprehenſo ſecundum quod eſt, vel debet eſſe in apprehenſione: ità vt ſolùm poſsit dici virtuoſus ſecundum quod tendit in bonum apprehenſum, vt honeſtum, & vitioſus ſecundum quod tendit in obiectum, quod apprehenditur, vel deberet apprehendi, vt inhoneſtum Valdè autem diſtinguntur iſtæ duæ propoſitiones: *Actus voluntatis non ſpecificatur niſi à bono apprehenſo, ſecundum quod eſt in apprehenſione.* Et: *A bono apprehenſo ſecundum quod eſt in quacumque apprehenſione, actus voluntatis ſemper contrahit ſpeciem boni ſimpliciter talis.* Primã aſſerit D. Th. minimè autem ſecundam. Ad primam ſufficit quod actus voluntatis nunquam ſpecificetur in ratione boni moralis, ſeu virtuoſi, niſi ab honeſtate apprehenſa in obiecto, & hoc libenter fatemur.

Ad ſecundam opus erat, quod quandocumque actus voluntatis tenderet in bonum apprehenſum, vt honeſtum, neceſſario evaderet virtuoſus, & honeſtus ſimpliciter; hoc autem minimè affirmat Div. Tho. imò expreſsè negat, locò à nobis ſuprà expreſſo. Et ratio omnium eſt; quià licet ſit omnino requiſitum, vt actus evadat ſimpliciter honeſtus ab honeſtate obiecti, quod obiectum apprehendatur, vt honeſtum per rationem, & hoc aſſerat Div. Thom. tamen non ſufficit quod obiectum quocumque modo apprehendatur, vt honeſtum, vt actus evadat ſimpliciter honeſtus, ſed requiritur quod apprehendatur per rationem veram, & rectam, vt honeſtus: & hoc etiam aſſerit ipſe Div. Thom. non ſolùm loco citato, ſed etiam in 6. Ethicor. lect. 2. vbi cum Philoſ. ſic ait; *Quià igitur ad electionem concurrit, & ratio, & appetitus, ſi electio debeat eſſe bona, oportet quod ratio ſit vera.* Itemque in hac 1.2.q.19.art.1. ad primum, ſic ait: *Voluntas non ſemper eſt veri boni, ſed quandoque eſt apparentis boni, quod quidem habet rationem aliquam boni, ſed non ſimpliciter conuenientis ad appetendum, & propter hoc actus voluntatis non eſt bonus*, intellige, *ſimpliciter.* Non ergò ſufficit bonitas falsò apprehenſa ad ſpecificandum ſimpliciter actum in eſſe boni moralis.

Ex qua doctrina, facilè conceſſa tota Div. Thom. authoritate, diſtinguo minorem ſubſumptam; qui invincibiliter iudicat mendacium eſſe honeſtũ, amplectitur obiectum bonum, vt apprehenſum apprehenſione recta, nego minorem: apprehenſione erronea, concedo minorem, & nego conſequentiam. Et ad confirmationem diſtinguo antecedens: actus voluntatis ſolùm ſpecificatur à bono apprehenſo ſpecie mali moralis, quando tale bonum apprehenditur, vt prohibitum, concedo antecedens: ſpecie boni moralis ſimpliciter talis, ſub diſtinguo à bono rectè apprehenſo, concedo antecedens; à bono erroneè apprehenſo, nego antecedens. Et ſub eadem diſtinctione ad conſequentias dico, quod veriſsimum eſt voluntatem ſolùm ſpecificari à bono apprehenſo. Nàm bonum, quod in re eſt bonum; ſi non apprehendatur, vt bonum, omnino de materiali ſe habet ad ſpecificandum. Attamen ex hoc non ſequitur, quod ad reddendum actum voluntatis ſimpliciter, & poſitivè honeſtum, ſufficiat bonum apprehenſum vt cumque, ſed requiritur vltra, quod ſit ſtudioſè, & diligenter apprehenſum, vt bonum, iuxta contrarium: & in noſtra ſententia, quod ſit rectè, & non erroneè apprehenſum, vt bonum.

90 Sed contra replicabis: nàm Div. Thom. eodem modo loquitur de actu virtuoſo, & vitioſo, ait enim, *quod actus humanus iudicatur virtuoſus, vel vitioſus*, ſecundum bonum apprehenſum, in quod per ſe fertur voluntas, & non ſecundum materiale obiectum actus. Sed intẽtum D. Thom. quantum ad actum vitioſum non eſt præcisè, quod non denominetur malus, niſi à malo apprehenſo, ſed etiam quod à bono apprehenſo ſub ratione mali neceſſario actus evadat vitioſus, & malus: ergò pariter, quantum ad actum virtuoſum, intentum D. Th. eſt, non ſolum quod non poſsit ſpecificari in eſſe talis, niſi à bono apprehenſo, ſed etiam quod ab obiecto in re malo, apprehenſo tamen, vt honeſto, neceſſario, & ſemper evadat actus virtuoſus, & honeſtus.

Confirmatur; nàm dum actus voluntatis tendit in obiectum re ipſa prohibitum, quià apprehenditur, vt honeſtum, ille actus vnicè ſpecificatur ab honeſtate apprehenſa in obiecto, minimè autem ab inhoneſtate invincibilitèr in ipſo latente: ſed ab illa honeſtate non poteſt contrahere aliam ſpeciem, niſi ſpeciem boni moralis: ergò talis actus evadit ex ſua ſpecie bonus moraliter.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: eodem modo quoad aliquid, concedo maiorẽ, quod ad omnia, nego maiorẽ, & conſe-

ſequentiam; nam ſimilitudo ſervatur in eo, quod tàm actus virtuoſus, quam vitioſus, ſemper ſpecificantur à bono, vel obfecto apprehenſo, in quod per ſe fertur voluntas, ità, vt ſi tale bonum, vel obiectum, in quod per ſe fertur voluntas, ſit ſimpliciter honeſtum, actus erit ſimpliciter bonus, & virtuoſus, ſi autem ſit malum ſimpliciter, & inhoneſtum, actus erit ſimpliciter malus, & vitioſus. Diſparitas autem eſt, quam aſſignat D. Thomas loco à nobis ſuprà expenſo, *Quod ad hoc, vt dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit vel quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, vel quod apprehendatur, vt malum; ſed ad hoc vt ſit bonum ſimpliciter, requiritur quod vtroque modo ſit bonum; quià bonum ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu.* Et art. proximè citato ait, quod bonum apparens habet *rationem aliquam boni, ſed non ſimpliciter convenientis*

Ex quo ad confirmationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem; ſed ab illa honeſtate non poteſt contrahere aliam ſpeciem, niſi ſpeciem boni moralis ſecundum quid, concedo minorem: niſi ſpeciem boni moralis ſimpliciter talis, nego minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu. Ad hoc enim vt actus evadat ſecundum quid bonus moraliter, ſufficit quod per ſe tendat in honeſtatem veram, quàm falsò applicat, ſeu apprehendit in tali obiecto, vt ſuprà vidimus, vndè ab illa honeſtate actus ſpecificatur in eſſe boni moralis ſecundum quid, inquantum ſcilicet eſt bonum moraliter ex ſuo genere tẽdere per ſe inhoneſtatem moralem verã. Hoc tamen non ſufficit, vt evadat honeſtus, & virtuoſus ſimpliciter, nec vt ſpecificetur in eſſe boni moralis ſimpliciter talis, nàm ad hoc opus erat quod tenderet in obiectum ſimpliciter honeſtum, & bonum; quod quidem minimè verificatur in noſtro caſu; nàm obiectum illud falsò apprehenſum, vt honeſtum, licet ſecundum quid ſit honeſtum, ſcilicet ſecundum honeſtatem apprehenſam, quàm obiectivè importat, ſimpliciter tamen non eſt honeſtum, nàm ad hoc opus erat iuxta D. Thom. non ſolùm quod apprehenderetur, vt verè honeſtum, ſed etiam quod re ipſa eſſet honeſtum; quià bonum ſimpliciter tale ex integra cauſa dicitur. Vel etiam dici poteſt, quod ille actus non eſt ſimpliciter voluntarius, ſed ſolùm ſecundum quid; quià, ſcilicet, ſolùm eſt voluntarius ſecundum quod tendit in honeſtatẽ verã, quàm falsò applicat obiecto prohibito, non verò ſecundum quod tendit in obiectum in re prohibitum, cui falsò applicat honeſtatem verã, cùm potius eo quod per ſe amat honeſtatẽ verã, ſit omnino prætèr, vel contra eius intentionem tendere in illud obiectum, quod revera eſt prohibitum. Eo autem ipſo quod actus ille ſolùm ſit voluntarius ſecundum quid, tantum poteſt contrahere ſpeciem boni moralis ſecundum quid talis. Quod ſi velis inferre, quod etiam actus tendens in obiectum revera honeſtum, apprehenſum vt prohibitum, erit etiam malus tantum ſecundum quid, non ſimpliciter. Negabo conſequentiam, quià malum ſimpliciter, & abſolutè dicitur ex quocumque defectu, & non eſt neceſſum quod ex omni capite proveniat malitia. Vel melius negabo ſuppoſitum, quià malum, eo ipſo quod ſit ſecundum quid, ſeu ex aliquo capite malum, eſt malum ſimpliciter, & abſolutè.

91 Obijcies: actus cadens ſub præcepto, & conſilio, eſt actus honeſtus, & virtutis; ſed plures actus procedentes ex errore invincibili, cadunt ſub præcepto, & conſilio, ſuppoſito tali errore: ergò tales actus ſunt boni, & honeſti. Minor probatur exemplis: primo, quià fide humana aliquis exiſtimans Petrum eſſe ſuum Patrem, ex præcepto divino, & naturali tenetur eum honorare, & ità præceptum eſt de honorandis parentibus modo humano, & fallibili cognitis. Secundo: quià audiens Miſſam tenetur adorare Hoſtiam, quæ elevatur à Sacerdote, quanvis contingere poſsit, quod Hoſtia non ſit conſecrata re ipſa. Tertio: quià Iudex tenetur damnare Innocentem, quem tamen eſſe Reum conſtat ex allegatis, & probatis, maximè, ſi Iudici ex alia parte non conſtet de innocentia Rei, imò, quanvis conſtet, vt docet Div. Thom. 2. 2. q. 66. art. 2. Quarto; nàm ſubditus tenetur obedire Prælato, præcipienti iuxta opinionem probabilem, & ſi ſubditus teneat oppoſitam ſententiam, tenetur deponere ſuam conſcientiam, & obedire, & tunc elicit actum obedientiæ virtuoſum, & honeſtum; & tamen opinio, & conſcientia Prælati poteſt eſſe falſa, & erronea: ergò actus regulatus conſcientia erronea poteſt eſſe bonus moraliter, & virtuoſus. Quinto; quià peccatori fingenti paupertatem, & eleemoſynam petenti ad permanendum in ſuis peccatis, neganda eſt, iuxta illud Eccleſiaſt. *Da bono, & non recipias peccatorem.* Et tamen, ſi huic paupertatem fingenti aliquis bona fide tribueret eleemoſynam, laudabiliter, & meritoriè operaretur, aliàs fideles, ne meri-

tum perderent, tenerentur prius inquirere vitas, & mores pauperum, contra expreſſam doctrinam Chriſoſt. Auguſt. Ambroſ. Nazianz. Ciprian. Hyeron. Bernard. & aliorum locis ab ipſo Serna citatis: ergò qui, iudicans conſcientia erronea illum eſſe verè pauperem, ei tribueret eleemoſynam, faceret actum miſericordiæ, virtuoſum, & meritorium.

92 Sexto: quià Sacerdotes, & omnes fideles laudabiliter offerunt ſacrificium, & orant pro omnibus fidelibus defunctis; & tamen hæc oratio, aut ſacrificia procedunt ſæpe ex iudicio falſo, quo putant eſſe in Purgatorio eos, qui revera ſunt in inferno, vel in Cœlo: ergò. Septimo: quià meritoriè, & virtuosè corrigimus eos, quos neſcimus, àn ſint reprobi, pro eiſque oramus; & tamen hæc oratio, & correctio ſæpe procedit ex conſcientia erronea, qua iudicamus eos non eſſe reprobos, nàm, vt inquit Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 24. *Si ſciret Eccleſia de aliquo eſſe reprobum, non magis oraret pro illo, quàm pro his, qui ſunt in inferno*: ergò. Octavo: ipſi reprobi honeſtè, & laudabiliter ſperant ſuam beatitudinem, & illam à Deo petunt; & tamen hoc procedit ex conſcientia errronea; quià, ſi ſcirent rei veritatem, non poſſent ſperare beatitudinem: ergò. Denique in coniugatis ignorantibus nullitatem matrimonij, licitè, & honeſtè poſſunt petere, & reddere debitum, & ex iuſtitia tenentur reddere; & ſi id faciant ex motivo debito, poſſunt mereri, vt Iacob, cùm acceſsit ad Liam: ergò.

93 Reſpondeo imprimis, diſtinguendo maiorem: actus cadens ſub præcepto vero, & conſilio vero, eſt actus honeſtus, & virtutis, concedo maiorem: ſi tantum cadat ſub præcepto, & conſilio falsò exiſtimato, nego maiorem. Nàm etiam actus, procedentes ex conſcientia erronea vincibiliter, cadunt ſub præcepto falsò exiſtimato; & tamen non ſunt honeſti, & virtuoſi, vt omnes fatentur. Deinde, diſtinguo minorem: ſed plures actus, procedentes ex ignorantia, & errore invincibili, cadunt ſub præcepto, & conſilio vero, & realiter exiſtenti, nego minorem; ſub præcepto falsò exiſtimato, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nàm, ſi ſemel actus aliquis procedit ex conſcientia erranti, procedit ex conſcientia, iudicante vt præceptum, & conſiliatum quod revera non eſt præceptum, nec de conſilio; hoc autem non cadit ſub præcepto vero, & reali, ſed ſub præcepto falsò, & per errorem exiſtimato. Id autem minimè ſufficit, vt talis actus ſit virtuoſus, & honeſtus; aliàs enim actus procedentes ex conſcientia culpabiliter erronea, & obligante, eſſent honeſti, & virtuoſi, quià cadunt ſub præcepto falſo exiſtimato.

94 Deinde ad probationem minoris dico: exempla illa nihil probare contra nos. Ad primum enim reſpondeo, quod vel conſcientia in illo caſu, dictans Petrum eſſe honorandum, vt Patrem hic, & nunc, eſt erronea, vel non. Si non eſt erronea, ſed recta: ergò actus ille honorandi Patrem non erit rectus, & virtuoſus ex conſcientia erronea, ſed ex recta: ergò exemplum non eſt contra nos, qui ſolum negamus, actum poſſe eſſe virtuoſum ex conſcientia erronea. Si eſt erronea: ergò falſo exiſtimat teneri præcepto divino, & naturali illum honorare. Ergò falſum eſt, quod ille actus hic, & nunc cadat ſub præcepto divino, & naturali, vt contendit Serna: ergò vel exemplum non eſt ad rem, vel manifeſtam contradictionem implicat.

95 Deinde dicimus, quod non ſolùm adeſt præceptum divinum, & naturale honorandi Patrem verum, & naturalem, ſed honorandi Patrem, ſivè verum, & naturalem, ſivè putativum. Et id docuit Chriſtus Dominus verè honorando Div. Ioſephum, vt Patrem, licet tantum eſſet Pater putativus, quatenùs ab hominus putabatur Pater. Et id quidem non fecit Chriſtus ex conſcientia erronea, Chriſtus enim nunquam habuit conſcientiam erroneam: ergò nec in prædicto caſu ille, qui honoraret Petrum, vt Patrem, eo quod fide humana crederetur talis ab omnibus, non honoraret illum ex conſcientia erronea, ſed ex recta, dictante honorandum eſſe Patrem, ſivè putativum, ſivè naturalem: ergò prædictum exemplum non eſt ad rem, ſiquidem non eſt de actu procedenti ex conſcientia erronea.

96 Tertio, dato quod conſcientia in illo caſu eſſet erronea, dicimus quod ſolùm eſſet erronea applicativè circa materiam ſingularem virtutis, quià falsò applicaret præceptum de Patre honorando illi homini in ſingulari; eſſet tamen recta illa conſcientia circa obiectum ſpecificum virtutis pietatis, quià rectè dictaret Patrem in ſpecie eſſe honorandum; in hoc enim nullus eſt error. Ex quo ad ſummum ſequeretur, quod ille actus honorandi talem Patrem, eſſet materialiter defectuoſus, & non honeſtus circa illum Patrem in ſingulari, & prout talem hominem in individuo reſpiciebat. Cæterum hic defectus, vtpote involuntarius, non tolleret, nec deturparet rectitudi-

nem

nem, quàm ille actus haberet circa obiectum ſpecificum pietatis ex ratione recta dictante patrem ſpecificè eſſe honorandum.

97 Ad ſecundum eodem modo inſto: nàm vel eſt conſcientia erronea, quæ dictat hic, & nunc adorandam eſſe illam hoſtiam, vel non? Si non: ergo exemplum non eſt de adoratione ex conſcientia erronea, nec ad rem. Si eſt erronea: ergò falſum eſt, & erroneum quod ipſa dictat, nimirum, quod ſit præceptum, aut conſilium de illa hoſtia adoranda, vt contendit Serna. Deinde dicimus illam conſcientiam eſſe rectam circa obiectum ſpecificum, & formale adorationis, quià rectè, & veriſsimè dictat Hoſtiam Conſecratam in ſpecie eſſe adorabilem; eſſe tamen erroneam applicativè circa materiam individuam, quià falſo applicat rationem ſpecificam Hoſtiæ Conſecratæ huic hoſtiæ ſingulari, àc proinde actus ille adorationis, & voluntas illa adorandi eſt virtuoſa reſpectivè ad obiectum formale in ſpecie, licet ſit materialiter, & involuntariè defectuoſa reſpectivè ad obiectum ſingulare, & materiale adorationis: qui defectus non deturpat bonitatem illam, & rectitudinem, quàm habet ex ſua ſpecie, vt ità tollat quod ſit honeſta, laudabilis, & meritoria ſecundum illam rectitudinem.

98 Ad tertiam ſimiliter dico, non eſſe ad rem. Nàm conſcientia Iudicis condemnantis Reum, qui ſecundum allegata, & probata convincitur talis, licet revera ſit Innocens, non eſt conſcientia erronea vllo modo, ſed vndequaque recta iuxta Div. Thom. Et ratio eſt, quia ſi eſſet erronea, cognito errore, deberet deponi, & Iudex non poſſet damnare tunc Innocentem, vt patet in qualibet alia conſcientia erronea; at qui iuxta Div. Thom. ſi Iudex agnoſcat errorem, & ſciat Reum eſſe Innocentem, debet eum damnare, ſi iuxta allegata, & probata convincitur Reus: ergo conſciencia Iudicis in illo caſu non eſt erronea. Et ratio Div. Thomæ ibidem eſt, quià Iudex debet iudicare, vt perſona publica, & cùm exercet virtutem iuſtitiæ publicè vindicativæ, regula præſcripta à republica Iudici eſt tantum allegatio partium, & probatio teſtium. Dummodo igitur ſententiam ferat conformiter ad allegationem, & probationem, iudicat conformiter ad primam regulam ſibi præſcriptam, àc perconſequens conformiter ad propriam obligationem, & non per conſcientiam erroneam, ſed per rectam. Attamen regula nobis præſcripta pro conſcientia in moribus, & virtutibus eſt divina Lex, contra quàm nihil licet nobis determinare. Tunc igitur erit conſcientia erronea, quando dictet aliquid revera contrarium Legi Dei, quià tunc diſcordat à ſua regula: Et tunc ſolùm erit recta cùm concordat veræ Legi Dei, quià tunc concordat ſuæ primæ regulæ obiectivæ.

99 Sed dices: Lex Dei prohibet damnare Innocentem; ſed Iudex in prædicto caſu dictat damnandum eſſe Innocentem: ergò eius conſcientia dictat contra Legem Dei: ergò eſt erronea. Diſtinguo maiorem: prohibet damnare Innocentem in iudicio privato, concedo; in iudicio publico ſubdiſtingo: damnare Innocentem puplicè talem, concedo maiorem: Innocentem occultè, & iuxta allegata, & probata publicè Reum, nego maiorem, & dictincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Quià iuxta prædictam ſententiam Div. Thomæ, Lex Dei non prohibet damnare Innocentem in iudicio publico, qui iuxta allegata, & probata convincitur puplicè Reus; alias enim Iudex non poſſet licite illum damnare, ſi ei nota eſſet eius innocentia privatim, cuius contrarium docet D. Thom ibidem, & ſupponit Serna.

100 Ad quartum ſimiliter dico: quod conſcientia dictans ſubditum obedire debere Prælato præcipienti, in illo caſu non eſt erronea, ſed recta, quià prima regula obiectiva obedientiæ regularis eſt verum præceptum Prælati, & tunc dictamen de obediendo conformatur vero præcepto Prælati, & conſequenter, regulæ ſibi præſcriptæ; eſt igitur conſcientia recta. Quid ergò mirum quod actus ex illa regulatus evadat virtuoſus? Aut qualiter indè probatur quod conſcientia erronea reddit actum à ſe regulatum honeſtum, & laudabilem?

101 Similiter ad quintum dico quod in eo verè probatur conſcientiam in eo caſu dictantem eſſe dandam eleemoſynam abſque examine vitæ pauperis, eſſe conſcientiam rectam. Nàm, dùm prohibet dare eleemoſynam peccatori illam quærenti ad continuanda ſua peccata, ſimul prohibet indagare vitas alienas; & cùm divinæ Leges inter ſe non ſint contrariæ, debet vna intelligi compatibiliter cùm alia, & per aliam explicari. Lex igitur prohibens dare eleemoſynam illam quærenti ad peccandum, debet intelligi

conditionatè, ſi nimirum id per ſe appareat, aut ſit notorium, non verò, ſi ad id cognoſcendum ſit neceſſum examinare vitam petentis, ne talis lex opponatur alteri prohibenti examinare pauperis vitam.

102 Et quidem, adhuc admiſſo, quod conſcientia dandi eleemoſynam in illo caſu eſſet erronea, ſolum erraret ex parte obiecti materialiſsimi, nimirum, quantum ad ſubiectum præſeferens pauperatem, non autem quantum ad obiectum formale per ſe inſpectum à miſericordia in ſpecie, quod eſt ſublevare miſeriam alienam in genere. Conſcientia enim recte dictaret honeſtum eſſe ſublevare miſeriam alienam, licet in debitè applicaret rationem communem miſeriæ petenti ex malitia potius quàm ex miſeria. Error autem ille materialis, & leviſsimus contemnitur à charitate, quæ magis vult talem errorem incurrere, quàm vitis pauperum inſidiari; ſicut cùm dictat proximorum opera in bonum ferè ſemper eſſe interpretanda, quià licet ex hoc ſæpius incurrat errorem, & iudicium falſum, qui ſic iudicat; tamen ex contrario modo iudicandi poſſet contingere, licet raro, quod aliquem proximum infamaret falſa opinione; & charitas potius eligit in ſe ſæpè falli, quàm falſa opinione, licet raro, proximum infamare.

103 Ad ſextum ſimiliter dico; longe diſtare à noſtro propoſito, quià quanvis lex, vel conſilium dictet tantum eſſe orandum abſolutè pro defunctis, qui ſunt in Purgatorio, nulla tamen lex, ſeu conſilium prohibet orare conditionate pro omnibus fidelibus defunctis, & pro quocumque illorum, ſub conditione ſcilicet quod ſit in Purgatorio. Vndè conſcientia dictans ſic eſſe orandum pro aliquo fideli defuncto, nec materialiter quidem eſt erronea, quià ſolùm exigit ex parte materiæ, vel individui, pro quo exhibetur talis oratio, quod ſit fidelis defunctus, & dummodo verum ſit hoc, nec materialiter erret conſcientia. Nec obeſt, quod nemo pro tali defuncto oraret, ſi ſciret ipſum eſſe in Cœlo, vel in inferno; nàm hoc tantum probat, quod talis oratio procedat ex neſcientia, vel ignorantia de ſtatu talis defuncti, tanquam ex conditione præſuppoſita, non tamen quod procedat ex errore, quià vt quis oret pro aliquo defuncto, non eſt opus, quod determinate exiſtimet illum eſſe in Purgatorio, ſed ſufficit, ſi dubitet àn ſit, vel non, in Purgatorio; in quo quidem dubio nullus imbolvitur error. Vel ſufficit etiam ſi iudicet, quod attentis omnibus ſibi notis, non repugnat quod ſit in Purgatorio: quod iudicium non erit erroneum, ſed verum, etiam ſi contingat illum non eſſe in Purgatorio. Et, quod tale dubium, vel iudicium ſufficiat ad orandum pro illo, patet ex eo, quod dum Eccleſia orat pro aliquo fideli defuncto determinato, eius oratio eſt tacitè conditionata; ad orandum autem pro illo ſub tacita conditione quod ſit in Purgatorio, non requiritur iudicium determinatum de eo quod talis defunctus exiſtat in Purgatorio, ſed ſufficit aſſignatum iudicium.

104 Ad ſeptimum pariter conceſſa maiori, nego minorem, quià ad corrigendum aliquem, vel ad orandum pro eo, non eſt neceſſarium iudicare quod ſit prædeſtinatus, nec determinatè negare quod ſit reprobus in mente divina, imò, nec de hoc cogitare, ſed ex his quæ intra ordinem creatum cauſarum ſecundarum conſpicimus, debemus ſpem concipere emendationis, iudicando, quod attentis omnibus, quæ intra talem ordinem videmus, eſt poſſibilis emendatio talis proximi; & ex hoc iudicio, quod nunquam eſt erroneum, ſed veriſsimum, poſſumus, & debemus intra noſtrum ordinem inferiorem ſolicitare orationibus, & correctionibus ſalutem eorum abſque omni iudicio erroneo, aut erronea conſcientia. Vide à nobis dicta tract. de provid. q. 18. num. 127.

105 Ad octavum, etiam nego minorem, quià pluſquam falſum mihi videtur dicere, quod actus ſpei ſupernaturalis, ſivè in reprobis, ſivè in prædeſtinatis, procedat ex conſcientia erronea; nullus enim actus ſupernaturalis poteſt ex conſcientia erronea, aut erroneo dictamine regulari: actus autem ſpei divinæ ſupernaturalis eſt, qui proindè ſolùm regulatur iudicio fidei divinæ, quæ nec de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe erronea, aut falſa. Nec obeſt, quod, ſi ſcirent reprobi rei veritatem, ſcilicet defuturitionem ſuæ beatitudinis, illam non poſſent ſperare, quià hoc ſolùm probat, quod ſpes illorum procedat ex neſcientia ſuæ reprobationis, tanquam ex conditione præſuppoſita, non vero quod procedat ex iudicio erroneo, quià non requiritur quod iudicent determinate ſe non eſſe reprobos in mente divina, ſed ſufficit

ficit, ſi iudicent quod, attentis omnibus nobis manifeſtatis intra noſtrum ordinem creatum, eſt probabiliter futura beatitudo; quod iudicium, non erroneum, ſed veriſsimum, & certiſsimum eſt.

106 Ad vltimum denique dico: in illo caſu conſcientiam eſſe erroneam ex parte obiecti materialis, cùm iudicat eſſe ſuam, quæ revera non eſt ſua; eſſe tamen rectum circa obiectum formale in ſpecie, quià vere, & recte iudicat, vt honeſtum accedere ad ſuam, & ei reddere debitum; àc proinde ille actus poſſet eſſe meritorius ſecundum quod concordat conſcientiæ, vt rectæ, non vero in quantum concordat eidem conſcientiæ vt erranti: vt in ſimili dictum eſt ſuprà de adorante hoſtiam, quam falſo putat conſecratam.

§. VII.

Solvuntur alia tria argumenta.

107 TERTIO Arguit M. Serna: ille actus eſt laudabilis, & bonus, qui non habet malitiam ex obiecto, & aliàs ſit bona intentione propter vltimum finem; ſed actus prohibiti, qui fiunt bona intentione ex errore invincibili, non habent malitiam formalem ex obiecto: ergò tales actus ſunt boni moraliter, & laudabiles. Diſtinguo maiorem: ille actus eſt bonus moraliter per conformitatem ad conſcientiam errantem, qui non habet, &c. nego maiorem: eſt bonus moraliter, & laudabilis per conformitatem ad alias regulas rectas, & veras, concedo maiorem, & minorem, & diſtinguo conſequens diſtinctione data. Fatemur enim quod tales actus ſunt boni moraliter ſecundum quod conformantur cùm regulis veris, & rectis, v. g. in quantum fiunt propter finem debitum, & cùm aliquibus circunſtantijs dictatis per regulas veras, & rectas. Et item inquantum etiam concordant cùm regulis vniverſalibus ſyndereſis. Attamen difficultas eſt, àn ſint boni moraliter, & laudabiles per conformitatem ad conſcientiam errantem, & inquantum ab illa regulantur; & hoc negamus, eſtque, quod deberet à contrario probari.

108 Quarto obijcies: iuxta Div. Thom. repugnat actus humanus indifferens in individuo: ergò omnis actus voluntatis humanæ, vel eſt bonus, vel malus in individuo; ſed actus voluntatis regulatus conſcientia invincibiliter erronea, non eſt malus moraliter in individuo; ergò eſt moraliter bonus, & honeſtus. Reſpondeo, cùm Magiſtro Ferre, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: omnis actus voluntatis in quantum voluntarius, concedo conſequentiam; omnis actus voluntatis in ea ratione in qua non eſt voluntarius, nego conſequentiam: & conceſſa minori ſubſumpta, diſtinguo vltimum conſequens: ergò eſt moraliter bonus, & honeſtus, ſecundum quod eſt voluntarius, & in ea ratione, in qua voluntarius eſt, concedo conſequentiam: in ea ratione in qua eſt involuntarius, nego conſequentiam. Nàm illa ſententia Div. Thomæ procedit ſolùm de actibus voluntatis inquantum ſunt formaliter humani, & voluntarij. nàm Div. Thomas non negat dari actum hominis, ſi non ſit formaliter humanus, indifferentem in individuo; actus autem hominis ſolùm eſt formaliter humanus inquantum voluntarius: àc perconſequens ex illa ſententia Div. Thomæ ſolùm ſequitur, quod actus quilibet hominis, in quantum voluntarius, ſit bonus, vel malus moraliter, non autem, quod ſit bonus, vel malus formaliter ſub ea ratione, ſub qua non eſt voluntarius. Actus autem voluntatis, procedens ex conſcientia invincibiliter erronea, ſimpliciter eſt involuntarius, & ad ſummum, ſecundum quod concordat aliquibus regulis rectis, eſt voluntarius. Vndè ſimpliciter, nec eſt bonus, nec malus moraliter; ſecundum quid autem, & in eo quod habet de voluntario, formaliter eſt bonus, & non indifferens.

109 Sed replicabis primo: implicat actus voluntatis non voluntarius: ergò ſolutio implicat in terminis. Diſtinguo antecedens, ſi procedat ex errore, & ignorantia, nego antecedens; ſecundum quod procedit ex cognitione vera, & recta, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et ratio eſt, nàm qui ex errore invincibili eligit ad finem bonum proferre mendacium, iudicans invincibiliter illud eſſe honeſtum, ità illud elegit, vt nullo modo illud eligeret, ſi ſciret eſſe inhoneſtum. Ex quo apertè ſequitur contra ſuam voluntatem illud eligere, & talem electionem eſſe involuntariam. Hoc patet in contractu matrimoniali, in quo, ſi vir v. g. credat per errorem invincibilem fœminam eſſe nobilem, & cùm hac falſa fide conſentiat in matrimonio, ità vt non conſentiret, ſi ſciret eſſe ignobilem, omnes fatentur quod talis conſenſus eſt ſimpliciter involuntarius,

adeò, vt matrimonium reddat invalidum; & tamen conſenſus eſt actus voluntatis: ergò non implicat actus voluntatis involuntarius ſimpliciter, ſi procedat ex errore, vel ignorantia volentis, præcipuè ſecundum quod tali errori concordat.

Sed replicabis ſecundo: quamvis voluntas proferendi mendacium procedat ex ignorantia turpitudinis, & inhoneſtatis ipſius mendacij, tamen procedit ex cognitione mendacij, vt honeſti: ergò licet illa circunſtantia inhoneſtatis, & turpitudinis in mendacio ſit involuntaria, quia ignoratur, honeſtas tamen non erit involuntaria, ſed voluntaria, quià cognita. Diſtinguo antecedens: tamen procedit ex cognitione ignoranci, & erronea mendacij, vt honeſti, concedo antecedens: ex cognitione recta, & vera, nego antecedens. Et diſtingo conſequens, quoad ſecundam partem: honeſtas tamen erit voluntaria ſumpta ſecundum ſe, & in communi concedo: vt per errorem applicata mendacio, nego conſequentiam; quià licet in eo caſu electio mendacij procedat ex cognitione ipſius, vt honeſti; hæc tamen cognitio eſt ignorantia, & error falſo applicans mendacio honeſtatem; vnde ipſum mendacium, & honeſtas, vt ipſi applicata per errorem, involuntaria ſunt reſpectu operantis, qui tantum intendit quærere honeſtatem vbi revera ſit, non autem vbi fictè invenitur, vti venitur in mendacio.

110 Sed iterum replicabis: iudicium, quo quis, facta debita diligentia ſciendi veritatem, iudicat hic, & nunc eſſe proferendum mendacium ad vitandum damnum proximi, non eſt contrarium, ſed conforme intentioni operantis: ergò nec actus voluntatis ex illo iudicio immediate procedens eſt involuntarius. Antecedens probatur, quià illud iudicium eſt, effectus illius intentionis, qua quis vult vitare damnum proximi; nàm ex illa movetur quis ad inquirenda media, & ad conſiliandum, & iudicandum, ità vt omnes actus ſequentes vſque ad executionem, & conſequenter iudicium de agendis, ſint effectus illius intentionis ab ea procedentes: ſed omnis effectus eſt conformis cauſæ, à qua procedit: ergò illud iudicium non poteſt eſſe contrarium, ſed potius eſt, conforme intentioni operantis. Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, quàm in ſui favorem adducit M. Serna, diſtinguo maiorem: illud iudicium eſt effectus per accidens illius intentionis, concedo maiorem: eſt effectus per ſe, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: omnis effectus per ſe eſt conformis ſuæ cauſæ, concedo minorem: omnis effectus per accidens, nego minorem, & conſequentiam. Nàm ille, qui intendit vitare damnum proximi ex charitate, intendit ſanè illud vitare per media reipſa honeſta, & legi Dei vere conformia, alias intentio non eſſet bona, ſi nimirum vellet vitare damnum proximi per fas, vel nefas. Ex illa autem intentione movetur ad inquirenda media reipſa honeſta, & ad hoc adhibet debitam diligentiam, vt nimirum vitet errorem, & iudicet ſecundum veritatem. Quod ſi adhuc, facta diligentia, contingat iudicium errare, iudicando vt honeſtum, quod revera eſt prohibitum, hoc ſanè iudicium non eſt effectus per ſe illius intentionis, ſed ſolùm per accidens, & ratione ignorantiæ ab ea procedens: effectus autem per accidens, procedens ab aliqua intentione, non debet conformari, nec proportionari cùm illa, vt multis exemplis probari poſſet. Sufficiat illud quod ſuprà expendimus de Patre venatore, qui ex intentione alendi filium, ſagittam immitteret verſus feram, falſo exiſtimatam, quæ revera eſſet eius filius. Sanè occiſio filij in illo caſu procedebat ex intentione alendi filium, & ex amore illius. Quis autem dicat occiſionem illam conformem fore illi intentioni, eique proportionatam? Quod quidem ideò ità contingeret, quià illa occiſio eſſet effectus purè per accidens illius intentionis. Ità ergò in noſtro caſu.

§. VIII.

Solvuntur alia, & explicatur qualiter ex bona intentione poſſit procedere electio deffectuoſa.

111 OBIJCIES Quinto: electio procedens ex recta intentione finis, v. g. ex charitate, & amore Dei, non poteſt non eſſe bona moraliter; ſed electio procedens ex conſcientia invincibiliter erronea, poteſt procedere ex intentione recta charitatis: ergò poteſt talis electio eſſe ſimpliciter honeſta, & bona moraliter. Maior probatur primo ex illo Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit*; ſed oculus ſimplex eſt bona intentio, & corpus eſt opus electum ex illa procedens: ergò ſi intentio eſt bona, totum opus evadit bonum. Confirmatur ex illo Matth. 7. *Arbor bona bonos fructus facit.* Et capit. 12. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.* Et Div. Auguſt. tract. 3. in prim.

prim. Epiſt. Ioan. ſic ait: *Radix eſt actus dilectionis: non poteſt de iſta radice, niſi bonum exiſtere. Recta autem intentio eſt dilectio charitatis, de qua ait Apoſt. Charitas non agit perperam*: ergò ex bona intentione charitatis non poteſt procedere, niſi actus bonus; ſed actus ex conſcientia erronea invincibili ſepè procedit ex radice charitatis, & conſequenter ex arbore bona, & ex bono theſauro cordis: ergò tunc eſt actus moraliter, & poſitivè honeſtus, & bonus. Confirmatur ſecundo: ex Chriſoſt. hom. 19. Imperf. vbi ait: *Ex propoſito bono, etiam quod videtur malum, bonum eſt, quià propoſitum bonum excuſat malum opus.* Sed actus regulatus à conſcientia erronea ex propoſito bono naſcitur: ergò eſt bonus.

112 Sed ad hæc omnia, quæ congerit M. Serna, facile reſpondeo; quod oculus vere ſimplex, quo totum opus redditur honeſtum, iuxta Bern. ſupra citatum, non eſt ſola bona intentio, ſed intentio bona cùm notitia veritatis, àc perconſequens, quod vbi oculus ſit ſimplex, opus evadit ſimpliciter honeſtum; tamen non ſemper vbi eſt bona intentio, eſt oculus perfectè ſimplex, quià deficit rectitudo conſcientiæ, ex qua iuxta Bern. integratur oculus ſimplex. Legantur eius verba ſupra expenſa.

113 Ad primam confirmationem poſſet etiam reſponderi, bonam arborem, bonum theſaurum cordis, & bonam radicem non eſſe ſolum bonam intentionem, ſi obſcuretur ignorantia veritatis, ſed compleri per veritatis notitiam, quod valde conſonat D. Bernardo, & veritati. Nam cùm bonitas, & rectitudo in humanis operationibus pendeat, non ſolum ex voluntate, ſed etiam ex intellectu, vbi ſola voluntas eſt rectificata per charitatem, ſed intellectus eſt male informatus per errorem, non poteſt eſſe adæquatà radix bonæ operationis, nec adæquatè compleri arbor bona, aut bonus theſaurus cordis, ſed ad hoc opus eſt, vt charitati in intentione adiungatur veritas in electione.

114 Sed, hoc omiſſo, diſtingo conſequens: ergò ex bona intentione nequit procedere per ſe, niſi actus bonus, concedo conſequentiam: nequit procedere per accidens, niſi actus bonus, nego conſequentiam. Et, diſtincta minori ſubſumpta, nego vltimam conſequentiam. Et ſimiliter ad verba Chriſoſt. dico, actum procedentem ex bono propoſito, ſecundum quod per ſe procedit ex illo, bonum eſſe, non vero inquantum procedit per accidens, & contra ipſum propoſitum: in eo autem, in quo concordat conſcientiæ erranti, non procedit per ſe ex bono propoſito, ſed pure per accidens, & præter intentionem proponentis. Nàm bene proponens non intendit conformari conſcientiæ erranti, alias intenderet contradicere veræ legi Dei; ſed ſolum intendit conformari conſcientiæ rectæ. Vnde non ſequitur, quod actus ille, in eo, in quo concordat conſcientiæ erranti, imò, nec ſimpliciter, & adæquatè, ſit bonus; quià in hac conſideratione non procedit per ſe, nec ex bono propoſito, nec ex radice charitatis, nec ex arbore bona, nec ex bono theſauro cordis, nec ex ſimplici oculo, ſed tantum ab his procedit per accidens.

115 Et quidem, magis repugnat quod ex ipſo Deo procedat actus malus, quam quod ex bona intentione charitatis actus non bonus; ſiquidem Deus magis, & potiori titulo eſt arbor bona, & bona radix, quam intentio charitatis; ſiquidem hæc eſt bona per participationem, Deus vero per eſſentiam eſt ipſa plenitudo bonitatis. Et tamen cùm eo quod Deus ſit radix, & arbor bona per eſſentiam, compatitur quod ex illo procedant, non per ſe, ſed per accidens, actus mali, & inhoneſti divinæ voluntati contrarij: ergò pariter quamvis intentio charitatis ſit bona arbor, & radix per participationem, poterit ex illa procedere per accidens actus moraliter non bonus, & non honeſtus.

116 Vt autem percipias, qualiter intentio charitatis recta, & bona ſit cauſa per accidens electionis defectuoſæ, notandum eſt ex dictis tract. de provid. quæſt. 19. à num. 54. quod cauſa per accidens reſpectu alicuius effectus, eſt illa, quæ cauſat, & intendit per ſe aliquid in effectu, cui per accidens, & præter intentionem ipſius adiungitur alia formalitas, vel denominatio, ratione alterius cauſæ concurrentis. Notandum eſt ſecundo, quod intentio charitatis ſolum intendit per ſe in omni ſua operatione conformari cùm conſcientia recta, ſivè cùm regulis rectis rationis, quià ſolum intendit operari conformiter ad veram Dei legem. Huic autem conformitati per ſe intentæ à charitate, quando intercedit ratio errans, coniungitur per accidens, & contra intentionem ipſius charitatis, conformitas ad conſcientiam errantem, ſeu quod idem eſt, deviatio à vera Dei lege. Ex quibus manifeſtè infertur, actum illum per accidens procedere ex intentione charitatis, vt conſcientiæ erranti conformem, licet ſecundum id quod habet de conformitate cùm regulis rectis, procedat per ſe ex illa.

117 Secundo explicatur: nàm voluntas per intentionem circa finem mo-

vet

vet ſe ipſam ad electionem particularem mediorum determinate, veluti cauſa vniverſalis movens particularem: notandùm autem eſt, quod cùm cauſa vniverſalis movet particularem, ſi particularis ſit defectuoſa ex parte ſuæ formæ, vel virtutis, motus particularis evadit defectuoſus, non quidem per ſe, ſed pure per accidens reſpective ad cauſam vniverſalem moventem, per ſe autem reſpective ad cauſam particularem defectuoſam, in quam reducitur talis defectus. Item notandum eſt, quod voluntas, vt regulata per iudicium erroneum ad electionem, eſt cauſa particularis defectuoſa, quià defectuoſe informata per tale iudicium, quod eſt forma apprehenſa voluntatis. Ex quo iàm ſequitur, quod quanvis intentio charitatis movens voluntatem ad electionem, tanquam cauſa vniverſalis, ſit recta, & bona, tamen electio ex illa procedens, evadit defectuoſa, ſivè non bona ſimpliciter, per accidens quidem, & contra intentionem charitatis, per ſe tamen reſpective ad iudicium erroneum: nàm ex regula errante, obliqua, & defectuoſa per ſe oritur motus ab ea regulatus obliquus, àc devius. Ex. g. ſagittator motu ſuo impellit ſagittam ad determinatum ſignum; ſi tamen ſagitta ſit tortuoſe, & oblique formata, in motu ſuo deviat à via, & fine preſcripto contra intentionem ſagittantis; quæ quidem obliquitas ſolum reducitur per ſe in formam obliquam ſagittę. Sic igitur intentio charitatis, de ſe rectiſsima, movet voluntatem, vt in electione, & executione tendat per viam mandatorum ad Deum, vt finem ſupernaturalem: quod ſi voluntas interdum regulatur, & informatur iudicio erroneo declinante à vera via divinæ legis, vtpote quando dictat mendacium eſſe viam iuxta legem Dei ad Deum, vt vltimum finem; tunc quidem motus electionis, & executionis oritur defectuoſus, obliquus, àc devius à via, & verò fine charitatis, contra intentionem ipſius charitatis, licet per ſe reſpectu iudicij erronei.

118 Sed contra hanc doctrinam replicabis primo: nàm ex ea videtur inferri, electionem regulatam conſcientia invincibiliter errante eſſe peccaminoſam, & pravam, & reipſa deviantem à fine charitatis; hoc nequit admitti, quià iuxta omnes excuſatur à peccato: ergò. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: videtur inferri illam electionem eſſe peccaminoſam, pravam, & deviantem à fine charitatis formaliter, & voluntariè, nego: materialiter, & involuntariè, concedo ſequelam, & nego minorem, quià quantum ad deformitatem, àc deviationem à divina lege, eadem eſt, quæ reperitur in electione mendacij, quando provenit ex conſcientia invincibiliter errante, àc quando ex conſcientia vincibiliter errante, imò, & quando eligitur contra conſcientiam, quià in quolibet ex tribus caſibus electio mendacij revera declinat à via divinæ legis, & à ſemita mandatorum. Diferentia ſolum ſtat in eo, quod quando mendacium eligitur ex conſcientia vincibiliter errante, aut contra conſcientiam, tunc deformitas, & deviatio talis electionis eſt culpabilis, & voluntaria, quià præcognita in re, vel in debito; & ideò tunc conſtituit talem electionem peccaminoſam formaliter. Attamen, quando procedit ex conſcientia invincibiliter errante, illa diſconformitas, & deviatio eſt involuntaria, & contra intentionem rectam operantis, quià nec fuit præcognita, nec debuit præcognoſci, & operans intendebat eligere conformiter ad legem Dei veram, & ideò excuſatur omnino à culpa, & à peccato formali, licet electio reverà maneat materialiter devia, & obliqua à lege Dei vera.

119 Replicabis ſecundo: intentio charitatis eſt ſupernaturalis, & à Deo Authore ſupernaturali procedens: ergò actus ex tali intentione procedens, etiam procedit à Deo, vt Authore ſupernaturali; ſed à Deo, vt Authore ſupernaturali, nequit procedere actus peccaminoſus, adhuc materialiter: ergò electio ex charitate procedens non eſt peccaminoſa, adhuc materialiter. Conceſſo antecedenti, diſtinguo primum conſequens: actus ex tali intentione procedens, ſecundum quod ex illa procedit per ſe, concedo: ſecundum quod ex illa procedit per accidens, nego conſequentiam, & diſtingo minorem ſubſumptam eodem modo. Nàm Deus, vt Author ſupernaturalis eſt cauſa per ſe intentionis charitatis, & per talem intentionem per ſe movet voluntatem ad eligenda media re ipſa conformia divinæ legi. Vnde ſi voluntas eligat talia media, illa electio per ſe, & immediate procedit ab intentione charitatis, & illa mediante, etiam procedit per ſe à Deo, vt Authore ſupernaturali. Si verò voluntas ex conſcientia invincibiliter erronea eligat mendacium revera contrarium divinæ legi, quià illud iudicat divinæ legi reverà conforme, tunc talis electio, inquantum legi Dei contraria, nec eſt per ſe intenta, nec per ſe procedit ab intentione charitatis, nec mediante illa per ſe procedit à Deo, vt Authore ſupernaturali, ſed per accidens procedit à charitate, & etiam mediante illa per accidens procedit à Deo,

vt

vt Authore ſupernaturali. Nullum autem reputamus inconveniens, quod à Deo, vt Authore ſupernaturali, procedat aliquis actus mediate, qui per accidens reſpectivè ad Deum ſit materialiter peccaminoſus, quià in tali caſu Deus, quantum eſt ex ſe, per ſe movet voluntatem motu rectiſsimo, & ſanctiſsimo charitatis, per ſe inclinante ad rectam electionem: quod ſi voluntas invenitur male informata ad electionem per iudicium erroneum, ex tali iudicio erroneo ſequitur per ſe electio obliqua, & devia, ad quam obliquitatem, & deviationem Deus per accidens omnino ſe habet, & pure permiſive. Sicut qui impellit ſagittam motu directo ad ſignum, quando ſagitta eſt male formata, cauſat motum obliquum, & deviantem omnino per accidens, & contra propriam intentionem ſagitantis, qui, quantum eſt ex, ſe imprimit motum directum ſagittæ ad ſignum, quem motum ipſa intorquet ratione propriæ obliquitatis ad aliud ſignum.

120 Tertio replicabis: ſaltèm ſequitur illum actum, ſecundum id, quod habet entitatis, & conformitatis, procedere à Deo, vt Authore ſupernaturali; ſed implicat Deum, vt Authorem ſupernaturalem, cauſare actum materialiter peccaminoſum, etiam quantum ad entitatem, alias Deus poſſet eſſe Author ſpecialis entitatis peccati: ergò actus ille non eſt materialiter peccaminoſus. Sequela probatur, quià per nos actus ille, ſecundum id, quod habet conformitatis ad regulas rectas ſyndereſis, & conſcientiæ, per ſe procedit ex intentione charitatis; ſed, in quantum per ſe procedit ex intentione charitatis, procedit à Deo, vt Authore ſupernaturali: ergò. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, ſequitur quod ille actus ſecundum id, quod habet conformitatis, procedat à Deo, vt Authore ſupernaturali immediate, nego ſequelam: mediate, ſubdiſtinguo, mediante motu vniverſalitèr ſe habente ad illum actum, concedo ſequelam; mediante motu ſpecialitèr, & particularitèr reſpiciente illum actum, nego ſequelam, & minorem in eodem ſenſu. Nàm imprimis fatemur, Deum non poſſe eſſe Authorem ſpecialem, aut cauſam particularem actus materialitèr peccaminoſi, etiam quoad entitatem, aut rectitudinem in illo remanentem: item quod Deus nequit eſſe Author ſupernaturalis immediatè talis actus. Cæterum bene poteſt, vt Author ſupernaturalis, immediatè cauſare in voluntate motum charitatis, quo voluntas vniverſaliter movetur ad eligendum, & operandum conformiter ad divinam legem; quod ſi ex tali intentione vniverſali mota voluntas, eliciat actum electivum particularem, materialitèr peccaminoſum, & contrarium divinæ legi, licet ſecundum quid conformem alijs legibus, & regulis vniverſalibus, ille quidem actus, ſecundum id quod habet conformitatis ad leges, & regulas vniverſales, procedit à Deo mediante motu charitatis, non tanquam à movente particulariter, & ſpecialiter ad illum actum, ſed tanquam à movente vniverſaliter per motum charitatis ad conformiter eligendum ad divinam legem in vniverſali. Ex quo ſequitur quod quidquid conformitatis cùm lege Dei vera invenitur in quocumque actu ex motu charitatis procedente, tribuendum erit Deo, vt Authori ſupernaturali movente vniverſaliter mediante voluntate ad omnem rectitudinem, & non aliter. Vbi diligenter eſt adverten dum, quod reſpectu ipſius actus charitatis Deus eſt motor, & cauſa ſpecialis; attamen per ipſum motum charitatis movet vniverſaliter ad rectam electionem mediorum; quià motus ipſe charitatis, qui ſpecialiter procedit à Deo, vniverſaliter reſpicit, & per modum cauſæ vniverſalis influit in electionem mediorum particularium.

121 Denique replicabis, ſeu potius interrogabis: vnde proveniat error in iudicio practico regulante electionem? Nàm cùm tale iudicium practicum ex intentione charitatis immediate deſcendat, & intentio charitatis, vtpote ſupernaturalis, non poſsit eſſe immediata cauſa erroris, videtur impoſsibile quod tale iudicium practicè erret. Reſpondeo, quod per intentionem charitatis movetur intellectus, vt inquirat, conſilietur, & iudicet de medijs ad finem charitatis perducentibus per viam divinæ legis; intellectus autem conſiliatur, & iudicat per ſyllogiſmum practicum ex propoſitione vniverſali practica, & minori particularizante illam vniverſalem, concludendo medium determinate eligendum. In hoc autem diſcurſu poteſt intellectus inculpabiliter errare, vel ex parte maioris vniverſalis, v.g. ſi invincibiliter iudicet mendacium eſſe proferẽdum, quando eſt vtile ad vitandum damnum proximi, & exinde ſubſumat: ſed hic, & nunc eſt vtile: ergò proferendum. Vel poteſt errare ex parte minoris particularis, ſi ſic practicè diſcurrat: omnis hoſtia conſecrata eſt adoranda; ſed hæc hoſtia hic, & nunc eſt conſecrata (ſupponamus re ipſa non eſſe conſecratam) ergò hic, & nunc eſt adoranda. Vel etiam poteſt errare defectu formæ ſyllogizandi; nàm iuxta D. Thom. tot modis poteſt contingere error in ſyllo-

giſ-

giſmo practico ; quot in ſpeculativo.

122 Quo ſuppoſito, dico , quod quantum ad præmiſſas poteſt error provenire , vel ex teſtimonio externo , pro tunc fide digno, vt ſi vir Theologus, aut Parrochus diceret Ruſtico eſſe licitum , & honeſtum mentiri ad vitandum damnum proximi: vel ex mala diſpoſitione, vel ordinatione ſpecierum: vel ex alio defectu naturalis luminis , ſeu ſcientiæ pro tunc invincibili. Itemque quantum ad formam ſyllogiſmi practici poteſt evenire aliquis defectus invincibiliter , pro tunc ignotus ex defectuoſa ordinatione terminorum. Nec obeſt , quod in tali diſcurſu practico intellectus moveatur immediatè à charitate; nàm ab illa movetur tantum vniverſaliter quoad exercitium , ſpecialiter tamen quoad ſpecificationem ab obiecto , ab ſpeciebus, & à lumine naturali, ex quibus poteſt deſcendere error in ipſo diſcurſu contra intentionem charitatis.

123 Obijcies ſexto : iudicium practicum dictans vt honeſtum , quod revera eſt prohibitum, non eſt contra intentionem charitatis: ergò eſt ei conforme: ergò practicè verum, nàm verum practicum ſumitur per conformitatem ad appetitum rectum, ſeu ad intentionem charitatis. Antecedens probatur, quià ideò eſſet contra intentionem charitatis, quatenus charitas intenderet in omnibus operari, & iudicare ſecundum veram legem ; ſed charitas hoc non intendit : ergò. Minor probatur : nàm intentio charitatis non eſt præſumptuoſa, & temeraria ; ſed præſumptuoſum , & temerarium eſt velle in omnibus agere, & iudicare ſecundum veram Dei legem : ergò id non intendit charitas. Minor probatur, quià præſumptuoſum , & temerarium eſt conari ad aliquid impoſsibile ; ſed nobis pro hoc ſtatu impoſsibile eſt iudicare in omnibus ſecundum veram Dei legem : ergò id velle eſt præſumptuoſum , & temerarium.

124 Confirmatur: charitas ſolum intendit ſervare Dei legem eo modo , quo eſt poſsibile homini illam ſervare ; ſed ſolum eſt poſsibile homini in omnibus ſervare legem Dei exiſtimativè, non verò legem Dei veram : ergò charitas ſolum intendit ſervare legem Dei exiſtimatam , non vero legem Dei veram. Tunc ſic, ſed ſtante conſcientia invincibiliter iudicante mendacium eſſe honeſtum, & de præcepto , iudicium dictans eſſe proferendum mendacium, dictat ſecundum legem Dei exiſtimatam: ergò dictat conformiter ad intentionem charitatis.

125 Reſpondeo ad argumentum, negando antecedens, ad probationem, nego minorem , ad eius probationem , conceſſa maiori, diſtingo minorem: præſumptuoſum eſt velle ſervare collectivè veram Dei legem , & iudicare ſemper collectivè ſecundum illam, tranſeat minor : velle in omnibus, & ſemper diviſivè , nego minorem. Ad cuius probationem , diſtinguo maiorem , præſumptuoſum eſt conari ad aliquid impoſsibile , eo modo quo iudicatur impoſsibile , concedo maiorem : alio modo, quo iudicatur poſsibile, nego maiorem: & diſtinguo minorem: nobis pro hoc ſtatu impoſsibile eſt ſervare veram Dei legem, & iudicare ſecundum illam in omnibus, & ſemper collective , tranſeat minor: diviſivè , nego minorem , & conſequentiam. Itaque in primis damus contrarijs, quod ſit nobis pro hoc ſtatu abſolute impoſsibile ſervare in omnibus collectivè veram Dei legem , & iudicare ſemper collectivè ſecundum illam , & ideò admittimus, quod hoc velle eſſet præſumptio, & quod charitas , vtpote humilitatis amica, id non præſumit , nec intendit. Et ſi forſam tam intenſa poſſet eſſe charitas, vt licet de humanis viribus penitus diffideret, de ſuo ſponſo tantum præſumeret, vt ſperaret ab ipſo , nec materialiter quidem circa eius legem vnquam errare potiſsime in materia gravi. Sed quidquid de hoc ſit, falſum eſt quod ſit impoſsibile nobis pro hoc ſtatu in omni, & pro omni caſu diviſive ſervare veram Dei legem , & ſecundum illam iudicare. Nàm idem eſt id eſſe impoſsibile in omni caſu diviſive , ac eſſe impoſsibile in quocumque caſu particulari. Falſiſſimum autem eſt, quod in quocumque caſu particulari ſit nobis impoſsibile ſervare veram Dei legem, & ſecundum illam iudicare: immo in quocumque caſu diviſivè id eſt poſsibile ; vnde velle ſervare veram Dei legem, & ſecundum illam iudicare in quocumque caſu particulari , ſivè in omni caſu diviſive, non eſt velle aliquid impoſsibile, nec eſt temerarium , & præſumptuoſum , & hac ſolutione vtitur D. Th. ad ſimile arg. 2. ad Anib. diſt. 42. art. 4. ad 1.

126 Sed dices : aliqui ſunt caſus particulares, in quibus homini eſt impoſsibile iudicare ſecundum veram Dei legem, vt ſunt caſus ignorantiæ invincibilis : ergò ſaltim in illis caſibus intentio charitatis non erit iudicandi ſecundum legem Dei veram. Diſtinguo antecedens: in illis caſibus eſt impoſsibile præter ſcientiam ipſius iudicantis , concedo antecedens : eſt impoſsibile in exiſtimatione ipſius iudicantis, nego antecedens , & conſequentiam : quià in caſibus ignorantiæ invincibilis , licet præ-

præter ſcientiam iudicantis, & ſit impoſsibile pro tunc iudicare ſecundum veram Dei Legem, non eſt tamen impoſsibile in exiſtimatione iudicantis, nàm iudicans ſecundum conſcientiam erroneam, nedum exiſtimat ſibi poſsibile iudicare ſecundum Legem Dei veram, imò exiſtimat ſe defacto iudicare ſecundum illam. Et ſicut non eſt præſumptuoſum, & temerarium exiſtimare in illis caſibus, tanquam ſibi poſsibile, iudicare ſecundum Legem Dei veram, ita non eſt præſumptuoſum, & temerarium id ipſum intendere per charitatem in illis caſibus.

127 Secundo, & melius, dico, quod, per ſe loquendo in, quocumque caſu particulari, poſsibile eſt ſcire veram Dei Legem, ſeu iudicare ſecundum illam, licet per accidens, ratione alicuius impedimenti, poſsit reddi impoſsibile. Quando autem aliquid per ſe eſt nobis poſsibile, licet aliquo in caſu per accidens, & præter ſcientiam, ſit nobis impoſsibile, bene poſſumus abſque præſumptione illud intendere in quolibet caſu particulari, quià probabile eſt, quod facta diligentia, illud aſſequemur. Hoc explicatur in Mercatore, qui in quocumque caſu particulari intendit accipere monetam veram, & reijcere falſam, & apparentem, quanvis poſsit pervenire caſus, in quo ſit illi impoſsibile ex aliqua circunſtantia, quià eſt illi poſsibile per ſe: & quià facta diligentia, vt in plurimum, invenit monetam veram, ideò in quocumque caſu particulari prudenter iudicat, quod facta diligentia non decipietur, idque intendit, & ſperat abſque temeritate. Item in Medico, qui ſemper debet intendere medicinam ſanativam in re, quamvis aliquando ex errore invincibili id ſit ei impoſsibile, quià videlicet, facta exacta diligentia, vt in plurimum non fallitur, ſed invenit medicinam in re congruam, & ideò in quocumque caſu particulari prudenter intendit, & ſine temeritate adhibere medicinam congruam in re. Sic igitur poſsibile nobis eſt, vt in plurimum, iudicare ſecundum Legem Dei veram, ita, vt in quocumque caſu particulari poſsimus prudenter ſperare, & intẽdere invenire veram Dei Legem, quià in cæteris caſibus, facta debita diligentia, fere ſemper invenimus veram Legem Dei, & raro fallimur. Ex quo facile diſtingui poteſt illud antecedens, quod ſcilicet in aliquibus caſibus particularibus nobis eſt impoſsibile iudicare ſecundum veram Dei Legem; concedendo quod eſt nobis impoſsibile per accidens, & præter ſcientiam, & intentionem noſtram, poſsibile tamen probabiliter, & per ſe.

128 Ex quo ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem: charitas ſolum intendit ſervare Legem Dei, eo modo quo nobis eſt poſsibile per ſe, attenta natura legis, & intellectus humani adiuti divina gratia, concedo: eo modo quo nobis eſt poſsibile per accidens, nego maiorem: & diſtinguo minorem: ſolum eſt poſsibile homini ſervare in omnibus Dei Legem exiſtimatam, per ſe, attenta ſcientia, & intentione noſtra, nego: ſolum eſt poſsibile per accidens in aliquibus, & raris caſibus præter ſcientiam, & intentionem noſtram contingentibus, concedo minorem, & nego conſequentiam. Quià, vt charitas prudenter intendat in quocumque caſu iudicare ſecundum veram Dei Legem, ſufficit quod, per ſe loquendo, attentis viribus gratiæ, & natura legis, illud ſit nobis poſsibile, idque vt in plurimum aſſequamur, facta ſufficienti, & debita diligentia, licet raro, & in aliquo caſu poſsit reddi impoſsibile per accidens, & præter ſcientiam noſtram, quià eo ipſo prudenter ſperare poſſumus in quocumque caſu particulari, quod iudicabimus ſecundum veram Dei Legem, & non decipiemur.

129 Sed dices: ergò nunquam poſſumus ſcire, quando iudicamus ſecundum Legem Dei veram, & quando ſecundum falſam, & conſequenter regula operandi erit nobis penitus ignota, quod abſurdum eſt. Conſequentia probatur: quià ſi in aliquibus caſibus poteſt per accidens falli noſtrũ iudicium circa Legem Dei veram præter noſtram ſcientiam, & intentionem, quomodo ſciemus quando fallimur, & quando non fallimur? Reſpondeo, diſtinguendo conſequens: non poſſumus id ſcire ſcientia evidenti, & infallibili metaphiſyce, concedo conſequentiam: ſcientia probabili, & aliquando fallibili, nego conſequentiam; quià nullum reputamus abſurdum, quod homo non poſsit ſcire evidenter, & omnino infallibiliter, quando iudicat ſecundum veram Dei Legem, aut quando fallitur, & quod hoc modo non ſit illi nota regula operandi, imò hoc iudicamus neceſſarium fragilitati humanæ naturæ; ſolum ergò requiritur, quod homo poſsit ſcire probabiliter, ſcientia aliquando fallibili, quænam ſit Lex vera Dei, & quando iudicet ſecundum illam.

130 Denique obijcies; ſuppoſita conſcientia invincibiliter dictante mendacium hic, & nunc eſſe honeſtum, iudicium dictans hic, & nunc eſſe proferendum, eſt iudicium prudens: ergò tunc proferre mendacium erit prudenter operari: ergò, & honeſtum poſitive. Antecedens

pro

probatur primo, quià illud iudicium non eſt in prudens: ergò prudens. Secundo, quià prudentia dictat eſſe faciendum, quod conſcientia iudicat, vt honeſtum invincibiliter; ſed tunc iudicat conſcientia invincibiliter mendacium eſſe honeſtum: ergò tunc prudentia dictat eſſe proferendum: ergò iudicium, hoc dictans, erit prudens.

131 Tertio: nàm tale iudicium procedit neceſſario ab habitu, & virtute prudentiæ; ſed ab habitu, & virtute prudentiæ non poteſt procedere, niſi iudicium prudens: ergò tale iudicium eſt prudens. Maior probatur primo. Nàm tale iudicium non elicitur ab habitu vitioſo imprudentiæ: ergò ab habitu, & virtute prudentiæ. Secundo, quià omne iudicium practicum de agendis, conceptum poſt exactam conſultationem, neceſſario elicitur à ſyneſi, quæ eſt pars prudentiæ bene iudicativa, àc ſententiativa de agendis: ſed prædictum iudicium concipitur poſt exactam conſultationem de agendis: ergò elicitur à ſyneſi, quæ eſt pars prudentiæ, & conſequenter à prudentia. Maior patet; quià nullus eſt alius habitus, cui incumbat iudicare de agendis poſt exactam conſultationem, niſi ſyneſis: ergò ſi tale iudicium de agendis concipitur poſt exactam conſultationem, elicitur à ſyneſi. Tertio: nàm, vt aliquod iudicium eliciatur à virtute prudentiæ, non exigitur neceſſario, quod ſit verum in re, ſed ſat eſt quod invincibiliter exiſtimetur verum in re: ſed illud iudicium, quanvis non ſit verum in re, invincibiliter tamen exiſtimatur tale: ergò elicitur à virtute prudentiæ. Maior probatur primo. Nàm prudentia non attingit ſuum obiectum cum certitudine metaphyſica, & omnino infallibili, cùm hæc certitudo non poſsit haberi de agibilibus ſingularibus; ſed ſolum cùm certitudine probabili, aut morali: ſed certitudo probabilis, aut moralis aliquando falli poteſt in re: ergò iudicium prudentiæ, vt eliciatur à prudentia, non exigit neceſſario ſemper eſſe verum in re, ſed poteſt falli in re. Secundo, quià obiectum prudentiæ non eſt verum in re, ſed probabile: ſed, vt aliquod iudicium eliciatur à prudentia, ſufficit quod attingat obiectum prudentiæ: ergò non requiritur quod iudicet verum in re; ſed ſufficit quod iudicet probabiliter, licet falſum in re.

(***)

§. IX.

Pro ſolutione præcedentis obiectionis, explicatur, qualiter debeat eſſe verum, certum, aut probabile obiectum prudentiæ.

132 PRO Præcedentis argumenti materia dilucidanda litigat M. Ferre in præſenti, quæſt. 6. de Prudent. contra Zella Dei, cum tamen, re bene inſpecta, in nullo fere ei contradicat Claritatis tamen gratia noto primo, prudentiam ex ſuo genere eſſe habitum intellectus practici iudicativum, & præceptivum de agendis in ordine ad finem honeſtum, àc debitum totius vitæ humanæ, id eſt, ad honeſtè vivendum in obſequium Dei. Et de hac prudentia agit latè D. Th. 2.2. à quæſt. 47. Ex quo ſuppono ſecundo, obiectum prudentiæ eſſe media eligibilia, & agibilia in ordine ad honeſtè, & piè vivendum. Sed quià circa hoc ratio errare poteſt, exiſtimando, vt media proportionata, & apta ad prædictum finem, quæ reipſa ſunt diſſona, & contraria, propterea oritur non levis difficultas, an obiectum prudentiæ ſit verum in re, vel ſolum in exiſtimatione invincibili operantis.

133 Suppono tertio, valdè diverſum eſſe, iudicium aliquod, vel eius obiectum eſſe certum, àc, eſſe verum. Poteſt enim contingere, quod aliquod obiectum ſit verum in re, quod tamen certum non ſit, ſed potius incertum operanti, àn ità ſit, vel non ſit in re; & ècontrà, poteſt eſſe certum, ſaltem moraliter, operanti, quanvis in re non ſit verum, ſed falſum. Ex quo valdè æquivocantur illi Authores, qui pro eodem exiſtimant verum in re, àc certum certitudine metaphyſica, & omnino infallibili. Licet enim omne, quod eſt ità certum, ſit verum in re; poteſt tamen eſſe verum in re, quin de illo ſimus certi tanta certitudine. Vnde immerito plures Authores imputarunt noſtræ ſententiæ Doctoribus, quod exigant ad rectè, & prudenter operandum certitudinem omnino infallibilem de honeſtate operis, eo præciſè quod dicunt requiri veritatem in re pro obiecto prudentiæ, cùm tamen hæc ſine illa, quam optimè ſalvari poſsit.

134 His ſuppoſitis dico primo. *Obiectum per ſe inſpectum à prudentia eſt verum practicum in re, ſivè quodlibet medium, vel agibile, vt re ipſa conforme fini rectè appetito, & præintento.* Patet aſſertum; nàm prudentia eſt virtus intellectualis practica: ſed virtus intellectualis practica neceſſario determinat intellectum ad verum practi-

cum

cum in re: ergò prudentia habet per ſe determinare intellectum ad verum practicum in re: ergò obiectum per ſe inſpectum à prudentia eſt verum practicum in re tale. Minor patet; nàm omnis virtus intellectualis ſpeculativa determinat intellectum ad verum ſpeculativum in re: ergò virtus intellectualis practica neceſſario debet determinare intellectum ad verum practicum in re. Secundo, nam prudentia non determinat intellectum indifferenter ad verum practicum, vel in re, vel in exiſtimatione tantum: ergò per ſe determinat intellectum ad verum practicum in re. Antecedens probatur; nàm prudentia iuxta Ariſt. 6. Ethic. non eſt opinio: ſed opinio eſt, quæ determinat intellectum ad verum, vel in re, vel in exiſtimatione tantum: ergò prudentia non determinat intellectum indiferenter ad verum practicum in re, vel in exiſtimatione tantum. Tertio, nàm prudentia iuxta Phil. 6. Ethic. cap. 5. eſt *habitus vera cùm ratione activus circa ea, quæ bona, & mala ſunt homini*; ſed vera ratio non eſt, niſi circa verum in re tale: ergò obiectum, circa quod per ſe tendit prudentia, eſt verum practicum in re tale. Quarto, nàm prudentia non eſt habitus, qui indiferenter inclinet ad dicendum bonum malum, & malum bonum: ergò tantum inclinat intellectum ad dicendum bonum, bonum, & malum, malum. Vide ſupra num. 30.

135 Dico ſecundo: *Obiectum prudentiæ non exigit eſſe certum operanti certitudine phyſica, aut metaphyſica, quæ ſit omnino infallibilis, ſed ſolum certitudine morali, aut probabili maiori, vel minori iuxta poſsibilitatem materiæ, circa quam exercetur.* Ità expreſſe D. Thom. pluribus in locis, & præcipuè 2.2. quæſt. 47. art. 9. ad ſecundum, vbi ex Phil. ſic ait: *Dicendum quod ſecundum Phil. in 1. Ethic. certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omnibus. Sed in vnaquaque materia ſecundum proprium modum. Quia vero materia prudentiæ ſunt ſingularia contingentia, circa quæ ſunt operationes humanæ, non poteſt certitudo prudentiæ tanta eſſe, quod omnino ſolicitudo tollatur.* Vnde Phil. in dicto loco apud D. Thom. lect. 3. ait: *Diſciplinati enim eſt in tantum certitudinem quærere ſecundum vnumquodque genus, inquantum rei natura recipit.* Sed iuxta ipſum D. Th. ibidem: *Manifeſtum eſt quod materia moralis eſt varia, & difformis, non habens omnimodam certitudinem.* Et item: *Talis eſt quod non eſt ei conveniens perfecta certitudo.* Quod idem aſſerit ibi Phil. dicens: *Quod in talibus groſsè, & figuraliter veritas eſt oſtendenda, ex his nimirum, quæ frequentius, & vt in plurimum accidunt*: ergò ex mente D. Th. & Phil. materia, circa quam verſatur prudentia, vel obiectum prudentiæ, nec poteſt, nec petit eſſe certum omnimoda certitudine, & infallibilitate, ſed ſolum certitudine morali, aut probabili maiori, vel minori iuxta qualitatem materiæ circa quam verſatur. Sed de hoc infra reddibit ſermo, eoque ab illic dicendis, nunc ſupersedeo.

136 Dico tertio: *Obiectum prudentiæ debet eſſe ad minus exercitè probabile operanti, quod ità ſit in re: non autem ſufficit quod ſit ei probabile ſignate.* Explicatur. Dupliciter poteſt aliquid eſſe mihi probabile: exercitè, & ſignatè. Tunc eſt mihi probabile exercitè, quando iudico probabiliter illud ità eſſe in re. Tunc verò eſt probabile ſignatè, quando iudico illud eſſe probabile, ſed nullo modo iudico illud eſſe verum in re, ſicut iudico diſtinctionem mediam ſcoticam, v.g. eſſe probabilem, non tamen probabiliter iudico illam eſſe veram in re, & ſic de alijs. Hac ſuppoſita diſtinctione, poſtea latius explicanda, probatur aſſertum. Nàm obiectum prudentiæ debet eſſe certum operanti, ſaltem certitudine morali, aut probabili, ità vt operans certus ſit quod agibile eſt conforme fini intento: ſed non poteſt operans ità eſſe certus, per hoc præcisè quod iudicet ſignatè eſſe probabile, quod illud agibile eſt conforme, ſi non iudicat probabiliter illud eſſe conforme in re: ergò non ſufficit probabilitas ſignate cognita, ſed adminus requiritur exercita, qua exercite iudicet probabiliter illud eſſe verum in re. Minor patet, nàm de pluribus obiectis, vel aſſertis iudicamus ſignate eſſe probabilia, de quibus tamen cenſemus eſſe falſa, aut dubitamus, àn ſint falſa, vel vera; probabilitas enim poteſt inveniri ſine veritate: &(vt ſolutioni tacitæ occurram) probabilitas practica ſine veritatè practica, ſicut probabilitas ſpeculativa ſine veritate ſpeculativa: ergò per hoc præcisè quod quis ſignate iudicet aliquid eſſe probabile, non eſt certus de eo quod ità ſit in re. Requiritur ergò probabilitas exercita, qua iudicet iudicio probabili, ità eſſe in re.

137 Sed obijcies, hæc tria aſſerta ſibi invicem repugnare. Nàm imprimis hæc duo vltima ſibi non cohærent, quo modo enim obiectum prudentię petit eſſe certum operanti, ſi ſufficit quod illi ſit tantum exercitè probabile? Reſpondeo optimè vtrumque cohærere; quià non diximus obiectum prudentiæ debere eſſe certum omnimoda certitudine, ſed ſolum certitudine morali, aut probabili: rectè autem cohæret obiectum eſſe certum moraliter,

liter, aut probabiliter operanti, & eſſe illi exercitè probabile, imò vtrumque in idem coincidit; nàm probabilitas exercita, de qua loquimur, eſt quæ exercetur in certitudine probabili, aut morali, pro vt in præſenti ſumitur.

138 Sed hinc oppones ſecundo: ideo diximus, quod probabile ſignatè non eſt obiectum prudentiæ, quià probabile ſignatè poteſt eſſe in re falſum; ſed etiam probabile exercitè poteſt evadere in re falſum: ergò probabile exercitè non eſt obiectum ſufficiens prudentiæ. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ideò præcisè, nego maiorem: ideò, & quià poteſt exiſtimari eſſe in re falſum in ſenſu compoſito probabilitatis ſignatæ, concedo maiorem: & diſtinguo minorem: probabile exercitè poteſt evadere falſum in re, & exiſtimari tale, nego minorem: & non poteſt exiſtimari falſum in re, concedo minorem, & nego conſequentiam. Probabile enim ſignatè poteſt in ſenſu compoſito probabilitatis ſignatæ exiſtimari falſum in re, vt oſtenſum manet, & ideò probabilitas ſignatè cognita nullomodo certificat intellectum de veritate in re, & propterea dicimus non eſſe ſufficiens obiectum prudentiæ. At probabile exercitè eſt id, quod invincibiliter, ſeu probabiliter exiſtimatur verum in re, cùm quo non compatitur quod intellectus dubitet, vel exiſtimet illud eſſe falſum in re; àc per conſequens intellectus manet certus probabiliter de veritate in re, & propterea obiectum ità certum, quanvis poſsit evadere falſum in re, ſufficit ad obiectum prudentiæ.

139 Oppones tertio: ſecundum, & tertium aſſertum non cohærere cùm primo, nàm certum probabiliter, aut moraliter eſt, quod poteſt evadere falſum in re: ſed verum in re non poteſt evadere falſum in re: ergò, ſi ſolum verum in re eſt obiectum per ſe inſpectum à prudentia, vt affirmat primum aſſertum, falſum eſt quod certum certitudine probabili ſit ſufficiens obiectum prudentiæ, quod aſſerit ſecundum aſſertum. Vrgetur: nàm ſi certum probabiliter ſufficit ad obiectum prudentiæ, omne certum probabiliter, quod conducat ad finem rectè intentum, erit ſufficiens obiectum prudentiæ; non enim eſt maior ratio, cur vnum certum præ alio ſufficiat, ſi vtrumque æquè eſt certum probabiliter. Hoc autem ſuppoſito, non poteſt dici quod ſolum verum in re ſit obiectum prudentiæ; nàm evidenter probatur, quod aliquando poſsit eſſe falſum in re, hoc ſyllogiſmo: Omne probabiliter certum eſt obiectum prudentiæ: ſed aliquando falſum in re eſt probabiliter certum: ergò aliquando falſum in re eſt obiectum prudentiæ.

140 Hoc argumentum coegit probabiliſtas, vt aſſererent obiectum prudentiæ non eſſe verum in re, nec prudentiam inclinare ad verum in re; ſed tantum ad verum in exiſtimatione invincibili prudentis. Alij vero, quorum potiſsimus eſt Zella Dei, aiunt quod non omne certum moraliter, aut probabiliter eſt obiectum prudentiæ; ſed ſolum quando eſt verum in re, non vero quando eſt in re falſum. Et hæc eadem controverſia æquo iure militat in ceteris virtutibus moralibus, àn videlicet iuſtitiæ obiectum debeat eſſe iuſtum in re, àn ſufficiat iniuſtum in re, ſed iuſtum in exiſtimatione; & in veracitate, àn obiectum eius ſit locutio vera in re, àn vera tantum exiſtimativè. Quid ergò ſentiam, iam declaro.

141 Dico quarto, perſiſtendo in primo aſſerto: *Quod prudentia per ſe inclinat ad verum in re, & ſimiliter iuſtitia ad iuſtum in re, temperantia ad cibum proportionatum in re, veracitas ad locutionem veram in re, & ſic de alijs virtutibus moralibus.* Probatur; nàm huiuſmodi virtutes neceſſario præexigunt ad ſuos actus, quod intellectus inquirat diligenter de obiectis earum, àn ſint talia in re, vel non, v.g. iuſtitia, antequam debitum reddat alicui, præmittit examen, àn illud ſit illi reipſa debitum, vel non. Temperantia cibum non ſumit, niſi præmiſſo diligenti examine, àn ille ſit re ipſa proportionatus, & conformis corpori alendo. Veracitas nihil loquitur, niſi præmiſſo diligenti examine, àn illud ſit verum in re, vel non. Ac denique prudentia nihil dictat agendum, niſi præmiſſa debita conſultatione, àn illud re ipſa ſit conforme fini intento, vel non. Sed hoc examen nulla virtus prærequireret, ſi non inclinaret ad ſuum obiectum, vt tale in re: ergò omnis virtus inclinat ad ſuum obiectum, vt tale in re. Minor patet; nàm examen illud ſolum præmittitur ad inveniendum obiectum proprium vnius cuiuſque virtutis: ergò ſi conſulitur, & examinatur, àn ſit, vel non ſit tale in re, ideò eſt, quià obiectum proprium, & per ſe inſpectum ab vnaquaque virtute eſt tale in re. Explicatur: virtus iuſtitiæ nihil facit, niſi quod invincibiliter ſibi proponitur, vt iuſtum in re, & ſimiliter temperantia cibum non ſumit, niſi quod iudicat invincibiliter eſſe temperatum in re, ſic de prudentia, & alijs: ſed quælibet virtus ſolum exigit, quod eius obiectum ſibi proponatur invincibiliter eo

modo

modo, & in eo ſenſu, quo debet eſſe eius obiectum, & non aliter: ergò quælibet virtus exigit ſuum obiectum, vt tale in re.

142 Secundo probatur; nàm idem eſt finis intrinſecus virtutis, eiuſque obiectum: ſed finis intrinſecus temperantiæ, v.g. non eſt conformare cibum cùm exiſtimatione propria, ſed conformare illum cùm exigentia corporis alendi: & finis intrinſecus iuſtitiæ non eſt reddere debitum ſolum in apprehenſione, ſed reddere debitum, quod re ipſa debetur; & ſic de alijs virtutibus moralibus, omnes enim virtutes morales intrinſecè ordinantur ad ponendam debitam proportionem, ſeu ad medium re ipſa tale in actionibus humanis: ergò obiectum per ſe inſpectum à talibus virtutibus eſt medium in re proportionatum, & non ſolum in exiſtimatione invincibili operantis. Minor probatur; nàm, ſi iuſtus exiſtimet invincibiliter aliquid deberi alicui, & propterea illud reddat, ſi poſtea invenerit illud non fuiſſe iuſtum, nec debitum in re, dolet ſe fruſtratum fine ſuæ iuſtitiæ: &, ſi temperatus invincibiliter exiſtimet menſuram aliquam cibi eſſe proportionatam, & poſtea inveniat eſſe exceſsivam, dolet ſe fruſtratum fine temperantiæ: &, ſi verax loquatur quod invincibiliter exiſtimat verum in re, & poſtea invenerit eſſe falſum in re, dolet ſe fruſtratum fine veracitatis. Ergò ſignum eſt, quod finis intrinſecus talium virtutum eſt iuſtum in re, temperatum in re, & verum in re.

143 Tertio probatur, quià virtutes morales determinant voluntatem ad bonum, ſicut virtutes intellectuales intellectum ad verum; ſed virtutes intellectuales determinant intellectum ad verum in re: ergò virtutes morales determinant voluntatem ad bonum in re. Alia plura in huius rei confirmationem adducere poſſem, ſed hæc ſufficiant: ex illis enim ſufficienter conſtat, obiectum prudentiæ eſſe verum practicum in re, & non ſolum in exiſtimatione invincibili iudicantis; nàm obiectum per ſe inſpectum à prudentia nihil aliud eſt, quam obiecta virtutum moralium, vt commenſuranda, & proportionanda fini honeſto totius vitæ humanæ: ſed talia obiecta ſunt bonum morale in re, vt probatum manet; nàm virtutes morales non ſunt contentæ cùm bono tantum in exiſtimatione invincibili operantis, quod non ſit bonum in re: ergò obiectum per ſe inſpectum à prudentia eſt bonum in re, vt commenſuratum fini honeſto totius vitæ humanæ; ſed hoc eſt verum practicum in re: ergò obiectum, quod per ſe reſpicit prudentia, eſt verum practicum in re, ſeu medium, vt re ipſa conforme fini debito.

§. X.

Explicatur àn, & qualiter prudentia poſsit ſubeſſe falſum?

144 NIHILOMINVS, Dico quinto: *Prudentia poteſt per accidens ſubeſſe falſum practicum in re, & cuilibet virtuti morali malum in re.* Eſt dicere, quod prudentia poteſt elicere iudicium practicum, quod per accidens, & involuntariè, ideſt, præter omnem ſcientiam, & intentionem eius, evadat falſum in re; & quod iuſtitia poteſt elicere actum, qui quidem ſimili modo evadat contrarius iuri in re: & temperantia actum, qui paritèr evadat intemperatus in re, & idem de alijs virtutibus moralibus. Probatur aſſertum, & ſimul cùm doctrina præcedenti conciliatur. Nàm licet prudentia per ſe determinet, & inclinet intellectum ad verum in re, & iuſtitia voluntatem ad iuſtum in re, non tamen cùm omnimoda infallibilitate, & totali certitúdine; ſed ſolum cùm certitudine morali aliquando fallibili per accidens; ſed hoc ipſo poteſt aliquando contingere quod prudentia, putans ſe dictare verum practicum in, re loco veri, dictet falſum in re, & ſimiliter quod iuſtitia, putans invincibiliter ſe agere conformiter ad ius in re, agat præter intentionem contra ius in re: ergò per accidens poteſt prudentiæ ſubeſſe falſum practicum, & iuſtitiæ in iuſtum, & ceteris virtutibus moralibus malum in re. Maior patet, nàm certitudo prudentiæ, vt monſtratum manet, non eſt certitudo metaphyſica omnino infallibilis, ſed ſolum certitudo moralis, aliquando fallibilis, vt monſtratum manet. Minor etiam patet; nàm, ſi certitudo prudentiæ eſt aliquando fallibilis: ergò prudentia poteſt aliquando falli in attingentia ſui obiecti, attingendo falſum, loco veri per ſe ab illa inſpecti.

145 Reſpondet Zella Dei, cui huiuſmodi aſſertum contrariatur, quod licet

licet prudens falli poſsit, non tamen prudentia, nàm quando prudens fallitur, non fallitur, nec errat ex influxu prudentiæ, ſed aliunde ex vitio erroris: ſicut fidelis poteſt errare circa fidem exiſtimando, v.g. Perſonas Divinas eſſe quatuor, ſi ità ſibi proponatur à Parrocho; tunc tamen non fallitur fides, nec errat ex influxu fidei, ſed vnice ex erronea propoſitione Parrochi.

Sed hanc paritatem, ſi ſermo ſit de fide divina, ſemper iudicavi improporcionatam. Primo quià fides divina tendit in ſuum obiectum cùm certitudine, àc firmitate omnino infallibili, etiam metaphyſicè, & cùm alias reſpiciat pro obiecto verum in re, & revelatum in re, reſpicit omnino infallibiliter, & infruſtrabiliter verum in re, àc proinde, nec per accidens, adhuc metaphyſicè, poteſt contingere quod fallatur, aut eius actus evadat falſus. Sed prudentia, iuxta ipſum Zella Dei, non tendit in ſuum obiectum cùm omnimoda infallibilitate, ſed ſolum certitudine morali fruſtrabili, & fallibili: ergò ob eandem rationem eius actus poteſt per accidens evadere falſus, ob quam actus fidei falſus evadere nequit. Secundo, nàm ideò actus fidei divinæ, nec per accidens poteſt evadere falſus, quià regula fidei divinæ eſt omnino infallibilis, nimirum revelatio divina, vt propoſita per Catholicam Eccleſiam: ſed regula prudentiæ, & virtutum moralium non eſt omnino infallibilis, quià eſt conſultatio exacta veritatis, & iudicium poſt maturam conſultationem conceptum, quod fallibile eſt per accidens: ergò idem quod prius.

146 Tertio, quià fidei divinæ actus, ideò repugnat meraphyſicè, quod per accidens evadat falſus, quià fides, vtpote virtus ſupernaturalis, ſpecialiter dirigitur à Deo Authore ſupernaturali, & non tantum generaliter, vb ab Authore vniverſali: ſed habitus, ſeu virtus naturalis, & acquiſita prudentiæ non exigit tam ſpecialem Dei aſsiſtentiam, & manutentionem. ſed ſolum aſsiſtentiam Dei Authoris naturalis, & vniverſalis ſe conformantis exigentiæ naturæ: ergò idem quod prius. Ex quo obiter in feres, à nulla virtute ſupernaturali infuſa poſſe procedere, adhuc per accidens, actum virtuti oppoſitum, nec ipſas poſſe fruſtrari ſuo fine intrinſeco, aut obiecto, eo quod ſunt virtutes per ſpecialem participationem divinæ virtutis, habentque hoc ſpeciale ex divina virtute, quam formaliter participant, vel ſaltem ſpecialiter, quod ſicut divina virtus eſt omnino infruſtrabilis, ità iſtæ virtutes infuſæ, quæ ad ordinem ſupernum, & divinum ſpectant, tendunt in ſua obiecta modo infruſtrabili, & infallibili, àc proinde eis, nec per accidens poteſt ſubeſſe falſum, aut malum in re. Econtra autem contingit in prudentia acquiſita, & ceteris virtutibus naturalibus; prudentia enim acquiſita eſt prudentia humana tantum, & licet ex titulo prudentiæ exigat verum in re, ex titulo tamen humanæ non eſt tanta eius certitudo, quod aliquando per accidens non poſsit ei ſubeſſe falſum.

147 Secundo ſic impugno prædictam ſolutionem; quià licet prudens non fallatur ex influxu prudentiæ, hoc tamen non tollit, quominus prudentia eliciat actum, cui per accidens contingat eſſe falſum: ergò ex eo quod imprudens non fallitur ex influxu prudentiæ, malè infert Zella Dei non poſſe oriri à virtute prudentiæ iudicium per accidens falſum, & erroneum. Antecedens probatur; quià poteſt contingere in actu elicito à virtute prudentiæ error, qui non proveniat ex influxu prudentiæ: ergò ex eo quod error non poſsit provenire ex influxu prudentiæ, malè infertur non elici à prudentia iudicium per accidens erroneum. Antecedens probatur; quià prudentia humana non habet infallibiliter, omnimoda infallibilitate, attingere per ſuum actum verum in re: ergò poteſt aliquando contingere in actu elicito à prudentia error aliunde proveniens, quam ab influxu prudentiæ. Antecedens patet; tum quià prudentia humana non inclinat ad verum in re æquè infallibiter, & infruſtrabiliter, àc fides divina, vel divina prudentia. Tum quià, vt loquitur ipſe Zella Dei, nunquam falli ſupra hominem eſt, ferè nunquam falli viri prudentis: ergò nunquam falli ſupra humanam prudentiam eſt, ferè nunquam falli prudentiæ humanæ. Ergò in actu elicito à prudentia humana poteſt raro, & per accidens irrepere error.

148 Tertio: nàm demus caſum, quo aliquis invincibiliter exiſtimet aliquid eſſe honeſtum, quod re ipſa eſt prohibitum; quià videlicet, facta diligentiſsima inquiſitione veritatis, ſic fuit informatus à viris probis, & ſapientibus. In hoc caſu iſte invincibi-

cibiliter, & inculpabiliter exiſtimat obiectum illud eſſe honeſtum in re, & conſequenter verum practicum in re, nec ipſe, vllo pacto, poteſt diſcernere illud obiectum ab alijs veris in re, ſed potius eodem ipſiſsimo modo ſibi proponitur, àc proponuntur, quæ ſunt vera in re. Quis ergò in hoc caſu cohibet habitum, & virtutem prudentiæ, ne iudicet, & dictet illud honeſtum eſſe agendum? Sane habitus acquiſitus prudentiæ naturalis non habet aliam regulam diſcernendi verum à falſo, niſi maturam conſultationem, & diligentem inquiſitionem veritatis, & iudicium ex illa formatum: ergò quotieſcumque per hanc regulam proponitur aliquod obiectum, vt verum, & honeſtum in re, prudentia prorrumpit in ſuum actum circa tale obiectum, quanvis contingat per accidens ſub illa regula latere falſum in re. Explicatur: ſi ſub illa regula eſſet verum in re, ſicuti exiſtimatur, prudentia eſſet, quæ dictaret illud eſſe agendum, vt fatetur Zella Dei, ſed quod invincibiliter lateat falſum in re ſub illa regula, nequit vitare quo minus prudentia dictet illud eſſe agendum eo modo, àc ſi eſſet verum in re: ergò etiam quando invincibiliter latet ſub illa regula, vel obiecto falſum in re, iudicium de eo agendo elicitur à virtute prudentiæ. Probo minorem, quod invincibiliter latet in obiecto nequit phyſicè impedire habitum prudentiæ, ne dictet illud eſſe agendum; nàm prudentia ſicut non movetur, nec dirigitur phyſicè à ſuo obiecto, ità àb illo non poteſt cohiberi, nec impediri phyſicè. Deinde nec impediri poteſt, aut cohiberi intentionaliter: nàm quod invincibiliter latet in obiecto, ſicut non poteſt intentionaliter movere, aut dirigere prudentiam, ità nec illam cohibere intentionaliter, quominus dictet illud eſſe agendum: ergò quod invincibiliter latet in obiecto non poteſt vitare, quominus prudentia dictet illud eſſe agendum.

149 Sed inſtabis ex Zela Dei, vrgendo paritatem fidei divinæ, nàm caſu, quo Parrochus proponat ruſtico, vt à Deo revelatum, & ab Eccleſia propoſitum, aliquod myſterium in re falſum, ruſticus non habet vnde diſcernat illud myſterium ab alijs re ipſa veris, cùm ipſe non habeat aliam regulam diſcernendi inter verè, & falsò revelatum, inter verè, & falsò propoſitum ab Eccleſia, niſi propoſitionem ſui Parrochi, per quam quidem tunc proponitur ſibi, vt verè in re revelatum, & propoſitum ab Eccleſia, quod perſonæ divinæ ſunt quatuor, v.g. & tamen actus, quo tunc credit tale myſterium, non elicitur à fide divina: ergò ſimiliter in prudentia. Quod vrgeri poteſt; nàm tunc caſus falſitas myſterij propoſiti à Parrocho latet invincibiliter in obiecto: quo modo ergò poteſt cohibere fidem, ne ſe extendat ad credendum illud myſterium? Nunquid phyſicè? Minimè; nàm fides non movetur phyſicè à ſuo obiecto. Nunquid intentionaliter? Neutiquam; quià quod latet in obiecto, ſicut nequit intentionaliter movere fidem, ità nec illam cohibere intentionaliter.

150 Hæc replica tangit difficultatem ingentem, & ſpecialiſsimam contra infallibilitatem fidei divinæ, cui ſolvendæ maximè laborant Theologi ſuo loco; quam tamen importunè cenſeo nobis opponi in præſenti inſtituto, nàm, vt iam dixi, certiſsimum eſt prudentiam humanam, & ceteras virtutes morales non tendere in ſua obiecta cùm tanta certitudine, & infallibilitate, ſicut fides divina, àc proinde omnibus incumbit reddere diſparitatem. Hanc igitur brebiter reddo, inci piendo ab vltimo, in quo ſiſtebat inſtantia. Fateor enim fidem non moveri phyſicè, nec intentionaliter ab eo, quod invincibiliter latet in obiecto propoſito, ceterum eſt hoc ſpeciale in fide, quod id, ipſum, quod latet invincibiliter credenti, patet evidenter Deo, cui, vt Authori ſpeciali, incumbit phyſicè dirigere, & movere habitum fidei erga obiectum, in ordine ad quod talem habitum infudit, & deſtinavit; & cùm in caſu poſito Deus ſciat, pſiiquepateat myſterium à Parrocho propoſitum non eſſe re ipſa revelatum, ideò non concurrit, vt Author ſpecialis, nec movet habitum fidei divinæ ad credendum tale myſterium, eo quod non ſit re ipſa revelatum, & ad ſummum concurrit, vt Author vniverſalis cùm fide acquiſita ad talem actum, quantum ad entitatem. Et hoc eſt Deum ipſum cohibere habitum fidei divinæ, ne eliciat illum actum. Hoc tamen dici nequit de virtute prudentiæ humanæ; nàm, cùm illa non ſubordinetur Deo, vt ſupernaturali Authori, & directori, ſed tantum ipſi, vt motori vniverſali, nec habeat infallibiliter ſibi adiunctam ſpecialem aſsiſtentiam, & directionem Dei, inde eſt, quod poteſt Deus permittere prudentiæ humanæ, quod defficiat ab attingentia veri in re propter invincibilem errorem.

151 Ex quo ad ipſam inſtantiam dico, quod licet ruſticus non habeat pro

tunc aliam regulam, qua discernat verum à falso, ni si dictum Parrochi, quod tunc falsum, vt verum proponit, hoc ad summum probat rusticum ipsum non posse discernere tunc reflexè, àn fide divina, vel humana credat, non vero quod credat fide divina. Nàm Deus ipse, cui intime subordinatur, vt Authori speciali, & supernaturali, ipsa fides divina, benè discernit inter verè, & falsò revelatum, àc proinde cùm tunc videat mysterium à Parrocho propositum non esse verè revelatum, nequit ipse, vt Author, & director specialis, movere fidem ad illud credendum; cessante autem motione speciali Dei, necessario cohibetur virtus fidei divinę ab actu proprio: hoc autem dici nequit de virtute acquisita prudentiæ humanæ. Et hæc disparitas pro nunc sufficiat. Pro ceteris, quæ dici possent, ad tractatum de fide remitto lectorem.

152 Instabis secundo: prudentia est virtus intellectus practici: sed implicat quod virtus intellectus practici erret circa proprium obiectum: ergò implicat quod prudentia erret circa proprium obiectum. Sed si eliceret actum, aut iudicium erroneum de agendis, erraret: ergò implicat quod ab ea eliciatur tale iudicium. Explicatur: error ille nequit procedere ex influxu prudentiæ, alias prudentia, vt virtus, esset causa, & principium errandi; sed si eliceret actum erroneum, error esset ex influxu prudentiæ: ergò. Respondeo, distinguendo maiorem: prudentia est virtus humana intellectus practici circa singularia contingentia, & variabilia, concedo maiorem: est virtus de ordine divino, aut circa vniversalia, & indefectibilia, nego maiorem: & distinguo minorem eodem modo, vel etiam aliter; implicat quod erret per se, aut voluntariè ex proprio modo procedendi, concedo minorem: per accidens, & involuntariè ex defectu regulæ, nego minorem, & consequentiam. Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem. Nàm cum prudentia, quantum est ex se, toto conatu tendat in verum in re, vt monstratum manet, implicat sanè quod ex eius influxu proveniat error in eius actu.

153 Vnde ergò provenit? Dico quod ex defectu incognito regulæ assumptę. Supponamus enim exempli gratia eximium artificem, peritumque in aliquo construendo artefacto, indigere regula ad illud efficiendum: contingat autem regulam laborare defectu aliquo incognito artifici, & proinde ex illo defectu artefactum evadat difforme, nunquid tunc difformitas artefacti erit ex influxu artis? Minime. Sed solum ex defectu regulæ, præter, imò, & contra intentionem artis; & negari nequit quod tunc illud opus proveniat ab arte, licet per accidens eveniat quod evadat difforme. Sic ergò dicimus quod prudentia, quantum est ex se, & per se semper inclinat ad verum in re, ceterum ad illud assequendum in re, indiget regula. Sed quænam est regula data prudentiæ? Certe de singularibus regula infallibilis assignari non potest; nàm licet regulæ vniversales, quas præscribit synderesis, sint omnino infallibiles, & per se notæ, ad agendam tamen in singulari opus est adhibere alias regulas particulares circa singularia, quibus regulæ illæ vniversales aplicentur, & determinentur ad singulare opus; istæ igitur regulæ inferiores circa singularia non possunt esse omnino infallibiles; nàm vt inquit D. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 3. ad 2. *Infinitas singularium nequit ratione humana comprehendi, & inde est, quod sunt incertæ providentiæ nostræ, vt dicitur sap. 9. tamen per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita, quæ vt plurimum accidunt, quorum cognitio sufficit ad prudentiam humanam.* En vbi D. Thom. ad prudentiam humanam non exigit aliam regulam circa singularia, nisi cognitionem desumptam ex his, quæ vt plurimum accidunt; hæc autem regula omnino infallibilis esse nequit, sed aliquando deficere potest. Quando igitur contingat talem regulam errare invincibiliter, tunc necessum est, actum elicitum à prudentia iuxta ipsam evadere defectuosum, & erroneum practicè, non quidem ex defectu, aut influxu prudentiæ, sed ex defectu regulę assumptę, qui quidem defectus non tollit, quo minus actus ille eliciatur à virtute prudentiæ.

154 Exempli gratia; homo illiteratus ignorat, àn eius infirmitas tanta sit, vt sibi oporteat in quadragesima edere carnes: assumit pro regula ad hoc discernendum Medicum corporalem, & spiritualem; nàm alia sibi impossibilis est. Hæc tamen regula non est omnino infallibilis; licet enim, vt plurimum verum dictet, non semel cõtingere solet in vtriusque Medici consilio error, sivè culpabilis, sivè inculpabilis. Supponamus ergò eam regulam errare; sanè tunc prudentia dictabit per errorem hic, & nunc esse comedendam carnem in quadragesima; & iudicium conscientiæ erit erroneum; sed vnde? Nunquid ex influxu prudentiæ? Minimè, nàm potius prudentia de se conatur pro posse rectè, & verè iudicare: provenit ergò ex errore regulæ assumptæ: componitur ergò quam optimè iudicium elicitum à prudẽtia evadere erroneum, & defe-

defectuoſum, & non ex influxu prudentiæ.

155 Sed dices: ſi prudentia non influit errorem in illo actu, quid ergò influit? Reſpondeo, influere entitatem, & conformitatem cùm regulis rectis ſyndereſis; quam conformitatem neceſſariò retinet ille actus, quantunvis ſimpliciter ſit erroneus; vt ſupra monſtratum relinquimus. Quod clare explicatur exemplo operis artificialis, evadentis ex defectu regulæ, vel inſtrumenti cùm aliquo defectu, & pravitate. Quid enim tunc influit ars in illud opus? Nunquid pravitatem, & diformitatem? Minimè, ſed vnicè aliqualem illam conformitatem cùm arte, quam neceſſario retinet omne opus artificiale. Idem igitur dicimus de prudentia.

156 Inſtabis tertio, nàm licet iudicium elicitum à prudentia poſsit eſſe falſum, & erroneum ſpeculativè, implicat tamen quod ſit erroneum practicè, ſeu in praxi: ergò prudentiæ nequit ſubeſſe falſum practicè. Antecedens ſæpiſsimè inculcant Probabiliſtæ, ſed nunquam probant. Vnde nego antecedens, vel potius eius ſuppoſitum. Supponunt enim iſti Authores, quod in iudicio practico poſsit dari error, ſeu falſitas ſpeculativa; quod tamen falſiſsimum eſt, nàm ſicuti in intellectu, aut iudicio practico de agendis nequit dari veritas ſpeculativa; nàm hæc ſolum eſt propria intellectus ſpeculativi, ſic ſimiliter falſitas ſpeculativa nequit inveniri, niſi in intellectu ſpeculativo. Et eſt craſiſsima æquivocatio aſſerere de eodem indiviſibili iudicio, eſſe verum practicè, & falſum ſpeculativè; cùm enim idem indiviſibile iudicium de agendis non poſsit eſſe ſimul ſpeculativum, & practicum, ſed vnicè ſit practicum, nihilque affirmet ſpeculativè; inde eſt quod ſi dicit verum, neceſſariò dicit verum practicè; ſi errat, & fallitur, neceſſario errat, & fallitur practicè; quomodo enim errare poteſt ſpeculativè, aut ſpeculativè verum dicere iudicium, quod nihil affirmat ſpeculativè, nec ſpeculativè negat. Relinquitur ergò implicare contradictionem, diſtinctionem illam vſitatam apud Probabiliſtas, qua dicunt idem indiviſibile iudicium prudentiæ errare ſpeculativè, & eſſe verum practicè: àc per conſequens, quod, ſi iudicium prudentiæ ſit erroneum, nequit eſſe erroneum, niſi practicè.

157 Quibus præmiſsis, ad tertiam obiectionem ex numero 139. facilis colligitur ſolutio, diſtinguendo maiorem: certum probabiliter, aut moraliter eſt, quod poteſt evadere falſum in re per accidens, & omnino involuntariè, quantum eſt ex parte certitudinis, & modi iudicandi de tali obiecto, concedo maiorem; quod poteſt evadere falſum in re, ex ſuppoſitione quod ſit verum in re, nego maiorem: & diſtinguo minorem: verum in re nequit evadere falſum in re, ex ſuppoſitione quod ſit verum in re, concedo minorem; quantum eſt ex parte certitudinis, & modi, quo attingitur à prudentia, nego minorem, & conſequentiam. Nàm licet obiectum per ſe, & ſignatè inſpectum à prudentia ſit verum in re, non tamen inſpicitur à prudentia perfectate omnino infruſtrabili, & certitudine omnino infallibili, ſed cùm fruſtrabilitate, & fallibilitate ſupra explicata; licet autem quod eſt verum in re, ex ſuppoſitione quod ſit verum in re, nequeat eſſe falſum in re, tamen vt attingitur à prudentia certitudine tantum morali, & per accidens fallibili, quantum eſt ex parte illius modi, & certitudinis, qua exercitè attingitur, non repugnat omnimoda re repugnantia, illud non eſſe verum in re; nullum autem eſt inconveniens, quod obiectum prudentiæ ſignatè ſit verum in re, cui exercitè, & ex parte modi, quo attingitur, non repugnet aliter ſe habere. Nàm, vt clarius loquar, obiectum prudentiæ eſt, ſignatè quidem, & terminativè, verum in re, exercitè autem, & ex modo tendendi, probabiliter certum; vnde vtrumque rectè cohæret.

158 Ex quo ad confirmationem dico, quod omne certum probabiliter ſufficit ad obiectum prudentiæ, quantum ad certitudinem exactam à prudentia, quià prudentia non exigit maiorem certitudinem, quam probabilem; non tamen omne certum probabiliter ſufficit, vt ſit obiectum prudentiæ per ſe inſpectum à prudentia; nàm ad hoc vltra certitudinem probabilem requiritur, quod ſit verum in re; nàm prudentia per ſe ſolum inclinat ad verum in re. Vnde certum moraliter, quod fuerit verum in re, erit obiectum per ſe inſpectum à prudentia; quià habet certitudinem exactam exercitè ex parte modi, & veritatem in re requiſitam ex parte obiecti. Certum vero, quod fuerit falſum in re, tantum erit per accidens, & voluntariè inſpectum à prudentia; quià licet habeat certitudinem exactam ex parte modi à prudentia, caret tamen veritate in re, ad quam vnicè inclinat prudentia. Vnde tunc prudentia per accidens fruſtratur obiecto, & fi-

ne intrinſeco à ſe queſito. Vnde ad ſyllogiſmum ibi formatũ diſtinguo maiorem: omne probabiliter certum eſt obiectũ prudentię per ſe, vel per accidens inſpectũ à prudentia, concedo maiorem: ſemper inſpectã per ſe, etiam quando in re eſt falſum, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ergò falſum in re aliquando eſt obiectum prudentiæ per ſe inſpectum à prudentia, nego conſequentiam; per accidens inſpectum à prudentia, concedo conſequentiam. Vnde tunc etiam, quando certum probabiliter eſt falſum in re: obiectum, quod prudentia per ſe inſpicit, & ad quod per ſe tendit in illo certo, eſt verum in re; ideò enim tendit ad illud certum, quià iudicat cùm certitudine probabili illud eſſe verum in re: ſi ergò dictat falſum in re, illud dictat propter verum in re; qui autem dictat, ſeu reſpicit falſum in re propter verum in re, quod ibi credit eſſe, per ſe quidem dictat, & reſpicit verum in re, per accidens autem contingit quod illud ſit falſum in re. Et hæc eſt doctrina expreſſa D. Thom. quæſt. 17. de verit. art. 4. in corp. eius verba infra expendemus.

§. XI.

Ex dictis facile ſolvitur argumentum obiectum num. 130.

159 AD Illud enim, nego antecedens. Ad eius primam probationem, diſtinguo antecedens, illud iudicium non eſt imprudens formaliter, ſeu voluntariè, concedo antecedens: materialiter per accidens, & involuntariè, nego antecedens, & conſequentiam; nàm à prudentia benè poteſt elici per accidens, & involuntariè iudicium practicè erroneum, & imprudens materialiter. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem: prudentia dictat eſſe faciendum quod conſcientia recta invincibiliter iudicat, vt honeſtum, concedo maiorem: quod conſcientia ſivè recta, ſivè erronea invincibiliter dictaverit, vt agendum, nego maiorem: vel ſub diſtinguo: per ſe quidem quod dictaverit recta, per accidens autem quod dictat erronea, quià nimirum credit illam eſſe rectam: concedo maiorem, per ſe vtrumque, nego maiorem: & diſtinguo minorem: tunc conſcientia recta iudicat invincibiliter mendacium eſſe honeſtum, nego minorem: conſcientia erronea, quæ invincibiliter exiſtimatur recta, concedo minorem: & diſtinguo conſequens: ergò tunc prudentia dictat per accidens eſſe proferendum mendacium, concedo conſequentiam: per ſe, nego conſequentiam, & quod illud iudicium, & dictamen ſit prudens poſitivè, & ſimpliciter; nàm iudicium ſimpliciter, & poſitivè prudens per ſe, & non per accidens elicitur à prudentia, illud autem iudicium per accidens ab ea elicitur: non ergò ſequitur, ſed potius repugnat, quod ſit ſimpliciter, & poſitivè prudens.

160 Ad tertiam ex num. 131. diſtinguo maiorem: tale iudicium procedit ab habitu, & virtute prudentiæ per accidens, & involuntariè, concedo maiorem: per ſe, & voluntariè, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Ad primam probationem maioris, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens, vt ſupra; nàm pro tali iudicio eliciendo, licet erroneo, & materialiter imprudenti, non requiritur habitus vitioſus imprudentiæ. Et ratio eſt; nàm habitus vitioſus imprudentiæ ſolum acquiritur per actus voluntariæ, & culpabilis imprudentiæ, cùm habitus vitioſus nequeat contrahi, niſi culpabiliter; minimè autem acquiriritur per actus imprudentiæ materialis, & involuntariæ; tunc quià huiuſmodi imprudentia eſt inculpabilis: tunc quià incurritur à volente propoſſe operari prudenter: tunc quià eſt rara, cùm ſit omnino per accidens, de cuius ratione eſt raro contingere: habitus autem vitioſus imprudentiæ acquiri non poteſt, nec ex actibus raro contingentibus, rara enim non generant habitum, ſicuti nec conſuetudinem: minuſque contrahi poteſt à voluntate pro ſuo poſſe volente operari prudenter, & abſque omni culpa ipſius contra eius conatum, & voluntatem. Reſtat igitur, quod habitus vitioſus imprudentiæ vnicè poſsit acquiri ex actibus voluntariæ imprudentiæ. Ex quo vlterius infertur ab eo habitu vitioſo ſolum elici poſſe actus imprudentiæ voluntariæ; nàm ſolum iſti ſunt ſimiles eis, à quibus talis habitus genitus fuit. Actus autem materialiter, & involuntariè imprudens per accidens poteſt elici à virtute prudentiæ, vt monſtratum manet, per ſe autem nullum requirit habitum; nàm eius imprudentia ſicuti, quià eſt rara, & per accidens, non generat habitum, ità nec exigit vllum habitum, à quo per ſe proveniat; ſed vni-

vnicè ex defectu regulæ incurritur, vt explicatum manet.

161 Ad secundam probationem maioris, distinguo maiorem: omne iudicium practicum de agendis post exactam consultationem necessario elicitur à synesi per se, vel per accidens, concedo maiorem: per se semper, etiam quando practicè errat, nego maiorem; quià tale iudicium, quando est practicè erroneum, est contra intentionem prudentiæ, & consequenter solum per accidens potest elici à prudentia. Ad tertiam probationem, distinguo maiorem: vt aliquod iudicium eliciatur à prudentia per se, vel per accidens, non exigitur quod sit verum in re, concedo maiorem: vt eliciatur per se, nego maiorem. Ad cuius primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: certitudo probabilis, aut moralis aliquando falli potest in re per accidens, & involuntariè, concedo minorem; voluntariè, aut per se, nego minorem, & consequentiam in sensu negato. Ad secundam probationem, nego maiorem quoad primam partem. Et distinguo illam, quod secundam: sed *probabile* signatè, nego maiorem: *probabile* exercitè: concedo maiorem; nàm probabile exercitè, & verum in re signatè non dicunt oppositionem, imò obiectum prudentiæ vtrumque exigit, nimirum, & esse probabile exercitè, & verum in re signatè; nàm prudentia humana ex proprio munere habet tendere cùm certitudine probabili in suum obiectum, tanquam ad verum in re signatè & per se ab illa inspectum. Quando igitur aliquis certo probabiliter existimat aliquid esse verum practicum in re, si illud re ipsa est, sicut existimat, dictatur per se à prudentia, si autem re ipsa ità non est, omnino per accidens, & involuntariè dictatur à prudentia; vnde tale iudicium, & dictamen non est simpliciter, & positivè prudens.

162 Sed dices: ex hoc sequi neminem posse scire àn prudenter agat, vel imprudenter, nàm nemo scire potest, àn id, quod existimat invincibiliter, esse verum in re, re ipsa ita sit, vel non; sed per nos ab hoc pendet quod operatio sit prudens, vel imprudens: ergò nemo poterit scire de se ipso, àn prudenter agat, vel imprudenter. Secundo infertur neminem esse prudentem per se, & ex propriò electione, sed solum fortuita, & ex eventu; nàm si eveniat falsum esse in re quod quis invincibiliter existimat verum, operatio eius non est prudens per nos, solum autem erit prudens, si eveniat esse verum in re: sed omnino fortuitum videtur quod evadat verum, præsalso in re, quod invincibiliter existimatur verum in re: ergò in tali casu qui illud operatur, non erit prudens per se, & ex propria electione, sed fortuito, & ex eventu.

163 Respondeo, distinguendo primam sequelam: sequitur neminem scire scientia demonstrativa, & omnino infallibili, se operari prudenter, concedo sequelam: scientia morali, & moraliter certa, nego sequelam: & eadem distinctione ad probationem respondeo, quod nemo scire potest demonstrativè, & omnino infallibiliter, àn sit verum in re, quod ipse invincibiliter existimat tale, & ideò nequit scire omnino infallibiliter, àn sua operatio sit re ipsa prudens. Potest tamen scire cùm certitudine morali raro fallibili esse ita in re, quod ipse invincibiliter existimat verum in re, & sic potest scire cùm simili certitudine suam operationem esse prudentem in re. Deinde distinguo secundam sequelam: sequitur neminem esse prudentem per se, & ex propria electione perfectate, & electione omnino infrustrabili, concedo sequelam: perfectate, & electione raro frustrabili nego sequelam quoad primam, & secundam partem. Ad eius probationem, concessa maiori, nego minorem; nàm quando quis facit debitam consultationem, & post illam invincibiliter existimat cùm certitudine morali obiectum esse verum in re, quod ità sit in re non est per accidens, & fortuitum respectu sic iudicantis, sed potius est per se intentum, & quæsitum ab illo, & consequenter in eo casu est re ipsa prudens per se, & ex electione operantis, per se quærentis, & eligentis operari prudenter. Ceterum quià hæc perfectas, & conatus operantis non est omnino infrustrabilis; sed aliquando, licet raro, frustrari potest, vti frustratur, quando est falsum in re, quod invincibiliter existimatur verum, ideò tunc casus per accidens omnino est, & casuale, quod sit falsum in re, & quod operatio in re non sit prudens. Quod patet in omni agente intendente per se effectum sibi similem: casu enim quod evadat similis, provt intenditur, hoc est per se respective ad ipsum: casu autem quod evadat dissimile, & monstruosum, hoc est per accidens. Ità igitur, in eo, qui conatur pro posse dictare verum in re, & prudenter re ipsa agere, quod obiectum dictatum sit verum in re, & iudi-

cium dictans reipſa prudens, eſt per ſe reſpectu illius: quod vero ſit falſum in re, & in re non prudens, eſt per accidens, & nedum caſuale, ſeu inſperatum, ſed contra intentionem illius. Et hoc ideò contingit, quià perfectas illa, & conatus dictandi verum, & prudenter operandi aliquando, licet raro, fruſtrabilis eſt, vti contingit in alijs perfectatibus, & conatibus, præcipuè cauſarum ſecundarum.

164 Nota autem, quod vt actus, vel iudicium erroneum per accidens procedat à prudentia, neceſſum eſt quod ſub aliqua conſideratione procedat ab illa per ſe, iuxta doctrinam ſupra expenſam num. 116. quod omne per accidens reducitur ad per ſe; & ideò diſtinguendum eſt ſemper in iudicio practico invincibiliter erroneo aliquid rectitudinis, & prudentiæ, ſecundum quod per ſe procedit à prudentia, modo ſupra expenſo n 79. ità vt ſecundum id quod habet de rectitudine, & ordine rationis, per ſe procedat à prudentia: inquantum tamen ſimpliciter eſt erroneum, & imprudens, pure per accidens.

165 Nota item actus procedentes ex conſcientia invincibiliter erronea, poſſe etiam dici prudentes, & honeſtos exiſtimativè, & affectivè, quatenus qui ſic operatur, operatur cùm affectu operandi prudenter, & honeſtè, & exiſtimat invincibiliter ſe ità operari; non tamen dici poſſunt honeſti, & prudentes effective, & re ipſa, quià effective, & re ipſa diſcordant à lege, & à regula recta. Et hac diſtinctione poſſunt etiam ſolvi plura argumenta contraria.

166 Sed inquires pro complemento quæſtionis. An illa inordinatio, deformitas, & pravitas, ſeu defectus rectitudinis, quam ſæpe diximus inveniri in actu procedente ex conſcientia invincibiliter erronea, ſit malitia moralis, ſeu pravitas, inordinatio, & privatio moralis, vel ſolum phyſica. Nàm imprimis videtur non poſſe eſſe moralem, nàm malitia moralis eſt voluntaria, moralitas enim ſupponit voluntarium, ſicuti & liberum, & in illo fundatur: ſed illa pravitas, & inordinatio non eſt voluntaria: ergò non eſt malitia moralis. Et item, quià malitia moralis eſt vituperabilis, & demeritoria, ſicut bonitas moralis laudabilis, & meritoria: ſed illa inordinatio non eſt vituperabilis, nec demeritoria: ergò non eſt malitia moralis.

167 Deinde videtur, quod ſit moralis, & non pure phyſica, quià inordinatio phyſica non eſt contrarietas ad leges, & regulas rationis, ſed ſolum ad naturam, ſeu ad inclinationes naturales; contrarietas autem ad regulas rationis, & ad legem Dei, eſt inordinatio, & pravitas moralis, ſiquidem eſt contra leges, quæ ſunt regulæ moris, & non naturæ: ſed inordinatio ſequuta ex conſcientia invincibiliter errante eſt contrarietas ad regulas rationis, & ad legem Dei: ergò erit pravitas, & malitia moralis, & non phyſica. Et item, quià eſt privatio rectitudinis moralis, & non bonitatis naturalis, & phyſicæ; actus enim ex eo quod careat conformitate ad legem Dei, non caret bonitate naturæ, ſed bonitate moris debita actui ex vi legis: ſed privatio bonitatis moralis debitæ ex vi legis eſt malitia moralis, & non phyſica: ergò talis defectus, & inordinatio eſt malitia moralis, & non phyſica.

168 Sed hoc diſſidium purè eſt de nomine; ſemel enim, quod conſtet ſimiles actiones habere aliquam inordinationem, & diſconformitatem ad regulas rationis, & ad legem, qualiter appellanda ſit illa diſconformitas, àn moralis, àn phyſica, quæſtio merè vocalis eſt. Vnde reſpondeo, talem inordinationem ſimpliciter, & ſine addito non eſſe appellandam malitiam moralem propter rationes pro hac parte militantes. Poſſe tamen appellari pravitatem, & deformitatem materialiter, fundamentaliter, aut conditionatè moralem, per habitudinem ſcilicet ad legem Dei, & regulas rectas rationis, quibus contrariatur, quæ contrarietas fundat ſemper moralitatem formalem ſub conditione, quod ſit voluntaria. Et hoc ad ſummum probant rationes pro ſecunda parte. Vnde rectè D. Thom. 2. ad Anibald. diſtinct. 41. art. 4. ad primum ait: *Quod licet actiones aliquæ habeant aliquam rectitudinem, vel inordinationem ex ſe ipſis, ſecundum quod dicuntur bonæ, vel malæ ex genere, tamen bonitatem, vel malitiam moralem, ſecundum quod ſunt meritoriæ, vel demeritoriæ, laudabiles, vel vituperabiles non habent, niſi ſecundum quod ſunt voluntariæ;* quià videlicet habent tunc caſus aliam malitiam moralem fundamentalem, materialem, ſeu conditionatam, quæ caret merito, aut demerito, eo quod eſt involuntaria. Et hæc de hac quæſtione.

QVÆ-

QVÆSTIO. VI.

Vtrum conſcientia erronea liget, & in vi cuius legis?

1 DVBIVM Poteſt eſſe de conſcientia erronea invincibili, vel vincibili: prius de prima, poſtea de ſecunda propriam mentem declarabimus. Sit ergò.

§. I.

Prima concluſio probatur.

2 DICO Primo: *Conſcientia invincibiliter errans obligat errantem, ità quod, ſi contra illam operetur, peccabit.* Eſt expreſſa Div. Thom. in hac 1. 2. q. 19. art. 3. & q. 17. de verit. art. 4. & eſt communis Theologorum. Probatur autem primo ex cap. *Per tuas* de ſimonia. Et ex cap. *Inquiſitioni* de ſententia excommunicationis, vbi dicitur: *Quod agens contra iudicium conſcientiæ committit offenſam, & ædificat ſibi gehennam*; ſed qui agit contra conſcientiam invincibiliter erroneam, verè agit contra iudicium conſcientiæ: ergò committit offenſam, & ædificat ſibi gehennam: ergò ità obligat conſcientia invincibiliter errans, quod qui contra illam egerit, peccabit.

3 Deinde probatur ratione, ſupponendo caſum, in quo conſcientia erronea dictet mendacium v. g. hic, & nunc eſſe præceptum à Deo ad vitandum damnum proximi. Etenim, qui talem conſcientiam haberet, ſi nollet mentiri, peccaret: ergò conſcientia erronea obligat, ità quod qui contra illam agit peccat. Antecedens probatur: ſi nollet mentiri, contemneret legem Dei, quantum eſt ex ſe, cùm ei parere nollet; ſed contemnere legem Dei, & ei nolle parere, eſt formaliter peccare: ergò peccaret.

4 Dices: contemneret legem falſam, non veram. Contra: contemneret legem veram affectivè; ſed contemnere legem veram affectivè eſt formaliter peccare: ergò formaliter peccaret. Maior probatur, quià contemneret affectivè legem, quàm exiſtimabat ibi eſſe; ſed ipſe per conſcientiam erroneam exiſtimabat ibi eſſe veram Dei legem obligantem ad mendacium: ergò contemneret affectivè legem Dei veram.

5 Explicatur: ſi quis exiſtimans per errorem aliquam feram eſſe verum hominem, eam interficeret, quanvis revera, & effectivè non occideret hominem verum, tamen affectivè occideret hominem verum, quià affectus ſolum tendit in obiectum, quod apprehenditur, & exiſtimatur, & ibi apprehenderet, & exiſtimaret eſſe hominem verum; ſed pariter in caſu noſtro, conſcientia exiſtimaret eſſe veram Dei legem obligantem ad mendacium, & contra illam procederet affectivè, ſiquidem nollet mentiri: ergò affectivè contemneret veram Dei legem, & ei parere nollet.

6 Sed dices: illum per conſcientiam erroneam exiſtimare ibi eſſe veram Dei legem, ſed falſo, non verè. Contra: eam legem affectivè violaret, quam, licet falſo, exiſtimaret ibi eſſe; ſed falſo exiſtimabat ibi eſſe veram Dei legem: ergò affectivè violaret veram Dei legem. Maior probatur primo exemplo relato. Nàm, ſi quis exiſtimans, licet falſo, aliquam feram eſſe verum hominem, eam occideret, affectivè occideret hominem, & eſſet homicida affectivè: ergò quià affectivè occideret hominem, quem ibi eſſe falſo exiſtimabat: ergò pariter in caſu conſcientiæ erroneæ eam legem voluntas affectivè violaret, quàm ib. eſſe falſo exiſtimabat.

7 Secundo: quià affectus voluntatis in idem omnino obiectum tendit, in quod fertur apprehenſio intellectus, taliter quod, ſi apprehenſio fallitur, affectus voluntatis fruſtratur; vndè qui, exiſtimans aliquam monetam eſſe verum aureum, illam ſumit pro contractu, certiſsimum eſt quod affectivè ſumit verum aureum; quià illic exiſtimat eſſe verum aureum; quod, ſi fallitur in æſtimatione, hoc non probat, quod eius affectus non feratur in verum aureum; ſed ſolum probat, quod ſicut exiſtimatio intellectus, fallitur, ità affectus voluntatis fruſtratur; ſed in caſu quæſtionis intellectus, vel conſcientia exiſtimat, licet falſo, ibi eſſe veram Dei legem: ergò affectivè tendit contra illam, ſeu illam affectivè violat, licet fruſtretur talis affectus, quià videlicet tendebat ad violandam effectivè veram Dei legem, & hoc minimè aſſequitur, quià ibi revera non eſt, ſicut exiſtimat.

§. II.

Pro ſolutione principalis argumenti ſtatuitur ſecunda concluſio.

8 PRINCIPALE Argumentum in contra ſic procedit: Conſcientia ſolum poteſt obligare in vi legis divinæ; ſed conſcientia errans nequit obligare in vi legis divinæ; ergò abſolutè

non

non obligat. Maior patet, quià conſcientia eſt ſecunda regula morum, & eſt veluti intimatio, & participatio divinæ legis, quæ ſola eſt prima regula morum; ſed ſecunda regula non obligat, niſi in vi primæ, ſicut cauſa ſecunda, non agit niſi in vi, vel virtute primæ, nec intimatio, aut participatio alicuius legis obligat, niſi in vi legis intimatæ, & participatæ: ergò conſcientia non obligat, niſi in vi legis divinæ. Minor vero etiam probatur, quià conſcientia erronea non obligat in vi legis divinæ, quæ revera ſit, quià ſi conſcientia eſt erronea, non proponit legem, quæ revera eſt; ſed nec etiam obligat in vi legis divinæ, quæ revera non eſt: ergò nullo modo obligat in vi legis divinæ. Minor hæc probatur: quià conſcientia non poteſt obligare in vi legis, quæ non habet vim obligandi, ſicut cauſa inſtrumentalis non poteſt agere in vi cauſæ, quæ non habet vim agendi; ſed lex, quæ revera non eſt, non habet vim obligandi: ergò in vi legis, quæ revera non eſt, nequit obligare conſcientia.

9 Huic argumento reſpondent probabiliſtæ, conſcientiam erroneam vere obligare, non quidem in vi legis directæ falsò præſumptæ, ſed in vi legis reflexæ præcipientis agere ſecundum conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam: quàm legem reflexam, aſſerunt, non eſſe falsò præſumptam, ſed re ipſa dari ex parte Dei. Vndè licet in caſu ſuprà poſito lex directa præcipiens mentiri ſit falsò præſumpta, & in vi illius conſcientia non obliget, tamen datur verè ex parte Dei alia lex reflexa præcipiens ſequelam ipſius conſcientiæ erroneæ dictantis mendacium eſſe præceptum. Ità Terillus q. 11. aſſert. 6. quem ſequuntur Moya, Cardenas, & alij. Sed contra hanc ſententiam.

10 Dico ſecũdo: *Admiſſo, & nõ conceſſo, quod detur lex reflexa præcipiens ſequelã conſcientiæ erroneæ: tamen conſcientia erronea obligat independenter à tali lege reflexa, & non præcisè in vi illius.* Probatur primo, quià obligatio proveniens ab aliqua lege, debet provenire ab illa, vt cognita; lex enim, quæ non cognoſcitur, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet, ad obligandum; ſed conſcientia erronea obligat errantem, quàmvis ab eo non cognoſcatur lex reflexa præcipiens ſequelam conſcientiæ erroneæ: ergò obligat independenter à tali lege reflexa, ſivè obligatione non proveniente à tali lege reflexa. Minor probatur, quià per hoc præcisè quod quis erroneè iudicet in conſcientia Deum hic, & nunc verè præcipere mendacium, quanvis nullam aliam legem reflexam advertat, ſi nollit proferre mendacium, peccat, & culpam incurrit: ergò illud iudicium erroneum conſcientiæ obligat errantem ad culpam, licet ab eo lex reflexa non cognoſcatur. Antecedens probatur. Quià per illud præcisè affectivè violat, & contemnit legẽ Dei veram, ſiquidem eius affectus tendit contra legem, quàm exiſtimat veram; ſed hoc eſt formaliter peccare, & incurrere culpam: ergò. Recole rationem noſtram pro concluſione, nàm totam ſuam vim ſervat ad probandum voluntatem peccare in dicto caſu, quanvis nullam agnoſcat legem reflexam.

11 Reſpondet Terillus, repugnare caſum, in quo quis habeat conſcientiam erroneam, & non advertat legem reflexam præcipientem, & obligantem ad talem conſcientiam ſequendam: quià poſita conſcientia erronea directa, ex natura rei reſultat conſcientia reflexa advertens, & intimans legem reflexam, obligantem ad ſequendam conſcientiam directam. Sed contra eſt primo: quià ſæpiſſimè experimur nos habuiſſe conſcientiam directam, & nullam pro tunc feciſſe reflexionem ſuprà illam, iudicando, àn teneremur illam ſequi, vel non; imò, vt quæſtione præcedenti diximus, iſtæ reflexiones plerumque deſunt ruſticis, & ſimplicibus: ergò eſt contra experientiam, dicere quod ex conſcientia directa neceſſario reſultat conſcientia reflexa, antequam voluntas ſequatur directam.

12 Secundo: quià licet Terillus neget experientiam, negare tamen non poteſt intellectum poſſe cognoſcere quodlibet obiectum directè, quin reflexionem faciat ſuprà talem cognitionem directam; & ità ſæpiſſimè contingere nullus ambigit; tùm quià fatuum, & innane eſſet conſilium de conſiderandis reflexe noſtris cognitionibus directis in aliquibus caſibus, ſi ad hanc reflexionem intellectus ex natura rei eſſet neceſsitatus, ità vt illam non poſſet omittere. Tùm quià cognitio directa eſt prior, & omnino independens à cognitione reflexa ſui: cur igitur exiſtere non poterit abſque ſui cognitione reflexa ex natura rei loquendo? Tùm denique, quià cognitio directa eſt obiectum reflexæ ſpeculativè attactum per illam, ſiquidem illam ſupponit exiſtentem; ſed quodlibet obiectum ex natura rei exiſtere poteſt abſque ſui cognitione ſpeculativa, ſeu quin cognoſcatur ſpeculativè. Ergò.

13 Dices: totum id verum eſſe de cognitionibus ſpeculativis directis, ſeu alterius generis; non vero de cognitione

pra-

practica conſcientiæ directè, quià ex illa neceſſario, & ex natura rei pullulat conſcientia reflexa. Sed contra: quià nulla ratio aſsignari poteſt, cur poſsit intellectus habere cognitionem ſpeculativam directam de aliquo obiecto abſque reflexa, quæ paritèr non probet poſſe intellectum habere cognitionem practicam directam abſque reflexa: ergò voluntariè omnino id negatur, ſi illud conceditur. Antecedens probatur: nàm ratio primi eſt: quià non eſt inane conſilium monens advertere reflexe noſtras cognitiones ſpeculativas: quià cognitio ſpeculativa directa eſt prior, & independens à reflexa: quià eſt obiectum illius; ſed etiam cognitio practica directa conſcientiæ eſt obiectum conſcientiæ reflexæ, eſt prior illa, & ab illa independens, & item non eſt inane, ſed prudens conſilium de conſiderando reflexè, qualis ſit noſtra conſcientia directa: ergò eadem ratio militat vtrobique.

14 Contra ſecundo: quià nulla etiam ratio excogitari poteſt, cur ex conſcientia directa neceſſario pullulet reflexa, quæ paritèr non militet ad probandum, quod ex cognitione ſpeculativa directa neceſſario pullulat reflexa: ſed hoc nulla vera ratione probatur, vtpote falſum: ergò nec primum. Maior probatur: quià, ſi aliqua ratione id probari poſſet, maximè, quià cùm cognitio practica ſit intime præſens intellectui, vtpote actus illius, nequit intellectus illam non advertere reflexe; ſed hæc ratio, ſi probat, æquè probat de cognitione ſpeculativa, ac de practica, quià cognitio ſpeculativa non minus intime præſens eſt intellectui, quã practica, ſiquidem non minus eſt actus eius: ergò, ſi in ſpeculativa non probat, nec in practica.

15 Vrgetur: non minus intime præſens eſt cognitio reflexa intellectui, quam directa; & tamen poteſt intellectus elicere cognitionem reflexam, quin illam iterum reflexe cognoſcat, ni velis dare actu infinitas reflexiones: ergò quantunvis intimè præſens ſit intellectui cognitio directa, non exinde probatur neceſſario debere cognoſci immediate ab intellectu diſtincta cognitione, & reflexa.

16 Tertio: quià vt efficacitèr probavimus in Logica, & omnes contrarij fatentur, poteſt dari ſcientia directa abſque ſcientia reflexa talis ſcientiæ directæ; vndè poteſt acquiri quælibet ſcientia directa, vt Philoſophia naturalis, & moralis, abſque Logica, quæ eſt ſcientia reflexa ſuper omnes ſcientias directas: & ſcientia directa independenter à reflexa habet vim obligandi intellectum ad aſſenſum concluſionis: ergò pariter poteſt dari conſcientia directa abſque reflexa, quæ proinde independenter à reflexa habeat vim obligandi. Conſequentia patet à paritate rationis, quià nulla poteſt excogitari ratio, quæ non militet vtrobique, vel nevtrobique. Vrgetur: nàm per conſcientiam reflexam exiſtimo reflexè, me eſſe obligatum per directam, vel id non exiſtimo. Si id non exiſtimo; qualiter me obligabit conſcientia reflexa, per quàm non iudico me obligatum? Si id exiſtimo; vel verè, vel falsò. Si falsò: ergò etiam conſcientia reflexa falſa eſt, cuius contrarium docet Terillus cùm reflexiſtis. Si verè: ergò conſciẽtia reflexa ſupponit me revera obligatũ per conſcientiam directam, hoc enim verè afirmat: ergò directa re ipſa obligat propriori ad reflexam, & independenter ab illa.

17 Quarto: quià ſaltèm de potentia abſoluta, ſuppoſita conſcientia erronea directa, poteſt Deus ſuſpendere concurſum ad reflexam. Demus igitur hunc caſum. Sanè, ſi tunc ageret contra conſcientiam directam abſdubio peccaret. Si enim iudicaret per conſcientiam directam ieiunium v. g. eſſe revera à Deo prohibitum die feſto; quis negare poterit, quod peccaret, ſi cùm hac conſcientia directa ieiunaret die feſto? Ergò tunc caſus, conſcientia directa obligaret ad culpam, quanvis deficeret conſcientia reflexa, ſeu notitia legis reflexæ: ergò conſcientia directa ad obligandum non dependet à reflexa, nec à notitia legis reflexæ.

18 Dupliciter reſpondet Terillus q. 11. Primo inquit num. 20. Deum, nec de potentia abſoluta poſſe impedire conſcientiam reflexam, ſeu notitiam legis reflexæ, ſuppoſita conſcientia directa. Cuius rationem aſsignat, quià, ſi Deus talem notitiam reflexam impediret, eſſet Author mali. Primo quià eſſet cauſa cur homo careret ſtimulo, illum deterrente à malo, & incitante ad bonum, qualis eſt conſcientia reflexa. Secundo, quià dedecet Deo, quando omnes cauſæ ſecundæ proximè diſpoſitæ ſunt ad recipiendam noticiam divinæ legis, aut voluntatis reflexæ, talem legem, & voluntatem ei occultare. Suppoſita autem conſcientia directa, omnes cauſæ ſecundæ diſpoſitæ eſſent, vt Deus immediate manifeſtaret legem, & voluntatem reflexam ſequendi conſcientiam directam: vnde Deus non poſſet illam occultare. Tertio: quià Deus nullum ordinẽ invertere poteſt, niſi adhoc, vt alius ordo ſuperior melius ſe habeat. Sic miracula

cula fiunt in ordine naturæ ſenſibilis, vt ordo naturæ intelligibilis melius ſe habeat : vndè in ſupremo ordine nullum poteſt fieri miraculum. Sed immutare ordinem debitum naturæ rationali liberè operanti, impediendo notitiam plenam legis, & voluntatis reflexæ, ad nullum alium ordinem meliorandum deſervire popoteſt: ergò Deus non poteſt talem ordinem ſic immutare.

19 Sed contra eſt : nàm iuxta omnem Theologiam, & Metaphyſicam, quando ex duobus entibus vnum exiſtit adæquatè pro priori reali naturæ ad aliud, poteſt exiſtere abſque vlla contradictione ſine illo, & conſequenter de potentia Dei abſoluta : hac enim regula omnes probant naturam poſſe de potentia abſoluta exiſtere ſine proprietatibus, ignem aplicatum paſſo diſpoſito abſque combuſtione, & alia huiuſmodi ; ſed conſcientia directa intelligitur pro priori reali naturæ adæquatè exiſtens ante conſcientiam reflexam: ergò ſaltim de potentia abſoluta exiſtere poteſt, quin reſultet conſcientia reflexa. Secundo : quià nihil eſt negandum Dei potentiæ abſolutæ, niſi adſit manifeſta implicatio, aut ratio impoſsibilitatis ; & hanc rationem tenetur aſsignare, qui negat aliquod poſsibile eſſe de potentia Dei abſoluta. At contrarij nullam rationem vllius momenti aſsignant. Non quidem primam : tùm quià quanvis ille homo in illo caſu careret conſcientia reflexa, quæ eſſet ſtimulus quaſi reflexus arcens illum à malo, haberet tamen conſcientiam directam, quæ directè, & exercitè arceret hominem à malo, eſſetque ſufficiens ſtimulus coercens ab illo malo exiſtimato. Suppoſito autem ſtimulo directo, & ſufficienti coercenti à malo, Deus minimè tenetur ad impertiendum alium ſtimulum reflexũ, quo reflexè voluntas arceatur ab illo malo, ità vt nec de potentia abſoluta poſsit ſuſpendere concurſum ad illum ; id enim omnino voluntariè fingitur, contra dominium ſupremum Dei. Tùm quià Deus, ſuſpendendo concurſum ad illam notitiam legis reflexæ, non eſſet cauſa poſitiva cur homo careret tali notitia, ſed tantum negativè, aut permiſivè, ſiquidem mere negativè ſe haberet, aut permiſive, non exhibendo concurſum, aut notitiam reflexam, ſed ſinendo hominem ſinè illa, ſicut antea erat : minimè autem dedecet Deo eſſe cauſam negativam, aut permiſivam, cur homo careat notitia legis reflexæ ; potiſsime cùm talis notitia neceſſaria non ſit ad rectè operandum, nec ad vitandum peccata.

20 Nec ſecunda, propter eandem rationem: nàm licet omnes cauſæ ſecundæ ſint proximè diſpoſitæ ad manifeſtationem legis reflexæ, ob id tamen, non neceſſitant Deum metaphyſicè, nec illum obligant irreſiſtibiliter, vt cauſet, aut conferat notitiam, aut manifeſtationem legis reflexæ. Sicut quanvis ignis, & paſſum ſint in proxima diſpoſitione ad combuſtionem, non neceſsitant metaphyſicè Deum, vt poſsitivè concurrat ad illam, ſed poteſt ſuſpendere concurſum. Secundo, quià poſſet dari aliqua indiſpoſitio ad recipiendam notitiam legis reflexæ. v.g. aliqua paſſio præveniens impediens advertentiam, & cognitionem reflexam talis legis. Tertio, quià etiam ſi omnes cauſæ ſecundæ ſint diſpoſitæ ad recipiendam notitiam reflexam cuiuſvis notitiæ ſpeculativæ, non ſemper Deus concedit omnibus notitiam reflexam ſuæ cognitionis ſpeculativæ : ergò etiam ſi omnes cauſæ ſecundæ eſſent diſpoſitæ ad recipiendam manifeſtationem legis reflexæ, non indè neceſsitaretur Deus ad eam manifeſtandam.

21 Nec denique tertia : tùm, quià nullũ eſſet neceſſarium miraculum, vt probatum manet. Tùm, quià etiam in ſuperiori ordine poſſunt fieri à Deo miracula, & non ſolum in ordine naturæ ſenſibilis. Vndè iuxta omnes Theologos, adhuc proximè diſpoſito intellectu Angelico, vel humano per lumen gloriæ ad viſionem beatificam, poſſet Deus de potentia abſoluta ſuſpendere cõcurſum ad ipſam viſionẽ. Et, adhuc ſuppoſita viſione, per quam beatus eſt proximè diſpoſitus ad amorẽ beatificũ, poteſt Deus ſuſpendere concurſum ad talem amorem. Et iuxta ferè omnes Ieſuitas, quorum vnus eſt Terillus, poteſt Deus miraculoſe conſervare gratiam non excluſo peccato, quanvis ex natura rei repugnet gratia cùm peccato. Cur igitur non poterit Deus, etiam miraculosè, ſuſpendere concurſum ad notitiam legis reflexę, etiam ſi ſupponatur proxima diſpoſitio ad ipſam?

22 Confirmatur : nàm vel invertere ordinem gratiæ, ſuſpendendo concurſum contra exigentiam gratiæ, vt in prædictis caſibus contingere poteſt, valet deſervire ad meliorandum alium ordinem, vel non ? Si primum : ergò multo melius invertere ordinem naturæ rationalis, ſuſpendendo concurſum contra exigentiam illius, poteſt deſervire ad alium ordinem ſuperiorem meliorandum. Patet conſequentia : nàm ordo gratiæ valdè ſuperior eſt ad ordinem naturæ rationalis ; ergò ſi reſpective ad ordinem gratiæ datur alius ordo ſuperior, cui prodeſe poſsit

in-

inverſio ordinis debiti gratiæ; multo melius reſpectivè ad ordinem naturæ rationalis dari poterit alius ordo ſuperior, cui prodeſſe poſſit inverſio talis ordinis naturæ rationalis. Si dicatur ſecundum: ergò poſſet Deus patrare miracula invertendo ordinem connaturaliter debitum, quin talis inverſio ordinis conducat ad meliorandum alium ordinem ſuperiorem.

23 Vnde fateor cùm Terillo, quod contra, vel ſuprà exigentiam ſupremi ordinis nullum poteſt fieri miraculum; ceterum hoc ideo eſt, quià ſupremus ordo eſt vniverſaliſsima, & ſuprema Dei diſpoſitio, ſub ſe ambiens miracula ipſa. Attamen nullus ordo cuiuslibet creaturæ particularis, ſivè humanæ, ſivè Angelicæ, ſivè etiam ipſius gratiæ, eſt ordo ſupremus, & vniverſaliſsimus, ſed eſt ordo particularis, & inferior, ſub ordine vniverſaliſsimo, & ſupremo divinæ providentiæ contentus. Nullus autem dubitare poteſt, quod inverſio cuiuslibet ordinis particularis, ſecundum divinam diſpoſitionem, id eſt, ſi Deus ità vellet diſponere, conducere poſſet ad ordinem ſupremum implendum, vel meliorandum. Vndè, ſi Deus vellet ſuſpenſio concurſus ad amorem beatificum, etiam ſuppoſita viſione beatifica, conducere poſſet ad ordinem vniverſaliſsimum Dei implendum. Et pariter conſervatio gratiæ ſimul cùm peccato, in adverſariorum ſententia. Cur igitur inverſio ordinis debiti creaturæ rationali, non poſſet conducere ad ordinem ſupremum vniverſaliſsimum Dei implendum, ſi Deus ità vellet diſponere? Sanè, id omnino voluntariè, & abſque fundamento negatur.

24 Secundo, & vltimo reſpondet Terillus: dato quod caſus conſcientiæ erroneæ directæ abſque notitia legis reflexæ ſit poſsibilis, hominem illum non peccaturum operando contra conſcientiam directam erroneam. V. g. caſu, quo per conſcientiam directam iudicaret, vt lege divina prohibitum, & vt malum levare feſtucam, ſi aliam legem reflexam non agnoſceret, inquit Terillus, quod quanvis ille homo cùm prædicta conſcientia levaret feſtucam, non peccaret. Id probat primo, quià cùm conſcientia directa ſit erronea, per illam non certo, ſed formidolosè iudicaret eſſe prohibitum levare feſtucam: ergò ità id iudicaret, quod iudicaret illud fortasè non eſſe prohibitum: dubitaret ergò aliquomodo àn lex prohibens exiſteret, vel non? Ergò operans præcisè ex vi illius cognitionis directæ formidoloſæ, non certo, ſed ſolum fortasè contemnit legem Dei, ſcilicet caſu quo illa exiſtat; ſed tunc non exiſtit: ergò verè non contemnitur.

25 Secundo, quià voluntas illius hominis, qua vellet levare feſtucam, in illo caſu non contrariarerur legi, aut voluntati divinæ veræ: ergò talis voluntas re ipſa non eſſet peccaminoſa. Tertio, quià illud dictamen directum, quod tunc eſſet vltimum conſcientiæ dictamen, eſſet falſum, & erroneum, vt ſupponimus; ſed tale dictamen dicit, quod actus violet legem divinam: ergò falſum, & erroneum eſt quod per illum actum violatur lex divina: ergò ſolum apparenter, & falſo peccaret per illum actum, non autem revera. Quarto, quià peccatum eſſentialiter conſiſtit inviolatione alicuius legis obligantis; ſed tunc caſus nulla lex verè obligans violaretur; non quidem reflexa, quam ſupponimus non cognoſci; nec directa, quàm ſupponimus non eſſe: ergò voluntas non peccaret. Quinto, quià Deus non poſſet talem actionem iuſtè punire: ergò illa actio non eſſet peccatum. Antecedens probatur, quià nulla lex eſſet lata, vi cuius induci poſſet pœna; non quidem directa, quæ non eſſet; nec item reflexa, quæ non violaretur, quià non cognoſceretur: ergò Deus non poteſt talem actionem punire, cùm nullam inveniret ſuæ legis, aut voluntatis tranſgreſionem.

26 Sed hæc Terilli vltima ſolutio planè concedit conſcientiam erroneam non obligare ad culpam eum, qui contra illam operatur, nullumque peccare ex eo quod operetur contra conſcientiam erroneam, ſed tantummodo ex eo quod operatur contra conſcientiam rectam. Quod quidem aperte contrariatur ſententiæ communi omnium antiquorum Theologorum, imò, & RR. Id autem prædictam ſolutionem concedere, clarè patet: nàm vltro aſſerit, imò, & probat, quod quando voluntas agit contra conſcientiam erroneam, ſi ſolum contra illam agat, & non contra aliam conſcientiam rectam, tunc voluntatem non peccare, ſed ſolum peccare, ſi adſit alia conſcientia recta reflexa, contra quàm operetur voluntas. Id autem planè eſt defendere conſcientiam erroneam non obligare ad culpam, ſed ſolum conſcientiam rectam eſſe, quæ obligat.

27 Hoc autem quam falſum ſit, patet primo ex probatione noſtræ concluſionis. Secundo, quià conſcientia reflexa non aſirmat quod, ſi voluntas agat contra ipſam conſcientiam reflexam, peccabit, alioquin eſſet conſcientia reflexa ſuprà

prà reflexam, ſeu ſuprà ſe ipſam: ergò ſolum affirmat quod voluntas peccabit, ſi operetur contra conſcientiam directam præcisè; ſed per te conſcientia reflexa vera eſt in dicto caſu, vtpote recta: ergò verum eſt id quod affirmat, nimirum quod voluntas peccabit præcisè per hoc quod operetur contra conſcientiam directam.

28 Vnde ad obiectionem in contra facile reſpondeo. Ad primam quidem, in primis nego quod conſcientia erronea ſemper ſit formidoloſa, ſæpè enim quis adeò firmitèr adhæret errori, vt nullam formidinem habeat errandi, ſed certitudinem ſubiectivam, ſaltèm moralem. Deinde, dato caſu, quod ſit formidoloſa, quaſi in actu primo, non eſt neceſſe quod actualitèr formidet de oppoſito, dicendo: *Fortasè hoc nõ eſt prohibitũ*, & multo minus quod dubitet àn ſit prohibitum, vel non; imò hoc eſt incompoſibile cùm conſcientia erronea dictante eſſe prohibitum, quià per dubium tollitur error, & commuttatur conſcientia erronea in dubiam. Ac denique, dato quod conſcientia erronea dubitet, & dicat: *Fortasè non eſt hoc prohibitum*, nego quod ſolum fortasè, & non revera contemnat legem Dei. Vel diſtinguo, ſolùm fortasè, & non verè contemnit effectivè legem Dei, concedo. Solum fortasè, & non certò contemnit affectivè legem Dei, nego conſequentiam: quià ille, qui exiſtimans, licet cùm formidine, & dubio, imò, qui dubitat àn ſit prohibitum lege divina levare feſtucam, cùm hac conſcientia vel erronea, vel dubia, ſe determinat ad levandam feſtucam, non fortasè, nec dubitantèr, ſed abſdubio, & certò contemnit affectivè veram legem Dei, licet dubium ſit àn illam violet effectivè, & in executione. Et ratio eſt, nàm licet ad violandam divinam legem effectivè, & in executione, neceſſum ſit quod revera detur talis lex; tamen ad illam violandam affectivè, & in intentione, ſufficit exiſtimare certò, vel cùm aliqua formidine ibi eſſe veram Dei legem: ſicut, vt aliquis effectivè, & in executione occidat hominem, requiritur quod exiſtat verus homo occidendus. Ceterum vt affectivè, & in affectu occidat hominem ſufficit, ſi iaciens ſagittam erga ſcopum, exiſtimet certò, vel cùm formidine ibi eſſe verum hominem.

29 Ad ſecundam paritèr diſtinguo antecedens: ille homo non contrariaretur, aut eius voluntas non contradiceret veræ legi Dei effectivè, concedo: affectivè, nego antecedens: & conſequentiam; quià vt illa voluntas re ipſa eſſet peccaminoſa, ſufficit quod affectivè contrariaretur veræ legi Dei, hoc eſt in affectu, & non in facto, quià non ſolùm eſt peccatum facere aliquid contra legem Dei, ſed illud concupiſcere in affectu: peccatum enim iuxta D. Auguſt. non ſolùm eſt dictum, vel factum, ſed etiam concupitum contra legem æternam.

30 Ad tertiam: conceſſa maiori, diſtinguo minorem, tale dictamen dicit quod actus exterior levandi feſtucam violet divinam legem, concedo minorem; quod actus voluntatis internus, quo vult levare feſtucam, violet divinam legem, nego minorem, & conſequentiam: quià in hoc maximè falluntur reflexiſtæ, quod exiſtimant cognitionem, ſeu iudicium immediatè regulans actum voluntatis proponere ex parte obiecti ipſum actum voluntatis vt bonum, vel malum: id enim falſiſsimum eſt, nàm intellectus non regulat immediatè voluntatem ad aliquem actum, v. g. ad hoc vt vellit levare feſtucam, proponendo illi ipſum velle levare feſtucam, vt bonum, vel malum, ſed proponendo præcisè ex parte obiecti ipſum levare feſtucam, tanquam obiectum bonum, vel malum. Et per hoc præcisè quod intellectus repræſentet voluntati ipſum levare feſtucam, vt obiectum prohibitum lege divina, ſi voluntas tendat affectivè in illud obiectum, quanvis nihil cogitet de ſuo actu formali, abſdubio peccat, quià affective tendit in obiectum, quod advertit, & ei repreſentatur, vt prohibitum: & tendentia affectiva voluntatis in obiectum prohibitum, vt prohibitum, intrinſecè, & eſſentialitèr eſt mala, & peccaminoſa, quãvis intellectus nullam reflexionem faciat ſuprà ipſam tendentiam affectivam, imò quanvis nulla lex reflexa prohiberet illam tendentiam affectivam, ideò enim prohibetur per legem reflexam, quià intrinſecè mala, & peccaminoſa eſt formalitèr: vndè pro priori ad legem reflexam, & independentèr ab illa eſt mala, & peccaminoſa formalitèr.

31 Ex quibus infero, quod quanvis dictamen conſcientiæ directæ, immediatè regulans actum voluntatis, quo vult levare feſtucam, falsò dictet actum levandi feſtucam violare legem Dei, & illi eſſe contrarium; ex hoc ſolum ſequitur falſum eſſe, quod actus externus levandi feſtucam violet divinam legem, & ei ſit contrarius, quià hoc ſolum eſt quod affirmat, & proponit illud dictamen erroneum; non vero ſequitur eſſe falſum, quod actus interior formalis voluntatis, quo vult levare feſtucam, affectivè contrarietur divinæ legi, & eam affectivè violet, quià hoc non affirmat,

mat, nec repræſentat illud dictamen erroneum; ſed potius ad illud dictamen erroneum verè conſequitur quod, ſi voluntas cùm illo velit levare feſtucam, affectivè violabit divinam legem; & hoc affirmat conſcientia reflexa, quàm contrarius aſſerit eſſe rectam, & veram, ac per conſequens id verum eſt, & non affirmatur per iudicium erroneum.

32 Ex quo, ad quartam diſtinguo maiorem: peccatum eſſentialiter conſiſtit in violatione divinæ legis, vel effectiva, vel affectiva, concedo: præcisè, & ſemper effectiva, nego maiorem: & diſtinguo minorem: tunc caſus nulla lex verè obligans violaretur effectivè, & in executione, concedo: non violaretur affectivè, ſivè in affectu, nego minorem: quià lex directa, vt verè obligans violaretur affectivè. Nec obeſt quod talis lex directa non daretur, nec verè obligaret in re, quià vt affectivè violetur, ſufficit, quod exiſtimetur ibi revera eſſe, & quod obliget in conſcientia, ſeu in exiſtimatione. Sicut, vt aliquis occidat affectivè Sacerdotem, ſufficit quod exiſtimet ſcopum, verſus quem ſagittam iacit, eſſe hominem, qui in eius exiſtimatione ſit Sacerdos.

33 Ad quintum, nego antecedens. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens: nulla lex eſſet lata, nec in re, nec in exiſtimatione operantis, nego: in re præcisè, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quià non ſolum iuſtè punitur qui violat effectivè legem re ipſa exiſtentem, ſed qui violat affectivè legem, quam exiſtimat re ipſa exiſtere. Sicut non ſolum eſſet dignus pœna, qui re ipſa occideret hominem Sacerdotem, ſed qui ſagittam iaceret verſus ſcopum, quem iudicaret eſſe hominem Sacerdotem, quià affectivè, licet non effectivè, occideret hominem Sacerdotem.

§. III.

Impugnatur lex reflexa obligans ad ſequendam conſcientiam erroneam.

34 DICO Tertio, contra Terillum: *Non datur lex reflexa determinatè præcipiens agere ſecundum conſcientiam erroneam, nec indifferenter, & vniverſalitèr præcipiens agere ſecundum conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam.* Duas partes continet concluſio. Quoad primam facile probatur, quià repugnat lex, quæ nunquam in actu obligare poſsit, vel ſaltèm talis lex minimè datur; ſed lex reflexa præcipiens determinatè ſequi conſcientiam erroneam nunquam obligare poteſt: ergò talis lex minimè datur. Minor probatur, quià talis lex obligare non poſſet, quando aliquis exiſtimaret ſuam conſcientiam eſſe erroneam: deindè nec quando id non exiſtimaret: ergo nunquam. Maior probatur primo, quià quando aliquis cognoſcit ſuam conſcientiam eſſe erroneam, iam non habet conſcientiam erroneam, ſed potius cognoſcit veritatem, & deponit errorem; ſed quando quis non habet conſcientiam erroneam, minimè obligari poteſt per divinam legem ad ſequendam conſcientiam erroneam: ergò. Secundo, quià, dùm aliquis exiſtimat ſuam conſcientiam dictantem, vt prohibitum levare feſtucam, eſſe erroneam, exiſtimat falſum eſſe quod ſit prohibitum levare feſtucam; ſed implicat, quod quis obligetur ad non levandam feſtucam, quando exiſtimat falſum eſſe quod hoc ſit prohibitum, aliàs obligaretur ad non faciendum id, quod iudicabat, vt ſibi non prohibitum: ergò illa lex non obligaret ad ſequendam conſcientiam erroneam, quando quis exiſtimaret illam eſſe erroneam.

35 Deinde probatur minor; quià, quando quis non exiſtimaret ſuam conſcientiam eſſe erroneam, nec etiam exiſtimaret ſe eſſe in caſu prædictæ legis reflexæ; nàm prædicta lex determinatè præciperet ſequi conſcientiam erroneam: ergò qui non exiſtimat ſe habere conſcientiam erroneam, ſed potius iudicat eam eſſe rectam, minimè exiſtimat ſe eſſe in caſu prædictæ legis, ſed potius exiſtimat ſe eſſe in caſu oppoſito. Sed qui non exiſtimat ſe eſſe in caſu alicuius legis, ſed potius exiſtimat ſe eſſe in caſu oppoſito, minimè obligatur in actu à tali lege, vt per ſe patet: ergò talis lex non obligaret in actu, quando quis non exiſtimaret ſuam conſcientiam eſſe erroneam.

36 Deinde probatur concluſio quoad ſecundam partem, primo, quià ſi daretur lex indifferenter, & vniverſalitèr præcipiens ſequi conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, nulla nobis eſſet neceſſaria ſolicitudo, & diligentia ad habendam conſcientiam potius rectam, quã erroneam, nàm quælibet nobis ſufficeret, id eſt, non minus erronea, quam recta, ad operandum conformitèr ad Dei legem, & voluntatem; ſi enim Deus vult, & præcipit vniverſalitèr, vt ſequaris conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, quamcumque ſequaris, æquè conformaris voluntati, & legi Dei: vt quid ergò ſolicitudo pro habẽda potius conſcientia recta, quam erronea?

Di-

37 Dices primo: talem ſolicitudinem eſſe neceſſariam ad operandum conformitèr ad legem Dei directam. Sed contra: nàm voluntas, & lex Dei directa, iuxta contrarios, non eſt vltima voluntas, & lex Dei, per ordinem ad quam menſuratur honeſtas, vel inhoneſtas operationis, ſed hoc ſolum competit voluntati, & legi divinæ reflexæ; vndè iuxta ipſos, ſi quis operetur conformitèr ad legem Dei reflexam, ſemper rectè, & honeſtè operatur, ſivè eius operatio ſit contra, ſivè iuxta legem directam; nec vllo modo minuitur, aut tollitur honeſtas operationis, ex eo quod ſit contra legem directam, dummodo ſit iuxta legem reflexam ſequendi conſcientiam: ergò ad operandum honeſtè ſolum intereſt operari conformitèr ad legem Dei reflexam, non autem operari potius conformitèr ad legem directam, quam ad reflexam: ergò ad operandum honeſtè ſuperflua erit diligentia operandi conformitèr ad legem Dei directam, & ſolum erit neceſſaria ſolicitudo operandi conformitèr ad reflexã. Tunc ſic, per te, ſolicitudo habendi conſcientiam rectam ſolum eſt neceſſaria ad operandum conformitèr ad legem Dei directam; ſed ſolicitudo operandi conformiter, ſivè ſecundum legem Dei directam eſt ſuperflua ad honeſtè, & rectè operandum, dummodo opereris ſecundum legem Dei reflexam: ergò ſolicitudo habendi conſcientiam rectam inutilis, & ſuperflua erit ad rectè, & honeſtè operandũ.

38 Dices ſecundo, legem reflexam ſolum præcipere ſequelam conſcientiæ, ſivè rectæ, ſivè erroneæ, poſt diligentem, & ſolicitam inquiſitionem veritatis, per priuſque præcipere diligentem veritatis indagationem: vndè ex vi legis reflexæ tenemur ad ſolicitandam veritatem, & rectitudinem conſcientiæ. Sed contra eſt primo, nàm ſi ſemel datur talis lex reflexa, etiam obligat ad ſequendam conſcientiam erroneam vincibilem: ergò præcipit ſequi illam, & ſi non præceſſerit ſufficiens inquiſitio veritatis. Secundo: nàm implicat voluntas Dei, quæ velit, & præcipiat quod ſolicitè quæras veritatem, & rectitudinem in conſcientia, & item quod poſt talem inquiſitionem velit æquè quod ſequaris conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam: ergò ruit ſolutio, quæ in hoc fundatur. Antecedens probatur, quià eatenus Deus vult, & præcipit quod diligentèr quæras rectitudinem, & veritatem in conſcientia, quià per prius determinatè vult quod opereris ſecundum conſcientiam rectam, & non vult quod opereris ſecundum erroneam, & ideò te obligat, vt pro poſſe removeas errorem à conſcientia, quià non vult quod operis ſecundum conſcientiam erroneam. Sed implicat quod Deus antecedentèr velit determinatè quod opereris ſecundum conſcientiam rectam, & nolit quod opereris ſecundum erroneam, & quod eadem, vel conſequenti voluntate velit quod opereris, non minus ſecundum conſcientiam erroneam, quàm ſecundum rectam, alias enim voluntas divina ſibi contradiceret: ergò.

39 Explicatur: Deus per legem reflexã, vel pro priori ad illam præcipit, & vult quod diligentèr inquiras legem Dei veram: ſed hoc Deus non vellet, nec præciperet, niſi per prius vellet quod opereris ſecundum legem Dei veram, & non falſam. Nàm, ſi ſolum vellet quod opereris ſecundum legem, ſivè veram, ſivè falſam, ex hac voluntate non tibi præciperet inquirere legem veram, & illam præponere falſæ; cùm igitur hoc præcipit, ideò eſt, quià vult quod opereris ſecundum legem Dei veram, & non ſecundum legem purè apparentem, & falſam. Tunc ſic, ſed implicat quod Deus velit, aut præcipiat quod opereris ſecundum legem Dei veram, & non ſecundum falſam, & quod conſequentèr ad hanc voluntatem, & legem præcipiat, & velit quod opereris indifferentèr; & vniverſalitèr, tàm ſecundum legem falſam, quàm ſecundum legem veram, quià ità ſibi contradiceret manifeſtè: ergò Deus non habet legem reflexam, qua velit, aut præcipiat vniverſalitèr, vt opereris, tàm ſecundum legem Dei falſam, & purè apparentem, quam ſecundum legem Dei veram. Tunc ſic, ſed operari ſecũdum conſcientiam erroneam, eſt operari ſecundum legem Dei falſam, & purè apparentem; & operari ſecundum conſcientiam rectam, eſt operari ſecundum legem Dei veram: ergò Deus non habet legem reflexam, vi cuius præcipiat, & velit quod opereris indifferentèr, tàm ſecundum conſcientiam erroneam, quàm ſecundum conſcientiam rectam.

40 Ex quibus ſecundo ſic probo ſecundam partem concluſionis: implicat quod Deus verè, & realitèr præcipiat, & velit contraria, & oppoſita; ſed ſi Deus lege, & voluntate reflexa præciperet vniverſalitèr ſequi conſcientiam tam erroneam, quàm rectam, præciperet, & vellet oppoſita, & contraria verè, & realitèr: ergò nequit Deus habere prædictam legem reflexam. Minor probatur, nàm Deus verè, & realitèr habet legem directam præcipientem vniverſalitèr nunquam mentiri, aliundeque, ſi haberet legem reflexam vniverſali-

alitèr præcipientem ſequi conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, per illam præciperet aliquando mentiri; ſed nunquam mentiri, & aliquando mentiri ſunt contradictoriè oppoſita: ergò, ſi haberet talem legem vniverſalem reflexam præciperet contradictoriè oppoſita. Maior quoad ſecundam partem probatur: quià ſi Deus illa lege vniverſali reflexa præciperet ſequi conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, per illam præciperet ſequi conſcientiam dictantem mendacium eſſe præceptum à Deo: quod quidem ſic manifeſtè domonſtratur: nàm Deus per te præcipit vniverſalitèr ſequi conſcientiam, tam erroneam, quam rectam; ſed conſcientia dictans mendacium eſſe à Deo præceptum eſt conſcientia erronea: ergò Deus per talem legem præcipit me ſequi conſcientiam dictantem mendacium eſſe à Deo præceptum. Sed ſequi talem conſcientiam eſt formaliſsimè proferre mendacium, ſeu mentiri: ergò per talem legem reflexam præcipit Deus mentiri aliquando, ſcilicet cùm habeo conſcientiam dictantem mendacium eſſe à Deo præceptum: cùm ergò per legem directam Deus præcipiat nunquam omnino mentiri, ſequitur manifeſtè quod Deus præcipiat ſimul oppoſita contradictoriè; quod quis non videat abſurdiſsimum eſſe.

41 Ad hæc reſpondebit forſan Terillus ex à ſe tradita doctrina dicta quæſt. 11. num. 11. vbi aſſerit quod lex æterna, ſeu voluntas Dei, à qua tanquam à prima regula obiectiva omnis moralitas Theologica derivatur, duplex eſt, alià quæ per ſe exiſtit in Deo, alia quæ per accidens exiſtit, & dirigit nos. Primam, ait, eſſe qua Deus directè, & ex primaria intentione exigit à nobis aliquod obſequium. Secundam appellat illam, qua Deus neque directè, neque ex primaria intentione, ſed ex ſuppoſitione alicuius erroris in mente creaturæ, ab illa exigit obſequium. Hanc diſtinctionem, ait, eſſe ſummi momenti. Qua ſuppoſita facile reſponderi poteſt, nullum eſſe inconveniens quod Deus præcipiat per ſe nunquam mentiri, & tamen quod per accidens, ſuppoſita conſcientia erronea, præcipiat hic, & nunc mentiri: hoc enim eſt præcipere oppoſita, vnum per ſe, & aliud per accidens, quod rectè ſalvatur abſque contradictione.

42 Sed hæc diſtinctio diviuæ legis, & voluntatis craſiſsima laborat æquivocatione contrariorum; aliud enim eſt quod divina lex, vel voluntas poſsit obligare ad vnum quidem per ſe, ad aliud vero per accidens, v. g. lex præcipiens ſequi conſcientiam rectam, quæ per ſe quidem obligat ad ſequendam conſcientiam rectam; per accidens autem obligat ad ſequendam erroneam, quià per errorem exiſtimatur recta. Aliud valdè diſtinctum, quod detur in Deo duplex lex, & voluntas; vna quæ exiſtat per ſe, & præcipiat ſequi conſcientiam rectam; alia quæ exiſtat per accidens, & præcipiat ſequi conſcientiam erroneam. Primum quidem verum eſt, & expreſſum in Div. Thom. vt infrà declarabimus. Secundum autem eſſe falſiſsimum pluribus demonſtro.

43 Primo: quià implicat quod aliqua vera lex, & voluntas exiſtat ex parte Dei, & quod exiſtat per accidens, & non per ſe: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur, quià aliquid exiſtere ex parte Dei per accidens, eſt exiſtere prætèr Dei ſcientiam, vel ſaltèm prætèr Dei voluntatem, & intentionem, quod enim exiſtit, & non prætèr Dei ſcientiam, nec prætèr eius intentionem, ſed potius ex eius intentione, & ſapientia, falſiſsimè dicitur exiſtere per accidens reſpectu Dei, & veriſsimè dicitur eſſe à Deo per ſe, nec alitèr vnquam audivi explicare hos terminos, *per accidens*, & *per ſe*; ſed implicat manifeſtè quod ex parte Dei exiſtat aliqua vera lex, vel voluntas prætèr eius ſcientiam, aut intentionem; nàm lex divina eſt dictamen divinæ ſcientiæ practicæ, quod proinde repugnat exiſtere prætèr Dei ſcientiam; & etiam quælibet divina voluntas repugnat ex terminis eſſe prætèr Dei intentionem, ſicut eſſe prætèr Dei voluntatem: ergò implicat in terminis quod aliqua vera lex, vel voluntas exiſtat ex parte Dei, & quod exiſtat ex parte ipſius per accidens, & non per ſe.

44 Dices: eam legem, & voluntatem ideò dici exiſtentem per accidens, quià non eſt ex primaria Dei intentione, & directa voluntate, ſed ex intentione ſecundaria, & quaſi reflexa. Sed contra, quià quod eſt à Deo ex eius voluntate, & intentione, licet ſecundaria, aut reflexa, ad ſummum dici poteſt quod non exiſtit per ſe primo reſpectu Dei; cæterum negari non poteſt quod exiſtat ſaltèm per ſe ſecundo reſpectu ipſius. Semel autem conceſſo quod ſit à Deo per ſe ſecundò, qualitèr dici poteſt quod exiſtit pùrè per accidens, & non per ſe? Nunquid aliquis vnquam dixit generantem producere per ac-

cidens, & non per ſe proprietates geniti, quià illas producit per ſe ſecundo, & non per ſe primo? Nunquid aliquis dixit Deum velle, & cognoſcere per accidens creaturas, quià illas cognoſcit, & vult per ſe ſecundo, & non per ſe primo, id eſt, primario? Ergò ineptiſsimè dicitur aliquam legem, vel voluntatem exiſtere ex parte Dei per accidens, & non per ſe, eo quod non ſit primario intenta à Deo, ſed quaſi ſecundario, & per ſe ſecundo.

45 Dices: ideò talem voluntatem dici exiſtentem per accidens, quià ſolum exiſtit ex ſuppoſitione erroris, vel ignorantiæ in mente creaturæ exiſtentis, qui quidem error, vel ignorantia eſt præter Dei intentionem, & voluntatem. Sed contra: quià licet talis lex, vel voluntas in Deo exiſtat ex ſuppoſitione erroris, vel ignorantiæ, quæ eſt præter Dei intentionem; tamen, ſi Deus, ſuppoſito tali errore, vel ignorantia, vera voluntate, & lege vult, & præcipit ſequi talem errorem, talis Dei voluntas, & lex minimè eſt ex parte Dei per accidens, ſed potius eſt verè per ſe ab ipſo: ergò ex tali capite ineptiſsimè dicitur talem legem, & voluntatem eſſe in Deo per accidens. Antecedens probatur: nàm Deus non vult, nec præcipit hominem agere pœnitentiam, niſi ſuppoſito peccato, quod incurritur ab ipſo omnino præter Dei intentionem; & tamen ex hoc nullus vnquam dixit talem Dei voluntatem, & legem eſſe per accidens ex parte Dei, aut Deum velle per accidens, & præcipere pœnitentiam: ergo ex eo quod Deus tantum, ſuppoſito errore, vel ignorantia, quæ incurritur præter Dei intentionem, præcipiat ſequelam prædicti erroris, ineptè infertur Deum id præcipere, aut velle per accidens, ſi ſemel, ſuppoſito tali errore, Deus habet veram voluntatem, & legem id præcipientem.

46 Secundo probatur aſſumptum, quià, adhuc admiſſo quod prædicta lex reflexa dicatur exiſtere in Deo per accidens, implicat tamen eam exiſtere ſimul ex parte Dei cùm alia directa præcipiente nunquam omnino mentiri: ergò ruit etiam ex hac parte ſolutio. Antecedens probatur: nàm hæc lex reflexa, licet per accidens exiſteret in Deo, id eſt, ſuppoſita conſcientia erronea dictante Deum præcepiſſe mendacium in his circunſtantijs, tamen, ſuppoſita tali conſcientia, per ſe præciperet proferre mendacium hic & nunc; ſed implicat exiſtere adhuc per accidens in Deo legem per ſe præcipientem proferre mendacium ſimul cùm alia lege per ſe exiſtente, & præcipiente nunquam omnino proferre mendacium: ergò. Maior patet: nàm, ſuppoſita in Deo lege præcipiente nunquam omnino proferre mendacium, manifeſtè implicat ſimul exiſtere, adhuc per accidens, in ipſo aliam legem per ſe præcipientem oppoſitum, id eſt, hic & nunc proferre mendacium. Maior verò probatur: quià illa lex reflexa, licet per accidens exiſteret, præciperet tamen, & vellet per ſe, quod homo ille ſequeretur illam conſcientiam erroneam dictantem mendacium eſſe hic & nunc proferendum de præcepto; ſed ſequi illam conſcientiam eſt formaliſsimè mentiri, ſeu proferre mendacium: ergò illa lex præciperet, & vellet per ſe quod homo ille hic & nunc proferret mendacium. Maior probatur: nàm illa lex reflexa per accidens exiſtens, ſi eſt vera lex, & voluntas Dei, vt ſupponit contrarius, neceſſario vult aliquid, & aliquid præcipit per ſe; repugnat enim vera lex Dei, quocumque modo exiſtens, quæ nihil præcipiat per ſe, & voluntas vera Dei, quocumque modo exiſtens, quæ nihil velit per ſe: nàm omnis vera lex per ſe & ex natura ſua aliquid præcipit, & omnis vera voluntas per ſe & ex natura ſua aliquid vult. Imò implicat quod aliquid velit, aut præcipiat per accidens, niſi quià ad aliud reſpiciat per ſe. Nàm vt latè oſtendi tract. de Provid. q. 19. à num. 54. ex Div. Thom. omne per accidens redducitur ad per ſe; ſed illa lex reflexa nihil aliud præcipit, niſi quod homo ſequatur illam conſcientiam: ergò illud præcipit per ſe.

47 Tertio, quià, vt dicto loco probavi num. 38. implicat manifeſtè aliquam actionem veram, & poſitivam convenire Deo purè per accidens, & non per ſe, idque eſt indecorum ipſi Deo, vt oſtendo num 91. Sed lex, & voluntas vera Dei eſt vera actio Dei: ergò implicat vera lex, & voluntas Dei, quæ Deo conveniat, aut in ipſo ſit purè per accidens, idque erit indecorum ipſi Deo.

48 Denique probatur aſſumptum, nàm ſi Deus haberet legem reflexam veram præcipientem ſequi conſcientiam vniverſaliter, ſivè veram, ſivè falſam, hoc eſt, ſivè rectam, ſivè erroneam, divina lex ſubordinaretur noſtro dictamini, ac perconſequens non eſſet prima, ſed ſecunda regula moralitatis, & noſtrum dictamen eſſet prima; ſed hoc eſt abſurdiſsimum, & contra omnes Theologos: ergo. Sequela pro-

probatur, quià prædicta lex, vtpote reflexa, supponeret omnem Dei legem directam, & consequenter esset vltimum dictamen Dei; itemque per illam dictaret Deus omne illud faciendum, quod conscientia, sivè dictamen humanum dictaret vt bonum, & honestum, & omne illud vitandum, quod conscientia, seu dictamen humanum dictaret, vt inhonestum, & malum, & hoc, sivè talis conscientia, aut dictamen revera esset conformè, sivè disconforme divinæ legi, siquidem dictaret in omnibus sequendam esse conscientiam propriam ab hominibus, sivè rectam, sivè erroneam. Sed eo ipso quod Deus sua vltima lege, & vltimo dictamine dictet illud esse faciendum, quod conscientia, hominis, sivè conformis, sivè disconformis suę legi dictaverit, vt honestum, & illud vitandum, quod ipsa proposuerit vt malum, & inhonestum, subordinat suam legē dictamini nostro, facitque dictamen nostrum primam regulam moralitatis: ergò, si admittatur prædicta lex reflexa, per illam subordinat Deus suam legem dictamini nostræ conscientiæ, facitque tale dictamen primam regulam moralitatis. Minor probatur exemplo clarissimo: nàm si Rex, quibuscumque latis legibus particularibus, statueret aliquem Ministrum, & vltima sua lege præciperet illud faciendum, quod talis Minister dictaret, vt reipublicæ bonum, & illud vitandum quod talis Minister dictaret, vt reipublicæ malum, & hoc vniversalitèr, & indifferentèr, sivè dictamen illius Ministri re ipsa esset conformè, sivè disconformè suis legibus; sanè talis Rex omnem suam legem subordinaret dictamini illius Ministri, & dictamen illius Ministri faceret primam legem, & primam regulam operandi in suo regno in ordine ad bonum reipublicæ: ergò paritèr, si Deus vltima sua lege, postquam omnes leges directas, & particulares promulgavit, tandem reflexione facta statuit, àc dictat omne illud faciendum, quod cuiusque conscientia dictaverit vt honestum, & illud vitandum quod ipsa dictaverit vt malum, sivè ipsa conscientia conformetur divinis legibus, sivè non, absdubio subordinat omnem suam legem dictamini propriæ conscientiæ, taleque dictamen ponit, vt primam regulam operandi.

49 Explicatur amplius, nàm si per impossibile voluntas divina, post omnem suam voluntatem particularem, tandem reflexione facta, vellet vniversalitèr illa tantum fieri, quæ voluntas humana vellet, & illa non fieri, quæ voluntas humana nollet, & hoc sivè voluntas humana discordaret à voluntate divina, sivè non, absdubio suam voluntatem subordinaret voluntati humanæ, faceretque voluntatem humanam primam voluntatem circa omnia particularia volibilia: ergò paritèr, si Deus post omnes leges particulares, reflexione facta, vltimo præcipit illud præcisè faciendum, quod dictamen propriæ conscientiæ dictaverit vt honestum, & illud non faciendum, quod ipsa dictaverit vt malum, sivè tale dictamen concordet, sivè discordet à lege Dei, absdubio subordinat omnem suam legem dictamini propriæ conscientiæ, facitque dictamen propriæ conscientiæ primam regulam, & primam legem.

50 Confirmatur: posita prædicta lege reflexa, omnis Dei lex, tàm ipsa, quàm cæteræ leges directæ manent subordinatæ dictamini nostræ conscientiæ; sed eo ipso tale dictamen constituitur simpliciter prima regula, & prima lex: ergò. Maior quoad primam partem patet, quia prędicta lex, quantum est ex se, solum præcipit faciendum, quod nostra conscientia dictaverit, sub conditione quod illud dictaverit: ergò præcipit determinatè esse mentiendum, si nostra conscientia dictaverit esse mentiendum, & præcipit esse proferendam veritatem, si id dictaverit nostra conscientia; sed eo ipso in præcipiendo determinatè vnum præ alio subordinatur dictamini nostræ conscientiæ, & ab illo dependet: ergò prædicta lex reflexa præcipiens agere secundum conscientiam, sivè rectam, sivè erroneam, in præcipiendo vnum præ alio subordinatur dictamini nostræ conscientiæ. Secundo à paritate, quià per decretum indifferens applicativum omnipotentiæ subordinatur ipsa omnipotentia, ipsumque decretum nostræ voluntati in concurrendo ad vnum præ alio, vt nos probavimus tract. de Provid. quæst. 6. à num. 13. & fatebantur illius Authores ante damnationem Innocentij XI. Sed hoc non alia ratione, nisi quià Deus per tale decretum, quantum est ex se, solum decerneret concurrere ad quod voluntas creata determinaret: ergò si prædicta lex reflexa præcipit præcisè, quantum est ex se, id faciendum, quod conscientia propria, sivè recta, sivè erronea, determinaverit, aut dictaverit esse faciendum, absdubio Deus per talem legem subordinatur dictamini nostræ conscientiæ in præcipiendo vnum præ alio. Tertio: Quià prædicta lex reflexa, si conscientia dictaverit esse proferendum mendacium, iàm præciperet potius proferre mendacium, quàm veritatem; si

vero conſcientia dictaverit eſſe proferendam veritatem, iàm potius præcipit proferre veritatem, quàm mendacium. Cur igitur in primo caſu præcipit potius proferre mendacium, quàm veritatem? Et cur in ſecundo potius præcipit proferre veritatem, quàm mendacium? Sanè non alia eſt ratio, aut cauſa, niſi quià conſcientia in primo caſu illud dictat; in ſecundo verò dictat oppoſitum: ergò illa lex reflexa in præcipiendo vnum præ alio ſubordinatur dictamini noſtræ conſcienciæ, ſivè recto, ſivè erroneo.

51 Deindè probatur maior primi ſyllogiſmi quoad ſecundam partem, nimirum, quod, poſita prædicta lege reflexa, omnes leges directæ manent ſubordinatæ dictamini noſtræ conſcientiæ, ſivè recto, ſivè erroneo. Nàm illa lex reflexa reflectitur ſuprà omnes leges directas, & præcipit tunc ſolum eſſe faciendum, quod legibus directis præcipitur, quando illud conſcientia dictaverit, vt honeſtum, & tunc non faciendum, quando illud conſcientia dictaverit, vt prohibitum. Sed eo ipſo omnes leges directas facit conditionatas, dependentes, & ſubordinatas dictamini noſtræ conſcientiæ, ſivè recto, ſivè erroneo, vt per ſe patet: ergò. Secundo, quià poſita illa lege reflexa, lex directa præcipiens non mentiri, tantum manet in eſſe legis conditionatè præcipientis non mentiri, ſi nimirú conſcientia dictaverit eſſe prohibitum mendacium; ſed lex directa ſic præcipiens, & ſic conditionata, manifeſtè præcipit non mentiri cùm ſubordinatione ad dictamen noſtræ conſcientiæ, & dependentia ab illo: ergò talis lex directa, (& idem de qualibet alia) manet ſubordinata in præcipiendo dictamini noſtræ conſcientiæ. Maior probatur: quià poſita illa lege reflexa, non poteſt lex directa manere in eſſe legis abſolutè præcipientis nunquam mentiri: ergò tantum manet in eſſe legis conditionatè præcipientis. Antecedens probatur: quià implicat Deum ſimul præcipere ſequendam eſſe conſcientiam dictantem mendacium hic, & nunc eſſe proferendum, & item præcipere abſolutè, & independentèr omnino à tali dictamine, mendacium nunquam eſſe proferendum; nàm hoc, vt ſuprà probavimus, eſſet ſupremum legislatorem haberè duas leges ſimul inter ſe oppoſitas, & contrarias; ſed lex reflexa præcipit ſequendam eſſe conſcientiam dictantem hic, & nunc mendacium eſſe proferendum: ergò implicat quod in ſenſu compoſito illius maneat lex directa abſolutè præcipiens mendacium nunquam eſſe proferendum, ſed ad ſummum poteſt id præcipere conditionatè.

52 Dices forſam, id probare contra omnes, quià omnes tenentur fateri legem directam, prohibentem mendacium, eſſe aliqualitèr conditionatam, & ſubordinatam dictamini noſtræ conſcientiæ. Etenim talis lex non præcipit non proferre mendacium, etiam ſi conſcientia dictaverit eſſe honeſtum, & proferendum, vt obligatorium, ſeu pro caſu quo id conſcientia iudicaverit. Cùm enim non proferre mendacium pro caſu, quo conſcientia dictaverit vt obligatorium illud proferre, ſit peccatum, id lex Dei præcipere non poteſt, quià nequit præcipere peccatum: ergò talis lex non præcipit abſolutè nunquam omnino proferre mendacium, hoc eſt, ſivè pro caſu quo conſcientia dictaverit illud, vt obligatorium, ſivè pro caſu oppoſito, ſed ſolum præcipit non proferre mendacium pro caſu quo conſcientia illud iudicaverit vt prohibitum: ergò talis lex ſemper præcipit conditionatè non proferre mendacium, id eſt, ſi conſcientia illud iudicaverit vt prohibitum.

53 Reſpondeo: legem directam prohibentem mendacium eſſe omnino abſolutam, & nullo modo conditionatam. Non quià habeat hoc obiectum: *Præcipio non proferre mendacium, etiam pro caſu conſcientiæ dictantis illud eſſe obligatorium*: nàm hoc obiectum, vtpote peccaminoſum intrinſecè, à Deo præcipi non poteſt. Sed quià independentèr omnino à dictaminè noſtræ conſcientiæ, & pro priori ad illud præcipit hoc obiectum: *Nunquam proferre mendacium*, minimè ex parte obiecti apponendo vllam conditionem in conſcientiæ noſtræ. Et ratio evidens eſt, quià lex directa nullatenus reſpicit ex parte obiecti noſtram conſcientiam directam, alias reflecteret ſuprà illam, & iàm non eſſet lex directa, ſed reflexa: ſed præcisè terminatur ad obiectum noſtræ conſcientiæ directæ, v. g. ad mendacium ſecundum eſſe quod habet independentèr à noſtra conſcientia intrinſicè, & ſecundum ſe; vndè cùm illud præcipit non proferre, id quidem abſolutè præcipit independentèr omnino, tàm ex modo tendendi, quàm ex parte obiecti, à dictamine noſtræ conſcientiæ, minimè ponendo pro conditione, nec ſubiectiva, nec obiectiva dictamen noſtræ conſcientiæ, ſed cùm omnimoda independentia, & prioritate à tali dictamine, & hoc eſt præcipere omnino abſolutè.

54 Quæ quidem lex directa ſic præcipiens independentèr, & abſolutè pro priori ad dictamen noſtræ conſcientiæ, eſt omnino immobilis, inflexibi-

lis,

lis, & indeterminabilis per dictamen nostræ conscientiæ, fixè, & firmissimè id ipsum præcipiens, sivè hoc, sivè contrarium dictaverit nostra conscientia. Et ratio horum est, nàm illa lex directa est prima regula nostræ conscientiæ; sed de ratione primæ regulæ in quocumque genere est quod in illo genere sit fixa, firma, immobilis, inflexibilis, aut indeterminabilis per regulatum inferius, & independens ab illo, vt nimirum per illam infallibilitèr cognosci possit, quando regulatum inferius rectè, vel pravè se habet: ergò lex illa directa debet esse absoluta, fixa, firma, & constantèr idem omnino præcipiens, immobilisque, & inflexibilis, aut indeterminabilis, per dictamen nostræ conscientiæ, & independentèr ab illo.

55 Sed dices iterum: lex directa præcisè prohibet, seu præcipit non proferre mendacium consideratum secundum se, & pro priori ad dictamen nostræ conscientiæ, seu secundum esse quod habet à parte rei; lex autem reflexa solum respicit mendacium secundum esse quod habet in conscientia, & prout ab illa existimatur; sed nulla est contrarietas in eo quod Deus præcipiat non mentiri, considerando mendacium secundum se, & secundum esse, quod ei convenit à parte rei, & item reflexè præcipiat proferre mendacium consideratum secundum esse, quod habet in conscientia, seu secundum quod existimativè est honestum, & obligatorium in constientia: ergò lex reflexa, & directa nullam dicunt oppositionem in Deo. Minor patet: nàm illa duo præcepta respiciunt distincta obiecta.

56 Quoad secundam partem, distinguo maiorem: lex autem reflexa solum respicit mendacium secundum esse, quod habet in conscientia, præcipiendo illud ponere à parte rei, sicut est in conscientia, concedo maiorem; præcipiendo illud ponere obiectivè tantum in conscientia, nego maiorem, & minorem. Ad cuius probationem, nego quod illa duo præcepta respiciant distincta obiecta compatibilia: nàm in primis lex directa prohibet proferre mendacium à parte rei, seu prohibet mendacium secundum esse, quod habet, & ei competit à parte rei. Deindè lex reflexa cùm præcipiens quod sequaris conscientiam dictantem mendacium esse proferendum, etiam præcipit quod proferas à parte rei mendacium, & consequentèr, quod illud ponas cùm suo esse à parte rei. Quod sic suadetur: nàm sequi conscientiam dictantem mendacium hic, & nunc esse proferendum, est formalissimè, non quidem ponere mendacium obiectivè tantum in intellectu, aut in conscientia, sed illud proferre re ipsa à parte rei; sed lex reflexa præcipit quod sequaris conscientiam hic, & nunc dictantem mendacium esse proferendum: ergò præcipit, non quidem ponere mendacium tantum obiectivè in intellectu, sed illud proferre à parte rei, & consequentèr, quod illud ponas cùm suo esse à parte rei. Vnde cùm aliàs etiam lex directa prohibeat ponere mendacium cùm suo esse à parte rei, seu illud re ipsa proferre, absdubio vtraque lex tam directa, quam reflexa respiciunt idem obiectum, vna illud prohibendo, alia illud præcipiendo; ergò sunt leges intèr se oppositæ.

57 Explicatur: istæ duæ assertiones speculativæ re ipsa sunt oppositæ, & repugnant in eodem intellectu; *Petrus est iustus. Falsum est iudicium affirmans Petrum esse iustum.* Et hæc secunda benè inspecta negat ipsum obiectum primæ, quià licet prima affirmet directè Petrum esse iustum, respiciatque Petri iustitiam secundum esse quod habet à parte rei, & secunda reflectatur suprà illam, vt affirmatam per iudicium, & illam respiciat secundum esse, quod habet intentionale in iudicio, tamen affirmando quod tale iudicium est falsum, re ipsa affirmat Petrum non esse iustum à parte rei; quia illud iudicium esse falsum, formalissimè est, *Petrum non esse à parte rei iustum, sicut est in illo iudicio.* Sed istæ duæ leges: *proferendum non est mendacium: sequendum est dictamen dictans proferendum esse mendacium,* eodem pacto se habent, nàm hæc secunda, licet media reflexione, tandem precipit quod à parte rei proferas mendacium; in hoc enim formalissimè consistit sequi illud dictamen: ergò licet secunda lex, nimirum reflexa, reflectatur suprà mendacium secundum esse obiectivum, quod habet in conscientia, re ipsa tamen opponitur cùm prima lege directa, & habet idem obiectum præceptum, quod illa respicit prohibitum, & consequentèr nequit componi cùm illa in eodem intellectu, aut voluntate divina.

58 Vrgetur: lex reflexa, quæ præcipit *sequi conscientiam dictantem mendacium esse proferendum*, formalissimè præcipit, *proferre mendacium propositum per conscientiam, vt obligatorium.* Sed hoc obiectum: *proferre mendacium propositum, vt obligatorium*, formalissime incudit, *proferre mendacium re ipsa*: ergò prædicta lex reflexa, saltim implicitè,

citè, & inadæquatè, præcipit *proferre mendacium*: ergò ſaltim implicitè, & inadæquatè præcipit oppoſitum legi directæ, quæ præcipit abſolutè, *non proferre re ipſa mendacium*. Amplius: *proferre mendacium propoſitum per conſcientiam, vt obligatorium*. Et: *Abſolutè non proferre mendacium à parte rei*, ſunt obiecta contradicentia, & incompatibilia: nàm omnis, qui profert mendacium cognitum, vt obligatorium per conſcientiam, re ipſa, & à parte rei ponit mendacium abſolutè, quod omnino contradicit cùm eo quod abſolutè non ponat mendacium à parte rei; ſed lex reflexa primum præcipit obiectum, & directa ſecundum: ergo præcipiunt obiecta incompatibilia, & contradicentia, & conſequentèr ſunt leges oppoſitæ.

§. IV.

Quarta concluſio ſtatuitur.

59 DICO Quarto: *Quod ad ſummum datur lex reflexa præcipiens determinatè ſequendam eſſe conſcientiam rectam.* Probatur primo: quià ex hac lege reflexa non ſequentur prædicta inconvenientia; non quidem primum, ſcilicet, quod non eſſet nobis opus diligenti inquiſitione pro habenda potius conſcientia recta, quam erronea. Nàm ſi lex reflexa præcipit ſolum, & determinatè ſequendam eſſe conſcientiam rectam, eo ipſo cogimur diligentèr inquirere rectam, præ erronea.

60 Nec item ſecundum, nimirum, quod Deus præciperet oppoſita; quià cùm conſcientia recta ſolum dictet, quod vera lex Dei præcipit, idem eſt Deum præcipere, quod ſequaris conſcientiam rectam, àc præcipere reflexè, quod facias id quod ipſe per veras leges directas præcipit; in hoc autem lex reflexa nullatenus opponitur cùm directis, nec è contrà, vt per ſe patet.

61 Nec denique tertium, ſcilicet, quod lex Dei ſubordinetur dictamini noſtræ conſcientiæ. Nàm licet illa lex reflexa ſtatuat pro regula honeſtè operandi noſtram conſcientiam, eo ipſo quod ſolum ſtatuit conſcientiam rectam pro regula operandi, ſtatuit illam pro regula ſecundaria, & dependenti à conformitate cùm lege directa, in qua vltimo ſiſtitur, tanquam in prima regula; nàm idem eſt conſcientia recta, àc conſcientia concordans legi Dei veræ, & conſequentèr idem eſt præcipere, vt ſequaris conſcientiam rectam, quàm præcipere, vt ſequaris conſcientiam, quæ concordaverit veræ legi Dei; hoc autem non eſt ponere conſcientiam pro prima regula, & independenti à vera lege Dei, ſed potius pro ſecunda, regulanda per legem Dei, tanquam per primam regulam, cui propriè conſcientia ſemper ſubordinatur in regulando.

62 Secundo probatur: quià lex reflexa ſolum poteſt præcipere quod ſequaris conſcientiam, talem, qualem illam exiſtimare potueris, dum illam habes, & antequam illam ſequaris, aliàs enim præciperet tibi ſequelam conſcientiæ tibi prorſus ignotæ; ſed antequam ſequaris conſcientiam, dum illam habes, ſolum pores exiſtimare illam rectam; nemo enim habet conſcientiam dictantem aliquid eſſe faciendum, niſi exiſtimando eam eſſe rectam, & veram; exiſtimare enim illam eſſe erroneam, aut non eſſe veram, eſt formaliſsime illam deponere: ergò lex reflexa ſolum poteſt præcipere quod ſequaris conſcientiam rectam.

63 Tertio: quià vt lex reflexa obliget per accidens ad ſequendam conſcientiam erroneam, ſufficit quod illa ſolum, & vnicè præcipiat ſequi conſcientiam rectam; ſed nullus quærit legem reflexam, vt obliget per ſe ad ſequendam conſcientiam erroneam; ſed omnes contenti ſunt cùm eo quod obliget per accidens: ergò invtiliter ponitur quod lex reflexa præcipiat ſequi indifferentèr, tàm conſcientiam erroneam, quam rectam, ſed ſufficit, ſi vnicè, & determinatè præcipiat ſequi rectam. Maior probatur: nàm omnis, qui habet conſcientiam erroneam, dum illam habet, exiſtimat illam eſſe rectam; ſed eo ipſo lex reflexa vnicè præcipiens ſequi conſcientiam rectam, tunc obligat per accidens ad ſequendam erroneam, quàm per errorem exiſtimat rectam. Nam, cùm lex illa præcipiat vnicè ſequi conſcientiam rectam, ſi vis illi obedire, neceſſum eſt, quod velis ſequi omnem conſcientiam rectam; cùm igitur tu idem exiſtimes conſcientiam tuam, dictantem mendacium in his circunſtantijs eſſe honeſtum, eſſe rectam, cogeris neceſſario ad ſequendam iſtam conſcientiam, quæ revera eſt erronea, licet per accidens, inquantum prætèr omnem intentionem contingit eſſe erroneam, quam tu exiſtimas rectam: ergo ipſa lex reflexa, quæ vnicè præcipit ſequi conſcientiam rectam, ſuppoſito noſtro errore exiſtimante rectam, quæ revera eſt erronea, obligat

per

per accidens ad ſequendam conſcientiam erroneam.

64 Confirmatur ex Div. Thom. quæſt. 17. de veritat. art. 4. in corp. vbi ſic ait: *Ille autem qui conſcientiam erroneam habet, credit eam eſſe rectam, alias non erraret, & inhæret conſcientiæ erroneæ propter rectitudinem, quam in ea credit eſſe, inhæret quidem per ſe loquendo conſcientiæ rectæ, ſed erroneæ, quaſi per accidens, inquantum hanc conſcientiam, quam credit eſſe rectam, contingit eſſe erroneam, & exindè eſt quod, per ſe loquendo, ligatur à conſcientia recta, per accidens vero ab erronea.* Ergò ſufficit legem Dei præcipere quod ſequamur conſcientiam rectam, vt per accidens obligemur ad ſequendam erroneam.

65 Sed dices: ſi lex reflexa vnicè præciperet ſequi conſcientiam rectam, prohiberet ſequi erroneam, nàm qui ex duobus oppoſitis præcipit vnum tantum eſſe ſequendum, prohibet ſequi alterum; ſed lex reflexa non poteſt prohibere quod aliquis ſequatur conſcientiam erroneam: ergò non præcipit tantum ſequi conſcientiam rectam. Minor patet, quià in primis nequit prohibere quod ſequaris conſcientiam erroneam, quando illam non habueris, quià quando illam non habes, non vales illam ſequi, àcperconſequens ſuperfluum eſt tibi prohibere quod illam tunc non ſequaris. Deindè nec poteſt prohibere quod ſequaris conſcientiam erroneam, quando illam habes; quià quando illam habes neſcis, & ignoras quod ſit erronea, & exiſtimas eam eſſe rectam; implicat autem Deum præcipere quod non ſequaris conſcientiam erroneam, quando neſcis quod ſit erronea, ſed potius exiſtimas illam eſſe rectam: ergò lex Dei reflexa nequit prohibere quod ſequaris cõſcientiam erroneã.

66 Reſpondeo, negando maiorem, quià licet lex reflexa *vnicè præcipiat ſequi conſcientiam rectam*, non tamen præcipit, *vt vnicè ſequaris conſcientiam rectam*. Valdè enim diſtinguntur in ſuo ſenſu iſtæ duæ poſitiones; nam prima denotat Deum ſolum habere legem reflexam, qua præcipiat ſequi conſcientiam rectam, excludendo à Deo legem aliam, qua præcipiat ſequi erroneam. Secunda vero denotat Deum habere legem reflexam, qua præcipiat ſequendam eſſe tantum rectam, & non erroneam. Poteſt autem prima eſſe vera, ſicuti revera eſt, quanvis ſecunda ſit falſa. Sicuti iſtæ duæ poſitiones: *tantum præcipio tibi, vt obedias Prælato locali. Et iſta: præcipio tibi, vt tantum obedias Prælato locali*: Quarum prima ſubſiſtere poteſt, ſinè ſecunda, ſi nimirum, præciſivè me habendo circa alios Prælatos, tantum tibi præciperem, vt obedias Prælato locali. Hoc enim non eſſet prohibere quod obedires Provinciali, & alijs, nec præcipere, quod non obedires illis, ſed circa illos omnino præciſivè me habere. Sic ſimilitèr Deum lege reflexa tantum præcipere quod ſequaris conſcientiam rectam, dum illam habueris, non eſt prohibere quod ſequaris erroneam, nec præcipere quod illam non ſequaris, ſi illam habueris loco rectæ, ſed eſt præcisè præcipere quod ſequaris rectam; præſcindendo ex parte obiecti in tali lege, ab eo quod ſequaris erroneam, vel non. Sicut Deum præcipere tantum quod audias vnam Miſſam die feſto, non eſt præcipere quod tantum audias vnam Miſſam, prohibendo duas; & idem de præcepto communionis, quod tantum præcipit, vt ſemel in anno communices, non tamen præcipit, quod tantum ſemel in anno communices.

67 Sed dices: ſequi conſcientiam rectam eſt oppoſitum, & incompatibile cùm eo quod eſt ſequi erroneam; ſed præcipere vnum ex duobus oppoſitis eſt prohibere ſecundum: ergò, ſi Deus præcipit determinatè ſequi conſcientiam rectam, prohibet ſequi erroneam. Diſtinguo, maiorem: ſequi conſcientiam rectam, dum illam habuero, vel ſi illam habuero, eſt oppoſitum, & incompatibile cùm eo quod eſt ſequi conſcientiam erroneam ſimilitèr dùm illam habuero, vel ſi illam habuero, nego maiorem; abſolutè hic, & nunc ſequi vtramque, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Quia lex reflexa poteſt conſiderari, vel antequam intelligatur me habere determinatam conſcientiam, vel poſtquam iàm habeo determinatam conſcientiam, v. g. rectam. Primo modo intelligitur in ſenſu conditionato præcipiens mihi quod ſequar conſcientiam rectam, ſi illam habuero, vel dùm illam habuero; & hoc certum eſt quod non opponitur cùm eo quod ſequar etiam erroneam, ſi illam habuero; àc perconſequens ex eo quod præcipiat primum non ſequitur quod prohibeat ſecundum.

68 Secundo modo intelligitur iàm abſolutè præcipiens quod ſequar conſcientiam rectam, quià ſupponimus iàm me habere conſcientiam rectam. Sed nec hoc etiam opponitur cùm eo quod, ſi haberem erroneam, illam ſequerer, vndè nec ex hoc capite mihi prohibet quod ſequar erroneam, ſi illam ha-

habuero. Habere autem ſimul hic, & nunc conſcientiam rectam, & erroneam circa idem eſt impoſsibile; vndè cùm ſupponimus iàm me habere rectam, ſupponimus excluſam erroneam; àc perconſequens tunc lex reflexa non poteſt intelligi prohibens abſolutè, quod ſequar erroneam, quià, dum illam non habeo, fatuè mihi prohibetur quod illam ſequar abſolutè; vndè nunquam ſequitur quod lex tantum præcipiens ſequi rectam, prohibeat ſequi erroneam.

69 Denique dices: rarò, vel nunquam ſcire poſſumus, quando noſtra conſcientia eſt recta, & quando non, & ſolum ſcire poſſumus, quod habemus conſcientiam: ergò ſuperfluè Deus nobis præciperet determinatè quod ſequamur conſcientiam rectam; ſed ſolum præcipit indifferenter, quod ſequamur conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam. Diſtinguo maiorem: nunquam id ſcire poſſumus ſcientia evidenti, & infallibili, tranſeat antecedens: notitia humana communi, & fallibili, nego antecedens, & conſequentiam. Nàm ſicut Deus nobis præcipit, quod adoremus hoſtiam determinatè, & rite conſecratam, quanvis ſcire non poſsimus quænam hoſtia ſit determinatè, & rite conſecrata, ſcientia evidenti, & infallibili, ſed ſufficit quod hoc ſcire poſsimus notitia communi humana, & fallibili, probabili, vel conjecturali: ità ſimiliter poteſt nobis præcipere determinatè, quod ſequamur conſcientiam rectam, quanvis tantum notitia humana, fallibili, & probabili ſcire poſsimus quænam ſit conſcientia recta.

§. V.

Solvitur præcipuum argumentum ſuprà poſſitum n. 8. & tandem ſtatuitur 5. concluſio, in qua declaratur, in vi cuius legis obliget conſcientia erronea.

70 IGITVR Ad principale argumentum, cuius occaſione præcedentia dicta ſunt, facile reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad eius probationem, nego etiam minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: conſcientia non poteſt obligare in vi legis, quæ ſubiectivè, & in ſe ipſa non habet vim obligandi, nego: quæ nec ſubiectivè in ſe ipſa, nec obiectivè in conſcientia habet vim obligandi, concedo maiorem, Et diſtinguo minorem; ſed lex, quæ revera non eſt, non habet vim obligandi ſubiectivè in ſe ipſa, concedo: obiectivè in conſcientia, quando exiſtimatur eſſe, nego minorem, & conſequentiam. Nàm conſcientia non obligat in vi legis per ſubordinationem phyſicam, & phyſicam dependentiam à lege, quaſi accipiendo, per phyſicam derivationem, aut per phyſicum influxum legis in ipſam, virtutem, aut vim obligandi, eo modo, quo cauſa inſtrumentalis phyſica accipit à principali virtutem cauſandi, hoc enim ità non eſt; ſed tantum obligat in vi legis per ſubordinationem, & dependentiam purè intentionalem ad legem, hoc eſt, præſentando, & intimando, & applicando intentionalitèr legem, vt obligantem; ad hoc autem non requiritur, quod lex phyſicè, ſubiectivè, & in ſe habeat vim obligandi, ſed ſufficit quod obiectivè in conſcientia talem vim habeat, ſeu quod præſentetur cùm tali vi obligandi: ad quod etiam non requiritur, quod lex in ſe ſubiectivè, & phyſicè exiſtat, ſed ſufficit quod obiectivè exiſtat in conſcientia repræſentante ipſam, vt exiſtentem.

71 Hoc explicatur in motione voluntatis per actum intellectus repræſentantem obiectum falſum, v. g. cùm intellectus iudicio falſo, proponit voluntati bonum, quod revera non eſt; tunc tale iudicium re ipſa alicit, & movet voluntatem ad amorem talis obiecti, non quidem in vi propria independenter ab obiecto, ſed in vi obiecti propoſiti. En igitur ſimile argumentum. Obiectum illud re ipſa non eſt bonum, ſed tota vis movendi voluntatem ex parte obiecti eſt bonitas: ergò re ipſa non habet vim movendi voluntatem; tunc ſic, ſed iudicium non poteſt re ipſa movere, & alicere voluntatem in vi obiecti non habentis vim movendi voluntatem: ergò iudicium illud non poteſt movere, & alicere voluntatem in vi obiecti.

72 Cui argumento aliter reſponderi nequit, niſi concedendo quod illud obiectũ obiectivè, & in ſe re ipſa non habet vim movendi voluntatem, negando tamen quod hoc requiritur, vt iudicium illud in vi obiecti moveat voluntatem, ſed ſufficit quod illud obiectum obiectivè in illo iudicio habeat bonitatem, & vim movendi, ſeu quod per illud iudicium repræſentetur cùm bonitate, & cùm vi movendi: nàm cùm vis movendi non derivetur ab obiecto in illud iudicium per influxum, & cauſalitatem phyſicam, ſed per influxum intentionalem, non requiritur, quod obiectum in ſe, & phyſice habeat vim obligandi, ſed ſufficit quod obiectivè illam habeat.

vt

vt intentionaliter illam communicet iudicio illi falſo. Sic igitur ſe habet lex divina falſo exiſtimata in ordine ad obligandum medio iudicio conſcientiæ.

73 Sed replicabis primo: conſcientia erronea obligat, quià præſumit eſſe legem veram obligantem; ſed falſo præſumit hoc: ergò falſo obligat: ergò re ipſa non obligat, ſed falſo præſumit obligare. Huic replicæ reſpondet Lorca cùm alijs conſcientiam erroneam non obligare vera obligatione, ſed tantum obligatione præſumpta: cùm quo tamen componit, quod qui operatur contra illam, verè incurrat peccatum, quià peccatum revera eſt agere contra obligationem præſumptam. Hi AA. re ipſa non diſcordant à communi ſententia Theologorum, & D. Thomæ, nàm vltro fatentur, & firmiter tenent conſcientiam erroneam ſufficienter obligare, vt operans contra illam incurrat peccatum; vnde quanvis ab aliquibus citentur, vt ſequentes contrariam, re ipſa pro communi ſententia ſunt.

74 Veruntamen diſplicent in eo quod volunt obligationem conſcientiæ erroneæ eſſe tantum præſumptam. Primo, quià aliud eſt quod talis obligatio fundetur in præſumptione falſa, aliud quod talis obligatio ſit falsò præſumpta. Primum eſt verum, ſecundum falſum. Sicut motio, qua movet, & alicit voluntatem iudicium proponens voluntati obiectum, vt bonum, quod re ipſa bonum non eſt, re ipſa fundatur in falſa exiſtimatione, qua illud obiectum falsò exiſtimatur, vt bonum; tamen motio illa, & alicientia non eſt falſo præſumpta, ſe re ipſa talis, quià re ipſa iudicium illud movet, & alicit voluntatem ad amorem obiecti: ergò pariter, licet obligatio conſcientiæ fundetur in exiſtimatione, qua falsò exiſtimatur, vt à Deo præceptum, quod re ipſa præceptum non eſt, poteſt tamen ſalvari quod talis obligatio ſit vera obligatio, & re ipſa obliget.

75 Secundo: quià talis obligatio non fundatur in eo quod lex re ipſa ſit, ſicut exiſtimatur, ſed in eo quod conſcientia exiſtimet legem revera ità eſſe; ſed licet falſum ſit, quod revera datur lex, ſicut exiſtimatur, veriſimum tamen eſt, quod conſcientia exiſtimat illam revera dari, & eſſe: ergò talis obligatio non fundatur in falſo, ſed in vero: ergò non eſt obligatio falſa, ſed vera. Tertio: quià ſi per conſcientiam erroneam homo re ipſa non obligatur, ſed falsò præſumitur obligari: ergò re ipſa manet liber, & exemptus moraliter: ergò re ipſa manet licentiatus, ſeu cùm libertate morali ad illud faciendum, vel non, & falſo præſumitur obligatus. Sed qui in rei veritate habet libertatem moralem, & licentiam aliquid faciendi, ſi illud faciat, in rei veritate non peccat: ergò qui operatur contra conſcientiam erroneam, non peccabit in rei veritate, ſed falſo exiſtimabitur ipſum peccare, ſicut falsò exiſtimatur eum obligari. Quod quis dicat?

76 Vnde aliter ad replicam, omiſſa maiori, diſtinguo minorem, falsò præſumit hoc, ideſt, falſum eſt quod hoc præſumit, nego minorem: ideſt, verum eſt conſcientiam hoc præſumere, ſed præſumptio eſt falſa, concedo minorem, & nego conſequentiam: quià obligatio fundatur præciſe in eo quod conſcientia præſumit legem eſſe. Veriſimum autem eſt, & re ipſa ità eſt conſcientiam hoc præſumere. Non autem fundatur in eo quod lex re ipſa ſit, ſicut exiſtimatur per conſcientiam; vnde licet falſum ſit legem ità eſſe, non inde ſequitur falſam eſſe obligationem.

77 Dices: obligatio illa formalis conſcientiæ eſt ipſa præſumptio, vel repræſentatio legis, & in ea conſiſtit; ſed ea præſumptio, & repræſentatio legis falſa eſt: ergò obligatio falſa eſt. Inſto multipliciter: primo, actus intellectus falſo repræſentans voluntati obiectum, vt bonum, eſt motio formalis, vel ſaltim conditio ad movendum; & talis motio formalis, vel conditio indiſtincta eſt à tali actu; ſed ille actus falſus eſt: ergò & illa motio, aut conditio falſa eſt. Quis hoc dicat? Secundo: talis actus eſt formaliſsime ſua entitas; ſed ille actus eſt falſus: ergò eius entitas eſt falſa. Prava conſequentia.

78 Itaque, actus intellectus, vel iudicium erroneum conſcientiæ comparari poteſt, vel ad obiectum, vel ad eſſe ſuum entitativum, vel, inquantum movet, & obligat, ad voluntatem. Primo modo conſideratus dicitur formaliter falſus, quià diſconformis cùm obiecto. Ceterum ſecundo, vel tertio modo, non dicitur falſus, quià licet falſo affirmet obiectum eſſe de præcepto, verè tamen exiſtit, & habet eſſe, ſicut verè, & re ipſa movet, & alicit voluntatem. Vnde ſicut eſt falſus in repræſentando, ſed non falſus in eſſendo; ità eſt falſus in repræſentando, ſed non falſus in movendo, & obligando, quià ſicut falſo repræſentat, quod repræſentat, ſed non falſo exiſtit; ità falſo affirmat, & repræſentat, quod repræſentat, ſed non falſo movet, & obligat voluntatem, ſed veriſime, & re ipſa.

79 Replicabis ſecundo: omnis obligatio conſcientiæ debet derivari à lege æterna, quæ ſola eſt prima regula conſcientiæ,

tiæ; ſed lex, quæ re ipſa non exiſtit, ſed tantum obiectivè in mente, non eſt lex æterna: ergò ab illa nequit derivari obligatio conſcientiæ. Diſtinguo maiorem: debet derivari intentionaliter, & per influxum obiectivum à lege æterna, concedo: phyſicè, & per influxum phyſicum, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: illa lex non eſt æterna phyſicè, & in ſe, concedo minorē: obiectivè, ſeu exiſtimativè in conſcientia, nego minorem, & conſequentiam; quià vt illa conſcientia, ſeu exiſtimatio participet intentionaliter per influxum obiectivum vim obligandi à lege æterna, non requiritur quod lex repræſentata re ipſa ſit æterna, ſed ſufficit quod obiectivè in conſcientia repræſentetur, vt æterna: lex autem illa, licet non ſit re ipſa æterna, nec divina, obiectivè tamen in mente eſt æterna, & divina, quià repræſentatur per conſcientiam, vt æterna, & divina; & hoc pacto derivat obligationem in conſcientia. Et quidem hoc argumentum ſibi obiecit D. Thomas in præſenti quæſt. 19 artic. 1. & eodem modo reſpondet, nimirum: *Dicendum, quod iudicium rationis errantis, licet non derivetur à Deo, tamen ratio errans iudicium ſuum proponit, vt verum, & vt à Deo derivatum, à quo eſt omnis veritas.* Sufficit ergò, quod iudicium conſcientiæ exiſtimativè ſupponat legem divinam, & æternam, vt ab ipſa participet vim obligandi.

80 Replicabis tertio: obligatio conſcientiæ eſſe non poteſt, niſi à Deo; ſed obligatio conſcientiæ erroneæ à Deo non eſt: ergò talis obligatio non datur in conſcientia. Maior patet: nàm obligatio conſcientiæ eſſe non poteſt ab homine, alias homo eſſet, qui ſe ipſum obligaret, & conſequenter tranſgrediens talem obligationem, contra ſe ipſum, & non contra Deum peccaret, quod dici non poteſt. Minor etiam patet, quià conſcientia erronea à Deo non eſt; Deus enim nequit eſſe cauſa erroris: ergò nec eius obligatio à Deo eſt. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: obligatio conſcientiæ eſſe non poteſt, niſi à Deo, vel re ipſa, vel exiſtimativè præcipiente, concedo: niſi à Deo re ipſa præcipiente, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam.

81 Sed inſtas: ergò qui re ipſa obligat errantem non eſt Deus, ſed eius error, & cùm ipſe ſit Author ſui erroris, ipſe erit qui re ipſa ſe obligat. Patet conſequentia, quià Deus ſolum exiſtimativè obligat, & hæc exiſtimatio, vtpote erronea à Deo non eſt, ſed ab ipſo errante: ergò qui obligat re ipſa non eſt Deus, ſed ipſe errans. Vrgebis: Deus re ipſa non poteſt obligare ad oppoſita ſimul; ſed Deus re ipſa ex parte ſua obligat ad nunquam omnino mentiendum: ergò non poteſt re ipſa obligare ad hic, & nunc mentiendum: ergò dum conſcientia erronea dictat hic, & nunc eſſe obligatorium mendacium, Deus revera non obligat ad mendacium proferendum hic, & nunc.

82 Reſpondetur: quod in obligatione conſcientiæ erroneæ duo inveniuntur. Primum eſt obligatio ad obediendum legi æternæ in vniverſali. Secundum eſt applicatio particularis, & contractio prædictæ obligationis, & legis ad mendacium hic, & nunc proferendum. Prima obligatio vera eſt, & per ſe eſt à Deo, & à lege eius æterna, quià Deus per ſe obligat ad obediendum vniverſaliter ſuæ legi æternæ. Secunda tamen applicatio falſa eſt, & non eſt à Deo, ſed vnicè ab homine Authore ſui erroris, qui falsò applicat rationem vniverſalem legis divinæ, & æternæ, & falsò illam contrahit ad differentiam particularem proferendi mendacium. Quo ſuppoſito, diſtinguo conſequens inſtantiæ præiactæ: ergò qui re ipſa obligat errantem, quantum ad obediendum legi æternæ in vniverſali non eſt Deus, nego conſequentiam: quantum ad applicationem, & contractionem talis obligationis, & legis ad caſum particularem mendacij, concedo conſequentiam. Et ad probationem dico, quod Deus ſolum exiſtimativè obligat, quantum ad applicationem, & contractionem obligationis, & legis. Attamen verè, & re ipſa obligat ad obediendum legi æternæ in vniverſali.

83 Hanc doctrinam adducit M. Ferre in præſenti quæſt. 3. num. 34. & ait ſe illam non percipere; & ſic inſtat: motivum obligans ad mendacium in caſu conſcientiæ erroneæ, non eſt ſola lex divina vniverſaliter ſumpta, cui generaliter debetur obedientia, ſed lex divina applicata ad hanc materiam mendacij: quià hæc obligatio non eſt ad obediendum abſtractivè ſumptum, ſed ad obediendum concretive in materia mendacij; ſed hoc motivum concretivè ſumptum derivari non poteſt à divina lege re ipſa, nec re ipſa à Deo: ergò. Rem ducit ad praxim. Nàm obligatio conſcientiæ erroneæ ad proferendum mendacium concluditur hoc ſyllogiſmo: *Lex divina vera, & æterna obligat nos ad faciendum, quidquid præcipit, ſed lex divina vera, & æterna præcipit hic, & nunc mentiri: ergò obligat ad hic, & nunc proferendum mendacium*: in quo ſyllogiſmo, vt patet, obligatio ad mendacium non derivatur ex ſola maiori, in qua non eſt error, ſed

ſed etiam ex minori, in qua eſt error, qui nequit ex tali lege æterna, nec ex Deo derivari: ergò obligatio conſcientiæ erroneæ non derivatur à Deo.

84 Sed, tanti Authoris venia, dum rationem reddit, cur ipſe non percipit talem doctrinam, eam revera explicat, & declarat. Fateor enim quod obligatio conſcientiæ non provenit ex ſola maiori, ſed ex maiori, & minori. Ceterum ex maiori provenit, tanquam ex motivo vniverſali obligante ad obediendum divinæ legi vniverſaliter, & ex minori tanquam ex applicatione, & contractione talis motivi ad materiam particularem mendacij: ergò cùm hac diſtinctione recte componi poterit, quod obligatio conſcientiæ erroneæ ad mendacium, quæ ex vtroque coaleſcit, ſit quidem re ipſa à Deo, quantum ad primum, non tamen quantum ad ſecundum, ſed à ſolo errante. Vnde lex divina erit, quæ re ipſa obligat, tanquam motivum formale, & vniverſale obediendi; errans vero, qui obligat applicativè ſe ipſum, ideſt, qui applicat per errorem illud motivum vniverſale ad materiam mentiendi.

85 Ex quo ad confirmationem, iam reſpondeo: Deus re ipſa non poteſt obligare ad oppoſita ſimul, ad vnum quidem per ſe, & ad aliud per accidens, nego maiorem: ad vtrumque per ſe, concedo maiorem, & minorem, & diſtinguo conſequens, per ſe, concedo conſequentiam, per accidens, nego conſequentiam. Itaque fatemur quod Deus ex parte ſua, & per æternam ſuam legem obligat per ſe ad nunquam mentiendum, ſiquidem præcipit nunquam mentiri; ceterum etiam per ſe, & ex ſe obligat vniverſaliter ad obediendum ſuæ æternæ legi, quià lex ſua eſt; motivum enim formale, & vniverſale, quare tenemur obedire cuilibet legi divinæ, non eſt quià præcipit hoc, aut illud in particulari, ſed quià lex Dei vera eſt, quæ ex proprijs meritis, & ex conceptu talis iure exigit obedientiam à creaturis rationalibus. Vnde lex Dei æterna, ex conceptu communi talis, obligat per ſe ad ſui obedientiam; cùm autem in caſu conſcientiæ erroneæ, ratio, & conceptus vniverſalis divinæ legis inveniatur, licet per errorem, contracta, & applicata ad differentiam particularem præcipiendi mendacium, illa obligatio vniverſalis contrahitur etiam per errorem ad mendacium, & ratione erroris obligatio illa, quæ erat vniverſaliter ad obediendum legi Dei veræ, & æternæ, eſt iam obligatio ad mendacium proferendum. Ceterum, quià talis error contingit præter intentionem Dei legislatoris, imò & præter ſcientiam, & intentionem errantis, qui putat ſe verum omnino dictare, ideò eſt omnino per accidens, & præter intentionem, quod lex Dei vera obliget ad mendacium, hoc autem pacto, bene poteſt obligare, ſuppoſito errore ad mendacium proferendum, licet ſimul abſolute illud prohibeat, & quantum eſt ex ſe obliget ad oppoſitum, ideſt, ad nunquam mentiendum; quià hoc aliud non eſt, quam divinam legem per ſe prohibere mendacium, & intellectum humanum illam, ſeu illius authoritatem per errorem applicare, vt obligetur ipſe ad mentiendum, idque contra intentionem Dei legislatoris, in quo nulla invenitur repugnantia.

86 Sed, vt amplius hæc doctrina, maximi quidem momenti in præſenti materia, explicetur, replicabis: Obligatio conſcientiæ erroneæ per nos coaleſcit ex hoc duplici dictamine: *Obediendum eſt legi divinæ in omnibus, quæ re ipſa præceperit; ſed præcipit hic, & nunc proferre mendacium: ergò.* Tunc ſic, ſed poteſt quis agere contra hanc conſcientiam, aut illi contradicere, quin agat contra maiorem veram, & illi non contradicendo, ſi nimirum contradicat minori falſæ; quià ad contradicendum propoſitioni, vel dictamini coaleſcenti ex duobus copulatim, ſufficit contradicere vni: ergò poteſt aliquis contradicere conſcientiæ erroneæ, non contradicendo re ipſa legi Dei veræ, quæ continetur in maiori, ſed tantum contradicendo applicationi falſæ, quæ continetur in minori.

87 Explicatur in hoc ſyllogiſmo ſpeculativo: *Omnis hoſtia rite conſecrata continet Corpus Chriſti; ſed hæc hoſtia eſt ritè conſecrata: ergò hæc hoſtia continet Corpus Chriſti.* Etenim bene poteſt quis contradicere conſequenti, quin contradicat maiori, per hoc præcisè, quod minori contradicat, & ideò poteſt negari de aliqua hoſtia particulari quod contineat Corpus Chriſti abſque hæreſi, quæ neceſſario incurreretur, negando maiorem: ergò pariter in hoc ſyllogiſmo practico: *Faciendum eſt quidquid lex vera Dei præcipit; ſed lex Dei vera præcipit mendacium: ergò proferendum eſt hic, & nunc mendacium,* poteſt quis practicè, & per voluntatem contradicere conſequenti, quod eſt ipſa conſcientia erronea, ſeu vltimum dictamen illius, non contradicendo maiori, quæ ſola continet veram obligationem, ſolum per contradictionem minoris, quæ continet falſam applicationem. Sed per hoc precisè quod quis contradicat minori falſæ, ſi non contradicit practicè, & per volutatem maiori, quæ

ſola

ſola continet obligationem veram, non peccat contra legem Dei veram, adhuc vniverſaliter ſumptam: ergò poteſt quis agere contra conſcientiam errantem, quin contradicat legem Dei veram, adhuc vniverſaliter ſumptam.

88 Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: poteſt quis abſolute agere contra conſcientiam, quin agat contra maiorem veram, concedo: facta ſuppoſitione quod aſſentiatur minori, & talem aſſenſum non deponat, ſed retineat, nego minorem, & conſequentiam. Et ſimiliter ad explicationem, diſtinguo antecedens: bene poteſt quis, abſolute loquendo, contradicere conſequenti, quin contradicat maiori, concedo antecedens: facta ſuppoſitione, quod minori aſſentiatur, & aſſenſum non deponat, nego antecedens, & conſequentiam. Quià facta ſuppoſitione quod quis, licet per errorem, aſſentiatur illi minori: *Hæc hoſtia rite eſt conſecrata*, & quod hunc aſſenſum non deponat, vi illius obligatur, vel ad aſſentiendum ſpeculativè conſequenti, illique non contradicendum, vel ſi velit contradicere conſequenti, ad negandam maiorem, quæ de fide eſt. Vnde poſſumus veriſsimè dicere, quod aſſenſus erroneus, quo quis credit invincibiliter hanc hoſtiam eſſe conſecratam, obligat illum ad credendum, eam continere Corpus Chriſti, vel ſi id nolit credere, ad negandam maiorem de fide, & ad hæreſim; ſi enim quis diceret: *Ego credo hanc hoſtiam eſſe ritè conſecratam; nolo tamen credere eam continere Corpus Chriſti*, abſdubio reputaretur hæreticus; & hoc, quanvis re ipſa non eſſet illa hoſtia conſecrata, nec contineret Corpus Chriſti; non quidem quià negaret conſequens, quod in illo caſu non eſſet de fide, ſed quià ſemel credita minori, & non deponendo aſſenſum illius, non aliter negare poterat conſequens, niſi negando per prius maiorem, quæ re ipſa eſt de fide.

89 Hæc igitur doctrina clara, & certiſsima adæquatè militat in diſcurſu practico conſcientiæ. Nàm licet quis poſſit contradicere practicè, & per voluntatem conſcientiæ dictanti: *Hic, & nunc eſſe mentiendum*, non contradicendo practicè per voluntatem maiori veræ, quæ dictat: *Faciendum eſſe, quidquid lex Dei vera præcipit*, nec illam contemnendo, aut violando, nimirum, ſiquis vellet, aut poſſet negare minorem, ſcilicet, quod *Lex Dei præcipit, hic, & nunc mentiri*: tamen ex ſuppoſitione quod huic minori aſſenſum præſtet, & nolit, vel non poſsit talem aſſenſum deponere, cogitur, & obligatur, vel ad ſequendum practicè per voluntatem conſequens, ſeu conſcientiam erroneam, vel ſi nolit, ad contemnendam per voluntatem practicè maiorem veram, ſivè veram Dei legem in vniverſali ſumptam; àc per conſequens ſuppoſito, & non depoſito aſſenſu minoris, quod nimirum, Deus hic, & nunc præcipit mentiri, cogitur, & obligatur ad mentiendum, niſi velit contemnere maiorem veram, quod iàm eſſet peccare contra veram Dei legem in vniverſali.

90 Aliter id explicatur: nàm ſi nolit contemnere maiorem illam vniverſaliter dictantem *eſſe faciendum quidquid lex Dei vera præcipit*, ſed illam practicè ſequatur per voluntatem; ad quod re ipſa obligatur abſque vllo errore, tenetur *velle vniverſaliter facere quæcumque divina lex præcipit*. Suppoſito autem quod voluntas hoc velit, & quod intellectus iudicet *hic, & nunc Deum vera ſua lege præcipere mendacium*: Ex illa volitione vniverſali per accidens determinatur voluntas ad hoc, vt proferat mendacium. Cum autem divina lex ex meritis proprijs obliget re ipſa, vt voluntas *velit vniverſaliter facere quæcumque illa præcipit*, inde eſt quod ſuppoſita ratione errante dictante Deum præcipere mendacium, iam per accidens ratione talis erroris obligat ad hoc, vt velit mentiri, quià ſuppoſito tali errore, non poteſt voluntas velle primum, quin velit ſecundum.

91 Non renuam amplius id ipſum explicare. Etenim, ſicut intellectus in ſuo naturali diſcurſu, non minus ſpeculativo, quam practico, procedit ex magis vniverſalibus ad minus vniverſalia, & ex illis ad particularia, ità pariter voluntas in ſuis actibus, & affectibus. Vnde ſicut intellectus practicus, qui eſt regula voluntatis, prius per ſyndereſim dictat vniverſaliter legem Dei in omnibus eſſe exequendam, & poſt deſcendit diſtinguendo inter leges, & leges particulares, &c. ità voluntas, quæ regulatur in omnibus per intellectum practicum, prius afficitur, & exercetur erga, vel contra legem Dei in vniverſali, & poſt circa leges particulares. Cùm igitur intellectus practicus proponit in vniverſali legem Dei eſſe ſequendam, pro illo priori, antequam fiat deſcenſus ad particulares leges, tenetur voluntas illi regulæ vniverſali correſpondere ſuo etiam affectu vniverſali ſervandi omnia, quæ præcipit lex vera Dei: quod ſi tali affectu non reſponderit, ſed potius afficiatur magis circa bonum proprium, quam circa legem Dei in vniverſali, tunc iàm contemnit legem Dei vniverſaliter propoſitam per dicta-

dictamen vniverſale ſyndereſis, ſeu per maiorem ſyllogiſmi practici ſupra poſiti, & conſequenter peccat contra legem veram, & verè propoſitam per illud dictamen vniverſale. Si autem velit facere quæcumque lex Dei præcipit, tunc debite correſpondet legi vniverſaliter propoſitæ. Deinde intellectus per minorem particularem contrahit, licet falsò, legem Dei vniverſaliter propoſitam in maiori ad materiam particularem mendacij hic, & nunc proferendi; & concludit conſcientia ex vi vtriuſque præmiſſæ mendacium hic, & nunc eſſe proferendum. Et pro hoc ſigno tenetur etiam voluntas correſpondere, non iàm affectu vniverſali, ſed actu particulari exequutivo applicante potentiam ad hic, & nunc proferendum mendacium.

92 Vbi valde notandum eſt, quod ſicut intellectus practicus, ſuppoſito, & non depoſito aſſenſu minoris particularizantis legem Dei ad materiam mendacij, non poteſt negare conſequens, niſi per prius, negando maiorem vniverſalem: ità voluntas, ſuppoſito, & non depoſito aſſenſu talis minoris, non poteſt non correſpondere conſequenti, ſeu conſcientiæ affectu ſingulari, & exequutivo, niſi per prius contemſerit, aut noluerit obedire maiori vniverſali; nàm ſi duret affectus ille vniverſalis ſervandi legem Dei veram, ſemel quod iudicet eſſe legem Dei veram, hic, & nunc proferendum eſſe mendacium, ſe ipſam cogit affectu illo vniverſali ad hic, & nunc proferendum mendacium. Vnde, ſi nolit hic, & nunc proferre mendacium, neceſſum eſt quod per regreſſum mutet affectum illum vniverſalem, & nolit obſervare vniverſaliter legem Dei verè propoſitam per maiorem vniverſalem. Ac per conſequens clare infertur, quod ſuppoſito, & non depoſito errore conſcientiæ, non poteſt voluntas peccare, aut contemnere legem Dei falsò propoſitam per conſcientiam, niſi per prius contempſerit veram legem Dei vniverſaliter, & veriſsime propoſitam per dictamen vniverſale ſyndereſis, quod eſt maior vniverſalis ſyllogiſmi practici, quo formatur conſcientia. Et hoc eſt formaliſsimè voluntatem per conſcientiam erroneam obligari ad culpam, quià obligatur, vt ſi nolit obedire legi falsò propoſitæ per conſcientiam, neceſſario per prius contemnat legem veram Dei vniverſaliter, & veriſsimè propoſitam per dictamen vniverſale ſyndereſis.

93 Ex quibus inferes reſolutionem ad ſecundam partem quæſtionis inquirentem, in vi cuius legis obliget conſcientia erronea? Dicimus enim (ſitque quinta concluſio) *Obligare in vi legis veræ Dei falſo applicatæ, aut contractæ ad determinatam materiam*, ideſt, in vi legis veræ Dei vniverſaliter propoſitæ per dictamen veriſsimum ſyndereſis, & falsò applicatæ per minorem particularem ſyllogiſmi practici: ità vt lex Dei vera vniverſaliter propoſita concurrat ad obligandum, vt ratio formalis, & motivum formale. Minor verò falſa, vt applicatio talis rationis, & motivi formalis ad hanc materiam. Vnde admittimus errantem ſe ipſum obligare applicativè, formaliter verò motivè obligari à vera Dei lege, verè propoſita per dictamen vniverſale. Quæ doctrina colligitur ex D. Thom. quodlib. 3. art. 26. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quod principia particularia habent virtutem concludendi ex primis principijs vniverſalibus. Vnde concluſio atribuitur principaliter primis principijs, ſicut effectus cauſæ primæ. Et eadem ratione, quià virtus conſcientiæ principaliter dependet ex principijs primis iuris naturalis, principaliter conſcientia dicitur lex naturalis.* Loquitur autem expreſsè de conſcientia erranti: ergò conſcientia errans iuxta D. Thom. habet virtutem formalem obligandi ex primis principijs ſyndereſis, ſicut principia particularia virtutem concludendi ex primis principijs diſcurſus ſpeculativi. Ergò conſcientia errans obligat formaliter, non in vi erroris, ſed in vi legis vniverſaliter, ſinè errore propoſitæ per ſyndereſim, applicativè autem in vi erroris, & hæc eſt mens D. Thomæ.

94 Inferes denique, quod ſicut quæſt. præcedenti ſecunda concluſione diximus ſequentem conſcientiam erroneam honeſtè operari, quatenus conformatur in ſuo affectu regulæ vniverſali ſyndereſis, ſeu maiori vniverſali ſyllogiſmi practici; non tamen ea parte, qua concordat minori erranti, quià conformari errori nunquam eſt honeſtum, ità nunc è contrà dicimus operantem contra conſcientiam erroneam, inhoneſtè operari, & peccare, non quià agit contra minorem falſam, quià agere contra falſitatem peccatum non eſt; ſed quià contemnit maiorem vniverſalem veram, & legem Dei vniverſaliter per illam propoſitam. Et ſicut ibi diximus conſcientiam erroneam eſſe ſecundum quid rectam, quatenus in ſe continet maiorem vniverſalem veram, & ideò ſequentem illam, ſecundum quid conformari conſcientiæ rectæ; ità nunc dicimus, quod qui operatur contra illam, ſecundum quid diſcordat conſcientiæ rectæ, quià diſcordat conſcientiæ erroneæ ea parte, qua continet maiorem veram, & rectam, cùm hac tamen differentia, quod concordare ſecundum quid

conſ-

conſcientiæ rectæ non ſufficit ad honeſtatem actus ſimpliciter, quià bonum ex integra cauſa; diſcordare vero à conſcientia recta ſecundum quid, ſufficit ad inhoneſtatem ſimpliciter talem, quià malum ex quocumque defectu.

95 Sed dices: poteſt dari conſcientia, quæ nec ſecundum quid ſit recta, ſed totaliter erronea ex omni parte: ergò qui ageret contra hanc conſcientiam, nec ſecundum quid ageret contra rectam, nec contra legem Dei veram vllo modo, & conſequenter non peccaret. Antecedens probatur, quià poteſt quis v.g. hæreticus, ſic formare conſcientiam: *Omnis hoſtia conſecrata eſt contemnenda; ſed hoſtia hæc eſt conſecrata: ergò contemnenda.* Vel ità: *Omne falſum vtile ad vitandum damnum proximi eſt proferendum; ſed hoc dictum eſt falſum vtile: ergò hoc dictum eſt proferendum.* Vbi contingere poteſt quod tam maior, quam minor ſit falſa; ſed eo ipſo conſcientia vndequaque, & totaliter eſt erronea: ergò.

96 Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem admitto quod poſſet quis formare conſcientiam ex maiori, & minori falſis. Ceterum dico, quod tunc maior non eſſet primum principium practicum, aut ſyndereſis, quià in primis principijs practicis, & ſyndereſis implicat quod intellectus falſitatem incurrat, aut erret. Eſſet ergò principium ſecundum deductum ex præmiſsis veris per malum diſcurſum, aut per minorem aliquam falſam interpoſitam; vnde illa maior contineret maiorem aliam veram, primam, & vniverſaliorem, applicatam tamen falsò per minorem aliquam falſam. Iàm ergò illa maior non eſſet vndequaque falſa, ſed ex parte maioris vniverſalioris, & primæ, contineret aliquid practicæ veritatis. Cum ergò ipſa maior deſcenderet per contractionem, licet falſam, ad vltimam concluſionem, ideſt, ad conſcientiam, vltima concluſio participaret aliquid veritatis ex primo principio vniverſaliſsimo ſyndereſis, vnde diſcurſus practicus ſumpſit exordium. Nàm diſcurſus intellectualis, ſivè practicus, ſivè ſpeculativus, ſemper ſumit exordium ab aliquo primo principio vniverſaliſsimo, & vero; quod principium ſemper deſcendit per minores particularizantes contractum vſque ad vltimam concluſionem. Vnde, ſi minores omnes ſint falſæ, in quolibet deſcenſu contrahit novam falſitatem illud principium de ſe verum: ceterum ſemper ſervat illam ſuam veritatem vniverſalem, licet falſitate mixtam, & affectam per deſcenſum ad particularia. Vnde, licet contingere poſsit, quod maior proxima, ex qua formatur ſyllogiſmus practicus, ſit falſa, non tamen quod ſit falſa vndequaque, quià, ſi eſt falſa, nequit eſſe prima, ſed debet inferri per deſcenſum ex alia priori vera, àc perconſequens ea parte qua participat primam maiorem veram, debet participare aliquid veritatis, & in vi illius veritatis habet obligare formaliter.

§. VI.

Statuitur ſexta concluſio, & applicatur doctrina præcedens ad conſcientiam vincibiliter errantem.

97 DICO igitur ſexto, *Conſcientiam vincibiliter erroneam obligare etiam ad culpam ex ſuppoſitione quod non deponatur.* Ità D. Thomas in præſenti, & communis ſententia Theologorum contra Vazquez hic diſp. 60. cap. 2. qui tamen fatetur eſſe peccatum facere contra conſcientiam vincibiliter errantem. Vazquium ſequuntur Corduba lib. 3. quæſt. 4. Lorca in præſenti diſp. 33. memb. 2. Noſtra tamen concluſio eiſdem motivis probatur, quibus eam probavimus de conſcientia invincibiliter erranti; quià ſemel quod quis exiſtimet, licet per errorem culpabilem, aut vincibilem, legem Dei veram prohibere levationem feſtucæ, & hanc exiſtimationem non deponat, non poteſt velle levare feſtucam, niſi contradicendo affectivè veræ legi Dei, illamque affectivè contemnendo, & violando, & conſequenter, niſi incurrendo veram culpam, & peccatum; ſed hoc eſt formaliſsime obligari ad culpam, ſi non ſequaris talem errorem: ergò error conſcientiæ vincibilis obligat ad culpam, niſi talem conſcientiam ſequaris. Hæc ratio eſt D. Th. qui quæſt. 17. de verit. art. 4. ſed contra 3. ſic ait: *Præterea peccatum in voluntate conſiſtit: quicumque autem vult tranſgredi præceptum divinum, habet malam voluntatem: ergò peccat. Sed quicumque credit aliquid eſſe præceptum, & vult tranſgredi, habet voluntatem non ſervandi legem: ergò peccat. Qui autem habet erroneam conſcientiam, ſivè in his, quæ ſunt per ſe mala, ſivè in quibuſcumque, credit id quod eſt contrarium ſuæ conſcientiæ eſſe contra legem Dei, & ità peccat. Et ità conſcientia, quantumcumque erronea, obligat ad peccatum.* Quid clarius?

98 Secundò: nàm conſcientia etiam vincibiliter erronea obligat in vi illius maioris vniverſalis: *Faciendum eſt quidquid lex Dei vera præcipit:* Ergò obligat non minus, quam conſcientia invincibiliter

errans

errans. Antecedens probatur, quià formata conſcientia vincibiliter erronea ex illa maiori vniverſali vera, & minori vincibiliter falſa, qui aſſentitur minori falſæ, ex hac ſuppoſitione, nequit agere contra conſcientiam, niſi per prius affectivè contemnendo illam maiorem vniverſalem, quod eodem modo probatur, àc ſupra; ſed hac ratione probatum fuit ſupra conſcientiam invincibiliter errantem obligare in vi illius maioris vniverſalis: ergò etiam conſcientia vincibiliter errans obligat in vi illius maioris vniverſalis veræ. Alia ſupra dicta non repeto, quià facile applicari poſſunt in præſenti.

99 Reſpondebis ex P. Vazquez, eſſe magnam diſparitatem; nàm habens conſcientiam errantem invincibiliter, abſolute, & determinate eſt obligatus ad illam ſequendam, quià illam deponere non poteſt. At qui habet conſcientiam culpabiliter errantem, non eſt determinate, & abſolute obligatus ad eam ſequendam, ſed ad eam deponendam, quià poteſt eam deponere, & ad hoc tenetur.

100 Sed contra eſt, quià in præſenti accuratè notandus eſt ordo formandi conſcientiam erroneam. Primus enim actus ſyndereſis vniverſaliſsimus proponit Deum, vt vniverſalem legiſlatorem, & dictat ei in omnibus obediendum, cui dictamini voluntas debet correſpondere affectu vniverſali ſerviendi Deo in omnibus, quæ præcipit, & vitandi omnia, quæ prohibet. Secundo, & immediate intellectus iudicat ad hoc neceſſarium eſſe diligenter inquirere quid Deus verè præcipiat, quid vè re ipſa prohibeat, & hoc ità eſſe faciendum dictat ſyndereſis. Cui dictamini voluntas non ſemper debitè correſponder. Tunc enim correſpondet debitè, quando applicat efficaciter, & diligenter intellectum, vt inquirat pro poſſe veram Dei legem, & voluntatem, in quo ſit, & quid præcipiat; quod ſi tunc contingat intellectum errare iudicando legem veram Dei aliquid præcipere, quod re ipſa non præcipit, error iſte eſt, & dicitur invincibilis, & inculpabilis, quià non procedit ex negligentia, vel culpa, ſed ex impoſſibilitate inveniendi veritatem. Tunc verò voluntas correſpondet indebitè illi dictamini ſecundo ſyndereſis, quando non vult applicare intellectum ad inquirendam veram legem Dei, vel ſi illud applicat, ſe habet in hoc munere inefficaciter, & negligenter. Quod ſi tunc contingat intellectum errare in diſcurſu practico formativo conſcientiæ, proponendo, vt à Deo præceptum, aut prohibitum, quod ità non eſt, tunc error conſcientiæ dicitur vincibilis, & culpabilis, eo quod talis error ortum ducit ex tali culpa præcedenti voluntatis, qua potuit, & debuit in illo quaſi ſecundo ſigno inquirere diligenter veram Dei legem, & neglexit. Suppoſita autem conſcientia vincibiliter, ſivè invincibiliter erranti, hic iàm conſideratur voluntas quaſi in tertio ſigno, indifferens vt illam ſequatur in praxi, vel non. In hoc igitur tertio ſigno dicimus conſcientiam errantem obligare, ſivè ſit errans invincibiliter, ſivè vincibiliter.

101 Quod ſic probo; quià in hoc tertio ſigno, & ex vi illius non datur obligatio deponendi conſcientiam illam: ergò in hoc ſigno, & ex vi illius recte poteſt dari obligatio ſequendi talem conſcientiam. Antecedens probatur primo; quià tota obligatio deponendi erroneam conſcientiam eſt illa, quam quis habet ad inquirendam diligenter veram legem Dei; ſed obligatio inquirendi veram legem Dei non eſt in tertio ſigno, ſed in primo, vel in ſecundo ſigno prædicti ordinis: ergò in illo tertio ſigno non datur obligatio deponendi illam conſcientiam. Secundo, quià pro eo ſigno, pro quo quis habet conſcientiam erroneam, nimirum pro tertio ſigno, non exiſtimat eam eſſe erroneam, alias non erraret, ſed exiſtimat eam eſſe rectam; ſed pro ſigno, pro quo quis exiſtimat ſuam conſcientiam eſſe rectam, & non agnoſcit eam eſſe erroneam, non tenetur eam deponere: ergò pro illo tertio ſigno non eſt obligatio ad deponendam conſcientiam erroneam, ſolum igitur præſupoſitivè in primo, vel in ſecundo ſigno præſuponitur talis obligatio, iàm quidem violata per negligentiam inquirendi veram Dei legem, exqua oritur error in conſcientia. Rectè autem componitur quod quis præſupoſitivè ſit obligatus ad deponendam, ſeu non habendam conſcientiam erroneam, obligatione iàm violata per negligentiam, & quod formaliter in poſteriori ſigno, in quo iàm culpabiliter incidit in conſcientiam erroneam, ſit formaliter obligatus ad illam ſequendam, ſeu ad faciendum id, quod præcipit. Sicut rectè componitur quod in aliquo diſcurſu tenearis præſupoſitivè negare minorem, v.g. & tamen quod ſemel illa conceſſa, teneatis ex vi illius ad concedendum conſequens.

(***)

§. VII.

Solvuntur aliquæ obiectiones.

102 EX Quo patet ad ſequentes obiectiones. Prima; nàm qui eſt in conſcientia erronea, tenetur eam deponere in conſcientia; ſed implicat quod ſimul teneatur in conſcientia eam deponere, & teneatur etiam in conſcientia iuxta eam operari: ergò qui eſt in conſcientia erronea non tenetur iuxta eam operari. Minor patet, nàm deponere conſcientiam erroneam eſt quid oppoſitum, & incompatibile cùm eo quod eſt iuxta eam operari; ſed nemo poteſt ſimul teneri ad oppoſita, & incompatibila: ergò. Reſpondeo enim, diſtinguendo maiorem: qui eſt in conſcientia erronea tenetur in conſciẽtia eam deponere, tenetur, inquam, in ſigno conſcientiæ erroneæ, & ex vi eiuſdem conſcientiæ erroneæ, nego: tenetur præſuppoſitivè in ſigno præcedenti ex vi conſcientiæ ſuperioris, ſeu ex vi principij vniverſalis ſyndereſis, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem: implicat quod ſimul teneatur conſcientiam deponere, & iuxta eam operari, ſimul, inquam, in eodem ſigno naturæ, & ex vi eiuſdem conſcientiæ, concedo: ſimul in diverſis ſignis naturæ, vel temporis, & ex vi diverſarum conſcientiarum, nego minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu. Quæ ſolutio patet ex dictis; vnum ſolum adverto ex infra dicendis, quod conſcientia erronea, & ſi ſit culpabilis, & voluntaria, non tamen eſt culpabilis, voluntaria, aut libera directè, formaliter, aut immediatè, ſed ſolum indirectè preſupopſitivè, & mediatè in cauſa. Et ratio eſt clara, quià nemo iudicat falſum, volens directè iudicare falſum, alias cognoſcendo eſſe falſum, illi aſſentiret, & illud per intellectum iudicaret vt verum, quod manifeſtam involvit implicationem; nullus ergò aſſentitur legi falſæ volens directè, & formaliter aſſentire legi falſæ, alias aſſentiret intellectus legi falſæ vt falſæ, ſeu quod idem eſt, obiecto falſo ſub ratione falſi, quod etiam eſt contra eſſentiam, & ſpecificationem intellectus, cuius ratio ſpecificativa aſſentiendi ſolum eſt verum ſub ratione veri. Qualiter igitur intellectus aſſentitur voluntariè errori, ſeu legi falſæ? Dicimus quod volũtariè indirectè, preſuppoſitivè, & in cauſa, quatenus potuit, & debuit antecedentèr diligentèr inquirere veritatem, veramque Dei legem, & noluit, ſed negligentèr ſe habuit, ex qua negligentia culpabili formaliter, & contraria formaliter propriæ obligationi ſequutus eſt error, & falſitas in conſcientia, non quidem volita, & intenta formaliter, ſed tantum voluntaria indirectè in cauſa, ideſt, in illa negligentia præſuppoſita in ſecũdo ſigno prædicti ordinis, ſeu diſcurſus practici.

103 Secundo obijcies: implicat quod aliquis ſit obligatus in conſcientia ad peccandum; ſed ſi conſcientia erronea culpabilis obligaret ad faciendum quod dictat, v.g. ad proferendum mendacium, obligaret ad peccandum: ergò prædicta conſcientia non obligat ad faciendum quod dictat. Minor patet, nàm facere quod dictat conſcientia erronea culpabilis eſt formaliter peccatum, non enim excuſat à peccato: ergò. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: implicat quod aliquis ſit obligatus in conſcientia ad peccandum, abſolute, & ex terminis, concedo: ex ſuppoſitione culpabili, ſub diſtinguo, quod ſit obligatus per ſe, & formaliter ad peccandum, concedo maiorem: per accidens, & materialiter, nego maiorem. Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Quià, dum quis habet culpabiliter conſcientiam dictantem mendacium eſſe à Deo præceptum, ex vi talis conſcientiæ eſt quidem per ſe obligatus ad mendacium, ſed non per ſe, & formaliter ad mendacium tanquam ad malum, & peccatum, quià potius ex vi talis conſcientiæ reſpicit mendacium formaliter, & per ſe, ideſt, quantum ex propria ſcientia, & intentione, tanquam bonum, & honeſtum, ideſt, prout à Deo præceptum; & per ſe ad illud ſub hac conſideratione obligatur. Quod autem illud mendacium ſit peccatum formaliter, & voluntariè, ſe habet de materiali, & per accidens reſpectu conſcientiæ obligantis ad illud proferendum, quià non eſt peccatum formaliter per comparationem ad illam conſcientiam, ſed ſolum per comparationem ad dictamen generale ſyndereſis dictans nihil eſſe agendum ante diligentem inquiſitionem legis Dei, & reſpectivè ad legem veram prohibentem mendacium, culpabiliter ignoratam: nullum autem eſt inconveniens, quod ex ſuppoſitione culpabili quod cõtempſeris illud generale dictamen legis divinæ, inveniaris obligatus per accidens conſcientia erronea ſubſequuta, ad peccandum contra illud generale dictamen, ſeu contra aliam legem culpabiliter ignoratam propter contemptum illius prioris dictaminis. Et quidem iuſtiſsime à Deo permittitur, vt qui contempſerit obligationem veram inquirendi veram Dei legem, inveniatur obligatus lege Dei falſa, & erronea conſcientia, cui ſine peccato obedire non poſsit.

Sed

104 Sed dices: ergò talis homo eſſet in ſtatu, in quo non poſſet non peccare, nàm obediendo conſcientiæ erroneæ, peccaret per nos, aliunde etiam peccaret non obediendo ei; & neceſsitatus omnino eſſet ad obediendum, vel non obediendum, nec poſſet ità ſe gerere, quod nec obediret, nec non obediret; ergò eſſet ità neceſsitatus ad peccandum, quod non poſſet non peccare. Hoc autem dici non poteſt, quià hic eſt ſtatus proprius damnatorum, qui viatori competere non valet. Diſtinguo conſequens: ex terminis, aut neceſſario nego: ex ſuppoſitione ſibi libera, & à ſe vitabili in poſterum, concedo conſequentiàm. Et nego quod hic ſit ſtatus damnatorum; quià ſtatus damnatorũ conſiſtit in eo quod abſolutè non poſsint iàm ceſſare à peccato, vel ſi eſt ex ſuppoſitione, quæ in via fuit vitabilis, tamen in poſterum talis ſuppoſitio eſt iàm inevitabilis, quià eorum voluntas, & intellectus inflexibiles ſunt in malo. Attamen in via in caſu conſcientię errãtis culpabilitèr, ſuppoſitio talis conſcientiæ, ex qua non poſſunt non peccare, mutabilis eſt, & vitabilis in poſterum ab errante, quià tàm eius intellectus, quàm voluntas flexibiles ſunt, & mutabiles pro ipſius arbitrio, & poſſunt in poſterum adhibere diligentem inquiſitionem veritatis.

105 Sed dices: implicat contradictionem aliquem eſſe neceſsitatũ in actu primò ad peccandũ; ſed ex vi conſcientiæ erroneæ, ſi vera ſunt dicta, eſſet neceſsitatus in actu primò ad pecandum, quià eſſet neceſsitatus ad operandum, vel contra conſcientiam erroneã, vel iuxta illam, & vtrũque eſſet peccare formalitèr: ergò implicat conſcientiam errantẽ vincibiliter obligare ad culpam. Maior patet, quià nemo peccat niſi liberè; ſed ſi eſſet neceſsitatus in actu primò ad peccandũ, peccaret, & non liberè, ſed neceſſario: ergò implicat contradictionem aliquem eſſe neceſsitatum in actu primò ad peccandum.

106 Diſtinguo maiorem: implicat contradictionem aliquẽ eſſe neceſsitatum in actu primò ad peccandũ materialitèr, negò: ad peccandũ formalitèr, & voluntariè, ſub diſtinguo, neceſsitatè omnino antecedenti, & inevitabili, cõcedo maiorem: neceſsitate evitabili, culpabili, & voluntaria, ſeu cõſequẽti ad aliud libertatis exercitiũ, iterum ſub diſtinguo: quæ ſit neceſsitas ad peccandum cùm libertate, & volũtarietate formali, & immediata præciſſe, concedo maiorem: quæ ſit neceſsitas ad peccandũ, vel cùm libertate, & voluntate formali, & immediata, vel cùm libertate, & voluntarietate cauſali, & indirecta in cauſa, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quià in primis nulla eſt implicatio in eo quod quis ſit in actu primò neceſsitatus ad peccandũ materialitèr, & involũtariè, vt patet in phrenetico inculpabilitèr tali, qui occidat hominem occurrẽtem; vel in dormiente, qui prætèr omnem ſuam culpam polluitur; occiſio enim illa, & pollutio hæc ſunt peccatum materialitèr, & involũtarie tale; fiunt tamen ab homine non libero, ſed ab homine neceſsitato in actu primo proximo ex vi præcedẽtis diſpoſitionis ad ea incurrenda; non igitur repugnat hominem eſſe neceſsitatum in actu primò ad peccandum materialitèr, & involũtarie, licet hoc propriè non dicatur peccatum, ſicut neque culpa.

107 Deinde, nec repugnat hominem eſſe proximè neceſsitatum, vel ad peccandum materialitèr, vel ad peccandum formalitèr disiuntim. Cùm enim quis habet conſcientiam invincibiliter erroneam dictantem mendacium eſſe proferendum, tunc eſt neceſsitatus, vel ad mendacium, quod eſt peccatum materialitèr in eo caſu, vel ad illud omittendũ, quod eſſet peccare formalitèr contra conſcientiam; vnde non implicat hominem eſſe neceſsitatum disiuntim, & vage, vel ad peccandum materialitèr, vel ad peccandũ formalitèr. Item non repugnat voluntatem vi vnius conſcientiæ eſſe neceſsitatam in actu primò, neceſsitate ſibi culpabili, vel ad peccãdum contra ipſam conſcientiam formalitèr, & voluntarie, vel ad peccandum contra aliam legem ſibi culpabilitèr ignotam, peccato ſolum volũtario, & libero in cauſa, id eſt, in ipſa neceſsitate, quàm ſibi impoſſuit voluntas ex propria negligentia inquirendi veritatem. Et ſic ſe habet ille qui culpabilitèr contraxit conſcientiam erroneam dictantem, quod mendacium hic & nunc eſt præceptum à Deo; nàm vi huius conſcientiæ eſt proximè neceſsitatus, vel ad peccandum formalitèr contra ipſam, ſi nolit mentiri, vel ad peccandum contra legem naturalem prohibentem mendacium, ſi mentiri velit; à quo peccato non excuſatur per ignorantiam talis legis, quià eſt ignorantia culpabilis.

108 Ad probationem autem maioris, diſtinguo maiorem: nemo peccat, niſi liberè formalitèr, & immediatè, nego: niſi liberè vel formalitèr, & immediatè, vel cauſalitèr, & mediatè, concedo maiorem, & diſtinguo minorem, vt ſuprà. Nàm in prædicto caſu, licet ex vi conſcientiæ erroneæ, præſuppoſita ignorantia culpabi-

li, homo ille non eſſet proximè liber ad vitandum omnino peccatum, ſed potius eſſet proximè neceſsitatus ad peccandum vno ex duobus modis explicatis; tamen hæc neceſsitas eſſet conſequens ad eius liberam negligentiam, & non omninò antecedens: nàm antecedenter in primò ſigno, vel in ſecundo diſcurſus practici liber fuit immediatè ad vitandum errorem conſcièntiæ, & mediatè ad vitandum ipſum mendacium, & conſequenter omne peccatum. Vndè ſemper liberè peccaret, vel libertate immediata, & formali, vel libertate remota, & in cauſa.

109 Solum igitur repugnat aliquem omninò antecedenter ad omne exercitium ſuæ libertatis, inevitabiliter, & ſinè culpa propria, inveniri neceſsitatum ad peccandum formaliter; hoc autem non ſequitur in caſu conſcientię erroneę culpabilis, quià neceſsitas ex illa proveniens non eſt antecedens omne exercitium noſtræ voluntatis, ſed potius conſequens negligentiam liberam, & culpabilem.

110 Tota hæc doctrina confirmatur ex D. Th. 1.2.q. 19.art.6 ad 3. *Dicendum* (inquit) *Quod, ſicut in ſyllogiſticis, vno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi, ità in moralibus, vno inconvenienti poſsito, ex neceſsitate alia ſequuntur: ſicuti ſuppoſito, quod aliquis quærat inanem gloriam, ſeu propter illam faciat id, ad quod tenetur, ſivè illud omittat, ſemper peccabit. Nec tamen eſt perplexus, quià poteſt intentionem malam dimittere. Similiter ſuppoſito errore rationis, vel conſcienciæ, qui procedat ex ignorantia non excuſante, neceſſe eſt* (neceſsitate nimirum conſequenti) *quod ſequatur malum in voluntate, nec tamen eſt homo perplexus, quià poteſt errorem dimittere.* Quibus adde aliud exemplum de eo, qui exiſtens in occaſione proxima peccandi voluntaria, vrgetur præcepto annualis communionis: ille enim, ſivè communicet, ſivè non, peccat.

§. VIII.

Solvitur vltimum argumentum, & amplius impugnatur lex reflexa ſequendi conſcientiam culpabiliter erroneam.

111 DEnique obijcies, quià, ſi conſcientia erronea dictans mendacium eſſe proferendũ, obligaret, ſequeretur Deum præcipere ſaltèm indirectè mendacium in aliquo caſu, & idem de alijs actibus intrinſecè malis; ſed hoc eſt abſurdum: ergò. Sequela probatur: nàm in caſu, quo quis crederet mẽdacium eſſe proferendum ad vitandum damnum proximi, teneretur ad mendacium in conſcientia; ſed Deus precipit quod quiſque faciat id, ad quod tenetur in conſciencia: ergò tunc Deus præciperet proferre mendacium.

112 Huic argumento reſpondet Ferre, cùm Mercoro, nullum eſſe incõveniens quod Deus præcipiat indirectè, & per accidens mendacium, & actus intrinſecè malos, pro caſu ſcilicet, quo tales actus apprehenduntur vt honeſti in dictamine conſcientiæ. Apponit exemplum in Rege, qui præciperet militibus, vt obedirent Tribuno in omnibus; quod quidem Rex prudenter poſſet præcipere, etiam ſi prævidiſſet Tribunum aliquid præcepturum in damnum ſui, & reipublicæ, quià maius eſt bonum, quod ex tali obedientia in omnibus vniverſaliter reſultaret, quàm damnum, quod ex aliquo accidentali errore Tribuni contingere poſſet. Ità inquit prædictus M. Ferre n.43. quod divinæ providentiæ conveniens fuit conſtituere voluntati noſtræ, vt in omnibus ſequatur iudicium rationis, quanvis prævideat intellectum humanum aliquando erraturum, quià maius bonum eſt, quod ex dicto pręcepto vniverſali reſultat, quàm ſit inconveniens, quod aliquando ex errore emergit.

113 Valet huiuſmodi ſolutio triplicem ſenſum admittere. Primum ità, vt cùm Terillo adſtruat veram legem, licet per accidens exiſtentem in Deo, qua præcipiat reflexè quod ſequamur omnẽ conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, & in vi huius legis dicatur Deum per accidens, & indirectè præcipere mendacium. Et quidem ſi in hoc ſenſu intelligatur prædicta ſolutio, eiſdem rationibus impugnanda eſt, quibus prædictam legem reflexam ſuprà impugnatam relinquimus contra Terillum.

114 Quibus addo primò, quod per talem legẽ reflexam, ſi daretur, Deus non ſolum indirectè, ſed etiam directè, & per ſe pręciperet mendacium. Quod ſic facile probo: nã qui vera lege vniverſali præcipit ſequi omnem conſcientiam, tam erroneam, quã rectam, directè, & per ſe pręcipit ſequi omnes, & quaslibet conſcientias particulares, & ſingulares directè ſub illa contentas; nàm ſicut per propoſitionem vniverſalem directè, & formaliter affirmantur omnes ſingulares ſub illa directè contentæ, ità per legem vniverſalẽ præcipiuntur omnes caſus ſingulares directè ſub tali lege contenti; ſed hic numero caſus conſcientiæ erroneæ dictantis mendacium eſſe obligatoriũ, eſt caſus ſingularis directè, & formaliter cõtentus in illa lege vniverſali ſequendi omnem conſcientiam, tàm rectam, quam erroneam, quià ſub hoc ſubiecto vniverſali: *omnis conſcientia, tàm recta quàm erronea*, formaliter,

tèr, & directè comprehenditur *hæc ſingularis conſcientia erronea*: ergò per illam legem vniverſalem ſequendi omnem conſcientiam, tàm rectam, quàm erroneam, præcipitur directè ſequendam eſſe conſcientiam hanc ſingularem dictantem mendacium eſſe proferendum. Sed ſequi conſcientiam hãc ſingularem, formaliſsimè, & directè eſt proferre mendacium: ergò illa lege vniverſali formaliter, & directè præcipitur proferendum eſſe mendacium, & non ſolum indirectè, & per accidens.

115 Confirmatur: quià Deus revelavit vniverſalitèr omnem ritè, & rectè electum in Summum Pontificẽ eſſe verum Suceſſorem D. Petri, & Innoc. XII. eſt ritè & rectè electus, & conſequentèr cõtentus ſub ſubiecto illius revelationis vniverſalis, ideò aſſerunt prædictam revelationem vniverſalem revelare formaliter, & directè Innoc. XII. eſſe verum Suceſſorẽ D. Petri: ergò ſi Deus præcipit vniverſalitèr ſequendam eſſe omnem conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, cum aliàs conſcientia dictans, *mendacium hic, & nunc eſſe proferendum*, ſit conſcientia contenta ſub illo ſubiecto vniverſali *omnis conſcientia, ſivè recta, ſivè erronea*, clarè ſequitur Deũ directè, & formaliter, præcepiſſe ſequelam huius conſcientię ſingularis: præcepit igitur directè, & formaliter proferre mendacium. Vrgetur hoc ſyllogiſmo: Deus lege illa vniverſali præcipit vniverſalitèr faciendum eſſe quidquid, vt obligatorium, dictaverit cõſcientia ſivè recta, ſivè erronea; ſed proferre mendaciũ eſt quod directè hic & nunc dictat conſcientia, vt obligatorium, ſivè ſit recta, ſivè erronea: ergò lege illa vniverſali præcipit Deus directè hic, & nunc proferre mendacium.

116 Addo ſecundo, quod illa lex vniverſalis, & reflexa multo difficilior apparet in præſenti reſpectu cõſcientiæ culpabiliter errantis. Nàm cùm huiuſmodi conſcientia non excuſet à culpa, qui illam ſequitur, non ſolum materialiter, ſed formaliter peccat; ſed abſurdiſsimum eſt admittere aliquam veram legem Dei, quę præcipiat nobis formaliter peccare: ergò abſurdiſsimum erit admittere veram Dei legem præcipientem quod ſequamur omnem conſcientiã, etiam vincibiliter, aut culpabiliter errantem.

117 Forſan dices: pro Terillo per legem reflexam ſolum comprehendi conſcientiam inculpabiliter errantem, quià eius tantum ſequela eſt taliter honeſta, quod à Deo præcipi valet. Sed contra, quià tota ratio, in qua fundatur Terillus ad ponendam talem legem reflexam ſequẽdi conſcientiam inculpabiliter errantẽ, eſt quià talis conſcientia verè obligat, & agere contra illam eſt verè peccatum, & contemptus divinæ legis; ſed etiam ratio, ſeu conſcientia culpabiliter errans verè obligat, & agere contra illam eſt verum peccatum, & contemptus divinę legis, vt fatetur ipſe: ergò talis lex reflexa ex doctrina ipſius adſtruenda eſt etiam pro ratione, ſeu conſcientia culpabiliter errante.

118 Propterea ex illo dices ſecundo, ſequelam conſcientiæ culpabiliter errantis non eſſe formaliter peccaminoſam, & culpabilẽ, ſed ſolum præſuppoſitivè, & in cauſa talis erroris; ſuppoſito autem errore culpabili conſcientiæ, non eſſe novum peccatum, nec novam culpam agere quod ipſa dictat, ac perconſequens hoc benè poſſe cadere ſub Dei lege, & præcepto vniverſali reflexò. Sed contra eſt primò, quià licet actus, quo voluntas ſequitur conſcientiam culpabiliter errantem, non ſit peccatum de novo voluntarium formaliter, voluntarietate diſtincta ab ea, quam habet in ſui cauſa, ſcilicet, in errore, negligentia, & ignorantia præſuppoſita, tamen falſum eſt quod non ſit novum peccatum, cùm nova malitia formaliter diſtincta à malitia peccati præſuppoſiti, vt infrà dicemus contra Terillum; ſed implicat quod Deus verè præcipiat lege reflexa actum, qui eſt peccatum novum, & cùm nova malitia: ergò implicat Deum prædicta lege verè præcipere quod ſequamur conſcientiam illam, etiam culpabiliter erroneam.

119 Contra ſecundò, quià, vt fatetur Terillus, ipſe actus, quo quis ſequitur conſcientiam culpabiliter erroneam eſt verè peccatum, verèque malus, & inhoneſtus, ſaltèm malitia extrinſeca deſſumpta ex peccato preſuppoſito; ſed nõ ſolum repugnat Deum præcipere actum, qui propria, & intrinſeca malitia gaudet, ſed etiam actum extrinſecè malum, & peccaminoſum in eis circunſtantijs, in quibus talis eſt; nàm Deus nemini præcipere poteſt quod committat peccatum, neque intrinſecè, neque extrinſecè tale: ergò Deus lege illa reflexa verè præcipere nequit quod ſequamur cõſcientiam culpabiliter erroneam. Minor probatur, quià Deus nequit præcipere per veram ſuam legem, quod actus aliquis fiat in circunſtantijs, in quibus talis actus ipſi Deo ſimpliciter diſplicebit, alias Deus præciperet nobis quod ipſi Deo diſplicceremus, quo nihil abſurdiùs excogitari poteſt; ſed actus ſequendi conſcientiam vincibiliter erroneam, v.g. proferendi mendacium, ſeu iuramentum falſum, quià id per culpabilem errorem iudicatur licitum, abſolutè, & ſimpliciter diſplicet Deo, etiã ſi ſit actus tantũ extrinſecè malus à culpa præſuppoſita: ergò

Deus præcipere nequit ſimiles actus pro eis circunſtantijs, pro quibus ſunt mali, & peccaminoſi adhuc extrinſecè, quià tunc etiam diſplicent Deo.

120 Reſpondet Terillus q. 17. n. 45. actum, quo ſequimur conſcientiam errantem culpabiliter, Deo placere, minimè autem ei diſplicere, quià Deo non diſplicet, ſed potiùs placet quod in opere, conſcientiæ conformemur, etiam vincibiliter erranti. Mihi hoc ſanè abſurdiſsimum videtur, & ſcio ceteris Theologis non placiturum, nàm quotieſcumque homo in aliquo ſuo actu Deo liberè placet, re ipſa in illo actu laudabilis eſt; ſed abſurdum eſt dicere eum, qui iurat falsò ex conſcientia vincibiliter errante & id proponente vt licitum, laudabiliter agere apud Deum, alias enim ignorantia illa, & error culpabilis, nedùm excuſaret falſum iuramentum à culpa, & peccato, ſed etiam illud redderet honeſtũ, & laudabile; quod omne ſuperat abſurdũ: ergò abſurdùm eſt graviſsimum dicere, ſequentem conſcientiam culpabiliter erroneam in actu, quo illam ſequitur, verè placere Deo. Nàm, quis vnquam audivit falſo iurantẽ, quià ſua culpa id iudicavit licitum, verè placere Deo, & mereri apud Deum, eo quod vult iurare falſum prout illi culpabiliter dictat ſua conſcientia?

121 Item nàm vlterius ſequitur, Iudæos perſequentes, & occidentes Chriſtũ ex ignorantia culpabili, quod eſſet verus Meſias. Et Saulum perſequentem Chriſtianos, quià eorũ legem adhuc ignorabat, licet culpabiliter. Et item illos, qui Apoſtolos perſequebantur putantes ſe obſequiũ præſtare Deo, licet re ipſa peccarent in negligentia, vel contẽptu addiſcendi veritatem, tamen ſuppoſita ignorantia culpabili, qua laborabant, verè re ipſa Deo placuiſſe, eique obſequium præſtitiſſe Iudæos occidendo Chriſtũ, Saulum perſequendo Chriſtianos, & alios, qui Apoſtolos perſequebantur. Quis hoc credat? Sed de his infra.

122 Addo tertio, quod actus intrinſecè mali, quales ſunt proferre mendaciũ, falſum iuramentum, &c. nunquam poſſunt Deo placere, pro nullo que caſu à Deo præcipi; nàm tales actus ſemper, & pro ſemper Deo diſplicent, & ab ipſo lege naturali prohibentur neceſſariò, non enim Deus liberè prohibet mendacium, aut liberè in eo diſplicet, ità vt poſsit, quando velit, in eo complacere, & illud præcipere, alias poſſet Deus eſſe Author ſpecialis mendacij; & conſequẽter erroris, & falſitatis; & quod plus eſt, ſi vellet, poſſet eſſe, & dici Pater mendacij: quod quis non horreat? Hoc autem abſurdo ſequeretur, ſi Deus poſſet liberè in aliquo, vel aliquibus caſibus præcipere mendacium. Quià non alia ratione diabolus dicitur Author, & Pater mendacij, niſi quià ſuadet homini mendacium: ergò ſi Deus poſſet hominibus ſuadere, & præcipere mendacium, æquo, vel potiori titulo dici poſſet Author, & Pater mendacij.

123 Confirmatur: ſuppenamus hominẽ, errore invincibili, vel vincibili, iudicare eſſe licitũ, & honeſtũ prædicare gentilibus doctrinam aliquã falſam ad hoc vt faciliùs trahantur ad Chriſtum, & faciliùs credant. Sanè huic per te verè præcipit Deus, vt ſequatur talem conſcientiã in praxi, & quod operetur iuxta ipſam: ergò præcipit illi facere quod talis conſcientia dictat. Sed facere quod talis cõſcientia dictat eſt formaliſsimè prędicare doctrinam falſam: ergò præcipit vera, & reali lege ſua quod Catholicus gentilibus prędicet doctrinam falſam. Rurſus, ſi id præcipit: ergò poteſt ſuum auxiliũ ſpeciale ei adhibere, vt prędicet doctrinã falsã; nàm quis neget Deũ poſſe adhibere auxiliũ ſuũ ſpeciale, vt homo faciat, quod ipſe Deus verè, & realiter præcipit? Poteſt igitur eſſe Author ſpecialis doctrinæ falſæ? Quis hoc credat? Veruntamẽ iſtæ, & ſimiles conſequentiæ clarè deducuntur ex opinione, quã impugnamus. Sicut etiã quod poſſet Deus miraculis confirmare talẽ doctrinam falſam. Si enim præcipit illi talem doctrinã prædicare, cur non poterit eũ, quia ſuæ legi obedientẽ, miraculis defendere ab impugnatoribus? Quo in caſu certè doctrina falſa talibus miraculis confirmaretur. Video Sanè, quã levis momẽti videbitur Reflexiſtis huiuſmodi obiectio, cum P. Moya ex illis præcipuus in Apend. ad tract. de opin. probab. q. 9. § 7. n. 47. ſimili argum. ſic reſpondeat: *Nec ullum ſequitur inconveniens, ſecundũ plures Theologos, ex eo quod Deus ſit Author erroris. Videatur*, inquit, *Ripalda tom. de fide, diſp 4 ſect. 4. n. 37. vbi ſic ſcribit: Probabilius exiſtimo Deum poſſe eſſe cauſam per ſe, ſivè infundentẽ, ſivè inducentem erroris. Et probatur, nã Deus eſt cauſa per ſe eius actus in quẽ confert per ſe auxilium ſupernaturale: at in actum erroneũ confert per ſe auxilium ſupernaturale, &c.* Sed, quidquid dicant hi AA. hæc doctrina abſurdiſsima eſt, ſufficiẽtiſsimèque oſtenditur, quàm falſa ſit Reflexiſtarum opinio, quæ huius Doctrinæ ſuffragio nititur.

124 Nec iubat cum Terillo dicere, Deum non id præcipere in eo caſu per ſe, ideſt, lege per ſe exiſtenti, ſed illud tantum præcipere per accidens, ideſt, lege per accidens exiſtente, ex ſuppoſitione erroris, nàm hoc iàm ſuprà impugnatum manet. Et vlterius impugnatur; nàm ſicut admittit veram legẽ, licet exiſtentem in Deo

per

per accidens, qua verè præcipiat in eo casu, supposita illa conscientia erronea, prædicare doctrinam falsam, cùr etiam non admittet Deum esse verum Authorem specialem doctrinæ falsæ, & patrare vera miracula in confirmationem illius doctrinæ, eique suo auxilio speciali assistere ad illam prædicandam, ità vt totum hoc Deus vera, & reali voluntate faciat, licet postea dicas talem voluntatem, qua hæc omnia verè, & positivè facit, esse voluntatem per accidens? Certè, si Deus potest verè, & realitèr id præcipere vera, & positiva lege, quæ tamen, quanvis vera, & positiva sit, dicatur esse ex parte Dei quasi per accidens, cùr Deus sua vera, & positiva àc speciali voluntate non poterit prædicta omnia facere, quanvis postea dicas talem voluntatem veram, & positivam esse in Deo per accidens? Cùm ergò hoc secundum ridiculum appareat paritèr, & absurdum, nec primum dici poterit sine incõvenienti. Exquibus patet solutionẽ illam, qua Ferre cùm Mercoro supra respõdebat argumẽto posito n. 112. si primò illo sẽsu intelligatur, minimè sustineri posse.

125 Ad exemplum autem, quo vtitur in contra M. Ferre, respondeo primò: Regem minimè posse prudentèr præcipere militibus quod obediant Tribuno, etiam in eis, quę ipse Rex legibus absolutis, & à Tribuno independentibus prohibita habet in regno suo, sed quoriescumque præcipit prudentèr ei in omnibus obedire, intelligitur in omnibus, quæ non contradicant legibus regni Tribuno nõ subordinatis, seu Tribuno supperioribus. Vnde quanvis sæpe Rex præcipiat, Tribuno in omnibus obedire, nũquam milites tenentur obedire, si semel agnoverint eum aliquid præcipere contra leges regni, aut aliquid moliri contra bonum reipublicæ, imò, tunc tenetur miles fidelis resistere Tribuno, regique nũtiare: quod signum est manifestum, illam particulam *in omnibus* semper intelligendam esse cùm restrictione: aliàs etiã, si Tribunus eis præciperet, quod civitatem inimicis traderent, quod contra propriam Rempublicam militarent, quod Tribunũ in Regem constituerent, quod leges regni violarent, & alia huiusmodi, tenerentur obedire ex vi præcepti Regis, quod sane falsum est, & contra ipsam intentionem Regis præcipientis.

126 Secundò respondeo, admittendo casum in Rege humano; ceterum in eo casu negari non potest Regem per illam legem vniversalem subordinare Tribuno ceteras alias leges, contra quas Tribunũ præcipere potest; nàm si præcipit esse obediendum Tribuno in omnibus, etiã si præcipiat contra alias leges suas, eo ipso reddit tribunum arbitrum, & superiorem supra alias leges, quod quidem non implicat Regem humanum facere, si velit, & forsan potest id prudenter iudicare conveniens in aliquo casu. Attamẽ, Deus nequit suas leges subordinare nostræ conscientiæ, nec nostram conscientiam constituere arbitram supra alias suas leges: nàm aliàs nostra conscientia esset tunc prima lex, & prima regula respectu legum divinarũ, quod chimericũ est.

127 Secundus sensus, in quo potest intelligi supra data solutio, est ità vt Deum præciperè indirectè, & per accidens mendacium, sivè actus intrinsecè malos, sit idẽ àc præciperè per se aliud distinctum, quod fieri non possit ab homine, nisi proferendo mendacium, v.g. si Deus præciperet alicui sui defensionem, quam exercere non potest sine occisione persequentis, tunc diceretur Deum præcipere indirectè, & per accidens occisionem alterius. Hoc pacto dici posset Deum, per se quidẽ præciperè quod sequamur conscientiam; sed quià, dum illa est erronea, & dictat mendacium esse proferendum, sequi non potest, nisi proferendo illud, ideò indirectè, & per accidens dici poterit Deum præcipere mendacium.

128 Sed nec in hoc sensu placet solutio, quià Deus, vt satis probatum manet, non præcipit sequi conscientiam sivè rectam, sivè erroneam, sed solum conscientiam rectam; sed licet in casu prædicto non possit sequi conscientia erronea, nisi proferendo mendacium, conscientia tamen recta semper sequi potest, non proferendo mendacium, quià conscientia recta non dictat vnquam proferendum esse mendacium: ergò lex Dei reflexa non præcipit aliquid, quod fieri non possit, nisi proferẽdo mendacium.

129 Secundò, quià occisio alterius hominis non est ità intrinsecè mala, vt non possit à Deo præcipi, etiam directè, vti præcepit Abrahæ occisionem filij, suspendereque prohibitionem directam illius; ideòque nihil mirum quod possit illam indirectè, & quasi per accidens præcipere. Attamen mendaciũ, ità est intrinsecè malum, vt Deus nunquam illud directè possit præcipere, sed omnino necessario illud sua æternalege prohibitum habet; sed quod Deus ità necessariò prohibitum habet, nec indirectè, & per accidens potest illud verè præcipere, alias saltem indirectè sibi ipsi in legibus suis contradiceret: ergò.

130 Tertio, quià Deus nequit præciperè absolute defensionem propriæ vitæ pro eis circustantijs, pro quibus est impossibilis re ipsa, nisi proferendo mẽdacium, aliàs pósset etiã præcipere illã pro circũstãtijs, pro quibus est impossibilis, nisi prędicãdo doctrinã

falsam, ità quod esset re ipsa, licet indirectè, præcipere mendacium, & prædicationem doctrinæ falsæ, vt communiter Theologi fatentur: ergò nequit indirectè, & per accidens verè præcipere mendacium, ideſt, præcipiendo aliquid, quod re ipsa obtineri non possit sine mendacio.

131 Sequitur tertius sensus, in quo possit intelligi solutio Mag. Ferre, & Mercori: ità videlicet, quod idē sit Deum indirectè, & per accidens præcipere mendacium, àc præcipere aliquid, quod re ipsa, & absolutè loquendo, semper fieri potest sine mēdacio; ex errore tamen hominis fieri nō potest nisi proferendo mendacium. Et in hoc sensu admitti potest prædicta solutio; quià Deus re ipsa præcipit sequi conscientiam rectā, & facere quęcumque lex eius vera dictaverit faciendum; hoc autem, licet fieri possit semper, & pro semper re ipsa sinè mendacio; cùm tamen homo per errorem iudicat mēdacium esse rēvera à Deo pręceptū, & suam conscientiā id dictantem esse rectā, tunc in eius erronea existimatione fieri non potest sequi conscientiā rectā, & facere quod Deus re ipsa pręcipit, nisi proferēdo mendacium.

132 Cęterum, si solutio hoc modo intelligatur, impropriſsimè loquitur; nàm hoc non tam est Deum re ipsa pręcipere indirectè, & per accidens mendacium, quam hominem per suum errorem falsò existimare quod Deus tale mendacium præcipit indirectè. Quod ità esse aperte fatetur ipse M. Ferre ad tertiam instantiam vbi ait: *Quod Deus non præcipit mendacium, neque directè, neque indirectè, sed conscientia ex suppoſito errore existimat Deū mendacium præciperе.* Quod probat: *Nàm si semel admittimus* (inquit) *quod Deus per accidens possit esse Author mendacij, nullum videtur stare fundamentum ad asserendum quod Deus vt Author fidei non possit per accidens, ideſt, per suos Ministros, dicere falsū: quod inconveniens intolerabile est.* Sed si hoc ità est, cur antea dixerat cùm Mercoro Deum per accidens, & indirectè præcipere actus ex suo genere malos?

133 Forsan dicet, se loquutum fuisse de alijs actibus ex genere malis à mēdacio distinctis Sed cur ad primam replicam statim n. 43. respondet applicādo doctrinam Mercori mendacio, dicensque expresè, quod *Deum absolute prohibere mendacium, & ex suppoſitione conscientiæ erroneæ, illud præcipere, nullam dicit oppoſitionem?* Et ad hoc adducit exemplum tribuni, cui supra satisfactum relinquimus: quod tamē, si aliquid probat, probat Deum indirectè saltèm, verè, & propriè præcipere mendacium. Deindè, nàm si cōscientia erronea potest obligare ad mendacium, quin detur lex neque directè, neque indirectè pręcipiens illud, cur etiam nō poterit conscientia erronea obligare ad alios actus intrinsecè malos, quin detur lex neque directè, neque indirectè tales actus pręcipiens? In consequentèr igitur, vel saltèm abusivè adstruitur, tum à Mercoro, tum à M. Ferre lex Dei, quæ indirectè præcipiat actus intrinsecè malos, ad salvandam obligationem conscientiæ erroneæ: licet aliàs, vt censeo, in sano sensu loquantur, longèque distent à lege reflexa Terilli.

134 Iàm igitur ad argumentum supra positum n. 111. respondeo facilè ex dictis, negando sequelam Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem, Deus pręcipit quod quisque faciat id, ad quod tenetur ex conscientia recta, concedo: ex conscientia, sivè recta, sivè erronea, sivè errante culpabilitèr, sivè inculpabilitèr, nego minorem, & consequentiam. Nàm Deus solum præcipit, quod quisque faciat, quod ratio, & conscientia recta dictaverit esse faciendum: non autem absolutè, & dispoticè, quidquid ratio, & conscientia quælibet, sivè recta, sivè erronea, sivè culpabilis, sivè inculpabilis dictaverit esse faciendum. Hoc enim planè esset constituere rationem humanam pro prima regula honestatis, aut inhonestatis, quià constitueret illam pro regula independentèr ab eo quod conformaretur cùm lege Dei, vel non, quod est illam statuere pro regula omnino independenti ab alia superiori. Et item posset quisque pro suo libito quemlibet actum, quantumvis malum, facere illum honestum, & à Deo præceptum; nàm posset errore culpabili, & vincibili dictare, quando vellet, illum actum esse honestum, & à Deo præceptum: quo dictamine suppoſito, iàm Deus præciperet illum actum, quià præciperet facere quod illa conscientia erronea dictaret: iàm igitur homo ille per suū voluntariū errorem faceret, quod actus, quē Deus sua æterna lege prohibebat, eundem præciperet vt honestum.

135 Ac demùm sequeretur, posse hominem evadere impeccabilem pro suo libito, hoc pacto. Ponè enim hominem errore voluntariò semper existimare vt licitum, & honestum, quidquid velit facere, v.g. fornicationem, adulterium, mendaciū, &c. Cùr enim quis non poterit voluntariè errare circa huiusmodi, quando quidem hęretici de facto censent fornicationē esse licitam, & in alijs peioribus errant. Sanè qui sic erraret, in nullo suo facto peccare posset contra legem Dei, imò tunc Deus pręciperet illi quod committeret adulterium, fornicationem, mendacium, &c. sicut ei sua conscientia dictabat; nàm præciperet ei facere omnia, quæ sua ei conscientia, quan-

tum-

tunvis erronea, culpabiliſque ei dictaret. In quo igitur iſte peccaret?

136 Dices, quod peccaret in errore voluntario, ſeu in voluntate errandi. Sed contra: pone enim voluntariè ipſum exiſtimare, tum quod non teneatur ad veritatem indagandam; tum quod error, quantunvis voluntarius, non ſit peccatum, nec à Deo prohibitus. Si enim quis poteſt exiſtimare quod mendacium, etſi voluntarium, non ſit à Deo prohibitum in pluribus caſibus, & hoc, apud plures, errore invincibili, quare alius non poterit errore ſaltèm vincibili, & voluntario iudicare quod error, quantunvis voluntarius, non ſit peccatum, nec à Deo prohibitum. Semel autem hoc ſuppoſito, Deus lege reflexa licitum ei faceret quod erraret voluntariè; nàm ſicut Deus lege reflexa præcipit facere quæcumque conſcientia etiam vincibilis dictaverit, vt obligatoria, ità lege reflexa licentiam indulget faciendi quidquid conſcientia directa, etſi vincibilis, dictaverit eſſe licitum. Suppoſito igitur, quod quis errore vincibili iudicaverit ſibi eſſe licitum errare circa legem Dei, Deus illi per legem reflexam licentiam indulget errandi; non igitur peccabit in errore ſibi iàm licito per legem reflexam. Iàm igitur iſte facere poterit abſque vllo peccato quęcumque voluerit, quià licet plura ſint prohibita per legem directam, omnia ſibi licent per legem reflexam.

137 Vlterius pone Atheiſtam negantem Deum eſſe, vel ſaltim eius providentiam, & gubernationem in vniverſo, aut eum eſſe legiſlatorem hominum; quod plures defacto errore, licet craſiſsimo, & vincibili, exiſtimaverunt. Hi ſanè exiſtimant omnia ſibi eſſe licita, nihilque prohibitum à Deo, licet errore craſiſsimo; ſed per te Deus lege reflexa omnibus licentiam facit faciendi quæcumque exiſtimaverint, licet per errorem craſiſsimum, ſibi licita, aut non prohibita: ergò Deus hominibus his, ſuppoſito ſuo errore, licentiam indulget per legem reflexam faciendi omnia, quęcumque voluerint, ideſt, fornicàdi, adulterandi, mentiendi, &c. Non ceſſarem ſi vellem omnia abſurda, quæ ex tali lege reflexa deducenda occurunt, exprimere.

138 Sed dices primo; ſi Deus non præcipit ſequi conſcientiam etiam vincibiliter erroneam, vnde obligor ad non agendũ contra illam? Reſpondeo vt ſupra, quod ex lege Dei directa falsò exiſtimata, vel, quod idem eſt, ex lege directa Dei vera in vniverſali, falsò tamẽ applicata huic materiæ per conſcientiam errantem culpabiliter. Vel, ſi velis recurrere ad legem reflexam, dico quod obligor per legem præcipientem ſequi conſcientiam rectam, & per errorem, quo iudico hanc meam conſcientiam eſſe rectam; non ità vt error ſit, qui formaliter, & motivè obligat, ſed tantum applicativè: nàm motivè tota ratio obligandi eſt lex ſequendi cõſcientiam rectam, quę falsò applicatur ad hanc conſcientiam.

139 Replicabis: ergò iàm lex Dei vera poteſt obligare ad ſequendam conſcientiam culpabiliter erroneam: cur ergò non poterit præcipere id ipſum ad quod obligat? Reſpondeo, eſſe magnam diſparitatẽ inter legem obligare, & legem præcipere; prius eſt enim legem præcipere, & poſterius obligare: quod lex Dei aliquid præcipiat, vel non præcipiat, non fit per applicationẽ, qua homo applicet ipſam legem ad præcipiendum hoc, vel illud; nàm lex præcipit id, quod præcipit, independenter ab hominis applicatione. Obligare autẽ poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet, vel radicaliter, & remotè, & ſic, idem eſt àc præcipere; nàm obligatio radicalis eſt indiſtincta ab ipſa lege præcipiẽte, & in hoc ſenſu lex tantum obligat radicaliter, & ex parte ſua ad id, quod re ipſa præcipit. Vel poteſt ſumi proximè, & formaliter; & ſic lex ad obligandum proximè, & formaliter expectat applicationem, quæ fit per humanam rationem proponentem talem legem. Vnde lex applicatur per dictamen rationis ad obligandum, ſivè vt obliget ad hoc, vel illud; cùm autem poſsit humana ratio per errorem applicare legem ad id quod revera lex non præcipit, poterit quidem tunc obligare ad id, quod non præcipit, per applicationem, ſcilicet, falſam, ſed nunquam fieri poterit, adhuc per illam applicationem, quod præcipiat id, quod re ipſa non præcipit. Vnde in forma, diſtinguo primum conſequens: ergò lex Dei vera poteſt obligare ad ſequendã conſcientiam culpabiliter erroneam, ità vt talis obligatio motivè, & formaliter ſit à lege Dei vera, applicativè vero à conſciẽtia culpabiliter erronea, cõcedo conſequentiam; aliter nego conſequentiam. Et ad vltimum patet diſparitas ex diſtinctione aſsignata inter legem obligare, & legem præcipere.

140 Dices ſecundo: lex Dei vera, per nos, applicatur per errorem, vt obliget ad ſequendam conſcientiã erroneam: ergò applicatur falsò ad obligandum: ergò non verè, ſed falsò obligat. Cõcedo antecedens, & nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens: applicatur falsò ad obligandũ, falſitate de materiali, & per accidens ſe habente ad hoc vt lex verè obliget in conſcientia, concedo: falſitate auferente quod lex verè obliget in cõſcientia, nego conſequentiã. Et

ratio eſt, quià ſicut ille, qui falsò apprehēdit aliquod malū vt verum bonū, falsò applicat rationē veri boni illi obiecto malo ad hoc vt illud obiectū moveat voluntatem: verūtamen falsitas illius applicationis non tollit quod illa ratio veri boni, falsò applicata, verè moveat voluntatem, illamque verè alliciat, non minus quam ſi eſſet verè applicata, quià illa falſitas, vtpote ignorata, omnino per accidens ſe habet, & de materiali, & ſolum ſe habet de per ſe quod exiſtimativè eſt vera. Ità ſimiliter quando intellectus falsò applicat legem Dei veram ad materiam mendacij, falſitas illius applicationis de materiali, & per accidens ſe habet, vtpote ignorata, & impedire non poteſt quod lex Dei, ità applicata, verè obliget in conſcientia, quià ad hoc ſufficit quod in conſcientia, & exiſtimatione iudicantis ſit vera illa applicatio. Et ratio vtriuſque eſt, quià ſicut motio voluntatis ab obiecto non eſt phyſica, ſed intentionalis, & moralis, & ideò vt voluntas verè ab aliquo obiecto moveatur, non requiritur quod illud phyſicè, & re ipſa ſit bonum, ſed ſat eſt, quod ſit verè bonum in apprehenſione, & exiſtimatione ipſius: ità obligatio voluntatis ad proferendum mendacium, non eſt obligatio phyſica, ſed intentionalis, & moralis, & ideò non requiritur quod mendacium re ipſa ſit verè à Deo præceptum, ſed ſat eſt, quod in exiſtimatione, & conſcientia ſubditi appareat vt verè præceptum, quod fit per applicationem falſam veræ legis ad materiam mendacij, ſicut quod malum appareat verum bonum, fit per applicationē falſam veri boni ad ſubiectum malum. Videantur ſupradicta n. 82.

§. IX.

Corollarium notatu dignum exponitur.

141 EX Dictis colliges, falſam eſſe ſententiam illorum antiquorum, quos impugnat D. Th. in preſenti, qui dicebant conſcientiam erroneam non obligare, nec ad ponēdos actus intrinſecè malos, quando exiſtimantur vt honeſti, & à Deo præcepti; nec ad ommittendos actus intrinſecè bonos, quando exiſtimātur prohibiti, ſed ſolum obligare circa actus ex ſe indifferentes. Colligitur inquam eam opinionem eſſe falſam; nàm quanvis actus ſit intrinſecè malus, vt mentiri, ſiquis per errorem exiſtimat Deum præcipere hic, & nunc mentiri, & cùm hac exiſtimatione non vult mentiri, re ipſa peccat, & contemnit affectivè legem Dei, vt probatum manet in tota quęſtione. Et idē, ſi aliquis exiſtimaret per errorem actum miſericordiæ eſſe à Deo prohibitum, vel aliumactum intrinſecè virtuoſum ex ſuo genere, & cùm tali conſcientia illum eliceret, abſdubio etiam contemneret legem Dei, & eam violaret affectivè modo ſupra dicto; idque probant omnia argumenta ſupra facta pro cōmuni ſententia: ergò conſcientia erronea non ligat tantum in indifferentibus, ſed etiam in per ſe bonis, & in per ſe malis.

142 Vrgetūr: ideò obligat in indifferentibus, quià licet obiectum à parte rei ſit indifferens, & non ſit à Deo re ipſa prohibitum, tamen obiectivè in intellectu repræſentatur, & exiſtimatur prohibitum, & hoc ſufficit vt, ſi voluntas velit tendere in illud obiectum, contemnat affectivè legem Dei, quià quantum eſt ex ſuo affectu tendit in obiectum, quanvis prohibitum; ſed quando obiectum eſt intrinſecè bonum, ſi exiſtimatur vt prohibitum, etiam repræſentatur, & apparet obiectivè in intellectu vt prohibitum: ergò ſi voluntas tendat ad illud, peccabit, & contemnet legem Dei affectivè.

143 Dices: ſi aliquis exiſtimaret per conſcientiam erroneam amorem Dei eſſe ab ipſo Deo prohibitum, aut eius odiū eſſe ab eo præceptum, non teneretur nec odio habere Deum, nec abſtinere ab amore Dei: ergò conſcientia erronea non obligat in per ſe malis, nec in per ſe bonis. Antecedens patet, quià ille non peccaret ommittendo odium Dei, nec amando Deum, aliàs poſſet offendere Deum aliquis eum amando, eo quod ipſum amaret, quod quis dicat? Ergò.

144 Reſpondeo, caſum eſſe omnino impoſsibilem, quià licet poſſet aliquis exiſtimare Deum non eſſe, vel mundi rectorem non eſſe; tamen exiſtimare non poteſt ſerio per conſcientiam Deum præcepiſſe quod illum odio habeamus, aut illum contemnamus, & prohibuiſſe quod illum amemus. Nàm, quomodo vnquam poteſt cadere in intellectum humanum, quod Deus prohibuerit illum amare, & præceperit illum odio habere, & contemnere eum? Hoc ſane eſſet exiſtimare, quod Deus præciperet ſibi non obtemperandum, quod Deus vellet quod ſuæ voluntati non conformemur, & alia huiuſmodi, quæ repugnant omnino, ſaltim ex natura rei ab intellectu vllo exiſtimari. Cuius ratio à poſteriori eſt; nàm licet malitia, & ignorantia hominum aliquorum eo vſque pervenerit, vt cogitaverit Deum non eſſe, aut legiſlatorē non eſſe, nunquam tamen eo vſque devenire potuit vt exiſtimaret eum prohibuiſſe hominibus, quod illum amarent, aut præcepiſſe quod eū odio haberent. Ex quo manifeſte

feſtè apparet id eſſe impoſsibile ; nàm ſi forſam impoſsibile non foret, ſanè non defuiſſet in aliquo ſæculo aliquis ignorans, qui id iudicaſſet. Et item à priori; nàm quicumque concipiunt Deũ eſſe, ex prima eius conceptione illum apprehendũt vt iuſtum, bonum ſummum, &c. ſed implicat aliquem apprehendentem Deum vt ſummum bonum, exiſtimare in conſcientia illum eſſe odio habendum, & peccatum eſſe illum amare ; nàm primum principium ſyndereſis à nullo ignorabile, niſi à brutis, eſt quod ſummum bonum eſt amandum, & quod ſolum malum eſt odio habendum: ergò repugnat conſcientia dictans Deum eſſe odio habendum, aut eſſe non amandum.

145 Dices: Ripalda exiſtimavit Deum poſſe prohibere actus charitatis, fidei, & ſpei ſupernaturalis erga Deum, hoc eſt, quod credamus, ſperemus in Deo, & illum ſuper omnia amemus, ſaltim pro aliquo brevi ſpatio : ergò hoc non adeò eſt implicatorium, vt non poſsit illud aliquis exiſtimare de facto. Reſpondeo, quod cùm res de poſsibili conſiderantur, conſiderantur à longe, cùm autem defacto, attenduntur ex propinquo : Ripalda autem, ſi ſerio exiſtimavit Deum poſſe nobis prohibere, ne credamus, & ne ſperemus in eo, & ne eum diligamus ſuper omnia, id exiſtimavit, quià illud conſideravit à longe, id eſt, de poſsibili, & quià in hoc, defectu viſus in intellectuali oculo laboravit, de facto autem, id eſt, de propinquo, nec ipſe Ripalda poſſet vnquam exiſtimare Deum præcipere nobis quod nec credamus, nec ſperemus in illo, nec eum amemus, adhuc pro brevi tempore, niſi tantum indirectè, præcipiendo incompoſsibile aliud cùm actuali applicatione capitis ad conſiderandum ipſum Deum, aut de illo cogitandum, vt quod dormiamus aliquantiſper, vel aliud huiuſmodi. Et tamen in hoc ſenſu, nec indirectè prohiberet Deus ſui amorem quandiù duraret vſus rationis, quià poſſemus applicare nos ad ſomnum, amando Deum actualitèr, & ex amore ipſius velle dormire quià ipſe præcepit, poſſetque durare amor Dei impellens ad dormiendum vſque ad ipſum ſomnum excluſivè. Vndè cenſeo Deum nunquam poſſe præcipere, adhuc indirectè, quod durante vſu rationis, illum non amemus, quià quidquid nobis præceperit, illud facerè poſſumus ex actuali amore ipſius, & quandiù durat vſus rationis, nihil, quod Deus præcipiat, poteſt eſſe incompoſsibile cùm actuali amore Dei, alias illi præcepto non poſſemus obedire ex amore Dei. Sed de hoc alibi.

QVÆSTIO VII.

An actus, quo ſequimur conſcientiam culpabiliter errantem, ſit peccatum diſtinctum à culpa ignorantiæ, ex quâ ſequitur error conſcientiæ?

1 PATER Terillus q. 17. ſec. 2 conſequenter ad ſuam doctrinam, aſſerit actum, quo ſequimur conſcientiam vincibiliter errantem, nullam habere rationem peccati ſibi intrinſecam, nec eſſe novum peccatum diſtinctum à peccato ignorantiæ, ex quo conſcientia erronea procedit; ſed tantum denominari extrinſecè peccatum à culpa ignorantiæ, vel negligentiæ, vi cuius, in errorem conſcientiæ prolapſus eſt. Hanc ſententiam vniverſaliter veram exiſtimat, niſi operans cùm conſcientia erronea advertat reflexè iudicium conſcientiæ eſſe temerè conceptum, & ſe teneri ad illud non ſequendum, niſi facta maiori inquiſitione veritatis. Nàm ſi cùm hac advertentia reflexa ſequatur illud iudicium, manifeſtum eſt, quod peccat peccato malitiæ diſtincto à peccato ignorantiæ culpabilis; nàm directè violat, & contemnit legem non ſequendi iudicium temerè conceptum, vſque dum præcedat debita diligentia. Si vero non detur hæc advertentia reflexa, vniverſaliter aſſerit non eſſe novum peccatum, nec habere novam rationem peccati actum, quo ſequimur conſcientiam culpabiliter erroneam. Contra hanc igitur ſententiam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

§. I.

Noſtra concluſio probatur.

2 DICO Igitur : *Actus, quo ſequimur conſcientiam vincibiliter errantem, id eſt, proponentem vt licitum, vel vt à Deo præceptum, quod revera eſt ab ipſo Deo directè prohibitum, eſt novum peccatum, habetque novam rationem peccati quoad malitiam, licet non quoad voluntarietatem.* Probatur, proponendo caſum, in quo quis ex negligentia culpabili, vel ex paſsione aliqua ignoret legem prohibitivam iuramenti falſi, exiſtimetque in conſcientia licitum eſſe ſibi hic, & nunc iurare falsò ad damnum proximi vitandum : quo ſuppoſito, ſic argumentor. Si aliquis ſequatur prædictam conſcientiam iurando falſum, ſicut illa dictat, committit diſtinctum peccatum à peccato ignorantiæ, aut negligentiæ, ex quo devenit in talem errorem: ergò actus, quo quis ſequitur talẽ conſcientiam,

tiam, habet novam, & diſtinctam rationem peccati. Antecedens probatur primò: nàm illa conſcientia erronea, vtpote vincibilis, non excuſat actum ſequentem à peccato periurij; ſed, ſi actus illam ſequens non eſſet novum peccatum, nec haberet novam rationem peccati, excuſaretur à peccato: ergò actus ſequens talem conſcientiam eſt novum peccatum, habetque novam rationem peccati. Maior eſt omnium Theologorum. Minorem vero ſic probo: nàm ſi actus illam ſequens non haberet novam rationem peccati, nec eſſet novum peccatum, totum peccatum adæquatè patratum intelligeretur pro ſigno conſcientiæ erroneæ, vlterius autem voluntas iàm amplius nõ peccaret, ſequendo talem conſcientiam; ſed hoc eſt formaliſsimè actum ſequentem excuſari à peccato, & à culpa: ergò.

3 Dices: actum ſequentem conſcientiam culpabilitèr erroneam etiam eſſe peccatum, & per illum voluntatem peccare, non quidem intrinſecè in illo actu, ſed tantum per denominationem extrinſecam ab ignorantia, & negligentia præcedenti, & ſic non excuſatur à culpa, quià non tollitur quod ſit peccatum in cauſa, ideſt, in ignorantia culpabili. Sed contra primo: quià conſcientiam erroneam, aut ignorantiam culpabilem non tollere quod actus ad illam ſequutus ſit peccatum extrinſecè, & in cauſa, nihil aliud eſt, quam ipſam conſcientiam erroneam, & ignorantiam, quæ eſt cauſa talis actus, non excuſari à culpa; ſed cùm dicimus conſcientiam culpabilitèr erroneam non excuſare actum illam ſequentem à culpa, non dicimus præcisè talem conſcientiam non excuſari à culpa, ſed vlterius dicimus, nec actum ad illam ſequutum excuſare à culpa: ergo ſenſus eſt, quod non ſolum ignorantia, aut error in dicto caſu eſt culpa, ſed etiam quod actus ad illam ſequutus eſt nova culpa.

4 Secundo, quià cùm dicimus ignorantiam culpabilem non tollere peccatum, ſenſus eſt, quod non tollit peccatum illud, quod committeretur in illo actu, ſi fieret cùm ſcientia veritatis. V. g. dum quis per ignorantiam culpabilem exiſtimat non eſſe peccatum iurare falſum in materia levi, dicimus ignorantiam illam nõ tollere peccatum, quod committeret, ſi ſciret veritatem, ideſt, non tollere peccatum periurij, non autem eſt ſenſus, quod ignorantia culpabilis non tollit peccatum ignorantiæ: ergo vltrà peccatum ignorantiæ, quando quis iurat falſum in materia levi, committit novum peccatum intrinſecè tale, & diſtinctum in ratione peccati ab ipſo peccato ignorantiæ iàm præſuppoſito.

5 Tertio: nàm vel in tali caſu, iurando falſum, committit peccatum periurij, vel non, ſed ſolum ponit actum, qui extrinſecè denominatur peccatum ignorantiæ ab ignorantia culpabili præcedenti. Si hoc ſecundum: ergò per peccatum ignorantiæ, ſeu per ignorantiam culpabilem excuſatur à peccato periurij, quod eſt contra omnes Theologos. Si primum: ergò præter peccatum ignorantiæ præſuppoſitum, incurrit novum peccatum, & diſtinctum, ſcilicet peccatum periurij.

6 Dices, ſic errantem non excuſari à peccato periurij, quià temerè, & ſinè debita diligentia iudicat Deum præcipere iuramentum falſum; & illud iudicium temerè conceptum in materia iuramenti, pertinet ad peccatum periurij, & eſt contra religionem, quià per illud conijcit ſe in neceſsitatẽ peierandi, vel peccandi formaliter contra conſcientiam. Sed contra eſt, quià dato caſu quod illud iudicium temerè conceptum ſit indirectè contra legem, & virtutem religionis, quæ præcipit non iurare falſum, directè tamen non eſt contra legem, & virtutem religionis, ſed ſolum contra virtutem, & legem ſtudioſitatis, & prudentiæ, quià ſola ſtudioſitas dictat eſſe diligentèr inquirendam veritatem circa legem Dei, & ſola prudentia dictat nihil eſſe temerè iudicandum, ſed omnia maturè, & conſideratè iuxta gravitatem materiæ; ſed peccatum, quod quis committit, dum ſequitur prædictam conſcientiam peierando, non indirectè, ſed directè, & formaliter eſt contra virtutem religionis, & contra legem non peierandi: ergò eſt peccatum ſpecie diſtinctum à peccato erroris, & ignorantiæ præſuppoſito.

7 Dices forſan, iurantem falſo in prædicto caſu non peccare directè contra virtutem religionis, nec contra legem non peierandi, nec eius peccatum eſſe directè periurium, ſed ſolum indirectè, & in cauſa. Rectè: ergò excuſatur à peccato in actu, quo falſum iurat, ſequendo conſcientiam. Patet conſequentia, quià iuxta hanc ſolutionem in illo actu non peccat directè peccato periurij, nec contra legem prohibentem periurium; deindè, nec in illo actu, quo exercitè iurat falſum, indirectè peccat peccato periurij, quià totum peccatum indirectum contra legem vetantem periurium præceſsit in culpabili ignorãtia, & in iudicio temerè concepto; ergò in illo actu,

actu, quo iurat falſum, penitus excuſatur à peccato; ſiquidem ſuppoſito peccato commiſſo in culpabili ignorantia, & in iudicio illo imprudenti, & temerè concepto, in actu ſequenti nullum amplius incurrit peccatum. Hoc autem planè eſt actum ſequentem omnino excuſari à peccato.

8 Confirmatur: nàm ſi quis ex negligentia culpabili, v.g. quià plus amat terrena, & cùm maiori ſolicitudine, quam ſcire veram Dei legem, ignoret Deum prohibuiſſe iuramentum falſum, in hac ignorantia non peccat, nec etiam indirectè, ſpecialitèr contra virtutem religionis; nàm totum hoc peccatum conſiſtit in illa negligentia culpabili inquirendi veram legem Dei; illa enim non eſt ſpecialitèr contra virtutem, aut legem religionis, potius quam contra aliam legem, aut virtutem, ſed generaliter eſt indirectè contra omnes leges, & virtutes, eo quod generalitèr negligit ſcire quid Deus præcipiat, quid vè prohibeat. Supponamus igitur, quod cùm hac ignorantia iurat falſum, omninò neſciens tale iuramentum eſſe à Deo prohibitum. Tunc ſic argumentor: negari non poteſt quod iſte peccat ſpecialiter contra legem, & virtutem religionis, potiùs quam contra aliam virtutem, v.g. iuſtitiæ; ſed in ignorantia culpabili non peccavit ſpecialitèr contra virtutem religionis, potiùs quam contra virtutem iuſtitiæ: ergò ſignum evidens eſt, quod poſt peccatum ignorantiæ, committit aliud peccatum diſtinctum, quod ſit ſpecialitèr contra legem, & virtutem religionis; àc proindè quod habeat diſtinctam malitiam, & diſtinctam rationem peccati.

9 Vrgetur: ſupponamus quod ex prædicta ignorantia culpabili exiſtimet iuramentum falſum ſibi eſſe licitum, eo videlicèt quià nulla ſibi apparet lex illud vetans. Tùnc ſic interrogo: vel iſte in hoc iudicio peccat ſpecialitèr contra virtutem, & legem religionis vetantem periurium, vel non? Si peccat; ſic argumentor: & tamen nullam advertit legem religionis vetantem periurium: ergò poteſt aliquis ſpecialitèr peccare contra aliquam legem, quam penitùs ignorat: cur igitur non poterit per ipſum actum peierandi peccare directè contra legem religionis, etſi talem legem penitùs ignoret? Si non peccat ſpecialitèr in illo iudicio contra virtutem religionis, cùm aliàs per ſe non incurrat novum, aut ſpeciale peccatum ſequendo tale iudicium, ſequitur planè iurantem falſò ex ignorantia, & iudicio culpabilitèr erroneo non peccare ſpecialitèr contra virtutem religionis, potiùs quam contra virtutem iuſtitiæ. Cùm autem certiſsimum ſit eum non peccare contra virtutem iuſtitiæ, dicendum etiam erit non peccare contra virtutem religionis, & conſequenter illic in confeſsione, adhuc poſt agnitam veritatem, non tenebitur ſe accuſare ſpecialitèr quod iuraverit falſum, ſed ſolum quod fuit negligens in addiſcenda divina lege, aut imprudens in iudicando de illa, quod eſt apertè contra omnes Theologos.

10 Ex quo ſecundo probatur concluſio, quià negligentia, vel imprudentia non eſt ſpeciale peccatum, quando cadit ſupra vnam legem, aut virtutem, & quando cadit ſupra aliam, v.g. imprudentia iudicandi circa virtutem, & legem religionis non eſt peccatum ſpecie diſtinctum ab imprudentia iudicandi circa virtutem abſtinentiæ. Qua propter, qui negligens fuit in addiſcenda doctrina, & lege pertinente ad virtutem religionis, ſi aliundè ex tali negligentia aliud peccatum non pullulaverit, non tenetur dicere in confeſsione ſe fuiſſe negligentem, aut imprudentem in iudicanda, & addiſcenda virtute, aut lege religionis, ſed ſufficit dicere in generali ſe fuiſſet negligentem, & imprudentem in addiſcenda Doctrina Chriſtiana, & divina lege; ſed quando ex negligentia, vel temeritate quis iudicat erroneè iuramentum falſum ſibi eſſe licitum, & exinde ſequitur quod iuret falsò, cognito ſuo errore, tenetur in confeſsione, non ſolum dicere quod fuit negligens in addiſcenda Doctrina Chriſtiana, aut imprudens iudicando de divina lege, ſed etiam tenetur exprimere tanquam peccatum ſpecie diſtinctum ſe iuraſſe falsò: ergò ſignum evidens eſt, quod præter peccatum imprudentiæ, aut negligentiæ, committit novum peccatum periurij.

11 Tertio probatur concluſio, quià vbi eſt contradictio, & diſconformitas ad novam, & diſtinctam legem, eſt novum, àc diſtinctum peccatum: nàm peccatum deffinitur ab Auguſt. *Dictum factum, vel concupitum contra legem æternam*; ſed ſnppoſito iudicio culpabiliter erroneo dictante iuramentum falſum hic & nunc eſſe licitum, in actu iurandi falſum eſt contradictio, & diſconformitas ad novam legem, quià per illum actum contradicitur, & violatur lex prohibens iuramentum falſum, quæ antecedenter non erat violata; ergò incurritur novum peccatum.

12 Dices per talem actum violari tantum materialitèr illam legem, quià talis lex ignoratur, & lex ignotata, ſeu non cognita nequit violari formaliter. Sed contra eſt, quià licet talis lex ignoretur à iu-

rante

rante, tamen illa ignorantia non excusat illum, vt supponimus, à peccato: ergò non tollit quod per illum actum violet formaliter illam legem, & incurrat novum peccatum. Secundò, quià tunc solum violatio, aut contradictio alicuius legis est purè materialis, quandò lex, nec cognoscitur, nec debuit cognosci, quandò enim debuit cognosci, licet non cognoscatur propter culpam ignorantis, formaliter violatur talis lex, & contemnitur; sed in casu quæstionis, licet lex ptohibens iuramentum ignoretur, debuit tamen ab ignorante cognosci: ergò dùm contra illam actu iurat falsum, illi formaliter contradicit. Tertio, quià tunc aliqua lex tantum materialiter violatur, quando non voluntariè, sed involuntariè violatur; sed, si iudicium errat culpabiliter, non involuntariè, sed voluntariè violatur lex ignorata: ergò violatur formaliter. Minor probatur, quià ignorantia culpabilis, & vincibilis iuxta omnes non tollit voluntarium; sed quandò iudicium errat culpabiliter, lex ignoratur ignorantia culpabili: ergò non tollit talis ignorantia, quod illa violatio legis sit voluntaria.

13 Dices, non esse intrinsecè voluntariam, & formaliter, sed solum extrinsecè, & causaliter, scilicet in ignorantia, & errore præcedenti, tanquam in causa voluntaria: ac proindè illum actum iurandi falsum non esse formaliter, & intrinsecè peccatum, sed tantum extrinsecè, & in causa. Sed contra, quià in peccato debet distingui ratio formalis mali, & peccati, & ratio voluntarij, & quià vtramque istam rationem non distinxit, sed æquivocavit P. Terrillus, ideò à veritate defecit. Audiat tamen D. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 6. in corp. vbi sic ait: *Peccatum nihil aliud est, quam actus humanus malus; quod sit humanus habet, ex eo quod est voluntarius; quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione ad legem.* En igitur vbi expressè distinguit in actu peccaminoso rationem voluntarij, ex qua habet quod sit actus humanus, & defectum, aut carentiam debitæ commensurationis ad legem, ex qua habet quod sit malus. Ex qua doctrina sic argumentor: licet actus iurandi falsum, inquantum legi prohibenti contratius, non sit intrinsecè, & formaliter in se voluntarius, tamen intrinsecè, & formaliter est disconformis talis legi, & intrinsecè importat defectum conformitatis ad illam; sed in hoc defectu consistit formaliter ratio peccati ea parte qua malum est: ergò actus ille est intrinsecè, & formaliter peccaminosus, habetque intrinsecam rationem peccati, secundum quod peccatum dicit de malitia, licet non secundum quod dicit de voluntarietate.

14 Explicatur: licet peccatum quantum ad malitiam formalem connotet essentialiter voluntarietatem, ità vt sinè illa non sit malitia moralis, tamen non consistit formaliter involuntarietate, sed in defectu commensurationis ad legem, vt ex tractatu de peccatis suppono; sed licet in actu iurandi falsum ex ignorantia culpabili legis prohibentis non sit malitia de novo voluntaria, est tamen novus defectus commensurationis ad distinctam legem: ergò est distincta ratio peccati, licet non sit distincta ratio voluntarij, nec distincta voluntarietas in ipso peccato.

§. II.

Solvuntur argumenta.

15 OBJICIT Primo Terillus: actus voluntatis, qui nunc procedit ab ignorantia invincibili, idem intrinsecè invariatus potest procedere ab ignorantia vincibili, & culpabili, Nàm eadem ignorantia, quæ nunc est invincibilis, potest pro tempore sequenti esse vincibilis, aut è contrà; sed actus voluntatis, dùm procedit ex ignorantia invincibili, non est intrinsecè peccaminosus formaliter: ergò nec dùm procedit ex ignorantia culpabili, & vincibili. Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem; quandò procedit ex ignorantia invincibili, non est intrinsecè peccaminosus formaliter, defectu recti constituentis peccatum formaliter in esse mali, nego: defectu connotati essentialiter requisiti, concedo minorem, & nego consequentiam. Nàm peccatum in ratione malitiæ peccati formaliter, & in recto importat defectum conformitatis ad legem, seu contradictionem ad illam; de connotato vero importat quod talis disconformitas sit voluntaria: licet igitur actus voluntatis contrarius legi, quandò procedit ex ignorantia invincibili, non denominetur intrinsecè formaliter peccaminosus, hoc ideò est, quià deest connotatum essentialiter requisitum ad hoc vt contrarietas ad legem sit formaliter peccaminosa, non vero, quià deficit forma in recto constitutiva peccati, quià hæc est formalissime contrarietas ad legem; connotatum autem est quod talis contrarietas sit voluntaria; cùm autem in casu ignorantiæ culpabilis talis contrarietas ad legem sit iàm voluntaria, inde est quod tunc denominatur actus ille intrinsecè peccaminosus, quià intrinsecè

ſecè gaudet forma conſtitutiva peccati, ſcilicèt, contrarietate ad legem, & non deficit connotatum requiſitum, ſcilicèt voluntarietas.

16 Sed replicabis: licet in caſu ignorantiæ vincibilis adſit voluntarietas, quę deficit, quandò ignorantia eſt invincibilis, tamen talis voluntarietas non eſt intrinſeca actui procedenti ex ignorantia, ſed ſolum extrinſeca, & in cauſa; ſed voluntarietas tantum extrinſeca nequit ſufficere, vt actus ille ſit intrinſecè peccaminoſus: ergò actus ille nunquam evadit intrinſecè peccaminoſus. Confirmatur primò: contrarietas ad legem non conſtituit peccatum, niſi quatenus voluntaria; ſed ſuppoſita ignorantia culpabili legis, contrarietas ad illam non eſt de novo voluntaria: ergò non eſt de novo peccaminoſa formaliter. Secundo: contrarietas ad legem non voluntaria eſt tantum peccatum materiale, non vero formaliter tale: ſed actus, quo voluntas ſequitur conſcientiam vincibiliter errantem, non eſt intrinſecè, nec de novo voluntarius, quantum ad contrarietatem cùm lege: ergò non eſt intrinſecè, nec de novo peccatum formale, ſed tantum materiale. Tertiò: actus, qui non eſt intrinſecè imputabilis ad culpam, non eſt intrinſecè peccaminoſus; ſed actus, quo ſequimur conſcientiam culpabiliter errantem, non eſt intrinſecè imputabilis ad culpam, quià non eſt intrinſecè voluntarius, vt ſupponimus: ergò non eſt intrinſecè peccaminoſus.

17 Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem; voluntarietas tantum extrinſeca non ſufficit, ad hoc vt actus ille ſit intrinſecè peccaminoſus, quantum ad omnia, quæ importat actus formaliter peccaminoſus, tam pro recto, quam pro obliquo, concedo minorem: vt actus ille ſit intrinſecè peccaminoſus, quantum ad formam pro recto conſtituentem actum illum in eſſe peccaminoſi, nego minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu. Ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem: contrarietas ad legem non conſtituit peccatum, niſi quatenus voluntaria, ità vt voluntarietas ſit ratio formalis conſtitutiva peccati pro formali malitiæ, nego: ità vt ſit ſola conditio, vel connotatum eſſentiale, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Similiter ad ſecundam diſtinguo maiorem: contrarietas ad legem non voluntaria eſt peccatum tantum materiale, & non formale ob defectum connotati eſſentialis, concedo: ob defectum formæ conſtituentis pro recto peccatum in eſſe mali moralis, nego maiorem, & conſequentiam. Pariterque ad tertiam, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: actus, quo ſequimur conſcientiam culpabiliter erroneam, non eſt intrinſecè imputabilis ad culpam, defectu formæ conſtituentis pro recto culpam, & peccatum, nego: defectu connotati eſſentialiter requiſiti, vt tale peccatum imputetur ad culpam, concedo minorem, & nego conſequentiam.

18 Itaque, vt aliquis actus dicatur intrinſecè peccaminoſus, & malus, ſufficit, quod intrinſecè habeat formam conſtituentem in recto ipſum peccaminoſum, & malum, non autem requiritur, quod ſi aliud deſideratur ad denominationem peccati, & mali moralis per modum connotati, aut conditionis eſſentialis, illud etiam ſit actui intrinſecum, ſed ſufficit, quod revera detur, licet ſit extrinſecum. Hoc patet primò in ſententia valde probabili, quam plerique contrariorum, ſcilicet, Ieſuitarum, defendunt, aſſerente actus voluntatis non eſſe intrinſecè liberos, eo quod aſſerunt non dependere intrinſecè, & eſſentialiter à cognitione retrahente, in qua ſententia, conſequenter dicitur, quod actus, quo voluntas vult fornicari ex motivo delectationis, idem, intrinſecèque invariatus poteſt perſiſtere, ſivè adſit cogitatio proponens inhoneſtatem talis actus, retrahenſque ab illo, ſivè deſit talis cogitatio, àc proindè, ſivè fiat cùm ignorantia inhoneſtatis, ſivè cùm cognitione illius. Qua doctrina, vt valde probabili ſuppoſita, ſic argumentor contra Terillum: caſu quo voluntas ex motivo delectationis velit fornicari cùm ignorantia inhoneſtatis, aut legis retrahentis, idem intrinſecè eſt actus, àc ſi idem velit cùm notitia inhoneſtatis, & legis retrahentis, quià cùm talis notitia non moveat, nec influat in talem actionem voluntatis, non poteſt illam intrinſecè variare; ſed caſu quo talis actus eliciatur cùm notitia inhoneſtatis, aut legis prohibentis, apud omnes eſt intrinſecè peccaminoſus: ergò etiam pro caſu quo fiat abſque tali notitia, & cum ignorantia ſaltèm culpabili. Vel aliter, ſubſumendo: ſed caſu quo talis actus eliciatur abſque notitia inhoneſtatis, & cùm ignorantia, iuxta Terillum, non eſt intrinſecè peccaminoſus: ergò etiam cùm præcedit notitia legis prohibentis non erit intrinſecè peccaminoſus, & malus, quod quis dicat? Vel denique aliter: talis actus non eſt intrinſecè liber; ſed libertas eſt de eſſentia peccati: ergò talis actus non eſt intrinſecè peccatum?

19 Sane ad hæc aliud reſponderi non poteſt, niſi quod ille actus, quià intrinſecè

ſecè contrarius legi prohibenti, intrinſecè eſt malus, & peccaminoſus: attamen, vt talis denominetur formaliter, requiritur per modum connotati, quod præcedat cognitio legis, & quod ſit liber, licet tota forma malitiæ conſiſtat in diſconformitate cùm ipſa lege, ſivè in defectu conformitatis; qui defectus eſt adæquate intrinſecus actui, & ideò actus, poſita cognitione legis per modum connotati, per ſe eſt intrinſecè defectuoſus, difformis, & peccaminoſus; quam denominationem non haberet, ſi deficeret cognitio legis, aut libertas per illam conſtituta, non quià deficeret forma, aut ratio formalis conſtitutiva, ſed præcisè quià deficeret connotatum: idem igitur nos dicimus in noſtro caſu.

20 Secundo explicatur in peccato omiſsionis, quod in veriori ſententia non eſt intrinſecè, & ratione ſui voluntarius, ſed ratione actus illum occaſionantis, v.g. dùm quis ob ſtudium omittit audire Sacrum in die feſto. Omiſsio audiendi Sacrum intrinſecè, & ratione ſui non eſt formaliter voluntaria, ſed ſolum extrinſecè, & ratione actus, quo voluntas vult ſtudio incumbere; & tamen omiſsio illa eſt intrinſecè, & ratione ſui peccaminoſa, & mala, non autem ratione actus ſtudij, qui ex ſua ſpecie bonus eſt; imò actus ſtudij eſt malus ratione omiſsionis: ergò ſtat ali quod peccatum eſſe intrinſecè, & formaliter peccatum, quamvis ſolum extrinſecè ſit voluntarium ratione alterius. Alia exempla poſſemus adducere ad idem explicandum, ſed hoc vnicum ſufficit, nàm hic videmus omiſsionem intrinſecè peccaminoſam abſque intrinſeca voluntarietatè, eſſe novum peccatum diſtinctum ab actu ſtudij, licet non ſit voluntarium nova voluntarietate, quià videlicet voluntarietas non eſt forma conſtitutiva omiſsionis in eſſe peccaminoſæ, ſed ſolum eſt conditio, aut connotatum eſſentiale, vt formaliter peccaminoſa denominetur. Cùr igitur etiam nos dicere non poterimus, quod actus, quo ſequitur quis conſcientiam erroneam culpabilem eſt intrinſecè peccatum, licet non ſit intrinſecè voluntarium, quod eſt novum peccatum abſque nova voluntarietate, quià voluntarietas eſt ſolum connotatum ad rationem peccati, & defectus conformitatis cùm lege eſt ratio formalis.

21 Sed dices: actus, qui intrinſecè, & formaliter eſt peccaminoſus, intrinſecè diſtinctus eſt ab actu, qui intrinſecè, & formaliter non eſt peccaminoſus; ſed actus, quo voluntas tendit in iuramentum falſum, dùm procedit ex conſcientia invincibiliter erronea, non eſt intrinſecè diſtinctus à ſe ipſo dùm procedit ex conſcientia culpabiliter erranti: ergò ſi in primò caſu non eſt intrinſecè, & formaliter peccatum, vt omnes fatentur, nec in ſecundò. Diſtinguo maiorem; intrinſecè diſtinctus eſt ab actu, qui intrinſecè, & formaliter non eſt peccaminoſus, quantum eſt ex parte formæ in recto conſtituentis actum peccaminoſum, concedo maiorem: ſi non ſit intrinſecè peccaminoſus ex præciſo defectu connotati extrinſeci, nego maiorem, & conſequentiam. Quià, vt actus denominetur abſolutè peccaminoſus formaliter, & intrinſecè, duo requiruntur, ſcilicet, contrarietas ad legem, quæ requiritur in recto, & per modum formæ conſtituentis actum in ratione peccaminoſi, & quod talis contrarietas ſit voluntaria, quod ſolum requiritur per modum connotati, ſeu conditionis eſſentialis; poteſt igitur actus tranſirè de intrinſecè peccaminoſo formaliter ad intrinſecè non peccaminoſum, non quidem variato conſtitutivo formali peccati, quod eſt contrarietas ad legem, ſed variato tantum connotato, quod eſt ipſa voluntarietas. Ex quo tantum ſequitur quod denominatio actus formaliter peccaminoſi non ſit intrinſeca in actu ex parte connotati, non autem tollitur quod ſit intrinſeca in illo actu ex parte recti. Sufficit autem quod rectum talis denominationis ſit intrinſecum actui, vt exiſtente connotato, licet extrinſecò, actus denominetur intrinſecè peccaminoſus, quià denominatio principaliter ſequitur formam conſtituentem pro recto, & ideò, quando hæc eſt intrinſeca, denominatio abſolutè dicitur intrinſeca, licet dependeat à connotato extrinſeco. Ex quo patet ad alia, quæ objcit Terillus.

22 Objcit enim ſecundò: ad rationem peccati ratione ſui imputabilis requiritur libertas, & ad novum peccatum nova libertas indifferentiæ, quià quæ abſque nova libertate indifferentiæ ſequuntur ad primum peccatum, ſolum ſunt effectus, & pœna peccati; at ſuppoſita conſcientia culpabiliter erronea, homo non manet de novo liber ad peccandum, & non peccandum: ergò. Nego maiorem, quoad ſecundam partem; nàm plerumque ſtat novum peccatum, & diſtinctum abſque nova libertate indifferentiæ. Qui enim vrgente præcepto audiendi Sacrum occupatur in furto, non ſolum committit peccatum furti, ſed vltra illud in omiſsione Sacri incurrit novum, ac ſpecie diſtinctum peccatum omiſsionis contra religionem; & tamen ſuppoſito furto, ſequitur abſque no-

va libertate talis ommiſsio: ergò licet ex conſcientia culpabiliter erronea ſequatur iuramentum falſum abſque nova libertate, poterit eſſe tale iuramentum peccatum novum, ac diſtinctum, non quidem per ſe imputabile quantum ad voluntarietatem, ſed per ſe culpabilem quantum ad malitiam, & diformitatem, quam importat in recto peccatum.

23 Obijcit tertiò ſuppoſita conſcientia: culpabiliter erranti, in ſenſu compoſito illius non datur obligatio vitandi iuramentum falſum, cùm potius conſcientia erronea obliget ad tale iuramentum: ergò ſuppoſita conſcientia erronea, per actum iurandi falsò, nulli obligationi contradicit voluntas. Sed quandiù voluntas nulli obligationi contradicit, non peccat: ergò ſuppoſita conſcientia culpabiliter erranti in actu iurandi falſum, voluntas non peccat. Maiorem diſtinguo: non datur obligatio radicalis, & antecedens, nego maiorem: non datur obligatio formalis, & conſequens ad conſcientiam, ſub diſtinguo: non datur nec debuit dari, nego maiorem: non datur ex culpa voluntatis, quiâ debuit dari, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quiâ in primis, adhuc ſuppoſita conſcientia erronea, manet obligatio radicalis ad non iurandum falsò, quiâ talis obligatio radicalis indiſtincta eſt à lege prohibente falſum iuramentum: deindè manet obligatio antecedens conſcientiam erroneam ad cognoſcendam illam legem, & ad illam applicandam, vt obliget proxime, & formaliter; vnde ſi non obligat proximè, & formaliter, non eſt ex defectu legis prohibentis, ſed ex culpa voluntatis, quæ noluit talem legem agnoſcere, vel ad hoc ſe impedivit. Hoc autem excuſare nequit voluntatem à peccato contra illam legem, imò re ipſa peccat contra illam ac ſi illam cognoviſſet, quiâ debuit illam cognoſcere; ac proinde, nec voluntas excuſatur ex eo quod talis lex non obliget formaliter, & proximè, quiâ hoc ex culpa voluntatis procedit, quæ tenebatur applicare legem de ſe radicaliter obligantem, vt proximè obligaret, & ſua culpa illam noluit applicare, quiâ noluit eam cognoſcere. Quando autem lex non obligat proximè ex defectu culpabili ex parte voluntatis, quiâ videlicet lex de ſua parte obligabat radicaliter, & voluntas tenebatur illam proximè applicare, tunc per inde ſe habet lex, vt, qui operatur contra illam, peccet, ac ſi proximè obligaret, quiâ in debito obligat proximè; & re ipſa proximè obligaret, niſi voluntas culpabiliter impediret talem proximam obligationem. Vnde dico, voluntatem in actu, quo vult falsò iurare, ſuppoſita conſcientia erronea vincibili, contradicere obligationi radicali legis non peierandi: quæ obligatio eſt etiam proxima indebito, licet re ipſa defacto non ſit proxima ex culpa voluntatis. Sufficit autem contradicere huiuſmodi obligationi ad hoc vt talis contradictio ſit peccaminoſa formaliter.

24 Exemplo id demonſtremus: mittit Rex Miniſtrum, qui alicui Civitati intimet aliquam legem; Civitas vero illum Miniſtrum, antequam legem promulget, ſuffocat. Inquiro nunc, Civitas illa excuſabitur à peccato in obedientiæ contra Regis præceptum? Certè non. Sed dicet quiſpiam, talem legem ignoravit, talis lex Civitati non fuit promulgata, & obligare nequit proximè, niſi promulgata, & cognita: ergò Civitas illa à tali lege non fuit obligata. Sane aliud reſponderi non poteſt, niſi quod fuit indebito proximè obligata à tali lege, quia tenebatur Miniſtrum Regium audire, quo audito proximè obligaretur amandato Regis, &, ſi re ipſa non fuit proximè obligata, fuit quiâ ſuffocavit Miniſtrum: quod Civitatem non excuſat, ſed potius magis accuſat. Sic igitur contingit quandò voluntas per ignorantiam culpabilem ſuffocat lumen rationis, quod re ipſa intimaret legem à Deo latam, ſi non ſuffocaretur per ignorantiam.

25 Obijcit quartò: ſi ſuppoſita ignorantia culpabili eſſet novum peccatum agere contra legem ignoratam, illud non eſſet peccatum ignorantiæ, ſed malitiæ; ſed falſum eſt quod peccatum ex ignorantia procedens ſit peccatum malitiæ diſtinctum à peccato ignorantiæ, quiâ violare legem ignoratam, apud omnes, ſolum eſt peccatum ignorantiæ: ergò violare legem ignoratam non eſt novum peccatum ab ignorantia culpabili diſtinctum.

Reſpondeo, quod peccatum ignorantiæ, & peccatum malitiæ non diſtinguntur à Theologis, quiâ primum ſit ipſa ignorantia, & ſecundum ſit ipſa malitia, ſed quiâ primum procedit ex ignorantia malitiæ, ſecundum ex certa malitia, ſeu ex ſcientia malitiæ; vndè cùm aliquis facit aliquem actum cùm præſcientia quod talis actus eſt malus, & contra legem Dei, illum vocant peccatum malitiæ, quiâ ex certa cognitione malitiæ procedit. Cùm vero elicit talem actum cùm ignorantia culpabili de eo quod talis actus malus eſt, illum actum vocant peccatum ignorantiæ, non quiâ tale peccatum ſit ipſa ignorantia culpabilis, ſed quiâ eſt peccatum ex illa deſcendens, cuius malitia ab operante pro

tunc

tunc ignoratur, & tunc communiter dicitur ignorantiam eſſe cauſam peccati, ex quo manifeſtè infertur ibidē dari duo peccata, vnum quod eſt negligentia, aut ignorantia culpabilis, & aliud quod ex tali ignorantia cauſatur, ac per conſequens hoc ſecundum importare diſtinctam malitiam à primò: quià tamen talis malitia ab operante ignoratur, ideò vocatur peccatum ignorantiæ, ideſt, ex ignorantia ſuæ malitiæ cauſatum. De quo videatur D. Thom. 1. 2. quæſt. 76. art. 1. & quæſt. 78. art. 1.

26 Obijcit quintò: ſi actus contrarius legi ex ignorantia procedens eſſet diſtinctum peccatum ab ignorantia, magis peccaret, qui peccat ex ignorantia, quam qui peccat ex certa malitia; ſed hoc eſt falſum, nàm iuxta D. Thom. ignorantia culpabilis, quandò non eſt affectata, diminuit peccatum: ergò. Sequela probatur, nàm qui peccat ex certa malitia, v.g. qui iurat falsò, ſciens legem prohibentem, vnum tantum peccatum committit; ſed ſi, quandò iurat falsò ex ignorantia legis prohibentis, committeret diſtinctum peccatū ab ignorantia, committeret duo peccata, primum ignorantiæ, ſecundum periurij: ergò magis peccaret, nàm peccatum peccato additum facit maius peccatum.

27 Reſpondet D. Thomas 1. 2. quæſt. 76. artic. 4. *Ad 3. dicendum, quod peccatum peccato additum facit plura peccata, non tamen facit ſemper maius peccatum, quià forte non coincidunt in idem peccatum, ſed ſunt plura; & poteſt contingere, ſi primum diminuat ſecundum, quod ambo ſimul non habeant tantam gravitatem, quantam vnum ſolum haberet; ſicut homicidium gravius peccatum eſt, ſi ſit à ſobrio homine factum, quam ſi ſit ab ebrio, quanvis hæc ſint duo peccata; quià ebrietas plus diminuit de ratione peccati, quam ſit ſua gravitas.* En vbi D. Thomas expræsè fatetur ignorantiam culpabilem, & peccatum ex illa ortum eſſe duo peccata diſtincta, & tamen negat eſſe maius peccatum; nàm ſi homo, v.g. abſque omni ignorantia committeret homicidium, fateor quod tantū vnum peccatum committeret; cæterum in illo caſu eſſet gravitatis, vt decem, v.g. attamen, quando illud committit ex ignorantia culpabili non affectata, poteſt diminui eius gravitas vſque ad duos gradus; nàm huiuſmodi ignorantia, licet non excuſet à toto, excuſat à tanto, & licèt nō tollat omnino peccatum, illud diminuit, quià diminuit voluntarium, vt ibidem docet D. Th. Supponamus igitur quod ignorantia etiam rationè ſui tantum ſit gravitatis vt duo: tunc ſane in vtroque peccato tantum reſultant quatuor gradus gravitatis; cùm ſane in ſolo homicidio ſcienter patrato, eſſent decem gradus gravitatis, v.g. Componitur ergò quod ignorantia, & homicidium ex illa ſequutum ſint duo peccata, & quod in vtroque ſimul minus peccet homo, quam in homicidio ſolo patrato ſcienter.

QVÆSTIO. VIII.

An dentur peccata formalia, & propriè talia, commiſſa cùm ignorantia, & inadvertentia malitiæ?

1 HVIC Quæſtioni occaſionem præbuit aliquorum Recentium laxitas ſtupenda, qui per Belgium, & Galiam publicè, vel etiam in Catechiſmis lingua vernacula editis, tradere auſi ſunt, omnino neceſſariam eſſe advertentiam malitiæ ad peccatum propriè tale, neminemque peccare, dùm malitiam non advertit in ſuo actu. Horum Authorum nomina ſupprimò, quià non contra Authores, ſed contra doctrinas mihi falſas, pugnare contendo, & dummodo doctrinam reijcias, parvum obeſt, quod Authores neſcias. Præter quam, quod non ſemel veritas ſincerius agnoſcitur, falſitaſque liberius reijcitur, ſi Author ignoretur, cùm ſæpijſsimè erga Authorem affectio, vel averſio aliunde contracta mentem præoccupet, ne ſincerè in eo falſitas, aut veritas agnoſcatur. Tantum modo hos Authores Reflexitas, ab eorum familiari doctrina, nuncupabo, eo quod conſcientiam reflexam magni faciunt, vt omnino requiſitam, ſivè ad peccandum, ſivè ad rectè operandum. Itemque eorum aliqua refferam aſſerta, vt ſi forſam libri ad manum devenerint, ſcias quid tibi ex illis reijciendum ſit.

2 Sunt autem huiuſmodi: *Nullum eſt peccatum formale, niſi conſcientia hic, & nunc iudicet de malitia. Quid hic mali? Quid hic non commune ſcholis omnibus Theologicis, excipe Ianſenianam, aut ſcriptores quoſdam recentiores.* Item: *Nemo plus peccat, quam quatenus ſcit, & vovit malitiam peccati.* Item: *Poteſt nè tibi perſuadere fieri poſſe, vt Deus tam bonus, tam iuſtus quenquam tota æternitate puniat, quià fecit, quod ex conſcientia credidit ſe debere facere? An iſti par vlla foret tyranis? Et ſi Religio Chriſtiana talem nobis præbeat Dei ideam, an hæc non magis Deo iniuriōſa foret, quam idolatria ipſa?* Quod ſi illis obijcias, ex huiuſmodi doctrinis ſequi Saulum perſequentem Eccleſiam non peccaſſe. Inquiunt: *Blaſphemia, & Sanctæ Eccleſiæ perſecutio, in ſe quidem*

erat peccatum mortale, sed in Paulo tantum veniale, quià ex ignorantia faciebat. Quod si iterum obijcias, ex hoc sequi peccatores exæcatos iàm non peccare, quia non advertunt ad malitiam. Respondent: *Si peccatoribus consummatis, & perfectis, cùm Deum blasphemant, & se in luxurias suas præcipitant, desit mentis illustratio, & conscientiæ remorsus, si nullam habeant malitiæ cognitionem, cùm omnibus Theologis assero quod non peccent per actiones istas, quæ brutorum operationibus sunt similiores, quàm hominum, nàm sinè libertate non potest peccari, vt autem evitandi peccatum libertas adsit, requiritur, vt in obiecto bonitatem & malitiam cognoscas. Dico etiam, quod in prædicto casu gratijs sufficientibus peccatorem præveniri Theologi non admittunt.* Vnde dicunt: *Ad peccandum mortaliter non sufficit quælibet consideratio, & deliberatio malitiæ, sed exigitur cognitio plena & perfecta malitiæ peccati mortalis.*

Tota hæc doctrina est conformis, sequiturque ex doctrina Terilli dicentis quæst. 13. nnm. 41. *Si expressè loquamur de vltimo omnino conscientiæ dictamine, id est, de conscientia in primaria sua acceptione, constat illam semper esse evidenter veram, adeoque nunquam erroneam, nunquam dubiã, aut scrupulosam esse, vel alterius divisionis capacem: & sanè qui conscientiæ hoc modo sumptæ sua operatione cõtrariatur, certissimè peccat operando contra conscientiam, qui vero iuxta eam agit, nõ peccat, quià legi conscientiæ obtemperat.* Quæst. autem 17. n. 44. hoc statuit assertum: *Vniversaliter loquendo vltimum conscientiæ dictamen est verum & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili.* Cum autem ille qui operatur cùm ignorantia malitiæ, vltimo conscientiæ dictamine non dictet operationem esse malam, aliàs non laboraret ignorantia malitiæ, sed potius dictet àc putet se obsequium præstare Deo, vt putabat Saulus, & qui Apostolos persequebantur, sequitur apertè imprimis illum non peccare. Deindè, quod plus est, eum revera obsequium præstare Deo, & honestè agere, si quidem hoc dictat vltimo fuæ conscientiæ dictamine, & vltimum conscientiæ dictamen verum est evidenter iuxta Terillum, etiam quando quis operatur ex mera ignorantia vincibili.

3 Ex qua doctrina, nisi ei resistatur, iàm vides quàm facile credituri sint homines neminem peccare cùm ignorantia malitiæ, nec dari peccata ignorantiæ puræ. Quàm sententiam satis expressit Terillus ipse eadem quæst. 17 assert. 2. num. 31. dicens: *Actus conformis dictamini conscientiæ vincibiliter erranti, si non sit simul peccatum malitiæ, nullam habet rationem peccati sibi intrinsecam, sed solum denominatur peccatum à malitia voluntatis per quam error aut ignorantia contracta fuit.* Nullum ergò dabitur peccatum verum & proprium cùm ignorantia malitię commissum, àc proinde nec vlla peccata propriè talia ex ignorantia commissa. Hanc igitur doctrinam opugnare contendo, omissis contra illam censuris, ob reverentiam debitam Sanctionibus Pontificijs.

Veruntamen referre non detrectabo, quæ aliquę Vniversitates & Synodi adversus prædictam censere doctrinam. Nàm imprimis facultas Theologica Parisiensis Vniversitatis anno Domini 1641. adversus huiusmodi sententiam suum protulit iudicium hac verborum serie: *Hæc doctrina, quatenus tradit, quod ad peccandum requiratur vt penetres, inquiras, examines, & reflectas ad qualitatem seu malitiam operis, falsa est, & portam aperit ad excusandas excusationes in peccatis.*

Item facultas Theologica Lovaniensis ad instantiam Episcopi Gandavensis anno D. 1657. de eadem doctrina censuit eam esse *contra communia Christianæ Religionis principia, quod etiam immanissima peccata excuset, cùm pernicie animarum.* Rursus Ecclesia Parisiensis per suos Vicarios in censura Apologiæ casuistarum anno D. 1658. sic de eadem doctrina suum exprimit sensum: *Doctrina hæc est falsa, erronea, scandalosa, contraria Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ Patribus, & Theologiæ, quæ peccata ignorantiæ agnoscit: excusationes suppeditat peccantibus ad eorum perniciem, & Christianos ad negligendam salutis viam impellit.*

Demum Synodus Senonensis eodem anno 1658. sic decernit: *Hæ propositiones, quatenus ex his consequens est, innoxium esse, quidquid per recti, pravique ignorantiam fit, vel nihil vnquam à quoquam contra legem Dei per ignorantiam peccari, Scripturis, Patribus, & fidelium præcibus manifestè advertatur, & ad excusanda gravissima quæque scelera promptam defensionem suppeditant.* Sed his, vt dixi, omissis, sit.

§. I.

Nostra sententia Authoritate PP. fulcitur.

4 DICO Igitur: *Dantur vera & propria peccata, cùm ignorantia malitiæ commissa.* Probatur primò ex Sacra Pagina, nàm præter plurima Scripturæ testimonia, quæ ad id probandum afferunt SS. PP. & præcipiè

Bernardus, vt infra patebit, conſtat manifeſtè ex illo Sap. 5. vbi introducuntur damnati intormentis & æterna infœlicitate eiulantes: à quibus, ſi rogaveris, propter quid ad æternæ infelitatis baratrum deſcenderint, planè fatebuntur quod propter ſua peccata. Sed quænam? nunquid vnicè propter ea quæ commiſerunt cùm ſcientia & advertentia malitiæ & legis prohibentis? Minimè, reſpondebunt, dicentes: *Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Sed hæc ignorantia erat nè tanta, quod non permitteret ſuſpitionem ſaltèm, aut lucem aliquam oſtendentem vobis malitiam, aut veritatem legis prohibentis? *Errabimus*, inquiunt, *avia veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Quinimo tan longe aberamus à cognitione, aut ſcrupulo malitiæ, quod potius nos rectè & prudentèr vivere exiſtimabamus & è contra agentes inſanos putabamus & amentes: teſtes *hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſinè honore.* Sed nonnè tanta, tanque denſiſsima ignorantiæ nox excuſavit vos à culpa, & peccato formali? Quinimò, dicent: & propter talem ignorantiam, & propter ſcelera indè commiſſa ardemus & ardebimus vſque in æternum. Dicat nunc Reflexiſta quidam: *Potes ne perſuadere tibi, fieri poſſe vt Deus tàm bonus, tàm iuſtus, quemquam tota æternitate puniat, quia fecit, quod ex conſcientia credidit ſe debere facere? an iſti par vlla foret tyranis?*

5 Sed iàm, vt probetur concluſio ex Patribus, ſupponendum eſt, fuiſſe errorem Pelagij, non dari peccata ignorantiæ, quod ipſe probat, quià quæ ignorantia committuntur, non videbat, qualitèr liberè, & non potius ex neceſsitate evenirent. Vndè dicebat apud Auguſt. de Geſtis Pelagij c. 18. vel iuxta aliam editionem cap. 13. *Oblivio & ignorantia non ſubiacent peccato, quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſsitatem.* Itemque apud Hyeronim. lib. 1. adverſus Pelagium. *Rogo, quæ eſt iſta iuſtitia, vt in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & eius rei, quàm neſcio, pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero.* Cui reſpondet Hyeronim. *Stulta, imò impia ſciſcitatio tua in perpetuum conticeſcat.* Et apud eundem Hyeronimum lib. 2. contra Pelag cap 1. ſic ipſe iterum inclamabat: *Nunquid & de Evangelio poteris hoc probare, vt puniatur quiſpiam pro eo quod neſciat, & ante pœnas luat, quàm ſit reus conſcientiæ.* Ex quibus patet Pelagium negaſſe peccata commiſſa cùm mera ignorantia, & ferè idem exprobaſſe Catholicis, quod nunc exprobant nobis Reflexiſtæ, nimirum, quod Deus iniuſtus foret, ſi talia peccata puniret; quod ſinè libertate, & ex omnimoda neceſsitate peccaremus, &c.

6 Quo ſuppoſito ſic imprimis ſuadeo noſtram concluſionem, nàm non obſtantibus querellis his Pelagij, damnatus fuit in Synodo Paleſtina, ſivè Dioſpolitana, vbi cùm recitata fuiſſent ex l. Cœleſtij, inter alia capitula, verba Pelagij, nimirum: *Oblivio, & ignorantia non ſubiacent peccato, &c.* Sancta Synodus dixit: *Quid ad hæc, quæ lecta ſunt, capitula dicit præſens Pelagius Monacus? Hæc enim reprobat S. Synodus, & Sancta Dei Catholica Eccleſia.* Et ipſe Pelagius negavit ſuprà dicta verba eſſe ſua, his verbis: *Quæ dixi non eſſe mea, ſecundum iudicium S. Eccleſiæ reprobo, anatema dicens omni contravenienti, & contradicenti S. Eccleſiæ Catholicæ doctrinis.* Ergò eſt contra prædictum Concilium aſſerere neminem peccare cùm ignorantia malitiæ in ſuo peccato. Secundò probo ex Auguſtino plurimis in locis noſtram concluſionem expreſsè tenenti: aliqua tantum referam. Primum ſit ex Epiſt. 154. vbi ſic ait. *Si quis autem bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit, hoc putando, vtique peccat, & hæc ſunt omnia peccata ignorantiæ.* Secundum ex lib. de ſpiritu & littera cap. 35. *Quàm in multis offendimus omnes, dum putamus, Deo, quem diligimus, placere, vel non diſplicere, quod facimus, & poſtea per ſcripturam eius ſivè certa & perſpicua ratione commoniti, cùm didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur vt ignoſcat! Plena humana vita eſt documentis talibus.* Econtrà tamen docet Terillus quæſt. 17. aſſert. 4. num 45. *Quod voluntas conformis dictamini conſcientiæ, etiam vincibiliter errantis, conformatur cùm Dei voluntate per accidens obligante & conſulente.* Et quod *conformitas operationis noſtræ cùm pravo dictamine neceſſario placet Deo. Itaque*, inquit, *quoties dictamen conſcientiæ, etiam errantis, dictat in particulari operationem aliquam eſſe à Deo præceptam, Deus facta ſuppoſitione huius erroris, verè vult nos ponere actionem illi conformem.* Vndè cùm poſtea dedicerimus nos erraſſe, non erit pœnitendum de actione elicita per errorem, nec deprecandum Deo vt ignoſcat, quià in tali actione minimè offendimus omnes, imò, & nullus: nec diſplicuimus Deo, ſed potius Deo placuit talis actio, & ſic potius erit gaudendū, & Deo gratulandū, quod eius voluntati reflexę placuerimus, & quod fecerimus, quod

verè

verè ipſe voluit nos facere. Nonne hæc doctrina ex diametro opponitur Auguſt.

7 Tertius locus lib. de grat. & lib. arb. cap. 2. *Gravius*, inquit, *offendit peccare hominem ſcientem, quàm neſcientem; nec tamen ideò confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quiſque acquirat excuſationem. Aliud enim eſt neſcire, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere vt benè ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat, ſed fortaſis vt mitius ardeat.* Quam Auguſtini doctrinam ſic exponit Magiſt. in 2. diſt. 22. *Eſt autem ignorantia triplex, & eorum, ſcilicet, qui ſcire nolunt, cùm poſſint, quæ non excuſat, quià & ipſa peccatum eſt: & eorum, qui volunt, ſed non poſſunt, quæ excuſat, & eſt pœna peccati, non peccatum: & eorum, qui quaſi ſimpliciter neſciunt, non renuentes, vel proponentes ſcire; quæ neminem planè excuſat, ſed ſic fortasè, vt mitius puniatur vnde Auguſt. ad Valentinum: ignorantia quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed qui tanquam ſimpliciter neſciunt, nullum ſic excuſat, vt æterno igne non ardeat. ſed fortasè, &c.* Subdit que Terillus ipſe q. 16. n. 65. *Magiſtro conſentiunt S. Thomas, & vniverſa eius Schola.* Et merito, nàm 1 2. q. 76. art. 1. 2. & 3. expreſsiſsimè tradit Angelicus Præceptor, ignorantiam eorum, quæ quis ſcire tenetur, & eſſe peccatum, & eſſe cauſam peccati ex illa ſequuti, & non excuſare à peccato, etiam quando non eſt affectata, ſed ſolum ex negligentia: quod idem tradit in 2. diſt. 42. & de malo, q. 3. & alibi ſæpè, adeò vt ſuperfluum omninò videatur loca eius adducere, ipſumque ſequuntur vniformitèr omnes eius Diſcipuli, agnoſcentes vera peccata commiſſa cùm ignorantia malitiæ, aut eius inadvertentia.

8 Secundò probatur aſſumptum, ſeu potius illud probat efficaciſsimè Melifluus Div. Bernardus. Cùm enim Abaelardus errorem Pelagij, & Cœleſtij reſſumpſiſſet, dicentis nullum peccatum ex ignorantia committi, idque Bernardo nuntiaſſet Hugo de S. Victore, ad ipſum ſic reſpondet Epiſt. 77 *Veritatis proinde teſtimonijs paucis & manifeſtis, manifeſtum mendacium confutetur. His forſan, qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, nunquam pro ſuis ignorantijs deprecetur, ſed potius Prophætam irrideat deprecantem, & dicentem: Delicta iuventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Forſitan & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem. Loquitur enim in Leviticо ad Moyſem, dicens: Anima, ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque vnum ex his, quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea, intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxtà menſuram, æſtimationemque peccati. Et rurſum: Qui orabit pro eo quod neſciens fecerit, & dimittetur ei, quià per errorem deliquit in Domino. Si ignorantia nunquam peccatum eſt, cur dictum eſt in Epiſtola ad Hæbreos, quià in ſecundò tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſinè ſanguine, quem offerret pro ſui & populi ignorantia. Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergò peccavit Saulus quod perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidè ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Benè itaque faciebat, quod erat blaſphemus & perſecutor & contumelioſus, quod erat ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini; in hoc ipſo quippe abundantius æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergò debuit dicere: Miſericordiam conſecutus ſum, ſed mercedem recepi, quippe, quem ignorantia à peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergò cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum, quoniam quidem non ſolum malum eſſe neſcierunt, interficere illos, ſed inſuper quoque, id faciendo, arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? Sed & fruſtra in Cruce Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe, neſcientibus (ipſo teſte) quid facerent, & ità nequaquam peccantibus. Nunquid non ex his ſatis apparet in quantis iaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe interdum per ignorantiam?* Quid ergò ad hæc reſpondebunt iſti Reflexiſtæ? Qui conſtantèr aſſerunt neminem peccare formaliter, niſi actu iudicet de malitia: neminem plus peccare, niſi quatenus ſcit & novit malitiam ſui peccati: & alia ſuprà relata num. 2. quæ omnino æquiparanda veniunt cùm his Auguſtini & Bernardi doctrinis, vt videas, quàm ex diametro Sanctis Patribus, horum Reflexiſtarum inventa contrarientur.

§. II.

Evaſiones contrariorum refelluntur.

9 DIcent forſan primo, Saulum ſolum peccaſſe venialiter, nàm *blaſphemia & perſecutio, ex ſe quidem lætale, ſed in Saulo tantum veniale fuit, quià ex ignorantia faciebat.* Sed quis pronis auribus, ſi verè fidelis & Catholicus eſt, ſimilem doctrinam excipiat?

Et quidem, si Saulus solum peccavit venialiter, quia ex ignorantia faciebat, sic multipliciter infero. Primò: ergò nec crucifixores Christi, nec persecutores Apostolorum peccarunt plusquam venialiter, siquidem constat eos per ignorantiam talia operatos fuisse. Secundò: ergò Saulus solum peccavit venialiter, dùm *spirans minarum & cædis in Discipulos Domini* omnes conabatur *vinctos perducere in Ierusalem*, vt dicitur Act. 9. Dùm *debastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam*, vt dicitur Act. 8. Dùm etiam implebat, quod ipse de se testatur Act. 26. *Multos Sanctorum in carceribus inclusi, à Principibus Sacerdotum potestate accepta, & cùm occiderentur detuli sententiam, & per omnes Synagogas frequenter puniens eos compellebam blasphemare, & amplius insaniens in eos persequebar vsque in exteras civitates.* Hæc sanè omnia tantum fuerunt peccatum veniale in Saulo? Si hoc ità dicatur, tertiò infero: ergò ferè omnes Tyrani, & Hæretici persequentes Ecclesiam Dei, excusari poterunt à mortali. Siquidem plures ex illis putabant se obsequium præstare Dijs suis, si ipsis Christianos immolarent, ad idque se obligatos existimabant; ex Religione sua antiqua, & hæreditaria, illicitumque prorsus censebant de novo admittere pro Deo hominem à suis naturalibus, vti malefactorem, crucifixum, cuius proindè miracula magicis cantionibus deputabant, Christianosque omnes, diabolicæ artis peritissimos, proindèque de mundo vniverso pellendos. Tàm longeque aberat, vt omnes isti Tyrani malitiam adverterent gravem in ea Christianorum persecutione, quod potius se rem Dijs gratissimam, ad eosque placandos congruentissimam existimarent. Dicendum ergò ne erit hos non peccasse lætaliter, sicuti nec Saulum, eo quod cùm ignorantia malitiæ fecerunt? Ergò idem & de Hæreticis, qui Summum Pontificem, verissimumque D. Petri Successorem, Anti-Christum reputantes, putant se obsequium præstare Christo, si totis viribus Papatum evertere conentur. Nec dicas, hæreticos omnes verè agnoscere Summum Pontificem vti Christi Vicarium, & malum esse persequi ipsum, licet huiusmodi cognitionem occultent; & ore tenus negent. Nàm hoc haud facilè demonstrabis, si enim Hæreticos ad internam eorum experientiam remittas, ridebunt te hoc dicentem, vtpote qui re ipsa exterius & interius sunt Hæretici, & non minus mente, quam ore negant Papatum. Vnde tandem, sicut Paulus, excusandi erunt à lætali, & veniali tantum noxæ tribuendum, si persequtiones contra Ecclesiam Romanam suscitent. Quod quis non horreat.

10 Quartò infero, si Saulus solum deliquit culpa veniali; quàm ergò misericordiam consecutus est? Remissionem tantùm venialis peccati? Et nunquid hæc est illa magna misericordia, cui Ecclesia annualem festivitatem deputavit, qua celebraretur memoria tantæ conversionis? Celebrat ne Ecclesia illo die conversionem Div. Pauli tantum à veniali peccato, ad eius immunitatem? Vel dicendum erit illam non fuisse veram conversionem de lupo in agnum, de inimico Dei, in Filium eius adoptivũ, de Filio iræ in Filium misericordiæ, de statu peccati in statum gratiæ, sed potius fuisse quandam illuminationem factam Saulo antecedenter iusto, Dei amico & filio adoptionis? Consideret pius lector àn hæc Catholicè dici posint.

11 Sed audiamus ipsum Paulum 1. ad Tim. c. 1. *Fidelis*, inquit, *sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui crediturí sunt.* Et ne Paulum dicas fuisse primum peccatorem prioritate temporis, aut alio sensu, non vero ex magnitudine sui peccati. Audi Augustinum Serm. 175. in nova editione, vel 9. de verbis Apost. sic aientem. *Quid ergò, quorum primus ego sum? Quià omnibus peior sum. Ergò peiorem voluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicumque vult ædificare, quid dicit? Quis est hic primus structor? Quis est primus faber? Aut, si curari vult, quis est hic primus medicus? Non vtique interrogat quis sit prior ætate, aut quis sit prior professione, sed quis sit prior arte. Quomodo illi in arte primi, sic iste iniquitate primus. Quare Paulus iniquitate primus? Nonne ipse est, cui ad lapidandum Stephanum manus vna non sufficiebat, & aliorum vestimenta servabat? Nonnè ille est, qui Ecclesiam vbique persequebatur, &c.* Et Serm. sequenti: *Primum se dixit, non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine. Magnitudinem peccati sui attendit, vndè se dixit primum peccatorem.* Consonat Div. Thom. Qui tamen sibi objicit. *Sed nunquid fuit Paulus maximus peccator? Et videtur quod Iudas fuit maior::: Dicendum est ergò quod est primus, non quod inter peccatores maximus, quĩ tunc erant, sed maximus inter peccatores salvatos.* Vel igitur dicas nullum fuisse salvatum

tum de peccato lætali, vel fatearis Saulum peccaſſe lætaliter. Vndè Aug. ſerm. 298. cap. 4. aliàs de diverſis 41. ſic exclamat! *O Paulè, primo Saule, quando perſequebaris Sanctos Chriſti, ſi exerceret circa te Dominus iudicium iuſtum, vbi eſſes? Tanto ſceleri tuo quis locus in fundo gehennæ reperiretur?* Auguſtino adiunge Anſelmum, qui ijſdem penè verbis loquitur.

12 Et quidem, vt quid Paulus ſe ipſum peccatoribus apponit pro exemplo divinæ patientiæ & miſericordiæ, ſi tantum in illo dimiſſum fuit veniale? Audi Aguſt. ſerm. 176. ex perſona Pauli ſic dicentem: *Chriſtus daturus veniam converſis ad ſe peccatoribus vſque ad inimicos ſuos, me primo elegit acriorem inimicum, quem cùm ſanaret, nemo deſperaret.* Adiunge Chriſoſt. ſic Paulum exponentem: *Non dixit, vt in me oſtenderet patientiam, ſed omnem patientiam, ac ſi apertius diceret. Nullus eſt, in quo maior ſit habenda patientia, neque inveniri facile poterit peccator, qui tanta abundantia miſerationis indigeat: omnem, inquit, oſtendit in me patientiam, non partem, quemadmodum his qui modica deliquerunt.* Adiunge etiam Theophilactum, Æcumenium, & Euthimium, alioſque Expoſitores. Pariterque Bernardum, Serm. 1. de Converſ. Pauli, dicentem: *Quis deſperet vltra pro magnitudine ſui criminis, quandoquidem Saulum audit adhuc ſpirantem minarum & cædis in diſcipulos Domini ſubito factum vas electionis::: Magnificè quidem in hac vna converſione & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.* En iuxta communem SS. PP. expoſitionem, Saulus peccavit lætaliter, & graviſsimè, licet minus quàm ſi deliquiſſet ex malitia, ſicut Iudas, quià ignorans fecit. Quis ergò iàm audiat hos Reflexiſtas Saulum à lætali excuſantes?

13 Dices ſecundo cùm Terillo; ignorantiam Sauli fuiſſe lætalem, eo quod ex gravi negligentia, vel contumatia proveniebat; adeoque peccaſſe lætaliter in ſua ignorantia, & errore. Attamen ſuppoſito errore, quo credebat ſe obſequium præſtare Deo, exindè non peccavit novo peccato habente rationem intrinſecam peccati, ſed potius placuiſſe Dei voluntati per accidens conſulenti. Sed contra, nàm hinc etiam non minora ſequuntur abſurda; ſequitur enim Saulum ſolum peccaſſe peccato negligentiæ, ex qua ortus eſt ei error conſcientiæ, minimè vero cum peccaſſe peccato blaſphemiæ, perſecutionis, crudelitatis, &c. contra eius apertiſsimam confeſsionem, qua huiuſmodi peccata ſibi imputat. Sequitur vlterius, ſolum conſecutum fuiſſe miſericordiam de negligentia vnde ortum habuit ignorantia, vel de eo quod ignoraverit, quæ ſcire debuit, non autem de eo quod ignorans fecit; quod etiam eſt apertè contra eius confeſſionem. Sequitur denique ipſum verè placuiſſe Deo, perſequendo viros ac mulieres, ſpirando minas & cædes in Diſcipulos Domini, cogendo Chriſtianos blaſphemare, & alia eiuſmodi patrando, dictamenque vltimum ſuæ conſcientiæ, quo id iudicabat honeſtiſsimum & obſequioſum Deo, fuiſſe evidenter verum, non erroneum, non dubium, nec ſcrupuloſum. Quæ omnia quis audeat concedere?

14 Dices tertiò cùm alijs, Saulum, & alios perſecutores Apoſtolorum habuiſſe ſufficientem ſuæ notitiam malitiæ ad peccandum mortaliter. Sed inquiro ab his Reflexiſtis, quàm notitiam malitiæ requirunt ad peccatum mortale? Reſpondent quod plenam atque perfectam, qua hic, & nunc iudicet de malitia. Et nunquid eſt perſuaſibile Saulum talem notitiam habuiſſe, dùm perſecutorem agebat? Ergò non fuit ignorans, ſed ſcienter peccavit, quod ipſe apertè negat. Dices forſan, his convictus, ſufficere ad peccatum lætale habere ſcrupulum aliquem de malitia, & hunc habuiſſe Saulum perſequentem. Sed imprimis, qui hoc dixerint, iàm recedunt à ſua ſententia, & potiſsimè à ſententia Terilli, nàm vltimum conſcientiæ dictamen, iuxta ipſum, nequit eſſe ſcrupuloſum, ſed eſt evidenter verum: licet ergò in iudicijs prævijs eſſet aliquis ſcrupulus, hoc iuxta Terillum non ſufficit ad peccandum, imò nec vllatenus impedit honeſtatem actionis ſubſecutę, ſi vltimum dictamen reflexum illam dictet, vt honeſtam. Deindè ſcrupulus iſte ex terminis ſcrupuli non ſufficit ad reddendam mortaliter peccaminoſam actionem ſubſecutã, cùm ſæpè ſit licitum ſcrupulos contemnere, & contra ipſos agere, vt infra docebimus. Et mirum eſt quod ex ſolo ſcrupulo de malitia velint iſti AA. peccatum mortale deducere, cùm aliunde aſſerant etiam ſtante opinione probabiliori pro malitia actionis, poſſe quemlibet licitè talem actionem elicere iuxta aliam opinionem minus probabilem pro honeſtate actionis, eo præciſè, quià tunc conſcientia per dictamen reflexum, inquiunt, certò dictat eam actionem hic, & nunc licitè poſſe elici. Vndè ergò ex ſolo ſcrupulo inferre poterunt Saulum peccaſſe lætaliter, ſi forſan vltimo dictamine iudicavit ſe agere honeſtiſsimè?

15 Item, quià ſi habuiſſet ſcrupulum actuale de malitia, & cùm illo non

depoſito, ſed contra illum actualitèr operatus fuiſſet, iàm non tàm ex ignorantia, quàm ex advertentia malitiæ peccaſſet, malèque allegaſſet ignorantiam, vt miſericordiam facilius conſequeretur. Ac denique, quià vndè ſuaderi poterit Saulum neceſſario habuiſſe ſcrupulum malitiæ, aut actualem ſuſpicionem? Certè non eſt impoſsibile peccatorem tàm vehementèr incumbere aliquo operi, quod per errorem exiſtimat laudabile, & honeſtum, quod nullam, nec levem quidem, de malitia ſuſpicionem advertat. Vehementia enim zeli, & affectus in vnam partē omnem ſuſpicionē pro oppoſita ſolet ſupprimere; cur ergò non dicemus Saulum ex vehementiſſimo zelo paternas traditiones emulātem, ſpirantemque minas & cædes, præcluſiſſe aditum cuilibet, etiam levi ſuſpicioni de malitia ſuæ actionis, ità vt pro tunc minimè iudicaverit de malitia perſecutionis in Chriſtianos? Nunquid ob hoc excuſandus erit à peccato?

16 Forſan dices quarto, excuſari quidem, ſicut *excuſantur peccatores conſummati & perfecti, cùm Deum blaſphemant, & ſe in luxurias ſuas præcipitant, ſi deſit mentis illuſtratio, & conſcientiæ remorſus, ſi nullam habeant malitiæ cognitionem.* Sanè intèr omnes horum Reflexiſtarum doctrinas nullam magis horreo, quàm præſentem. Nàm ex illa ſequitur peccatores immaniſsimos omnino excuſari à culpa, nec, dùm poſteà per Dei infinitam miſericordiam vocantur ad lucem, teneri ad confitenda peccata, de quorum malitia advertentiam actualem non habuerunt. Sed placet referre doctrinam Div. Bernard. lib. de Conſcientia ad quendam Religioſum Ciſtercienſem. Ibi enim, vt ſuprà vidimus, dividit conſcientiam in bonam & tranquillam, bonam & turbatam, malam & turbatam, malam & tranquillam. Sanè mala & turbata eſt, quando quis non ità delectabilitèr peccat, quominus pungatur ſtimulis ex advertentia malitiæ ſuæ, & peccati, ſed quo plus delectari deſiderat, tanto amplius cogitationibus retrahentibus, & ſcrupulis angitur. Mala vero & tranquilla contingit in eo *qui cùm venerit in profundum malorum contemnit: qui nec Deum timet, nec hominem reveretur: qui iàm nullatenus ſentit gravitatem ſuorum peccatorum, ſed ad ea, veluti inſenſibilis, rapitur: qui peccatum ità ducit in conſuetudinem, vt iàm non modo placeat, ſed aſsiduè placeat & ſe continere non poſsit; ad extremum autem non poteſt avelli, quià conſuetudo vertitur in naturam. Et quod prius ad faciendum videbatur impoſsibile, iàm impoſsibile eſt ad continendum: hic peccator fœtet; quatriduanus eſt: hic lapis ſpeluncæ ſuperpoſitus illos miſericordes radios divini luminis non admittit: hic laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicetur; cùm non eſt qui arguat ex omnibus qui in circuitu eius ſunt.* En luculentiſsimè expreſſum à Bernardo ſtatum conſummati peccatoris, & eius conſcientiam tranquillam. Iàm ergo de huiuſmodi conſcientia inquiunt iſti Reflexiſtę excuſare hominem illum à peccato, & culpa in eis actionibus, quæ more brutorum magis quàm hominum eliciunt contra Dei legem, eo quod careant auxilijs ſufficientibus, nimirùm, quià radijs divinæ lucis non illuminantur, ſed omnino ſunt excæcati, ità vt actu advertere malitiam, nec ab ea retrahi, aut avelli poſsint. Hæc ſanè eſt doctrina horum Reflexiſtarum, qui paritèr tenentur dicere, multo minus malam eſſe huiuſmodi tranquillam conſcientiam, quam malam & turbatam, ſiquidem mala & turbata, proptèr advertentiam malitiæ non liberat, nec excuſat à culpa: mala vero, & tranquilla excuſat, eo quod cogitationem malitiæ retrahentem à peccato præcludit, & auxilijs ſufficientibus caret.

17 Sed audiant obſecro Melifluum Doctorem. *Mala & tranquilla conſcientia, ſicut nihil peius, ità nihil infelicius. Nihil æquè ità exaſperat illius tremendi Iudicis Maieſtatem, quàm peccare, & ſecurè peccare, & de vitijs, quaſi de virtutibus, gloriari: hæc eſt iniquitas, cuius Deus non miſeretur; cùm homo defendit, quod Deus odit, & peccatum iuſtitiam aſſerit, vt omnipotenti reſiſtat, & omnipotens illi. Hæc eſt illa ſuperbia, de qua ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Reſiſtere enim ex æquo eſt: ille autem ex æquo Deo reſiſtere proponit, qui quod Deus adſtruit, deſtruit quantum in ipſo eſt, dicens malum bonum, & bonum malum: amarum dulce, & dulce amarum; lucem tenebras, & tenebras lucem. Hanc ergò tranquillitatem nutrit impunitas, ſecuritatis, & negligentiæ mater.* Hucuſque Bernardus. Cui iàm adiunge Reflexiſtarum evaſionem. *Si peccatoribus conſummatis, cùm Deum blaſphemant, deſit mentis illuſtratio, & conſcientiæ remorſus, ſi nullam habeant malitiæ cognitionem, cùm omnibus Theologis aſſero quod non peccant per actiones iſtas, nàm ſinè libertate peccari non poteſt, &c.*

18 Vltima denique horum Reflexiſtarum evaſio eſt, ſe minimè Patribus contradicere, nec errorem vllum docere, nàm planè confitentur cùm omnibus Theologis ignorātiam vincibilem, & vinci-

cibilem,& vincibilem errorem non excuſare à peccato. Sed hæc evaſio æquivoca eſt, & fraude valdè cavenda in præſenti materia laborat: nàm ſi eis interroges, quid requiratur, vt ignorantia, vel error ſit vincibilis? Reſpondent, neceſſùm omnino eſſe, quod ignorans habeat aliquam advertentiã actualem, vel ad minimum ſuſpicionẽ malitię, ità vt quando nec ſuſpicionem habet de malitia, ignorãtia eius, inadvertentia, vel oblivio ſit omnino invincibilis. Vnde dicũt: *Iure appellatur ignorantia invincibilis, dùm deeſt advertentia actualis*, Et ipſe P. Sanchez in Decal. l. 1. c. 16 ſic ait: *Vt confeſſor iudicet àn hæc ignorantia ſit invincibilis, & à culpa excuſans, iuvari debet hac regula, nimirum, vt diſcutiat, àn in illorum mente dubium aliquod, aut ſaltèm ſcrupulus de harum rerum malitia venerit. Si enim nihil horum venerit, reputabitur ignorantia invincibilis.* Vndè tandem recidunt in ſuo aſſerto, nimirùm: *Neminem peccare formaliter, niſi hic, & nunc iudicet de malitia. Nemo plus peccat, quàm quatenùs ſcit, & novit malitiam peccati.* Vndè, ſi ſolum advertentia ad malitiam peccati ſit imperfecta, vti eſt pura ſuſpicio, aut ſcrupulus aliquis, non ſufficit ad peccatum mortale, quia *vt mortaliter peccetur requiritur plena, & perfecta cognitio malitiæ.* Vndè valde cavendum eſt, dũm ad ignorantiam vincibilem confugiunt, quid intelligant nomine ignorantiæ vincibilis. De qua nos ſtatim quæſt. ſequenti.

§. III.

Reſponſio ad querelas contrariorum.

19 IAM Ergò ſatisfacere cogimur adverſariorum querimonijs. Imprimis enim queruntur Deum forè iniuſtum, & tyranum, ſi quempiam damnaret, niſi propter peccatum ſcienter commiſſum; ſi quemquam tota æternitate puniat, quià fecit, quod ex conſcientia credidit ſibi faciendum. Sed ad hoc reſpondeo imprimis huiuſmodi querelam per prius fuiſſe familiarem Pelagio, qui apud Hyeron. lib 1. adverſ. Pelag. ſic aiebat: *Rogo, quæ eſt iſta iuſtitia, vt in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & eius rei quàm neſcio pœnas luo?* Et apud eundem lib. 2. contra Pelag. c. 1. *Nunquid, & de Evangelio poteris hoc probare, vt puniatur quiſpiam proeo quod neſciat, & ante pœnas luat, quàm reus ſit conſcientiæ?* Et nihilominus ei reſpondet Hyeron. *Stulta, imò & impia ſciſcitatio tua in perpetuum conticeſcat.* Quibus etiam reſpondet Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum. *Humana ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrij, excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis eſt, quod peccat.*

20 Deindè facilè reſpondeo, ſic peccantem, & ignorantem malitiam, ſeu peccatum ſuum, culpa propria id ignorare, & cùm ignorantia huiuſmodi, iuxta Auguſtinum, Mag. Sent, & Div Thom. peccantem ex obiecto mortaliter non excuſet quominus ſempiterno igne ardeat, licet excuſet fortasè, vt mitius ardeat, inde eſt, quod Deus iuſtiſsimè ſic peccantem cùm ignorantia malitiæ æternaliter punire poteſt. Sicuti, vt quis læſæ maieſtatis reus efficiatur, & pœna capitis multetur, non requiritur, vt noverit actu illum eſſe verum Regem, contra quem rebellat, aut animum reflectat ad enormitatem ſui delicti. Aliàs à formali rebellione excuſaretur qui cęco impetu, & contra omnem rationem ſibi perſuaderet Regem non eſſe legitimum, ſed tyranum, & ità Tyranum exiſtimaret conſtituendum eſſe merito pro Rege, eiuſque partes ſequeretur. Quod quis dicat? Quod ergò de Rege terreno nullus diffitetur, cur de cœleſti audemus diſputare? Forſan, quià magis in ſpiritualibus, quã in temporalibus cęcutimus. Quid enim quod neſcivit ſe peccare, quod actu non advertit malitiam, nec de illa dijudicavit, ſi debuit ſcire, conſiderare, advertere, dijudicare, & non fecit, vt debuit? Si adhęrendo plus temporalibus, quàm ſpiritualibus, quærendo plus implere voluntatem propriam, quàm Dei, zelando per prius proprium honorẽ, famam, & gloriam, quã divinam, aut ſe ipſum plus debito amando, & æſtimando, aditum præcluſit divinæ illuſtrationi, & illuminationi, quæ aliàs non deficeret, niſi obſtaculum inveniret?

21 Sed iterum quereris: peccatum debet eſſe liberum, & voluntarium; qualiter autem eſt liberum & voluntarium, niſi præcognitum? Sed reſpondeo peccatum, vt ſit peccatum, etiam mortale, & formale, non debere eſſe voluntarium directè & formaliter, imò pauciſsimi ſunt peccatores, etiam graviſsimi, qui peccent directè, & formaliter volentes peccare, & malè agere, nemo enim intendens in malum operatur; ſed ſat eſſe quod ſit liberum, & voluntarium indirectè, virtualiter, aut interpretativè, ſeu in cauſa, vt omnes fatentur Theologi.

22 Sed inſtabis: vt peccatum ſit voluntarium indirectè, ſeu in cauſa, opus eſt quod eius malitia fuerit prævisa in cauſa; at, qui non iudicavit de malitia, non

potuit eam prævidere in cauſa : ergò. Reſpondeo, non opus eſſe eam actu prævidere in cauſa, ſed ſat eſſe, quod illam debuerit prævidere, & conſiderare periculum eius, & potuerit, quià eo ipſo quod potuit, & debuit conſiderare, & non conſideravit, ad alia minoris momenti reſpiciens, culpa eius fuit non conſideraſſe. Si enim vel ex vehementia peccandi, vel ex conſuetudi, ne, vel paſsione, vel ſuperbia latenti, mentem propriam excæcavit, & indè factum eſt quod non advertiſſet ad malitiam, nunquid hæc non advertentia excuſavit illum à peccato ? Quis tale dicat ? Alias ſequeretur eum, qui die feſto, ideò non conſideravit, nec recordatus fuit obligationis audiendi ſacrum, quià vehementi cupiditate occupatus fuit in furto, vel in luxuria, minimè peccaſſe in omiſione ſacri, nec teneri de tali omiſsione confiteri ; quod, licet huiuſmodi Reflexiſtæ audeant deglutire, valdè abſonum eſt, innumeraque, & graviſsima excuſat peccata.

23 Sed vlterius inſtant: quomodo potuit conſiderare malitiam, aut obligationem, ſi menti eius nullus fuit occurſus, nulla vel levis ſuſpitio de tali peccato, malitia, aut obligatione ? Qualitèr conſideraret, quod menti eius nullo pacto occurrit ; ergò dum malitia menti non occurrit, ignorantia eſt penitus invincibilis. Reſpondeo eſſe certiſsimum, ſaltèm per ſe loquendo, nemini defuturam notitiam veritatis moralis practicæ neceſſariam ad obſervandam Dei legem, ſi eam debitè pluſquam omnia temporalia, & pluſquam ſe ipſum quæſierit, prout debet quæri. Sapientia enim *præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit, aſsidentem enim illam in foribus ſuis inveniet*, *Sapient.* 6. Vnde, vt in plurimum, animis erga vltimum finem benè affectis occurrit notitia legis divinæ circa media neceſsaria. Cùm ergò quiſque in ſua poteſtate habeat, dependentèr à Dei adiutorio rectè affici erga vltimum finem, diligentèrque inquirere legen Dei, ad hocque nunquam illi deficiant principia vniverſalia ſyndereſis, quæ ſufficientèr in vniverſali proponant homini ſuam vniverſalem obligationem quærendi vltimum finem, & media ad ipſum perducentia, indè eſt, ſemper eſſe in hominis poteſtate ex illis principijs vniverſalibus rectè deſcendere ad particularia, vel ſaltèm non impedire divinam illuſtrationem, aliàs non defuturam. Quod ſi ad hoc ſe impedivit, & indè ortum habuit quod menti eius non occurrit malitia ſui operis, aut peccatum in eo commiſſum, ſibi imputet, ſe accuſet, & non Deum, ſi propterea eum damnaverit in æternum.

24 Ex quibus vtiliſsimè inferes, quanto timore, quantaque humilitate vivere debeamus coràm Deo, de nobis ipſis ſuſpecti, licet de Dei benignitate confidentes. Quis enim ſcit àn ſit dignus odio vel amore ? Quis autem ſe ipſum iuſtificare audeat, etiam in opere, de cuius malitia nihil ſibi conſcius eſt, quando Apoſtolus ipſe dicebat : *Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Ecce nec ſcrupulum, aut ſuſpitionem malitiæ habebat, & tamen non proinde ſe iuſtificat. Quare ? *Qui enim*, inquit, *iudicat me dominus eſt*, qui perſpicere poteſt in corde meo, quod me laterè poteſt. Vndè aiebat. *Quod enim operor non intelligo*, clarè, nimirum, & patentèr, ſicut Deus, qui ſcrutatur renes & corda, occultorum cognitor, & pertingens vſque ad diviſionem animæ àc ſpiritus. Ipſe melius novit me quàm ego me, eoque etſi evaſerim iudicium hominum, & iudicium propriæ conſcientiæ, non ob hoc me iuſtificatum puto, quià reſtat Dei iudicium, de quo neſcio, àn deteget quod me lateat. Vide Bern. lib. de conſcientia. Vnde abſdubio credendum eſt Paulum cùm Davide ſæpè oraſſe: *Ab occultis meis mundame.* Sciebat enim illud Prov. 14. *Eſt via quæ videtur homini iuſta, noviſsima autem eius deducunt ad mortem.* Et illud ex cap. 12. *Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda dominus.*

25 Inferes ſecundo, non minus vtilitèr, quotieſcunque putaveris Deo, quem diligis, placere, vel non diſplicere, quod facis, & poſtea per Scripturã eius, ſivè certa & conſpicua ratione commonitus didiceris quod tale factum ei non placeat, ſed potius ſit ab illo prohibitum, pœnitendo depreceris vt ignoſcat, & tale peccatum, ſi ex ſuo genere fuerit mortale, confeſsioni ſubijcias, & pro illo ſalutarem pœnitentiam acceptes. Sic enim tempore Auguſt. ſe gerebant Chatholici, vt ipſe refert loco ſuprà citato num. 6. Et merito. Nàm forſam ignorantia illa fuit culpabilis ob aliquod obſtaculum ex noſtra parte appoſitum divinæ illuſtrationi. Nec excuſationem prætendas, eo quod nullam habueris advertentiam malitiæ, nec eius ſuſpitionem. Tùm ne in te verificetur, quod ait Auguſt. ſuprà relatus. *Humana ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrij, excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis eſt quod peccat.* Tum quià forſan aliquo pravo affectu talem advertentiam, aut ſuſpicionem impediviſti.

QVÆ-

QVÆSTIO. IX.

An detur ignorantia invincibilis iuris naturalis?

1 NON Diſputo, an excuſet, ſi ſemel detur, ignorantia legis naturalis, certiſsimum enim eſt omnem ignorantiam invincibilem excuſare à peccato, qua propter merito Alexand. VIII. damnavit propoſitionem aſſerentem ignorantiam invincibilem iuris naturalis, etſi detur, non excuſarè à peccato. Solum ergò inquiro, àn detur, & in quo ſenſu. Quæ quidem quæſtio, licet de ſe prolixa, brebitèr ab ea me expediam, quià per totum tractatum plura ad eius reſolutionem conducentia dicenda reſtant. Hoc ſuppoſito, noto primò, legem naturalem aliam non eſſe quam lumen naturale practicum noſtri intellectus, quatenus à Deo derivatum, & impreſum, quo mediante, oſtendit nobis Deus bona, quæ ſunt appetenda, & mala fugienda, iuxta illud: *Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine.* Notandum ſecundò, huiuſmodi legem continere alia quidem dictamina, & præcepta vniverſaliſsima, quæ ſunt quaſi principia prima, & alia minus vniverſalia, & quaſi concluſiones. Primi generis ſunt: bonum eſt amandum, & malum fugiendum: ſummum bonum ſuper omnia amandum, ſummum malum ſuper omnia deteſtandum, & illud: quod tibi non vis alteri ne feceris; & illud: Deo vel dijs eſt parendum, & alia huiuſmodi. Secundi generis ſunt pleraque præcepta Decalogi, vt non eſſe peierandum, nec nomen domini in vanum proferendum: Parentes eſſe honorandos: non licere homicidium, non furtum, non falſum teſtimonium, & alia ſimilia cùm eis quæ ſub his continentur, & hæc diviſio eſt expreſſa in D. Thom.

2 Notandum tertiò legem naturalem duplicitèr poſſe cognoſci, ſicuti & ignorari. Primò directè, & exercitè, ſecundò ſignatè, & reflexè. Tunc cognoſcitur directè, & exercitè, quandò in actu exercito lumine ipſo naturali practico à Deo nobis indito cognoſcimus quid nobis agendum, & eligendum eſt ad vltimum finem, quid vè recipiendum. Tunc cognoſcitur ſignatè, & reflexè, quando per reflexionem agnoſcimus dari legem naturalem præcipientem hoc, aut illud, illud vè prohibentem. Exemplo rem declaro: Durandus, & Caramuel negarunt dari legem naturalem prohibentem moſitiem, iſti ſane ignorarunt ſignatè, & reflexè legem naturalem quantum ad hanc prohibitionem. Ceterum minimè credendum eſt eam ignoraſſe exercitè, & directè, nàm quis ſibi perſuadeat tantos viros lumine ſuo naturali non reprobaſſe molitiem? Sane dùm eorum menti occurrebat, ex ipſo naturalis iudicatorij lumine ipſis apparebat inhoneſta voluntaria polutio in actu exercito, licet ipſi, facta reflexione, putarent huiuſmodi apparientiam non eſſe ex lumine naturali, ſed ex prohibitione poſitiva legis ſcriptæ: in quo tantum falſi ſunt. En qualitèr ſignatè, & reflexè ignorarunt polutionem eſſe lege naturali prohibitam, quod tamen non potuerunt ignorare exercitè, & directè. His præ notatis.

§. I.

Aliquibus aſſertis noſtra ſententia exponitur.

3 DICO Primò, & ante omnia: *Neminem rationis compotem ignorare invincibiliter exiſtentiam Dei Authoris naturalis.* Ità docent omnes Theologi, aliquibus modernis exceptis Authoribus Philoſophiſmi iam damnati ab Alex. VIII Vndè Arriaga 1.2. Tract. de Actib. hum. diſp. 19. ſec. 10. ait: *Negari nequit poſſe, ſaltem divinitus, in aliquo homine eſſe ignorantiam Dei invincibilem. Et vero crediderim de facto ſæpe id contingere.* Et poſt: *Eſt valde probabile eam ignorantiam ſæpe contingere.* Sed in primis dicere quod divinitus, ideſt, miraculosè poſsit, licet non ordinariè, homo rationis compos ignorare invincibiliter Deum, ità vt putet Deum non eſſe, eſt per ſe abſurdum. Nàm quis credat Deum facturum miraculum, vt faceret hominem ſui ignorantem invincibiliter, & contra ſuam exiſtentiam errantem? Id ſane prorſus Deo repugnat, niſi ipſum velis erroris Authorem ſupernaturalem facere.

4 Iàm quod ait, talem ignorantiam invincibilem ſæpe contingere, longè etiam abſurdius eſt, Nàm imprimis ſequitur ſæpe contingere homines reddi impeccabiles contra Deum, nàm ignorans invincibiliter Deum, eum offendere nequit. Dices, eum poſſe peccare, quià poteſt agere contra rationem, & ſemper eſt malum morale contra rationem agere. Sed contra primò, quià vt ipſe Arriaga loco citato teſtatur: *Qui haberet ignorantiam invincibilem circa Deum, conſequenter ignoraret invincibiliter mala moraliter eſſe contra Deum.* Sed hoc ignorato, non peccaret contra Deum, nec Deum offenderet: ergò. Sed ſubijcit, de

pecca-

peccatis Philoſophicis quæſtionem excitans. *Adverte aliquid hic de nomine miſceri, aliquid de re: de re quidem virùm illa actio contra naturam rationalem, Deo invincibilitèr ignorato, foret digna pœna æterna, quali nunc Deus peccatores odio habet?* Et reſpondet. *Circa punctum de ipſa re, concluſio ſit: Illud malum morale cùm ignorantia Dei invincibili, ſivè vocetur peccatum, ſivè non, non eſt condignum pœna æterna, vt ſæpè inſinuavimus.* Deinde ſibi objicit. *Sequitur ex noſtra ſententia multa graviſſima ſcelera liberari à ratione peccati mortalis, propter inadvertentiam ad Dei offenſam.* Et poſt relatam reſponſionem P. Delugo, addit: *Si ſequeretur id quod objiciunt, potius illud optandum fore, quam timendum, quià per hoc vitaretur ea gravitas ſumma, quæ in offenſa Dei, qua tali, reperitur.*

5 Sed contra vlterius vrget: *Inter barbaros multi ſunt, qui de Deo nullam habent notitiam; ergò ſaltèm illi tunc non peccabunt. Reſpondeo, ſi ſit invincibilis ea ignorantia, omninò excuſari. Dices, quo ergò tales ibunt poſt mortem? Dici poteſt eos gravi aliqua pœna temporali torquendos, & deinde ad limbum cùm pueris deſtinandos.* Hæc ſumma doctrinæ huius Authoris militantis contra D. Thomam, innumeris locis, quibus omnem adultũ, ex quo ad vſum rationis pervenit, obligat, vt ad Deum ſe convertat, nulla admiſſa excuſatione ignorantiæ invincibilis. Sed peccatum iſtud philoſophicum, contra rationem, & non contra Deum, iàm, vt dixi, proſcripſit Alex. VIII. vndè contra huiuſmodi doctrinam nihil nobis reſtat addendum. Inferimus tamen quam abſurda ſit ſententia admittens ignorantiam invincibilem Dei in homine rationis compote, quandòquidem ex illa tam apertè ſequitur peccatum illud philoſophicum ſæpè contingere.

6 Contra etiam ſecundò, quià vlterius ſequitur, hominem ſic ignorantem, nec contra conſcientiam poſſe peccare, nec contra rationem, & conſequenter, nec philoſophicè. Et ratio eſt manifeſta, quià à ſua ratione, præſcindendo ab eo quod illa ſit derivata à Deo legiſlatore naturali, minimè obligari poteſt, ratio enim naturalis ſolum habet vim obligandi, quatenus à Deo derivatur, non vero quatenus eſt præcisè dictamen ipſius hominis. Nàm nemo obligatur ſub peccato, & ſub culpa, nec ſub pœna, niſi à ſuperiore, non autem à ſe ipſo: cùr enim Deus non poteſt obligari, nec ſub culpa, nec ſub pœna? Sanè quia non habet ſuperiorem: ergò præſcindendo ab omni ſuperiore, à quo ratio naturalis derivetur, homo ab illa obligari nequit, nec ſub culpa, nec ſub pœna. Sed qui ignoraret omninò invincibilitèr Deum, ſolum haberet rationem naturalem vt propriam, præſcinderetque omnino ab omni ſuperiore à quo derivaretur, nullumque agnoſceret ſuperiorem per ignorantiam penitùs invincibilem: ergò in illo ratio naturalis non haberet vim obligandi ſub pœna, nec ſub culpa: non ergò peccaret contra rationem naturalem, quanvis ageret quidquid vellet, quo nihil abſurdius excogitari poſſet.

7 Secundò probatur concluſio. Nàm nemo compos rationis poteſt in ſe extinguere totalitèr lumen ſyndereſis, ſeu legis naturalis, quantum ad vniverſaliſſima eius dictamina, & præcepta, quibus vniverſalitèr obligatur ad honeſtè vivendum in ordine ad ſuum vltimum finem, vt ſtatim videbimus; ſed non poteſt homo omninò extinguere in ſe omnem cognitionem Dei, aut Deum totalitèr ignorare, niſi pariter extinguat in ſe illud lumen vniverſale ſyndereſis: ergò non poteſt extingui penitùs in homine cognitio Dei. Minor probatur, primò quia, extincta penitùs in mente cognitione Dei, non eſt vnde homo obligetur per lumen vniverſale ſyndereſis; ſed homo nequit non obligari per illud lumen, niſi eo extincto: ergò extincta penitùs cognitione Dei, neceſſum eſt extingui lumen ſyndereſis. Maior patet, nàm illud lumen non habet vim obligandi niſi quatenus derivatur ab aliquo Numine ſuperiori naturalitèr intimante: Alteri non facias quod tibi non vis, aut Parentes eſſe colendos, & alia huiuſmodi, vndè obligat per modum legis naturalitèr intimatæ ab aliquo ſuperiori Numine legiſlatorè: ſed implicat aliquem obligari aliqua lege, vel præcepto, niſi cognito legiſlatore, & ſuperiori, à quo talis lex derivatur, ſaltèm confusè, & ſub ratione aliqua confuſa Nominis, aut ſuperioris ordinantis, & præcipientis: ergò. Minor probatur: ſupponamus enim te audire in aere prolatam hanc vocem: *Leva feſtucam*, omnino ignoto prolatore talis vocis, ſanè talis vox minimè te obligaret ad levandam feſtucam, non alia ratione, niſi quià omnino ignorares àn à ſuperiori, æquali, vel inferiori prolata fuiſſet, vndè nunquam ex tali voce obligari poſſes, niſi accipiendo illam, vt ab aliquo ſuperiore tuo emiſſam: ergò paritèr lumen illud naturale ſyndereſis nobis intimans: *Alteri non facias quod tibi non vis: honora parentes, &c.* minimè te poteſt obligare, niſi illud accipias vti derivatum ab aliquo ſuperiori Numine intimante. Alias enim, ſi omninò ignores àn illa vox intus ſonans ſit vnicè tua, vel dœmonis, vel caſualis, vel ab aliquo inferiorè, aut æquali, quo-

quomodo ab illa obligaris quadam ſuperioritate, & dominio, cui formidas reſiſtere, & contradicere? Ergò ſignum evidens eſt quod in actu exercito, dùm per illud lumen vniverſale ſyndereſis obligaris, accuſaris, & formidas contra illud agere, confusè percipis aliquod Numem ſuperius, à quo tale lumen ſyndereſis derivatur. Quod licet non omnes per reflexionem agnoſcant, omnes tamen, nullo excepto, ſi ſunt rationis compotes, in actu exercito intùs audiunt illud Numem præcipiens, & obligans ad honorandos parentes, & ad alia huiuſmodi.

8 Secundò probatur minor primi ſyllogiſmi, quià inter prima, & vniverſaliſsima principia ſyndereſis ſupremum & vniverſalius omnibus eſt: *Deum eſſe quærendum*, ſeu *adeſſe vltimum finem*, *cui homo ſit deſtinatus*, finis enim in practicis eſt principium, & vltimus finis primum principium totius diſcurſus practici: ſed ignorato primò principio totius diſcurſus practici, omnis diſcurſus practicus ceſſat, & conſequenter lumen rationis practicæ extinguitur totaliter, ſicut, deficiente primò motore, omnis motus ceſſaret, & deficiente prima cauſa, omnis alia cauſa deficeret: ergò nequit Deus penitùs ignorari, niſi indè ſequatur extingui totaliter lumen rationis practicæ, & conſequenter omnia alia principia practica ſyndereſis. Et quidem mirum eſſet, ſi Deus, qui naturalitèr inſtruit omnes homines, nullo excepto, circa hæc principia: *Parentes ſunt honorandi*: *ius ſuum vnicuique eſt ſervandum*: *quod tibi non vis alteri ne facias*, non prius inſtrueret eos de hoc principio: *Deus eſt colendus*, *quærendus*, *& ſerviendus*. O mi Deus! Quis de tua erga homines providentia credat, nimium te fuiſſe ſolicitũ, vt homines cognoſcerent, *omne totum eſſe maius ſua parte*, adeò vt neminem id ignorare permittas, & tamen non adeò curaſſe quod homines te, ſuum vltimum finem, agnoſcerent, quinimò pluribus huiuſmodi notitiam, abſque eorum culpa, denegaſſe?

9 Certiſsimum ſanè eſt Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sed quænam inter omnes veritates magis hominibus neceſſaria ad eorum ſalutem, quam vt agnoſcant te Deum ſummum bonum, vltimum finem, & primum principium eorum? Quis ergò ſibi ſuadeat eſſe aliquem hominem in vniverſo, qui dicere poſsit cùm veritatè Invincibiliter ignoravi meum vltimum finem, meum primum principium: Invincibiliter neſcio ad quid creatus, ad quid exiſtens, ad quid vivens in rerum natura ſim? Omnis mei finis notitia carui, non mea culpa, ſed quià Deus deſtitit me illuminare, cùm poſſet: non quià ego defeci Deo, ſed quià Deus defecit mihi, non quià abuſus fuerim illuminatione Dei, ſed quià mihi defecerunt auxilia ſufficientia ad Deum cognoſcendum? Quis tale credat, ſi credit Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & quod nullum hominem creavit, niſi eo fine, vt Deum ipſum agnoſceret, ei ſerviret, & eo frueretur? Certiſsimum ergò debet eſſe neminem in toto mundo compotem rationis ignorare Deum invincibiliter; ſed omnes, quantumvis barbariſsimi ſint, Deum agnoſcere, ſaltèm conceptu aliquo confuſo ſub ratione alicuius deitatis, numinis ſuperni, finis vltimi, aut ſummi boni; vel ſaltem, quod ſi aliquis huiuſmodi careat cognitione, hoc erit ex culpa propria, quià vitio ſuæ perverſitatis occluſit aditum divinæ illuſtrationi.

10 Ante omnem autem culpam propriam, veluti in primo inſtanti vſus rationis, quando homo venit in mundum, certum omninò eſt ipſum Deum ſub aliquo concepta confuſo ſe illi oſtendere ſufficienter, vt ille poſsit ſe ad Deum convertere, imò & quod ad id teneatur, vt eſt expreſſa ſententia Angelici Præcep. 1. 2. quæſt. 89. art. 6 in corp. Quod ſi tunc debitè ad Deum ſe convertat, ſuumque finem debitum curis temporalibus anteponat, abſdubio magis in dies illuminabitur. Si vero poſthabito Deo, ſuoque vltimo fine, & æterno, ad temporalia vltimatè proſpiciat, inde fiet quod propria concupiſcentia divinam illuminationem, vel impediat, vel extinguat. Non ergò iàm invincibiliter, ſed culpabilitèr Deum ignorabit, ſi forſan poſsit, vel culpabilitèr Deum ignorare penitùs. Nàm hoc etiam iudico impoſsibile cuilibet rationis compoti. Vt enim benè advertit Tertulianus, multæ inventæ ſunt nationes ſine vrbibus, ſine domibus, ſine Rege, ſine pecunia, ſine litteris, & ſine alijs valde vitę humanæ neceſſarijs, at nulla vnquam, cui nullus ſit Deus; prius enim invenietur ſine ſole vrbs, quam ſine Deo & religione. Non ergò nec vincibiliter ignorari poteſt Deus ab hominibus; ſed potius eius notitia cunctis eſt naturalis, & indelebilis. Hinc illa vox communis, & naturalis magis, quam libera: *O Deus! Deus ſcit*: *ſi Deus voluerit*: & alia huiuſmodi, quæ vt inquit Zyprianus lib. de idolor. van. & Tertulianus lib. de teſtimonio animæ. *Quanto vera, tanto ſimplicia*: *quanto ſimplicia*

cia tantò vulgaria: quantò vulgaria, tanto communia: quantò communia, tantò naturalia; quantò naturalia, tantò divina. Magiſtra natura, anima diſcipula: quidquid aut illa docuit, aut iſta didicit, à Deo traditum eſt, Magiſtro ſcilicet ipſius Magiſtræ.

11 Nec mihi obijcias, quod *inſipiens dixit in corde ſuo non eſt Deus.* Nàm forſan dixit in corde, non in mente, ideſt, in affectu, non in intellectu, quià vellet Deum non eſſe, aut eum neſcire, ſed intellectus nequit eum re ipſa ignorare, & *hæc fuit ſumma delicti*, inquit Cyprianus, *eum velle neſcire, quem ignorare non poſſet.* Vel Deum negat inſipiens ſub aliquo conceptu ſpecialiori, quo eum malè apprehendit, vt contingit omnibus Atheis, qui apprehendunt Deum tetrum, crudelemque, eoque ipſum negant, ſignatè quidem, & ſub illo conceptu; at ſub conceptu illo communi ſummi boni, vltimi finis, primi legiſlatoris in actu exercito eum ignorare nequibunt, vndè velint nolint, intùs timent, eis remordet conſcientia de malefactis, ab eaque intùs accuſantur: ergò interius experiuntur vocem illàm naturalem Dei per lumen naturalem minantis, & corrigentis. Quantumvis enim conentur talem notitiam extinguere, vt liberius, & ſine remorſu conſcientiæ vivant, id tamen non aſſequuntur ex integro, quià ſemper ſyndereſis ex parte Dei redarguit, & minatur, & accuſat, & timent, vt ſtatim videbimus.

12 Nec etiam mihi opponas Polytheiſmum, nàm ipſi qui multos Deos colebant, deitatem agnoſcebant neceſſario. Polytheiſmus enim reſolvitur ad hunc ſyllogiſmum: *Datur vera deitas, & divinitas colenda: ſed hanc deitatem habet Iupiter, Saturnus, Mars, Minerva, Diana, &c. Ergò ſunt colendi vt Dij.* In minori tantum errabant Idolatræ, at non in maiori, quam ignorare non potuerunt, ſiquidem dari divinitatem inignorabile eſt, etiam culpabiliter; licet culpabiliter ignoraverint vbi daretur, & per errorem culpabilem eam applicaverint lapidibus, lignis, Soli, Lunæ, vel hominibus ſceleratis; in quem errorem minime lapſi fuiſſent niſi pravis affectibus mentem propriam corrupuiſſent, & propria culpa aditum præcluſiſſent divinæ illuſtrationi.

§. II.

Secunda concluſio ſtatuitur.

13 DICO Secundò: *Lex naturalis quantum ad prima, & vniverſaliſſima præcepta ignorari nequit, adhuc culpabiliter.* Ità D. Th. in diſput. quæſt. 16. de verit. art. 2. vbi ſic noſtram ſuadet concluſionem. *Non enim*, inquit, *poſſet eſſe aliqua firmitas, vel certitudo in his quæ ſunt à principijs, niſi principia eſſent firmitèr ſtabilita. Et inde eſt, quod omnia mutabilia reducuntur ad aliquod primum immobile. Inde eſt etiam, quod omnis ſpecifica cognitio derivatur ab aliqua certiſſima cognitione, circa quam error eſſe non poteſt, quæ eſt cognitio primorum principiorum vniverſalium, ad quæ omnia alia cognita examinantur, ex quibuſque omne verum approbatur, & omne falſum reſpuitur, in quibus, ſi aliquis error poſsit accidere, nulla certitudo in tota ſequenti cognitione inveniretur. Vnde & in operibus humanis, ad hoc quod in eis aliqua rectitudo eſſe poſsit, oportet eſſe aliquod principium permanens, quod rectitudinem immutabilem habet, ad quod omnià opera examinentur, ità quod illud principium permanens omni malo reſiſtat, & omni bono aſſentiat. Et hoc eſt ſyndereſis, cuius munus eſt remurmurare malo, & inclinare ad bonum* Idem aſſer. art. 3. incorp. dicens: *Impoſsibile eſt in vniverſali iudicium ſyndereſis extingui.* Idem etiam aſſerit 1. 2. quæſt. 94. art. 4. in corp. *Sic igitur dicendum eſt, quod lex naturæ, quantum ad prima principia communia, eſt eadem apud omnes, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum notiam*, quià ſcilicet æqualiter omnibus nota, & à nemine ignorata. Et art. 6. *Quantum ergò ad illa principia communia, lex naturalis nullomodo poteſt à cordibus hominum deleri in vniverſali.* Concinit Auguſt. in Pſalm. 56. *Scripſit Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non ſinuntur ignorare, vt eſſet vndè iudicarentur.* Idem repetit Pſalm. 118. conc. 25. Hyeronimus etiam epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 8. *Nullus hominum eſt, qui hanc legem neſciat. Id circo iuſtum Dei iudicium eſt ſcribentis in corde humani generis, quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.*

14 Ratio autem à priori ad id probandum alia non eſt, niſi quam tradit D. Thomas, quià ſcilicet, ſicut ad hoc vt in diſcurſu ſpeculativo haberi poſsit aliqua certitudo, neceſſum omninò eſt quod aſſignentur aliqua prima principia ſpeculativa, quæ evidentia ſint, & notiſsima, adeò, vt à nemine negari poſsint, quià ſi illa etiam principia non eſſent ità nota, ſed dubitabilia, vel capacia erroris, & falſitatis, in eis diſcurſus figere pedem nequiret, ſed omninò hęſitaret, àc proinde de nihilo vnquā poſſemus eſſe certi: ità ob eandem rationē in diſcurſu practico conſcientiæ neceſſum omninò eſt dari aliqua prima principia practica à nullo dubitabilia, nec ignorabilia, notiſsimaque, & incapacia erroris, à quibus practicus diſcurſus ſumat exor-

exordium, quià alitèr nihil certo dictare poſſemus, ſed in omnibus practicis concluſionibus mens nutaret. Sed ob primam rationem ab Authore naturæ inſtruimur de quibuſdam primis principijs ſpeculativis, ità evidenter, quod à nemine ignorari valeant: ergò propter ſecundum dicendum eſt etiam quod naturalitèr à Deo inſtruimur de aliquibus principijs legis naturalis, quæ à nemine ignorari poſſint. Iuvat etiam ratio D. Auguſt. dicentis, ideò neminem ſinere Deum talem legem ignorare, vt eſſet vndè iudicarentur. Et certe opus erat quod Deus aliquam regulam aſſignaret operandi, per quam tandem eſſemus iudicandi ab ipſo: ſicut Magiſter docens ſcribere, regulas tradit diſcipulis, ſcriben di, per quas caracteres poſtea ſunt iudicandi, & examinandi. Sed nullus eſt homo non iudicandus: ergò nullus cui Deus non tradiderit regulam agendi: ſed hęc alia non eſt niſi lex naturalis: ergò hanc nemo ſinitur ignorare, vt ſit vndè poſsit iudicari.

15 Sed contra obijci poteſt multipliciter 1. Nàm Ezech. 1. ait. 5. Gloſſa de ſyndereſi: *Quod eam interdum præcipitari videmus*: ergò ſyndereſis poteſt errare: ergò & extingui. Secundò, nàm qui occidebant Apoſtolos errabant per ſyndereſim, ſiquidem putabant ſe obſequium præſtare Deo. Tertiò, quià Ierem. 3. dicitur: *Filij Mempheos, & Thaneos conſtrupaverunt te vſque ad verticem*, ideſt, dœmones animam; ſed vertex animæ eſt ſyndereſis circa prima principia: ergò & illa poſſunt conſtrupari, & in illis poteſt eſſe error, & ignorantia. Quartò, ex illo Pſalm. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt*. Vbi Gloſſ. ideſt: *Omni lumine rationis orbati*: ſed lumen rationis eſt lumen ſyndereſis: ergò lumen ſyndereſis extinguitur. Quintò, officium ſyndereſis eſt remurmurare peccato: ſed in hæreticis, & magnis peccatoribus ſyndereſis non remurmurat peccato: ergò ideò eſt quià eſt extinctum penitùs. Sextò, ex Philoſoph. 6. Æthic. dicente: Illeque habet habitum vitij, eſt corruptus circa principia operabilium: ſed principia operabilium pertinent ad ſyndereſim: ergò in habente habitum vitij principia ſynderesis extinguntur, vel ignorantur. Septimò, nàm Prob. 18. dicitur: *Impius, cùm venerit in profundum malorum, contemnit*, quià ſynderſis locum ſuum non tenet, vt dicit Hyeron. in Gloſſ. ergò Octavò, in beatis amovetur omnis inclinatio ad malum: ergò per contrarium in damnatis omnis inclinatio ad bonum: ergò, & ſyndereſis, ſeu lex naturalis, etiam quoad prima, & communiſsima principia. Hæc ſibi obijcit D. Thom. locis citatis, ad quæ, vt ex ipſo reſpondeam.

16 Dico tertiò. *Licet illa prima, & communiſsima principia ſyndereſis, ſivè legis naturalis, non poſsint ignorari in ſe ipſis, tamen culpabiliter poſſunt ignorari quoad applicationem ad particularia agibilia*. Ita D. Thomas locis citatis. Vndè quæſt. 16. de verit. art. 3. in corp. poſt verba relata, ſubdit. *In particulari vero operabili extinguitur* (ſyndereſis) *quandocumque peccatur in eligendo; vis enim concupiſcentiæ, vel alterius paſsionis, ità rationem abſorbet, vt in eligendo ſyndereſis vniverſale iudicium ad particularem actum non applicet. Sed hoc non extinguit ſyndereſim ſimpliciter, ſed ſecundum quid*.

17 Ex quo facile ad omnia obiecta reſpondet. Ad primum, quod ſyndereſis nunquàm præcipitatur in vniverſali, ſed in ipſa applicatione vniverſalis principij ad aliquod particulare poteſt accidere error, propter imperfectam, vel falſam deductionem, vel alicuius falſæ minoris aſſumptionem. Ad ſecundum reſpondet, quod quandò in aliquo ſyllogiſmo deducitur concluſio falſa ex duabus propoſitionibus, vna vera, & alia falſa, error concluſionis non attribuitur veræ, ſed falſæ. Et ideò in illo arbitrio, quo occiſores Apoſtolorum arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo, peccatum non proveniebat ex vniverſali iudicio ſynderesis, *quod eſt Deo obſequendum*, ſed ex falſo iudicio ſuperioris rationis, quæ arbitrabatur occiſionem Apoſtolorum eſſe beneplacitam Deo. Non ergò errabant per ſynderesim. Ad tertium reſpondet, quod ſicut vertex corporis eſt ſuprema pars corporis, ità vertex animæ eſt ſuprema pars animæ. Vndè ſecundum diverſas diſtinctiones partium animæ vertex animæ diverſimodè accipitur. Diſtinguendo enim partem ſenſitivam ab intellectiva, intellectiva dicitur vertex. Vlterius dividendo intellectivam in rationem ſuperiorem, & inferiorem, ratio ſuperior dicitur vertex. Vlterius dividendo rationem ſuperiorem in naturale iudicium, & rationis deliberationem, naturale iudicium dicitur eſſe vertex (O mira ſubtiliſsima, & Angelica diſtinctio, & quam inter modernos oblita!) Cùm igitur anima dicitur vſque ad verticem conſtrupari, intelligitur ſecundum, quod *vertex* nominat ſuperiorem rationem, non autem prout nominat ſynderesim. Ad quartum reſpondet, quod dicuntur aliqui peccatores omni lumine rationis privari, quantum ad actum electionis, in qua ratio errat, propter hoc quod abſorbetur aliqua paſsione, vel de primi-

tur

tur ab aliquo habitu, vt lumen ſyndereſis non ſequatur in eligendo.

18 Ad quintum, quod in Hæreticis non remurmurat conſcientia eorum infidelitati, propter errorem qui eſt in ratione eorum ſuperiori, ex quo contingit, quod iudicium ſyndereſis huic particulari credibili non applicetur. In vniverſali enim iudicium ſyndereſis in eis manet, iudicant enim malum eſſe non credere his quæ à Deo dicuntur. In hoc autem errant ſecundum ſuperiorem rationem, quod non credunt hoc eſſe à Deo dictum. En lector qualitèr D. Thom. admittit quod in Hæreticis non remurmurat conſcientia eorum infidelitati. Sed propterea diceret D. Thom. eos à peccato hæreſis excuſari; aut laborare ignorantia invincibili, quià non advertunt ad errorem, nec habent ſcrupulum de ſua infidelitate? Quis tale dicat? Ad ſextum, quod ille qui habet habitum alicuius vitij eſt corruptus circa principia operabilium, non quidem in vniverſali, ſed in particulari operabili, inquantum ſcilicet per habitum vitij deprimitur ratio, ne vniverſale iudicium ad particulare operabile applicet in eligendo. Et per hunc modum impius cùm in profundum malorum venerit, contemnere dicitur: per quod ſolvitur texta obiectio. Ad vltimum, eſſe magnam diſparitatem, nàm malum eſt præter naturam, & ideò nihil prohibet inclinationem ad malum à Beatis removeri. Sed bonum, & inclinatio ad bonum conſequitur ipſam naturam, vndè natura manente, non poteſt inclinatio ad bonum tolli, & conſequenter, nec lex naturalis remurmurans peccato, in damnatis etiam; vermis enim eorum non morietur.

§. III.

Quarta concluſio ſuadetur.

19 DICO Quartò: *Circa alia præcepta minus vniverſalia legis naturalis poteſt dari ignorantia vincibilis, & culpabilis: repugnat tamen, per ſe loquendo, ignorantia de illis inculpabilis, & invincibilis omninò.* Vtramque partem tradit D. Thomas 1. 2. quæſt. 94. art. 6. in corp. his verbis: *Quantum vero ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo quo errores contingunt etiam in ſpeculativis circa concluſiones neceſſarias,) vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos, ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt Apoſt. dicit ad Rom. 1.* En vbi in primis docet legem naturæ, quoad ſecundaria præcepta poſſe aboleri, & conſequenter ignorari. Deindè aſſignat cauſas vndè hæc ignorantia provenire poſsit, nimirum, vel malas perſuaſiones, vel pravas, & corruptas conſuetudines; ſed pravæ conſuetudines, & malæ perſuaſiones non ſunt ſine culpa: ergò ſolum culpabilitèr, ſeu propter aliquam culpam ignorari poſſunt talia præcepta ſecundaria iuxta D. Thom. Vndè mirum ſanè videri debet, quod à Recentioribus Probabiliſtis citetur D. Thom. ex hoc loco pro ignorantia invincibili iuris naturalis quoad ſecundaria præcepta, cùm contrarium omninò conſtet ex præiactis verbis, qui à non ignoratur inculpabilitèr, quod culpa malæ perſuaſionis, aut pravæ conſuetudinis ignoratur.

20 Explicatur: exempla, quæ apponit D. Thomas ſunt de ignorantia culpabili, & non de ignorantia invincibili: ergò iuxta D. Thomam ſolum culpabilitèr poteſt ignorari lex naturalis quoad illa præcepta naturalia, non vero invincibilitèr, & inculpabilitèr. Antecedens probatur, quià primum exemplum D. Thom. eſt eorum, apud quos ex prava conſuetudine furandi, non reputabantur latrocinia peccata. Secundum eſt Gentilium Philoſophorum de quibus ait Apoſt. ad Rom. 1. quod: *Cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, & propterea tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non licent. Nàm fœminæ eorum mutaverunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam, ſimilitèr, & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Sed nec horum, nec illorum error, & ignorantia dici poteſt inculpabilis, & invincibilis, ſed potius culpabiliſsima: ergò exempla D. Thomæ, ſunt de ignorantia culpabili, & vincibili. Minor patet, nàm quis dicat, eos qui ex prava conſuetudine frequentabant latrocinia, & qui ſimilitèr in deſiderijs ſuis exarſerunt invicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes, deliquiſſe ex errore invincibili, & inculpabili, propterea que excuſandos à peccato? Cùm tamen Apoſt. eos dicat: *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, &c. Qui cùm iuſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt*

riant facientibus. Nunquid quià hoc non intellexerunt, propterea excuſandi ſunt? Dicent forſan Reflexiſtæ, quod excuſantur, ſi deſit mentis illuſtratio, ſi nullam habeant malitiæ cognitionem, quià ſunt peccatores conſummati, & perfecti: ſed quis credat?

21 Deinde probatur concluſio ratione; nàm in diſcurſu practicæ rationis, primum, de quo occurrit homini deliberandum, eſt de ſe ipſo in ordine ad ſuum finem, vt tradit D. Thom. 1. 2. quæſt. 89. art. 6. in corp. & alibi ſæpè. Vel ergò in illa prima deliberatione ſe ordinat ad ſuum debitum finem, ſcilicet ad quærendum Deum ante omnia, vel non, ſed poſthabito Deo, aut ſummo bono, ad caduca procuranda ſe convertit? Si hoc ſecundum, peccat mortaliter, vt inquit D. Thomas loco citato, & tali culpa mortali ſe impedit ſufficienter ad cognoſcendam legem naturalem, etiam quoad ſecundaria præcepta: & conſequentèr, ſi circa illam errat, culpabiliter errabit. Si primum, vel non errabit, vel error erit venialiter culpabilis: ergò omnis error, aut ignorantia circa legem naturalem, etiam quoad ſecundaria præcepta, per ſe loquendo, ſemper eſt culpabilis, & vincibilis. Minor quoad primam partem probatur, nàm qui, poſthabito fine debito, ſe convertit ad finem indebitum, aſſumit regulam indebitam vivendi, & indebitum principium iudicandi practicè de pertinentibus ad vitam humanã, nàm finis in practicis eſt regula, & principium; ſed qui aſſumit regulam, & principium indebitum, ſi in poſterum erret, ſua culpa errat, vt ſi quis aſſumeret regulam indebitam ſcribendi, ſi indè erraret in ſcribendo, ſua culpa erraret: ergò, ſi poſthabito fine debito, aſſumat finem vivendi indebitum, nimirum, bonum commutabile, ſe impedit ſufficienter ad cognoſcenda cùm veritate præcepta ſecundaria legis naturalis, & conſequentèr, ſi circa illam erret, culpabiliter errabit. Secundò probatur eadem minor, quià ille qui non quærit ſuper omnia, & ante omnia ſcire Dei legem, ſed ante omnia quærit temporalia, & ab illis incipit ſuam deliberationem, poſthabito Deo, & eius lege, ſi ignoret Dei legem, abſdubio culpabiliter eam ignorabit, nec vllam poterit prætendere excuſationem, vt per ſe patet: ſed qui in principio diſcurſus practici, poſthabito fine debito, ſe convertit ad procuranda temporalia, non quærit ſuper omnia ſcire legem Dei, ſed ante omnia quærit temporalia, poſt habito Deo & eius lege, ſiquidem ab illis, & non ab iſta incipit ſuam deliberationem; ergò ſi erret circa legem, culpa ſua, & inexcuſabiliter errabit.

22 Reſtat probanda minor primi ſyllogiſmi quoad ſecundam partem, quam ſic ſuadeo. Nàm ſi in illa prima deliberatione ſe convertit ad finem debitum, ſcilicet ad Deum ante omnia, & ſuper omnia quærendum, vel ex tali fine iàm aſſumpto procedit cùm debita diligentia inquirendo ſolicitè media congruentia tali fini, vel cùm aliquali negligentia; vel pura intentione, nihil aliud quærendo, niſi quod oportuerit tali fini, vel intermixta aliqua affectione ad temporalia, ſeu paſsione aliqua impediente, ſeu remittente feruorem converſionis ad Deum, ſeu diligentiæ exactæ ad eum pro meritis ipſius quærendum. Si hoc ſecundum, fateor, quod inde poterit oriri aliquis error, & ignorantia circa legem Dei, ſed talis error, vel ignorantia, iàm erit culpabilis, ſaltèm venialiter, nimirum, quià ex negligentia, paſsione, aut affectione aliqua veniali proveniens. Si dicatur primum, firmiter tèneo ipſum minimè erraturum, nàm impoſsibile mihi videtur hominem pura intentione, & ferventi diligentia inquirentem ſolicitè media congruentia ad quærendum Deum, errare, aut ignorare talia media, potiſsimè quæ dictantur à lege naturali. Nàm lex naturalis, naturaliter intimatur omni non apponenti ex parte ſua obſtaculum, etiam quoad ſecundaria præcepta nàm illa etiam ſunt naturalia, & lumine naturali manifeſtabilia: ſed qui prædicto modo inquirit media congruentia fini debito, nullum ex ſua parte apponit obſtaculum: ergò neceſſario ei intimabitur lex naturalis etiam quoad ſecundaria præcepta, pro occaſione, & tempore neceſſario: ergò, re diligentèr expenſa, nemo poteſt ignorare, aut errare circa talia præcepta naturalia, niſi vel culpa mortali, vel culpa veniali propria.

23 Tertio ſuadetur concluſio. Nulla veritas practica naturalis invincibiliter ignoratur ab vllo homine rationis compote: ergò nec vllum legis naturalis præceptum, cùm quodlibet præceptum legis naturalis ſit veritas naturalis practica. Antecedens probatur, quià nulla eſt veritas practica naturalis cuius ignorantia non poſsit ab homine vinci: ergò nulla ignoratur invincibiliter. Antecedens probatur, quià nulla eſt huiuſmodi veritas, quæ naturaliter non poſsit ab homine inveniri, & cognoſci: ſed ignorantia cuiusvis veritatis vincitur per eius inventionem, & cognitionem: ergò nulla eſt huiuſmodi veritas, cuius ignorantia vinci non poſsit ab homine. Minor probatur

tur ex communi doctrina Theologorum, qui tractantes de neceſsitate gratiæ, fere omnes conſentiunt in eo quod homo in ſtatu naturæ laptæ, abſque ſpeciali gratia, poſsit ſingulas veritates practicas naturales cognoſcere. Et rationem dant, quià quælibet veritas naturalis practica continetur ſub obiecto proportionato noſtri intellectus pro hoc ſtatu: ergò nulla eſt veritas practica naturalis, quæ naturalitèr non poſsit ab homine inveniri, & cognoſci. Confirmatur, nàm circa quodlibet poteſt præſtare talem diligentiam, qua poſita, veritatem practicam de illo agibili cognoſcat, hoc eſt, an ſit naturaliter honeſtum, vel in honeſtum: ergò quælibet poteſt vincere ignorantiam cuiuſvis veritatis practicæ naturalis. Antecedens probatur, nàm quilibet poteſt toto corde Deum quærere, & pura intentione ferventique diligentia inquirere quid ſibi ſit agendum ad Dei obſequium: ſed hac præſtata diligentia, abſdubio veritatem practicam circa agibile, quod occurrit, inveniet, nec eſt credibile Deum defuturum homini ſic veritatem quærenti, nec vllum exemplum in contra adducent adverſarij: ergò.

§. IV.

Solvuntur obiectiones.

24 ARGVIT Primo Terillus ab experientia, qua conſtare, inquit, pueros poſt vſum rationis, antequam doceantur ab alijs, plura facere contra legem naturæ abſque vmbra, vel ſuſpicione peccati: ſed talis ignorantia malitiæ eſt invincibilis, cùm nulla illis appareat obligatio eam depellendi, aut ratio ſuſpicandi malum latere in opere, quod patrant: ergò ſæpè datur huiuſmodi ignorantia invincibilis initio vſus rationis. Quod ſi à contrarijs inquiras, quænam ſint ea quæ prædicta ignorantia committunt pueri in principio vſus rationis? Dicunt quod periurium, pollutionem, & alia huiuſmodi, vt videre eſt apud Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 16. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: conſtat pueros quærentes Deum ſuper omnia, ſolicitè, & diligenter inquirentes media ad debitum finem congruentia, nego maiorem. Nàm pueri hoc pacto ſe gerentes in ordine ad ſuum finem minimè patrant plura, imò nec pauca contra legem naturalem, licet tales ſint pauciſsimi. Conſtat pueros quærentes temporalia, aut delectabilia, Deo poſthabito, aùt ſi ad Deum, vt finem converſi fuerint, negligenter ſe gerentes ad media congruentia inquirenda, tranſeat maior. Et nego minorem; nàm pueri, ſic negligentes, aut temporalia magis quam æterna, & delectabilia præ honeſtis procurantes, ſi plura patrent opera contra legem naturalem abſque omni ſuſpicione peccati, & cùm ignorantia, & in advertentia ſuæ obligationis, talis non ſuſpicio, ignorantia, & in advertentia culpabilis eſt, eo quod non quærunt ante omnia Deum, aut bona æterna, & honeſtatem vitæ, ſed his poſthabitis, ad delectabilia, & temporalia ſe convertunt, & indè oritur quod nullam malitiam advertant, nec ſuſpicentur in illis operibus, quia de hoc requirendo negligentes ſunt, & deſidioſi, tantum quantum ſunt ſtudioſi, & diligentes ad temporalia, & delectabilia. Vnde ſi aliqui dixerint ſe poſt vſum rationis peccaſſe, pollutiones voluntarias incurriſſe, & alia huiuſmodi, abſque omni ſuſpicione malitiæ, non proinde excuſandi ſunt, vt invincibilitèr ignorantes, ſed potius inferendum eos tunc temporis negligentiſsimos fuiſſe circa æterna, & honeſta inquirenda, & ad temporalia, & delectabilia nimium intentos, conſequentèrque culpa ſua caruiſſe tali advertentia, & cognitione malitię, àc proinde monendi, vt agant pœnitentiam de talibus peccatis. Hæc eſt via tuta, oppoſita periculoſa valde.

25 Sed inſtas: qui caret omni principio ex quo devenire poſsit in cognitionem, & advertentiam malitiæ, invincibilitèr ignorat malitiam; ſed puer, cui nulla ſuſpicio occurrit de malitia ſui operis, nullum habet principium, vt talem malitiam in memoriam trahere poſsit, vel vndè in illius poſsit venirè cognitionem, hoc enim deberet eſſe aliqua ſuſpicio falſitatis, & malitiæ, quæ excitaret ad maiorem conſultationem veritatis circa illud opus: ergò omninò invincibilitèr ignorat puer, qui caret prædicta ſuſpicione. Confirmatur, nàm invincibilitèr errat, & ignorat, qui non habet libertatem ad depellendum ſuum errorem, & ignorantiam; ſed ille cui deeſt omnis ſuſpicio, aut ſcrupulus de ſuo errore, aut malitia, non habet libertatem ad talem errorem depellendum, imò nec poteſt velle talem errorem depellere, ſiquidem nihil volitum, quin præcognitum: ergò.

26 Reſpondeo, contrarios in præſenti, eo potiſsimum erraſſe, & reflexiones quæſiſſe, quià principia directa non conſiderarunt, ex quibus homo debet, & poteſt procedere ad depellendum errorem. Exiſtimant enim (vt reor) quod ſicut ad depellendum frigus nemo movetur, niſi ex eo

quod

quod in ſe advertit, aut ſuſpicatur frigus, ità addepellendum errorem nemo moveri debet, nec poteſt, niſi advertat, aut dubitet ſaltem de ſuo errore. Hæc autem exiſtimatio falſa eſt, tùm quià, cognito errore, per ipſam erroris cognitionem, depellitur, aut ſi de illo dubitetur, per ipſam dubitationem etiam deponitur, & convertitur in dubium. Qui enim cognoſcit ſuum errorem, iàm amplius non errat. Qui etiam dubitat de ſuo errore circa aliquid, iàm circa illud non errat, ſed dubitat àn ità ſit vel non: nec eſt opus, vt iàm conetur ad deponendum talem errorem, cùm iàm ſit depoſitus, & expulſus. Aliud ergò debet aſsignari principium. Quodnam: ergò eſt?

27 Dico, tale principium deſumi debere ex primis, & vniverſaliſsimis præceptis ſyndereſis, quę nulli rationis compoti deficiunt; vt ſi velit ex illis per legitimũ diſcurſum practicũ deſcendere ad particularia prçcepta, poſsit err orẽ ſuũ detegere, & veritatẽ invenire. Pro cuius intelligentia notãduseſtordo naturalis cognoſcẽdi intellectus humani; nàm prius conſtituitur in actu circa vniverſaliſsima principia, poſterius circa minus vniverſalia, & ſic deinceps vſque ad ſingularia. Vndè per cognitionem primorum principiorum vniverſalium conſtituitur ſufficienter in actu, vt poſsit deſcendere ad minus vniverſalia cognoſcenda, & per cognitionem principiorum minus vniverſalium conſtituitur in actu, vt poſsit ſe movere ad ſingularia attingenda. Notandum etiam eſt cognitionem principiorum primorum, & vniverſaliorum nemini vnquam denegari, eaque principia prima, & vniverſaliſsima à nullo invincibiliter ſaltèm ignorari, ſed omnibus eſſe patentia, & per ſe nota, vt commonſtratũ manet. Cùm ergò per ea prima, & vniverſaliſsima principia homo conſtituatur ſufficienter in actu, vt poſsit ſe movere ad cognoſcenda particularia, ſi ea prima principia à nullo invincibiliter ignorantur; ſed omnibus præſto ſunt, manifeſtè ſequitur neminem rationis compotem carere principijs ſufficientibus ex quibus poſsit per practicum diſcurſum ſe movere, & rectè deſcendere ad cognoſcendam veritatem practicam in particulari; & conſequenter ad depellendum errorem, ſi quis ſit, circa concluſiones particulares.

28 Ex qua doctrina, valde notanda, reſpondeo ad inſtantiam, conceſſa maiori, negando minorem, nàm tale principium non eſt ſemper ſuſpicio, aut advertentia erroris, aut malitiæ, ſed ſunt prima, & vniverſaliſsima principia ſyndereſis, quę nulli deficiunt, modo explicato. Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem, quià per lumen vniverſale ſyndereſis eſt ſufficienter quilibet conſtitutus in actu vt poſsit recto diſcurſu inquirere, & invenire veritatem, àc errorem practicum depellere, vt oſtenſum manet.

29 Obijcies ſecundò: ferè omnes pueri inter barbaros, aut infideles ſaltem, nati, à principio vſus rationis in multos errores contra legem naturalem incidunt, ferè autem nullus, talibus caret erroribus; ſed ſi vnuſquiſque haberet libertatem vitandi tales errores, plures eſſent qui eos errores vitarent, & ad normam legis naturalis viverent: ergò.

30 Confirmatur: ſupponamus enim aliquem naſci inter gentes, vbi latrocinia frequentantur, vbi licent per conſuetudinem fornicationes, vbi concubitus maſculorum verecundiam non generent ex corruptiſsimo vſu, puer iſte ad vſum rationis perveniens, qualiter, vel vndè poterit, ea quæ apud ſuos, etiam ſenes, videt frequentari vti licita? Ergò iſte invincibiliter ignorabit ea præcepta naturalia.

31 Confirmabis ſecundò, & vrgentius, ſupponamus huiuſmodi puero ſenem aliquem ſuaderè quod iuramentum falſum ſit licitum pro vitando damno proximi, & quod alia etiam, vt fornicatio, & pollutio, liceant propter alios fines. Vndè puer iſte, aliunde non edoctus, poterit vitare errorem? Ergò invincibiliter errabit circa legem naturalem. Confirmabis tertiò, nàm etſi pollutio, periurium, & alia huiuſmodi ſecundùm ſe manifeſtam afferant inhoneſtatem, tamen ſi veſtiantur aliquo motivo honeſto, vt ad ſalutem ſervandam, ad damnum proximi vitandum, non ità apparent inhoneſta, quod pluribus non fuerint viſa licita: ergò ſaltim de huiuſmodi poterit dari ignorantia invincibilis.

32 Reſpondeo ad argumentum, quod: *Concupiſcentia peccati originalis parvulum facit habilem ad concupiſcendum. Non enim de facili contingere poteſt, vt aliquis peccato originali infectus concupiſcentiæ peccatì ſe per conſenſum peccati non ſubdat.* Verba ſunt D. Auguſtini à D. Thom. relata quæſt. 28. de veritate art. 3. ad 4. ex quibus manifeſte patet cur apud infideles, rariſimus ſit puer ad vſum rationis perveniens, qui in parentum, & ſuorum erroribus non labatur, quià rariſsimus eſt, vel nullus qui in prima deliberatione, concupiſcentia ex peccato originali dimanante agitatus, non conſentiat in peccatũ, concupiſcendo plus temporalia quam ęterna, delectabilem vitam, quam honeſtam. Si autẽ aliquis foret, qui in prima illa deliberatione de ſe delibe-

raret in ordine ad vltimum finem debitum, diligenterque inquireret media ad ipſum, abſdubio vitaret errores, & à Deo illuminaretur, vt illuminatus fuit Abraham in Vr Chaldęorum ex parentibus, & gente ſceleratiſsima ortus, inter vitiaque educatus: vt illuminatus eſt etiam Iob inter Ethnicos natus, educatus, & degens: vt illuminati ſunt pueri illi inter Babilonios educatis.

33 Ad primam confirmationem eodem modo reſpondeo, quod ſi puer ille deliberaret de ſe ipſo, ſe convertendo ante omnia, & ſuper omnia ad debitum finem ſuum, & eum diligenter inquireret præ omnibus delectationibus, & bonis temporalibus, vt poteſt, & tenetur, abſdubio illuminaretur à Deo, vt agnoſceret pravitatem ſuæ gentis, & ab illis ſe ſegregaret in modo vivendi, erroreſque eorum vitaret, vti contigit Habrahamo.

Ad ſecundam confirmationem dico ſimiliter, quod ſi puer ille per prius de ſe ipſo prædicto modo deliberaſſet, & in ſuo propoſito perſeveraret, non prævaleret ſuaſio ſenis contra lumen naturale interius à Deo immiſſum, vti non prævaluit contra honeſtam Suſanam iniqua perſuaſio ſenum, & Iudicum Iſrael, etiam ſi dicerent ei, quod aliter non poſſet vitare infamiam, nec mortem, niſi illis co nſentiendo. Vel adminus non deficeret puero illi diſcreto, & rationis compoti, ſuſpicio vlla, vi cuius maturiorem deliberationem inquireret, & conſuleret ſenes probiores, quos inveniret, nec deficeret Deus poſtulatis, & votis illius, Deus enim qui ſerio eum intus moveret ad quærendam diligenter, & ſolicitè veritatem, provideret de medio, quo prava ſenis ſuaſio detegeretur, ſi puer ille quidquid eſſet ex ſua parte præſtaret.

34 Ad tertiam denique ſimiliter dico, quod ea mala, quæ intrinſeca mala ſunt, & rationi naturali contraria, quantumvis honeſtari videantur aliquo motivo propriæ famæ, vel honoris, aut vitandi damnum proximi, ſi ratio naturalis defecata ſit ab omni inordinata affectione circa famam, vel honorem; ſi plus virtutem, & veram honeſtatem, ac veritatem diligat, quàm famam, vt poteſt, & tenetur, minimè errabit putando ea facinora licita propter famam, vel honorem, vel vitam tuendam propriam, vel alienam; huiuſmodi enim error ſæpiſsimè, vel ſemper contingit ex eo quod quis inordinatè affectus invenitur circa famam, vel vitam potius quam erga virtutem, & honeſtatem, quæ affectio ſemper culpabilis eſt, vel venialiter, vel mortaliter, & ſic error ex illa ſequutus ſimiliter culpabilis eſt, & voluntarius in cauſa. Qua cauſa ſublata error vitari potuiſſet, vt illum vita vit Suſana, & alij qui potius elegerunt vitam, & famam perdere, quàm fornicationem vel mendacium incurrere.

35 Dices, ineptè à nobis adduci pro exemplo huiuſmodi Sanctos viros, & mulieres, nàm hæc virtus in paucis invenitur, & non omnes tanta luce fruuntur, nec ità à Deo illuminantur. Sed reſpondeo cùm D. Ambroſio lib. de S. Ioſeph. cap. 1. *Illos non naturæ præſtantioris faiſſe, ſed obſervantioris, nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe.* Itàque differentia illorum à nobis non fuit in natura, ſed in obſervantia. Si ergò nos donis naturalibus ità debitè, ſicut illi, vteremur, & lumen naturaliter inditum, ſicut ipſi, obſervaremus, abſdubio, ſicut ipſi, illuminaremur de reliquis particularibus præceptis ſaltem legis naturalis. Vndè, ſi non illumina mur, culpa noſtra eſt, non impoſsibilitas.

36 Obijcit tertiò Terillus. Aliqua iure naturæ prohibita adeò remota ſunt à noſtra notitia, vt plures viri probi, putent ea eſſe licita, alij exiſtimant ea ſolum lege poſitiva prohiberi. Sic S. Thomas docet iudicem poſſe condemnare innocentem ad mortem, etſi certe ſciat eum eſſe immunem à crimine obiecto, quod in foro exteriori ſufficienter probatur cùm tamen plerique exiſtiment illud eſſe contra ius naturæ. Sic Durandus docet fornicationem non eſſe malam ex lege naturæ. Sic de pluribus contractibus litigatur apud Theologos àn ſint vſurarij, vel non? Vndè ſequitur malitiam horum obiectorum non ſolum non eſſe notam ex terminis, ſed eam non niſi ſedula conſideratione penetrari poſſe. Sed ſi quis à pueritia audiret viros doctos, & probos dicentes talem, vel talem contractum eſſe licitum, hic nullam ſuſpicionem haberet de malitia eius: ergò invincibiliter ignoraret eam.

37 Confirmat, quià viri Sanctiſsimi, ac doctiſsimi inter ſe diſcrepant de pluribus, àn ſint licita, àn iure naturæ prohibita: ergò aliqui illorum ignorarunt legem naturæ. Dicere autem, quod vincibiliter, & peccaminosè, nimis durum eſt, & à nemine prudenter dici poteſt, niſi ille velit ſua ſententia damnare, ſi teneat aliquid eſſe licitũ, quod lege naturæ prohibetur. Ecce, inquit, neceſſe eſt, aliquam iuris naturalis ignorantiam eſſe invincibilem. Confirmat ſecundò, quià in Mathematicis plures invincibiliter errant in concluſionibus difficilioribus, licet nõ errent in principijs: ergò pariter plures errare poſſunt invincibiliter circa concluſiones, & præcepta particularia iuris naturalis', etſi non errent in principijs. Conſequentia patet, quià intellectus in ſtatu

natu

naturæ lapſæ deterius conſtitutus eſt ad notitiam circa moralia, quàm circa mathematica. Confirmatur tertiò, quià aliàs nec Theologi, nec Iudices poſſent lites, & dubia iuris naturalis toto reſolvere, niſi veritas rei ex infalibilli certitudine appareret evidenter: ſed hoc eſt abſurdum: ergò. Sequela probatur, quià exponerent ſe periculo errandi contra ius naturæ; & conſequenter periculo peccandi, quià ſi verum non dicimus, omnis talis error eſt culpa, & peccatum: ſed nemo tuta conſcientia poteſt ſe exponere periculo peccaudi: ergò.

Reſpondeo, diſtinguendo aſſumptum: aliqua iure naturæ prohibita ità ſunt remota, vt plurimi viri docti exiſtiment ſignatè, & reflexè ea eſſe licita, aut iure naturæ non prohibita, tranieat: exercitè, & practicè, ſubdiſtinguo, abſque omni culpa propria, tàm mortali, quàm veniali, nego antecedens: ex culpa aliqua veniali, concedo antecedens. Et ad probationem ex D. Thom. dico D. Thomam minimè erraſsè contra ius naturæ in ea ſententia rectè intellecta, oppoſitum autem dicentes, vel conciliandi ſunt, vel ſi inſenſu contradictorio ad mentem D. Thom. loquantur, dicam, prius eos erraſſe contra ius naturæ, quam D. Thomam, ex levi aliqua affectione venialitèr culpabili. Ad aliud exemplum dico Durandum, & Caramuelem in illa ſententia erraſſe ſignatè circa legem naturalem, non practicè, & exercitè, vt ſupra explicavi, & forſan non ſunt excuſandi à culpa aliqua veniali alicuius affectionis indeliberatæ. Ad id denique quod dicit de contractibus, dico quod ſi hominum mentes depuratæ eſſent ab omni cupiditate, & affectione inordinata, facile detegerent contractus licitos, & illicitos iure naturæ attento. Et quidem, ſi eorum malitia, vt fatetur Terillus, licet non ex terminis nota, tamen ſedula conſideratione penetrari valet: ergò non eſt invincibilis eius ignorantia, quandoquidem quilibet poteſt, & debet adhibere ſedulam conſiderationem in contractibus à ſe eliciendis. Ad illud etiam de puero iàm dictum eſt, ille enim ſi diligenter inquireret veritatem, & pura mente, ex illo principio, *alteri ne facias, quod tibi non vis*, poſſet detegere contractum eſſe iniuſtum, ſi agnoſceret proximo eſſe tale nocumentum, quale ipſe nollet pati. Vel ſaltem aliqua ſuſpicio de malitia exurgeret, vi cuius excitaretur ad maiorem conſultationem.

38 Ad primam confirmationem, reſpondeo viros illos Sanctiſsimos in eis, in quibus diſcrepant, ſi re ipſa ſe contradicunt circa ius naturæ, neceſſum eſſe quod aliquis illorum, nimirum qui erravit, laboraſſet ignorantia levitèr, & venialitèr culpabili. Et miror ſane, quod id ità durum reputet Terillus, quandoquidem ipſe quæſt. eadem, nimirum 16. num. 60. ſic ait, *Sicut Auguſtinus propter infirmitatem ſæpè cadebat in multa venialia, etſi ſufficienter ſciret, & adverteret illa eſſe contra legem Dei, ità abſurdum non eſt Auguſtinum ex eadem infirmitate non fuiſſe per omnia vigilem, & circunſpectum, quæ tamen ſufficienter advertebat ſe debuiſſe perſpicere. Imò dicere contrarium eſt contra mentem S. Doctoris hic expreſam*, (nimirum verbis ſupra relatis quæſt. præcedenti n. 6.) *& contra vnanimen totius Eccleſiæ ſenſum, quæ à Spiritu Sancto edocta omnibus ſuis filijs clamat, ſepties in die cadit iuſtus: in multis offendimus omnes, &c. Eſſet quidem blaſphemia aſſerere Auguſtinum laboraſſe ignorantia vincibili in rebus, quæ implicant peccatum mortale, at veritas eſt, non blaſphemia, dicere quod aliquæ laboraverit in rebus parvi momenti, quæque ſolum involvit peccatum venialè, hoc enim commune eſt tàm Auguſtino quàm omnibus alijs iuſtis.* Non ergò durum eſt dicere Doctiſsimos, & Sanctiſsimos viros aliquando erraſſe culpabilitèr culpa veniali, aut ignorantia veniali laboraſſe, nimirum ex aliqua affectione non plenè deliberata, quandoquidem ipſe Terillus D. Auguſtino imputat ſæpè cecidiſſe in multa venialia cùm ſcientia, & advertentia quod illa eſſent contra legem Dei (quod ſanè, àn piè dicatur, videant alij) Imò in eis, qui innumera penè dubia deciderunt, moralitèr eſt impoſsibile quod in aliqua deciſione, culpa veniali ſaltèm non erraverint, ſecluſo ſpecialiſimo privilegio.

39 Ad tertiam confirmationem, dico, circa mathematica plura ignorari quidem inculpabilitèr, quià non ſunt de his quæ homo ſcire teneatur, nec ad quæ addiſcenda, & obſervanda creatus ſit, & ſic inculpabilitèr ignoratur, ſi autem homo ingenio tali facultati proportionato totus incumberet illi facultati, nulla eſſet concluſio diviſim, quàm detegere non poſſet, & ad cuius cognitionem recto diſcurſu pervenire non poſſet. Nàm, vt eſt communis ſententia Theologorum, homo abſque ſpeciali auxilio in ſtatu naturæ lapſæ poteſt ſingulas veritates ſpeculativas naturales agnoſcere, àc proinde nullius ignorantia per ſe loquendo, eſt invincibilis. Et idem dicendum de ſingulis virtutibus moralibus ſaltim ſpeculativè, ſeu in vniverſali conſideratis, quod ſcilicet nulla ſit adeò remota ab intellectu, vt per rectũ diſcurſũ inve-

niri non poſsit, & cognoſci, ſi conatus poſsibilis ad illam detegendam adhibeatur, ad quod tenetur quilibet, ad cuius ſtatum, officium, vel miniſterium attineat ea veritas moralis. Creati enim ſumus adquærendum, & exequendum verum morale, vnuſquiſque ſecundum quod ad ſuum ſtatum pertinet, vel miniſterium. Nec obeſt quod reſpectu veri moralis intellectus paſſus fuerit detrimentum per peccatum originale, quià detrimentum non fuit tale quod abſolute auferret poteſtatem ſaltèm phyſicam inveniendi verum morale, ſed tale quod redderet difficiliorem valdè, & in aliquibus caſibus moralitèr impoſsibilem eius inventionem. Ceterum moralis impoſsibilitas, & difficultas abſolutè, & phyſicè vincibilis eſt, & ad peccatum imputatur ei qui ab ea vincitur, vt patet in gravitèr tentato, tentatione moralitèr, inſuperabili, ſed abſolutè, & phyſicè ſuperabili, qui ſi tentationi ſuccumbat, abſdubio peccat. Sed de his tractatu de neceſsitate gratiæ plura dicemus.

40 Ad tertiam reſpondeo, quod, dùm non apparet evidenter veritas in dubijs moralibus, & litibus fori, ſi deciſio ſit ſecundum partem, quæ facta humana diligentia iuxta exigentiam materiæ, apparet probabilior, non eſt periculum proximum errandi, ſed ſolum remotum: ex quo ſolum ſequitur quod ſit remotum periculum peccandi, inevitabile quidem in vita humana civili; nemo autem tenetur ad vitanda pericula remota peccandi, vnde nec proinde tenentur Theologi, & Iudices abſtinere à ſimilibus deciſionibus, niſi velis omnes obligare, vt à ſæculo exeant, in quo nemo vivere poteſt ſine ſimilibus periculis peccandi, & errandi. Sed de hoc infra.

41 Obijcies quartò, nàm ex noſtra ſententia ſequitur omnia, quæ pueri poſt vſum rationis, & quicumque alij fecerunt, de quibus poſtea conſtet fuiſſe contra ius naturæ in materia gravi, reputanda, & imputanda eſſe ipſis ad peccatum mortale. Sed hoc duriſsimum viderur, ſiquidem eſt auferre ſolatium plurimis timoratæ conſcientiæ, & ſanctæ vitæ, qui, dùm recordantur aliqua contra ius naturale feciſſe ex ignorantia, non proinde putant ſe amiſiſſe gratiam baptiſmalem, ſed potius ſemetipſos ſolantur, putantes excuſari ob ignorantiam illius ſtatus: ergò. Reſpondeo non ſemper inferri in ſimilibus caſibus ignorantiam fuiſſe mortalitèr culpabilem, etiam ſi conſtet fuiſſe in materia gravi de ſe, nàm ſi ignorans, eo tempore, quo ignoravit, per prius quærebat Regnum Dei & iuſtitiam eius, quam omnia temporalia, & delectabilia, & ex aliqua affectione, non tàm avertente, quàm divertente ab illo fine, incidit in prædictam ignorantiam, illa ſane non fuit mortalitèr, ſed ſolum venialitèr culpabilis. Verumtamen, quià ſæpijſsimè nobis eſt valde ignotum, an ſimiles ignorantiæ nobis acciderint eo quod temporalia præ æternis, delectabilia præ honeſtis, eo tempore dilexerimus, propterea imitandus eſt M. P. Auguſtinus qui dicebat. *Quam in multis offendimus omnes, dùm putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non diſplicere quod facimus, & poſtea per ſcripturam eius, ſivè certa, & perſpicua ratione commoniti, cùm didicerimus quod illi non placeat, penitendò deprecamur vt ignoſcat.* Nec tutum iudico, ſolatium habere in propria innocentia, dùm conſtat de violata lege, & qualis fuerit ignorantia non conſtat, imò in hoc eſt periculum ſuperbiæ, & præſumptionis, vt conſtat ex Auguſtino ſupra adducto quæſt. præc. num. 25. Tutum igitur conſilium eſt, poſtquam ignorantiam, & peccatum ex illa ſecutum agnoveris, vtrumque clavibus Eccleſiæ ſubijcere, & deprecare cùm Davide: *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et totum ſolatium ponere in Dei miſericordia, & gratia, & non in tua iuſtitia.

42 Denique obijcies, quià negari nequit eſſe poſsibiles aliquos caſus, inquibus homo, vel ruſticus, vel parum expertus, aut peritus, etiam ſi nullam omiſerit diligentiã inquirendi, & ſervandi Dei legem, nihilominus ignoret, & erret; ſed huiuſmodi ignorantia tunc caſus eſſet invincibilis: ergò. Maior probatur, nàm ponamus aliquem huiuſmodi hominem conſtitutum in talibus circunſtantijs, quod ſibi ſit neceſſum vel detegere crimen proximi, quo detecto proximo imminet mors infamis, vel falsò iurare, aut mentiri, & interim ſenex gravis authoritatis ei ſuadeat licitum eſſe falſum iuramentum, vel ſaltèm mendacium pro vitando gravi damno proximi, imò, & ipſum teneri ex charitate tale mendacium proferre, aut etiam, ſi opus ſit, iuramento confirmare, alioquin peccaturum contra charitatem graviſsimè, nec detur locus maturiori conſilio, aut deliberationi. Poterit ne ruſticus ille in ſimili diſtricto invenire ſubito veritatem, & quid ſibi agendum ſit iuxta legem naturalem? Minimè, nàm vel ſapientiſsimi indigent multo diſcurſu, & tempore ad diſcernendum, quid dictet lex naturalis agendum in illo caſu. Nunquid peccabit ille, ſi timore peccandi contra charitatem proferat falſum iuramentum?

tum? Minimè: ergò tunc invincibilitèr errabit, & ignorabit legem naturalem. Plures alios similes casus possunt excogitare contrarij, quibus omnibus satisfacere velle, esset longam adire provinciam.

43 Quapropter, licet possem respondere, etiam in similibus casibus ignorantiam non esse penitùs invincibilem, sed ortum trahere ex eo quod mentem habemus pluribus affectionibus venialibus offuscatam, quæ impediunt clarum, & facilem discursum practicum in eis casibus, redduntque valde difficilem veritatis cognitionem, ità vt si ab eis animus esset purgatus, facile posset veram resolutionem invenire, sicuti eam invenit S. Ludubina, de qua in eius gestis refertur, quod cùm miser homo, necem fugiens, ingresus esset domunculam eius, & sub eius lecto latere voluisset, ingredientibus inimicis eius, gladijs evaginatis minitantibus mortem, & interrogantibus, àn ibi ingresus fuisset homo ille, & vbi esset, sancta virgo non est ausa mentiri, vt facile posset, sed respondit ingenuè veritatem: cuius veritatis amorem Deus ipse, ità comprobavit, vt propterea miraculosè hominem illum à persequentium oculis absconderet. Posteaque increpata virgo à Matre, quod proximum periculo mortis expossuisset, & cùr non potius leve protulisset mendacium, ipsa sincerè pariter, & ingenuè respondit, propter nullum damnum totius mundi vitandum, esse proferendum mendacium, & quod ex confessione veritatis ipsa speravit nihil mali sequendum, vt contigit. Erat virgo illa animo, àc mente purgatissima, & defecata ab affectionibus tenebrosis, & sic invenit facile resolutionem in casu difficili. Sed quià rarissimus invenietur in mundo, qui animum ità ab affectionibus venialitèr peccaminosis purgatum habeat, propterea difficile invenietur, qui in similibus casibus, quid sibi agendum sit, conformiter ad legem Dei naturalem, promptè inveniat.

44 Veruntamen, quià si hoc dixerimus, contrarij forsan ridebunt, aiunt enim nos voluntariè omninò fingere, quod animum purgatum nulla veritas practica legis naturalis possit latere, quantumvis difficilissima sit, & multiplicant cassus difficilimos, & ponderant, quod tales casus à doctissimis, & sapientissimis hominibus vix resolvi possunt, & alia huiusmodi; propterea ad vitandas huiusmodi ponderationes, dixi in nostra conclusione, quod per se loquendo, nulla datur ignorantia invincibilis iuris naturalis. Nàm, si contrarij velint contendere, non repugnare casus aliquos raros, & singulares, in quibus per accidens, defectu temporis ad deliberandum; vel ex suasionibus erroneis, aut ex alijs peregrinis circunstantijs, reddatur pro tunc invincibilis error, aut ignorantia iuris naturalis, non nimium litigabo. Quod ad rem interest, est, quod contrarij advertant talem ignorantiam, & errorem non fore invincibilem, nisi ignorans, & errans imprimis, & super omnia quærat honestatem, & obsequium Dei, & ex huiusmodi intentione, saltem virtualitèr durante, absque omni culpabili negligentia, cùm animo ab affectionibus venialitèr pravis purgato veritatem inquirat; nàm aliter, si propterea ignorat, & errat, quià temporalibus, & iucundis potius quam æternis, & honestis inhiat, tunc casus error erit mortalitèr culpabilis. Si vero, quià, quanvis ante omnia, æterna, & honesta quærat, tamen negligentijs, aut affectionibus divertentibus laborat, ignorantia indè secuta erit venialitèr culpabilis. Mihi autem satis difficile apparet, quod implenti illud salvatoris. *Quærite primum Regnum Dei, & iustitiam eius*, & ex hoc fine, absque omni negligentia, animo penitùs à venialibus purgato, veritatem inquirenti circa ius naturale, quandò sibi est necessaria ad rectè iudicandum, & operandum in praxi, possit talis veritas eum latere, quandoquidem sapientia, vt, dixi, præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat: & Deus vult omnes homines ad agnitionem veritatis venire: & illuminat omnes, nisi per illos stet. Et item, nàm videmus homines tanto minus errare, & minus ignorare de veritatibus moralibus ad se pertinentibus, quanto sanctius vivunt, & quanto mentem magis ab affectionibus, & negligentijs venialibus purganr, ità vt si aliquis fuisset omninò à venialibus expers, ille in nullo errasset circa legem Dei, potissime naturalem, & si de aliquo sumendum est experimentum, est de B. V. quam minimè vnquam errasse circa legem Dei constans est Doctorum opinio; eo quod nec veniali vlla culpa, affectione, aut negligentia obstaverit divinæ illuminationi.

§. IV.

Aliqua per transelam deciduntur.

45 QVÆ Res primò. An quandò ignorantia solum est venialitèr culpabilis, peccatum indè secutum

cutum absque nova deliberatione posit esse mortale ? Respondeo negativè. Nàm, quantumvis lex ignorata de se obliget sub mortali, & peccatum ignoratum de se sit mortale, ignorans tamen non potest mortaliter in actu peccare, nisi avertatur à bono incommutabili, & se convertat ad bonum commutabile tanquam ad vltimum finem, seu nisi anteponat affectivè bonum temporale bono divino, & æterno. Sed qui solum ex ignorantia venialiter culpabili incidit in opus quod de se est mortale, nec affectivè anteponit bonum temporale divino & æterno, nec avertitur à bono incommutabili, sed solum quadam negligentia, aut affectione non plene deliberata divertitur, aut tepescit in via Dei, & in hoc consistit illam ignorantiam esse venialem; nàm si per illam averteretur ab vltimo fine, aut præponeret bonum commutabile bono incommutabili, illa iàm non esset venialis, sed mortalis. Ergò qui ex simili ignorantia incidit in opus, quod de se est mortale, non peccat lætaliter, sed tantum venialiter.

46 Confirmatur : ignorantia illa venialitèr tantum culpabilis de peccato lætali compatibilis est cùm amore Dei super omnia, seu cùm charitate ergà Deum, illamque minimè destruit. Sed, supposita illa ignorantia, peccatum absque nova deliberatione secutum non potest charitatem, aut dilectionem Dei super omnia excludere, nec destruere : ergò peccatum ex tali ignorantia secutum nequit excludere charitatem, & consequenter, nec esse mortale, nàm solum est mortale peccatum, quod charitatem excludit. Maior patet, quià aliàs illa ignorantia non esset venialis. Minor vero suadetur, quià charitas, cùm sit conversio voluntaria in Deum, excludi non potest nisi per conversionem voluntariam, & deliberatam in bonum commutabile: sed supposita illa ignorantia venialitèr tantum culpabili, peccatum subsequens incurritur absque nova deliberatione, vt supponimus, imò & absque nova voluntarietate: ergò nequit destruere, aut excludere charitatem.

Explicatur exemplo. Supponamus aliquem ex aliqua negligentia veniali circa veritatis indagationem, aut ex affectione leviter culpabili ad aliquem Magistrum, vel eius opinionem credat non esse peccatum, sed potius esse obsequium Deo, quod revera est de se mortale. Sanè iste in hoc errore supponimus non peccare mortaliter, sed solum venialiter. Supponamus item illum cùm illa existimatione velle ex charitate præstare obsequium Deo, quod rectè cohæret cùm tali errore, quià error ille non excludit charitatem, vtpote solum venialitèr culpabilis ex aliqua negligentia veniali, & quod non occurrat aliud obsequium præstandum Deo, nisi illud opus, quod revera est de se peccatum lætale, sed ab ipso existimatur obsequiosum Deo. En iste habet zelum Dei, sed non secundum scientiam : habet charitatem in intentione, sed deficit venialitèr à veritate in consultatione, & electione : ergò non peccat mortaliter in illo opere, cùm procedat ex intentione charitatis, & cùm illa simul componatur: sed ad summum peccat venialiter propter ignorantiam venialem provenientem ex negligenti consultatione, aut ex aliqua affectione interposita, quæ remittat charitatis solicitudinem, & fervorem, & inducat talem negligentiam, vt non semel contingere solet.

47 Sed dices: opus, quod de se est peccatum mortale, si alias sit voluntarium operanti, operans in illo peccat mortalitèr; sed opus illud de se est peccatum mortale, & alias est voluntarium in causa saltèm, quià ignorantia, illa, ex qua procedit, est culpabilis, & non tollit voluntarium: ergò. Respondeo distinguendo maiorem, si alias sit voluntarium voluntarietate perfecta, & sufficienti ad peccatum mortale, concedo maiorem: si solum sit voluntarium voluntarietate imperfecta, & insufficienti ad peccatum mortale, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Nàm certum est apud omnes maiorem voluntarietatem exigi ad peccatum mortale, quam ad veniale, ficuti & maiorem deliberationem: stat igitur aliquem actum elici cùm sufficienti deliberatione, & voluntarietate, vt sit veniale, non tamen, vt sit mortale, vt contingit in motibus semiplenè deliberatis, ex passione aliqua, aut affectione semiplenè voluntaria, qui licet ex suo genere sint mortalia, excusantur sæpè à mortali, & solum sunt venialia ob defectum deliberationis, & voluntarietatis. Sic igitur dicimus ignorantiam illam, quæ tantummodò venialitèr fuerit culpabilis, solum esse voluntariam sufficientèr ad peccatum veniale committendum in opere subsequuto, non vero, vt quis ex illa dicatur peccare non solum venialitèr, sed mortalitèr.

48 Ex quo inferes, quàm falsa sit sen-

ſententia cuiuſdam iunioris, quem, ſuppreſſo nomine, citat Terillus, qui aſſeruit poſſe aliquem ex ignorantia vincibili peccare mortaliter in ſenſu compoſito actualis dilectionis Dei ſuper omnia; ſi nimirum, exiſtimans per errorem vincibilem, & culpabilem eſſe obſequioſum Deo opus quod ex ſe eſt peccatum mortale, ex amore Dei ſuper omnia tale opus eliciat ad obſequendum Deo. Falſa inquam eſt huiuſmodi opinio, & improbabilis. Improbabilis quidem, quia contra communem Doctorum ſenſum, & ni fallor damnata à Gregorio XIII. in Bulla contra Baium, in qua ſeptuageſima propoſitio ibi damnata erat. *Homo exiſtens in peccato mortali poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cùm reatu æternæ damnationis.* Ab hac enim paulò differt opinio aſſerens quod cùm charitate actuali componitur peccatum mortale actuale. Deinde eſt falſiſsima, quia ſupponit ignorantiam poſſe eſſe lethaliter culpabilem in ſenſu compoſito dilectionis Dei ſuper omnia, quod falſiſsimum eſt; nàm dato caſu quod aliqua ignorantia contracta fuerit ex culpa mortali, quia videlicet, quis dilexit bonum commutabile præ Deo, tamen ex quo incipit diligere Deum ſuper omnia, retractat iàm peccatum illud mortale, & non manet iàm voluntaria ignorantia ex illo ſecuta, adhuc in cauſa, quia, cauſa retractata, ceſſat voluntarium in cauſa, & ſolum talis ignorantia poteſt remanere voluntaria in cauſa leviter culpabili, vti in aliqua affectione, vel negligentia veniali, quæ poteſt cùm charitate coexiſtere. Falſum ergò eſt, quod in ſenſu compoſito dilectionis Dei ſuper omnia poſſit quis peccare lætaliter, adhuc ex ignorantia vincibili.

49 Inquires ſecundò. An detur ignorantia invincibilis legis divinæ poſitivæ, ſeu evangelicæ? Quæſtio eſt iſta, quæ prolixum exigebat tractatum. Valde inclino in ſententiam negativam, quam alibi Deo dante oſtendam. Vnum tantum in præſenti noto, non rectè fieri paritatem de lege naturali ad poſitivam. Datur enim hæc diſparitas, quod lex naturalis, vtpote naturaliter impreſſa mentibus hominum, habet ſemper principia indeficientia in intellectu practico, quæ ſunt quaſi ſemina ſcientiæ moralis practicæ, & ex quibus quiſque per rectum diſcurſum poterit deducere dictamen, aut præceptum legis naturæ circa quodlibet agibile. At in mentibus noſtris non datur indeficienter principium vllum practicum, & indelebile legis evangelicæ ex quo quiſque poſſit deducere præcepta evangelica, aut poſitiva divina circa agibilia. Sed talia principia ſolum per auditum ab extrinſeco addiſcuntur, iuxta regularem providentiam, quià fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti. Quo modò autem credent, quem non audierunt? Aut quomodo audient ſine prædicante? Eſt ergò magna diſparitas ex hac parte.

50 Quod ſi dicas. Deus non minus vult omnes homines venire ad agnitionem veritatis evangelicæ, quam ad veritatem legis naturalis, & ex ſuppoſitione quod elevavit homines ad ordinem ſupernaturalem, æquè promptus, & paratus eſt ad illam manifeſtandam quibuſlibet non apponentibus obſtaculum, quam ad manifeſtandam iſtam: ergò etſi nullum ſemen, aut principium inſit hominibus indelebile ad legem evangelicam dignoſcendam, nullus tamen ſine culpa propria poteſt carere tali principio, & lege, ex ſuppoſitione elevationis. Reſpondeo me eſſe in hac ſententia; ſed quià non vacat eam confirmare, nec ab argumentis defendere, propterea, qui voluerit ab ea ſe expedire, poterit ſemper inſiſtere præcedenti diſparitati, quæ interim ſufficiens eſt, vt ex vna ad aliam legem non fiat paritas. Et ad obiectionem factam interim dicere, quod licet. Deus ex ſua parte promptus ſit æque ad manifeſtandam vnam quam aliam legem, tamen ad evangelicam manifeſtandam iuxta regularem providentiam, neceſſarium eſt miniſterium hominum prædicantium, ex quorum parte poteſt ſtare defectus prædicationis, & indè ſequi ignorantia invincibilis in aliqua gente, vel ſubiecto: àt legem naturalem Deus non manifeſtat hominibus mediis miniſtris, ſed immediate per lumen naturaliter inditum hominibus, àc ſic non poſſe ſtare defectum, niſi vel ex parte ſuſcipientis, ſi obſtaculum ponat, vel ex parte Dei, ſi nullum ſit obſtaculum ex parte hominis. Cùm autem dici non poſſit quod tale lumen deficiat ex parte Dei, neceſſario dicendum eſt, quod quandocumque deficit, deficit ex parte hominis apponentis obicem, & conſequenter, quod ſua culpa ignorat.

51 Inquires tertiò, àn detur ignorantia invincibilis legis humanæ? Reſpondeo affirmativè, quià lex humana imponitur ab hominibus, & eius notitia medio miniſterio hominum acquiritur; ſed abſque culpa mea, v.g. poteſt ſtare defectus in alijs, quibus incumbit mihi notificare, vel me inſtruere de illa lege. Nec Deo incumbit ex munere Authoris, nec natura-

lis, nec ſupernaturalis, leges ab hominibus latas omnibus notificare, ſed hoc incumbit ipſis humanis legiſlatoribus. Deo autem ſolum incumbit eſſe paratum ad notificandas leges ſuas ab ipſo latas cuilibet non apponenti obſtaculum. Ergò abſque mea culpa poſſum ignorare legem aliquam humanam.

52 Inquires quartò, an detur ignorantia invincibilis facti? Reſpondeo affirmativè, nàm plura ſunt facta, de quibus aliquis per ſe non poteſt habere notitiam, nec habet in ſe principium vllum, vndè ea deducere poſsit, & abſque propria culpa poteſt falli in eis, vt contigit Iacobo, cùm putavit Rachelem eam, quæ revera erat Lia: ergò inculpabilitèr, & invincibilitèr poteſt quiſque ignorare plura ad quæſtionem de facto pertinentia. Nec licet in hoc immorari, cùm omnibus ſit compertum.

53 Ex quo tamen infero, poſſe ignorari invincibilitèr ius naturale, vt contractum ad hanc, vel illam materiam, licet non ſecundum ſe, & in vniverſali. Pro cuius intelligentia noto, quod ius naturale ſecundum ſe ſemper eſt ius vniverſale, ſeu in vniverſali præcipiens aliquid faciendum, vel omittendum, quod quidem ius, vt actu obliget ad aliquid determinatè faciendũ, indiget particularizari, & contrahi per aliquam minorem collocantem ſub obiecto vniverſali iuris naturalis materiam, vel caſum aliquem particularem. In quo quidem diſcurſu maior continet ius naturale ſecundum ſe, & in ſua vniverſalitate conſideratum. Minor collocat ſub illo iure materiam aliquam particularem; & concluſio continet ius ipſum naturale applicatum ad materiam ſingularem.

54 Quo ſuppoſito, dicimus ius naturale ſecundum ſe, & vt exprimitur vniverſalitèr in maiori, non poſſe invincibilitèr ignorari, & in hoc ſenſu intelligenda eſt tota doctrina hucuſque tradita. Veruntamen cùm hoc componitur quod poſſit ignorari invincibilitèr ius naturale, vt contractum ad talem materiam, prout exprimitur in conſequenti. Quod primo ſuadetur exemplo, in hoc ſyllogiſmo practico. Non licet operari ſervilitèr die feſtò: ſed feria ſexta maioris hæbdomadæ eſt dies feſtus: ergò tali die non licet operari ſervilitèr. En vbi maiorem nemo ignorare poteſt invincibilitèr, quià eſt ius naturale ſecundum ſe, attamen de conſequenti plures dubitant, quià continet ius naturale, vt contractum ad diem determinatum. Accipe aliud exemplum in hoc ſyllogiſmo: Non licet die feſto opus exercere ſervile: ſed pingere eſt opus ſervile: ergò non licet die feſto pingere. En vbi maiorem à nemine invincibilitèr ignoratur, quià continet ius naturale ſecundum ſe; ſed de conſequenti poteſt dari ignorantia invincibilis, eoque plures de illo dubitant, quià continet ius naturale, vt contractum ad ſingularem materiam.

55 Deinde ſuadetur ratione; quià in ſyllogiſmo practico, ad ignorandum invincibilitèr conſequens, non requiritur ignorare maiorem vniverſalem, ſed ſat eſt ignorare invincibilitèr minorem particularem, vt per ſe patet; ſed ſtat optime aliquem ignorare invincibilitèr minorem particularem, quanvis non poſsit ignorare invincibilitèr maiorem vniverſalem: ergò ſtat optimè quod poſsit ignorare invincibilitèr conſequens, in quo continetur ius naturale vt contractum, quanvis non poſsit ignorare invincibilitèr maiorem in qua exprimitur ius naturale ſecundum ſe. Minor patet, nàm minor ſyllogiſmi practici non eſt de iure, ſed de facto. Maior enim eſt quæ exprimit ius, & minor quæ collocat hoc vel illud ſub obiecto vniverſali iuris: hoc autem pertinet ad quæſtionem de facto, non enim quæſtio dicitur *de facto*, vt contra diſtincta à quæſtione de iure, quià in illa dubitetur àn aliquid factum fuerit, necnè? Sed quià ſuppoſito iure, in illa dubitatur, àn ſub vniverſali obiecto iuris contineatur hoc vel illud, ſeu àn ratio vniverſalis prohibita vel præcepta conveniat vel non conveniat huic obiecto particulari. Vndè ſuppoſito iure prohibente comedere carnes die veneris, dubitare de aliquo àn ſit caro vel piſcis, eſt dubium, & quæſtio de facto, & ſic de reliquis. Sed ſtat optime ignorantia invincibilis facti, licet non poſsit dari ignorantia invincibilis iuris: ergò ſtat optimè in prædicto diſcurſu ignorantia invincibilis conſequentis, quanvis non detur ignorantia invincibilis maioris de iure, eo quod detur ignorantia invincibilis facti.

56 Ex quo denique infero, plures quæſtiones, quæ in Theologia morali videntur de iure, non eſſe re ipſa de iure ſecundum ſe, ſed de iure vt contracto ad determinatam materiam, àc proinde circa illas poſſe dari ignorantiam invincibilem ab ignorantia facti, non ab ignorantia iuris provenientem.

QVÆ

QVÆSTIO X.

Qualitèr ſit deponenda conſcientia vincibilitèr erronea?

1 CERTVM Eſt eum, qui habet conſcientiam culpabilitèr erroneam, teneri ad deponendum eam, & quod ſi illam non deponat, neceſſariò peccabit, ſi contra illam operetur. Sequitur ergò recto ordine inquirere, qualitèr ſit deponenda? Sit igitur.

§. I.

Exponitur ſententia Caietani, & impugnatur.

2 DOM. Card. Caietanus 1. 2. q. 19. artic. 5. ait: *Advertat Confeſſor, quod depoſitio erroneæ rationis fit, non ſolum per oppoſitam rationem, aut veritatis cognitionem, ſed etiam per excluſionem ad applicationem ad opus, v. g. mulier audiens à prædicatore, quod vti alienis capillis eſt peccatum mortale, quià eſt ſimulatio, concipienſque ex ratione audita, & Authoritate prædicatoris talem vſum eſſe peccatum mortale, & ex alia parte vellet vti huiuſmodi capillis, & indè ratione, hinc appetitu movente, neſcit ſolvere motiva rationis erroneæ contrariæ appetitui ſuo; tamen, putans abſque ſolutione rationis id ſibi licere, vtitur talibus capillis, in hoc, & ſimilibus non eſt voluntas diſcordans à ratione errante, quià non fit contra conſcientiã. Et ratio eſt, quià licet maneat ratio errans in ſe, non manet tamen applicata ad hoc velle, nec actualitèr, nec virtualitèr, ſed deponitur applicatio illa, àc per hoc erronea conſcientia, quæ in applicatione conſiſtit. Licite autem hoc abſque vlla alia ratione fit, etiam ſi ex impetu, vel libito fiat, quià ratio erronea non habet in ſe vndè liget, ſed quatenus acceptatur; vndè ex quacumque cauſa non acceptetur vel in ſe, vel in applicatione, non ligat.* Hucuſque Caietanus ad litteram.

3 Quem cùm legiſſet Cœla Dei, dixit, peius erraſſe, quàm illi Antiqui, de quibus ait Div. Thom. in eodem articulo irrationabilitèr ſenſiſſe, eo quod dicebant conſcientiam erroneam ſolum ligare circa indifferentia, non vero circa intrinſecè mala, & inhoneſta, nec circa intrinſecè bona. Nàm iſti, inquit Cœla Dei, ſolum aliquàm conſcientiam erroneam negabant ligare; attamen Caietanus ait, nullam conſcientiam ligare, niſi acceptetur, poſſeque pro libito, aut paſsione operantis non acceptari; hoc autem planè eſt vnumquemque eſſe liberum ab obligatione talis conſcientiæ, àc proindè eam nullum obligare ad ſui ſequelam.

4 Subdit tamen Magiſt. Ferre in præſenti quæſt. 4. n. 47. iniuſtè reprehendi Caietanum ab hoc Authore, & doctrinam eius non percipere. Nàm aliud eſt loqui de conſcientia erronea, aliud eſt loqui de ratione erranti. Ratio enim errans eſt ille error ſpeculativus, qui primo concipitur ab intellectu, & deindè per conſcientiam applicatur vt ſit regula operis. Conſcientia autem erronea eſt ipſa applicatio talis erroris vt ſit regula operis. Dicit ergò Caietanus, quod ratio errans non habet vim obligandi, quandiù per voluntatẽ non acceptatur vt regula operationis, ideſt, quandiù nõ formo conſcientiam ex illa, quià tunc licet detur ratio errans, non datur conſcientia erronea, & ſic nihil mirum quod illa ratio erronea non obliget. Hoc autem non eſt contra Sanctum Doctorem, nec contra reliquos Theologos, quià nec ille, nec iſti dicunt rationem erroneam ligare, ſed ſolum quod conſcientia erronea eſt quæ ſligat. Primum ergò Caietanus negat, non ſecundum, & ideò non peius erravit illis Antiquis, quos reprehendit Div. Thom. quià illi loquebantur de conſcientia erronea, de qua dicebant non obligare in per ſe malis: Caietanus vero admittit conſcientiam erroneam ſemper, & in omnibus ligare; & ſolum ait, rationem erroneam non ligare, niſi acceptetur. Ità Mag. Ferre. Sed contra hanc doctrinam.

5 Dico primò *Non ſolum conſcientia erronea iàm formata, ſed ratio errans obligat errantem, vt acceptetur in regulam operis, niſi adſit ratio prudentialis excipiens caſum ſingularem, à iudicio vniverſali.* Explicatur concluſio hæc: nàm ratio errans prout diſtincta à conſcientia erronea, eſt propoſitio vniverſalitèr dictans aliquid eſſe peccatum, v. g. vt exemplo Caietani vtar, illa propoſitio vniverſalis: *Peccatum mortale eſt vti capillis alienis.* Hanc rationem errantem, ſeu hoc iudicium vniverſale, inquit Caietanus, poſſe non applicari pro libito, & pro paſsione mulieris ad ſuum caſum ſingularem vtendi hic & nunc capillis alienis, ſed poſſe pro ſuo libito, non obſtante illo iudicio vniverſali, abſque vlla prorſus ratione exiſtimare ſibi licitum hic & nunc vti capillis alienis. Et in hoc conſentit Magiſt. Ferre. Et quod ſi hoc pacto illis vtatur, non peccabit. Econtrà autem in præſenti concluſione ego aſſero prædictam mulierem perſiſtentem in illo iudicio vniverſali teneri ad illud acceptandum in regulam ſuæ operationis, & ad normam illius formare conſcientiam, alio-

alioquin ſi, illo contempto, mere pro libito ad illud non attendens, velit in ſingulari vti capillis alienis, peccabit ſine dubio.

6 Et in primis, quod hæc ſit ſententia Div. Th. probatur; quià D Thom. non ſolum ait in corp. artic. eſſe peccatum agere contra conſcientiam errantem, ſed etiam quod *voluntas diſcordans à ratione errante ſemper eſt mala*, his enim verbis concludit articulum: ergò non ſolum obligat conſcientia errans, ità vt ab illa non poſsit voluntas diſcordare abſque peccato, ſed etiam obligat ratio errans, ex mente Div. Thom. vt ab illa non poſsit diſcordare voluntas abſque peccato. Secundò; nàm initio corporis articuli, ſic ait: *Idem eſt quærere vtrùm voluntas diſcordans à ratione erranti ſit mala, ac quærere vtrùm conſcientia errans obliget*: ergò Div. Thom in ordine ad obligandum, pro eodem accepit rationem errantem, ac conſcientiam errantem. Tertiò: nàm Div. Thom. ibidem explicans errorem Antiquorum, ait: *Dicunt ergò quod ratio, vel conſcientia errans circa indifferentia obligat, ità quod voluntas diſcordans à tali ratione erranti erit mala, & peccatum, ſed ratio, vel conſcientia errans circa ea, quæ ſunt per ſe mala, non obligat. Vndè in talibus voluntas diſcordans a ratione, vel conſcientia errante non eſt mala.* Ergò dùm Div. Thom. ait prædictos Antiquos irrationabilitèr ſenſiſſe, non ſolum id intelligit loquendo de conſcientia erranti, ſed etiam de ratione erranti; nàm vtramque indifferenter ponit Ang. Præc.

7 Reſpondet Magiſt. Ferre, quod Div. Thom. nomine rationis errantis intelligit dictamen de operatione hic & nunc exercenda, formatum ex errore vniverſali præſuppoſito; quod dictamen conſcientia dicitur. Hoc enim rationem legis habet, & ab iſto diſcordare peccatum eſt. Non vero loquitur de ratione per modum actus primi, quæ nec conſcientia eſt, nec vim legis habet. Sed contra eſt primò, quià Div. Thom. ſingillatim vtramque nominat, & rationem errantem, & conſcientiam errantem, & de vtraque aſſerit, quod obligat errantem: ſed non eſt credendum Div. Thom. in æquivoco laboraſſe, vnam pro alia accipiendo, ſed potius debitè penetraſſe terminos, & aliàs vbi Div. Thom. non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: ergò dicendum eſt cùm Div. Thom. vtramque obligare, nimirum, & rationem errantem, & conſcientiam errantem. Secundò: nàm falſum eſt quod dictamen ſingulare conſcientiæ habet vim legis, & quod talem vim non habeat iudicium vniverſale rationis, vniverſalitèr prohibens ſub culpa mortali vti capillis alienis. Nàm cùm proprium ſit legis vniverſalitèr obligare, & præcipere, ad diſtinctionem præcepti particularis, plus participat de lege iudicium vniverſalitèr prohibens vti capillis alienis, quàm dictamen ſingulare prohibens hic & nunc talem vſum: ergò ex hac parte male fundatur talis ſolutio.

8 Addit inſuper Magiſt. Ferre: *Quod ſicut recedere à ſcientia per non vſum illius non eſt peccatum, ſed ſolum recedere à conſcientia, ità recedere ab errore, non formando conſcientiam ex illo, non eſt peccatum, ſed ſolum recedere à conſcientia erronea peccatum erit.* Tunc ſic; ſed falſiſsimum eſt quod recedere à ſcientia vniverſali per purum non vſum illius, quià videlicet operans pro mero ſuo libito non acceptat ſcientiam vniverſalem pro regula operandi, non ſit peccatum, ſed licitum: ergò paritèr falſum erit idem dicere de errore vniverſali rationis. Minor probatur; nàm ſi licitum eſt, & poteſt fieri ſine peccato, quod quis pro libito ſuo nō vtatur ſcientia vniverſalitèr aliquid prohibente, vel præcipiente, pro regula operandi, licitum erit cuique contemnere quamlibet ſcientiam vniverſalem non formando conſcientiam ex illa, ſed ea derelicta in ſua vniverſalitate, alitèr in ſingulari iudicare, & agere. Ex quo rurſus ſequeretur nullum poſſe obligari ad non peierandum ex lege vniverſalitèr prohibente periurium, quià quantumvis aliquis agnoſcat vniverſalitèr eſſe prohibitum periurium, poteſt pro ſuo libito, aut paſsione illam vniverſalem ſcientiam contemnere, & ex illa minimè formare conſcientiam, ſed potius, illa non attenta, hic & nunc pro mero ſuo libito iudicare tanquam licitum periurium, & illud defacto committere; ſicque nulla lex vniverſalis, ſi nolis, te obligare poterit in conſcientia, ſi nimirum ex illa nolis formare conſcientiam.

9 Ex quo iàm ratione probatur concluſio. Ratio, aut exiſtimatio vniverſalis erronea non minus obligat, quàm ſi eſſet recta; ſed ratio, ſeu exiſtimatio vniverſalis recta dictans vniverſalitèr aliquid eſſe peccatum mortale, v. g. periurium, obligat vt acceptetur in regulam operationis, & vt conſcientia formetur ad normam illius: ergò paritèr ad idem obligat ratio, ſeu exiſtimatio vniverſalis erronea. Maior patet: nàm ratio, ſeu exiſtimatio vniverſalis erronea, quandiù durat, exiſtimatur recta, & vera, & pro vera habetur à iudicante, aliàs non erraret: ſed, vt ſæpè diximus, ratio errans obligat,

quià

quià exiſtimativè eſt recta, & vera: ergò non minus obligat, quàm ſi eſſet recta & vera. Minor verò etiam probatur: nàm ſemèl quod ſcias vniverſalitèr aliquid eſſe peccatum mortale, v. g. periurium, licitè non vales hic & nunc te eximere ab illa regula vniverſali, dictando vt tibi ſingularitèr licitum, quod vniverſalitèr exiſtimas prohibitum, ſi nulla adſit iuſta ratio exceptionis: ergò ideò eſt, quià teneris, & obligaris ad acceptandam illam exiſtimationem, aut rationem vniverſalem in regulam tuæ operationis, & ad formandam conſcientiam ad normam illius.

10 Secundò: quià quiſque, antequam aliquid operetur, tenetur formare conſcientiam rectè, & prudentèr circà illud opus in ſingulari, examinando per rectum diſcurſum, àn tale opus hic & nunc ſit licitum, aut prohibitum; alioquin operabitur ſine conſcientia, quod eſt peſſimum genus peccandi; ſed nequit prudentèr formare conſcientiam, niſi applicando, ſeu acceptando ſcientiam, ſeu rationem vniverſalem ad opus præſens, àc ſingulare: ergò obligatur ad acceptandam, & applicandam rationem, & exiſtimationem rectam, & vniverſalem ad opus præſens, & ſingulare, formando ex illa conſcientiam.

11 Tertio: quià non minus obligat ratio vniverſalis exiſtimans periurium eſſe prohibitum ſub mortali, quàm lex vniverſalitèr illud prohibens, nàm talis ratio obligat in vi talis legis vniverſalis, vt intimatio ipſius; ſed lex vniverſalitèr prohibens periurium obligat, vt acceptetur, & vt ex illa, & ad normam ipſius formetur conſcientia: ergò ſimilitèr ratio vniverſalitèr exiſtimans periurium eſſe prohibitum. Minor probatur, quià aliàs nulla lex Dei abſolutè obligaret nos ad formandam conſcientiam ſecundum illam, ſed pro libito poſſemus illam non acceptare in regulam operationis, & ab illa non obligari, idque nobis eſſet licitum, & honeſtum; ſed hoc eſt abſurdiſsimum: ergò. Sequela patet; nàm omnis lex Dei eſt vniverſalis, & non obligat, niſi mediante iudicio vniverſali: ergò ſi licitum, & ſanctum eſt non acceptare illud iudicium vniverſale in regulam operandi, paritèr licitum, & ſanctum erit non acceptare legem vniverſalem Dei vniverſalitèr propoſitam.

12 Et quidem, ſi aliqua ſit iuſta ratio exceptionis, non nego poſſe quemlibet, tàm vniverſalem legem Dei, quàm iudicium vniverſalitèr illam proponens, nó acceptare pro tunc in regulam operationis, nec per illud formare conſcientiam, v. g. proponatur vniverſalitèr homini illa lex vniverſalis Dei: *Non occides*. Tamen inveniatur in caſu, quo non poſsit ſuam vitam ſalvare, niſi occidendo invaſſorem. Sanè in hoc caſu fateor, poſſe illum non acceptare pro eo caſu illam legem vniverſalem, aut vniverſalem rationem pro regula operandi, quià adeſt iuſta ratio excipiendi illum caſum particularem ab illa regula, & ratione vniverſali, ſcilicet moderamen inculpatæ tutellæ, & iuſta defenſio, pro quo ſpeciali caſu non fuit condita prædicta lex. Attamen dicere quod pro mero libito, vel impetu paſsionis, abſque vlla alia ratione, licet non acceptare illam legem, & rationem vniverſalem in regulam operandi, evidentiſsimè eſt totam vim legis divinæ fruſtrare, & fraudare, hominemque eximere ab eius obligatione, quando velint, & prout vellent, etiam abſque vlla iuſta ratione.

13 Secundò probatur concluſio, quià mulier illa, retenta illa exiſtimatione vniverſali, quod vti capillis alienis ſit peccatum mortale, ſi ea non obſtante, vellet vti capillis alienis, & de facto eis vteretur, etiam ſi non acceptaret illam exiſtimationem vniverſalem pro mero libito ſuo, nec formaret ex illa conſcientiam, nihilominus peccaret mortalitèr: ergò. Antecedens probatur, quià tunc caſus vteretur capillis alienis abſque conſcientia, Prædicatore dictante, & ipſa credente quod vti capillis alienis eſſet peccatum mortale; ſed facere aliquid abſque conſcientia, Prædicatore dictante, & ipſo, qui id facit, credente, quod illud facere eſt peccatum mortale, evidentiſsimè eſt peccatum mortale: ergò illa mulier peccaret mortalitèr. Maior probatur, quià mulier illa nullam formaret conſcientiam de eo quod ſibi eſſet licitum vti capillis alienis: ergò vteretur illis ſine conſcientia, Prædicatore dictante, &c. Antecedens probatur: quià omnis conſcientia, vtpote dictamen ſingulare rationis, formatur ex iudicio vniverſali correſpondenti, ſub quo continetur, tanquam ſingularis propoſitio ſub vniverſali; ſed mulier illa actu nullum haberet iudicium vniverſale correſpondens huic particulari: *Licitum eſt mihi vti capillis alienis*; quià iudicium vniverſale huic correſpondens eſt hoc: *Licitum eſt cuilibet vti capillis alienis*, quod minimè haberet illa mulier, cùm potius vniverſalitèr exiſtimaret eſſe peccatum mortale vti capillis alienis; cùm qua exiſtimatione eſt incompoſsibile aliud iudicium vniverſalitèr dictans id eſſe cuilibet licitum, niſi velis ponere ſimul in illa muliere duo iudicia

dicia vniverſalia directè contraria: ergò mulier illa nullam formaret conſcientiam de eo quod ſibi liceret vti capillis alienis.

14 Et quidem, inquiro à contrarijs: ex quo iudicio vniverſali inferret illa mulier quod ſibi in ſingulari liceret vti capillis alienis? Nunquid ex ratione vniverſali concepta ex authoritate & ratione Prædicatoris, quod eſſet peccatum mortale vti capillis alienis? Hoc certè dici nequit, quià ex quo ſit peccatum mortale vti capillis alienis, inferri minimè poteſt licere illi mulieri vti talibus capillis, vt per ſe patet. Solum ergò inferri poſſet hoc conſequens ex oppoſito iudicio vniverſali, quod ſcilicet non eſſet peccatum, ſed potius licitum vti capillis alienis. Hoc autem iudicium non poſſet formare mulier illa, retento primo, niſi ſimul iudicaret duo contradictoria vera, quod repugnat lumini naturæ: ergò retento primò iudicio concepto ex authoritate, & ratione Prædicatoris, non haberet illa mulier iudicium vniverſale, ex quo formaret ſibi conſcientiam, quod ſibi liceret vti capillis alienis: ergò ſi vellet efficacitèr vti illis, vteretur illis ſine conſcientia.

15 Confirmatur, quià vt aliquis actu incurrat peccatum, non eſt neceſſum quod illud faciat contra conſcientiam dictantem in ſingulari quod illud facere hic & nunc eſt peccatum mortale; nec eſt neceſſum quod formet conſcientiam, applicando rationem vniverſalem ad illud opus ſingulare, & concludendo practicè: *Ergò hoc opus, vt hic & nunc exercitum eſt peccatum mortale.* Ergò ſufficit habere rationem vniverſalem dictantem quod illud opus ſit peccatum mortale, abſque iuſta cauſa, aut ratione exceptionis. Antecedens probatur, quià omnis qui vult peccare aliquo opere, v.g. furari, raro, vel nunquam applicat iudicium vniverſale dictans furtum eſſe peccatum mortale, ad illum caſum ſingularem, concludendo: *Ergò hic & nunc peccabo mortaliter furando.* Imò, quantum in ipſo eſt, avertit conſiderationem ab illo iudicio vniverſali, & non vult illud applicare, & acceptare in regulam operationis, ſed potius, eo contempto, tantum conſiderat, & applicat rationes vtilitatis, & convenientiæ, & ſecundum illas concludit in ſingulari: *Ergò mihi vtile & conveniens eſt furari*, non curando de peccato vel non peccato. Et ità peccat ferè omnis qui peccat. Nàm cùm ſit liberum homini, vt ſupponunt Caietan. & M. Ferre, applicare rationem vniverſalem prohibentem opus ad caſum ſingularem, & aliàs illa applicatio, nedum non ſit vtilis ad illud opus patrandum, ſed potius ſit obex moleſtiſsimum impediens voluntatem vt non amplectatur tale opus, ſanè qui vult patrare tale opus, de quo ſcit in vniverſali eſſe peccatum mortale, incredibile eſt, quod liberè, & pro ſuo libito velit applicare illam rationem vniverſalem, concludendo: *Ergò hic & nunc eſt mihi prohibitum, vti peccatum mortale, hoc opus.* Huiuſmodi enim applicatio, tantum fieri poteſt ex motivo non patrandi illud opus, non autem ab eo, qui vult, non obſtante illo iudicio vniverſali, patrare tale opus: ergò ad peccandum in aliquo opere non eſt neceſſarium formare conſcientiam applicando rationem vniverſalem prohibentem opus ad caſum ſingularem, nec operari contra conſcientiam ſic formatam, ſed ſufficit operari contra rationem vniverſalem contemptam, & non applicatam ad caſum ſingularem.

16 Explicatur, declarando modum, quo regulariter patratur peccatum ex mente Div. Thom. Vt enim S. Doct. ſæpè exponit, ſunt in mente duæ rationes vniverſales, vna ſuperior, alia inferior. Superior eſt, quæ iudicat de agendis per comparationem ad Dei legem, v. g. quæ dictat vniverſaliter furtum eſſe malum, quià prohibitum, & ſic eſſe fugiendum. Inferior eſt, quæ iudicat de agendis per comparationem ad vtilitatem, convenientiam, aut voluptatem, v. g. quæ iudicat furtum eſſe vtile ad propriam convenientiam, aut voluptatem, & ſic eſſe proſequendum. Suppoſitis autem his duabus rationibus vniverſalibus, eſt homo indifferens ad formandum iudicium practicum, ſeu ad practicè diſcurrendum ex ratione ſuperiori, ſeu inferiori. Si diſcurrat ex ratione illa vniverſali ſuperiori, ſic ſubſumit: furtum eſt malum, quià à Deo prohibitum, & ideò fugiendum; ſed opus quod hic & nunc mihi occurit eſt furtum: ergò fugiendum eſt hic, & nunc, & vitandum hoc opus: & diſcurrendo hoc modo peccare non poteſt, ſed neceſſariò vitat furtum. Solum autem peccare poteſt, ſi oppoſito modo diſcurrat ex ratione vniverſali inferiori, hoc pacto: furtum eſt vtile ad propriam voluptatem, & convenientiam, & ſub hac ratione amplectendum; ſed opus, quod mihi hic & nunc occurrit, eſt furtum: ergò hic & nunc eſt à me amplectendum. Et hoc modo peccat, qui non vult diſcurrere practicè ex ratione vniverſali ſuperiori, ſed potius illa contempta, & non applicata, format tantum diſcurſum, & dictamem practicum ex ratione inferiori: ergò tàm longe abeſt

vt

vt ſit neceſſarium ad peccandum contra rationem vniverſalem, & ſuperiorem, formare dictamen practicum, aut practicè diſcurrere ex illa, quod potius eſt neceſſarium ex illa practice non diſcurrere, ſed, ea contempta, ſolum diſcurrere practicè ex ratione inferiori oppoſita. Tunc ſic, ſed conſcientia propriè dicta, ſivè applicatio rationis vniverſalis ſuperioris ad hic & nunc, ſolum fit diſcurrendo ex illa ratione vniverſali ſuperiori: ergò ad peccandum contra illam non eſt neceſſarium formare conſcientiam ex illa, nec illam applicare per dictamen practicum ad hic & nunc, imò ſi id faceret, non peccaret.

17 At inquit Magiſt Ferre ex Caietano, quod ſi ratio illa vniverſalis non applicatur per diſcurſum practicum, formando ex illa conſcientiam, manet intra cancellos meræ ſpeculationis, & non obligat in conſcientia. Reſpondeo, illam rationem vniverſalem non applicatam ad hic & nunc, non manere intra cancellos meræ ſpeculationis, quia licet non ſit practica in actu ſecundo, & efficacitèr, antequam applicetur, eſt tamen practica in actu primo, eo quod poteſt proximè applicari; & licet non obliget in actu ſecundo, & efficacitèr, obligat tamen in actu primo, & ſufficientèr, quia obligat ad formandam conſcientiam ex illa, & ad illam applicandam in actu ſecundo pro regula operationis.

18 Dices: non obligat in conſcientia, quia non dùm eſt formata conſcientia ex illa ratione vniverſali. Reſpondeo, quod licet non ſit formata conſcientia, quia ipſe homo non vult eam formare; obligatur tamen ex ratione illa ſuperiori, & vniverſali ad eam formandam: & illa ratio vniverſalis ſuperior habet vim conſcientiæ ad obligandum; imò, conſcientia totam ſuam vim ad obligandum participat ex illa ratione ſuperiori vniverſali, ac proindè obligari ex illa ratione vniverſali ſuperiori, eſt obligari in conſcientia, ſeu obligatione conſcientiæ: vel quia in illa ratione ſuperiori reſidet tota vis obligatoria conſcientiæ in actu primo, vel quia ratio ſuperior eſt quædam conſcientia vniverſalis, ſumpto nomine conſcientiæ in lata acceptione.

***

***

ritatis cognitionem, ſed pro mero libito, aut impetu voluntatis, abſque vlla alia ratione, non applicando rationem vniverſalem ad caſum proprium, & ſingularem, nullam acceptando in regulam ſuæ operationis, præcisè quià voluntas non vult formare conſcientiam ex illa, abſurdiſsimum reputo. Contra dicta nihil momenti, quod obijci poſsit, invenio.

QVÆSTIO XI.

An conſcientia obliget magis, quàm præceptum Prælati.

1 HANC Quæſtionem excitat D. Thom. quæſt. 17. de verit. artic. 5. & tenet partem affirmativam, quàm pro concluſione ſtatuo.

2 Dico igitur: *Conſcientiam magis obligare, quàm præceptum Prælati, ac perconſequens quod, retenta conſcientia dictante aliquid eſſe peccatum, licitè non poſſumus obedire Prælato, illud præcipiente.* Probatur ratione Div. Th. Nàm conſcientia obligat, non virtute propria, ſed in vi divinæ legis, quàm nobis formaliter intimat, ac repræſentat: ergò tanta eſt obligatio conſcientiæ, quanta eſt obligatio divinæ legis nobis intimatæ, imò eadem; ſed magis obligat lex divina nobis intimata, quàm præceptum Prælati: ergò magis obligat conſcientia, quàm præceptum Prælati. Secundò: nàm dùm Prælatus præcipit contrarium illius, quod præcipit lex Dei vt nobis intimata, tenemur obedire potius legi Dei, quàm Prælato; non autem poſſumus obedire Prælato potius, quàm legi Dei; ſed dum conſcientia dictat aliquid eſſe peccatum, lex Dei vt nobis intimata per talem conſcientiam præcipit quod illud non faciamus: ergò, ſi Prælatus nobis præcipiat quod illud faciamus, non tenemur, nec licitè poſſumus obedire Prælato contra conſcientiam.

3 Sed obijcies primò: ſubditus Religioſus vovit obedientiam ſuo Prælato; ſed tenetur votum implere, iuxta illud Pſalm. *Vovete, & reddite Deo veſtro*: ergò tenetur obedire Prælato contra conſcientiam. Reſpondeo, quod ille, qui vovet obedientiam, ſolum promittit obedire in his quæ legi Dei contraria non fuerint, aliàs votum eſſet iniquum: ille autem, qui habet conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum, exiſtimat, omnibus penſatis, illud eſſe contrarium legi Dei, vndè non vovit obedire in illo, nec in illo tenetur ſuperiori obtemperare.

4 Sed obijcies ſecundò: Prælato ſemper eſt obediendum in his, quæ non ſunt contra Deum; ſed indifferentia, & ea quæ conſcientia erronea repræſentat vt mala, non ſunt contra Deum, aliàs conſcientia non eſſet erronea: ergò in eis tenetur obedire Prælato contra conſcientiam. Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: non ſunt contra Deum re ipſa, & à parte rei, tranſeat minor: obiectivè, ſeu exiſtimativè in conſcientia, nego minorem, & conſequentiam. Quià licet aliquid re ipſa ex ſe ſit indifferens, & licitum, tamen ſi repræſentatur per conſcientiam, vt legi Dei contrarium, perindè ſe habet ad obligandum, ac ſi revera eſſet tale, quià operans exiſtimat eſſe tale.

5 Obijcies tertiò: poteſtati ſuperiori magis eſt obediendum, quàm inferiori, vt inquit Gloſſa ad Rom. 13. Sed anima Prælati eſt ſuperior, quàm anima ſubditi: ergò magis ligatur ſubditus ex Prælati imperio, quã ex proprio dictamine, ſeu conſcientia. Conceſſa maiori, & minori nego conſequentiam. Quià licet anima ſubditi ſit inferior ad Prælatum, tamen vt intimans legem Dei, & eius præceptum, non eſt inferior, ſed infinitè ſuperior ad omnes Prælatos; & ideò, dum talem legem intimat per conſcientiam, obligat magis quàm præceptum Prælati.

6 Obijcies quartò: nequit ſubditus non obedire præcepto Prælati propter ſuam conſcientiam, niſi iudicando de præcepto Prælati; ſed ſubditus non debet iudicare de præcepto Prælati, ſed magis Prælatus de actibus ſubditi: ergò ſubditus propter ſuam conſcientiam nequit non obedire Prælato. Nego maiorem cùm Div. Th. quià vt ſubditus non adimpleat præceptum Prælati propter ſuam conſcientiam ſufficit quod iudicet de adimpletione talis præcepti eſſe contrariam legi Dei, ait autem Div. Thom. *Quod ſubditus non habet iudicare de præcepto Prælati; ſed de impletione præcepti, quæ ad ſe ipſum expectat, benè poteſt iudicare; vnuſquiſque enim tenetur actus ſuos examinare ad ſcientiam, quàm à Deo habet, ſivè ſit naturalis, ſivè, acquiſita, ſivè infuſa, omnis enim homo debet ſecundum rationem agere.*

7 Sed replicabis: nequit iudicare actum à Prælato præceptum eſſe contrarium legi Dei, niſi iudicando Prælatum male præcipere; ſed nequit iudicare adimpletionem præcepti eſſe contrariam legi Dei, niſi iudicando actum à Prælato præceptum eſſe contrarium legi Dei: ergò neceſſum eſt quod iudicet Prælatum male præcipere. Reſpondeo, negando ma-

iorem

iorem. Tùm, quià poteſt invincibilitèr iudicare talem actum eſſe contrarium legi Dei, vt â ſe ponendum, ſuſpendendo iudicium circa modum præcipiendi ex parte Prælati. Tùm, quià poteſt exiſtimare Prælatum illum ex conſcientia invincibilitèr erronea præcipere, cùm bona intentione, àc proindè non eſt neceſſum, quod iudicet Prælatum male præcipere.

8 Secundò replicabis: eo ipſo quod exiſtimet Prælatum bona conſcientia præcipere, nequit prudentèr exiſtimare conſcientiam Prælati eſſe erroneam, & ſuam rectam; nàm hoc eſſet propriam conſcientiam anteponere conſcientię Prælati, & ſe ipſum ſapientiorem iudicare Prælato; ſed ſi hoc non poteſt facere prudentèr, nec licitè, & prudentèr poteſt ſequi ſuam conſcientiam, potius quam conſcientiam Prælati: ergò. Reſpondeo, quod vt inquit Div. Thom. loco citato ad 4. *Vnuſquiſque tenetur actus ſuos examinare ad ſcientiam, quam à Deo habet, ſivè ſit naturalis, ſivè acquiſita, ſivè infuſa; omnis enim homo debet ſecundum rationem agere.* Si igitur hoc examine, prudentèr & maturè facto, non poſsit deponere conſcientiam, quàm habet de eo, quod actus à Prælato præceptus eſt contrarius legi Dei, nec poſsit prudentèr de hoc dubitare; tunc ſtare debet propriè conſcientiæ, ſuſpenſo iudicio de conſcientia Prælati, ob hanc rationem præcisè, quià ſicut Prælatus in præcipiendo iudicandus eſt ex propria conſcientia, ità ſubditus in obediendo iudicandus eſt ex propria ſua conſcientia; àc proindè ſi invincibilitèr iudicet, quod adimplere præceptum Prælati eſt facere actum contrarium legi Dei, nequit tale præceptum implere, nec hoc eſt ſe ipſum præferre in ſapientia Prælato, ſed præferre legem Dei præcepto Prælati; & etiam præferre propriam conſcientiam conſcientiæ Prælati, quantum ad eſſe regulam proximam, & formalem ſuæ operationis, quod omnino neceſſarium eſt, quià conſcientia alterius nequit eſſe regula formalis, & proxima meæ operationis, ſed tantum hoc munus exercere poteſt mea conſcientia, penès quàm tantum iudicandus ſum.

9 Si tamen, facto debito examine, omnibuſque debitè penſatis, poſsit ſuam conſcientiam deponere, aut ſaltim de illa prudentèr dubitare, tenetur eam deponere, & Prælato obedire, quià in dubijs potius ſtandum eſt Prælato, vt infra dicam. Quod ſi inquiras, caſu quo nolit deponere conſcientiam contrariam præcepto Prælati, ad quid obligabitur? Reſpondet Div. Thom. ad 1. quod tunc caſus tenetur obedire, & tenetur adimplere legem Dei, quàm exiſtimat contrariam præcepto Prælati; quià neque per obligationem obediendi liberatur à ligamine conſcientiæ, neque per ligamen conſcientiæ, quam deponere poteſt, & non vult, liberatur ab obligatione obediendi, & ſic manet in eo duplex contraria obligatio, quarum vna, ſcilicet, quæ eſt ex conſcientia, eſt major, quià intenſior; minor, quià ſolubilior: alia autem è contrà; quià ſicut caſu quo aliquis eſſet ligatus catenis, à quibus ſe expedire poſſet, & ſimul ligatus funè, quem diſsolvere non poſſet. Primum ligamen eſſet maius, quià fortius, eſſet minus, quià ſolubilius; ità præceptum Prælati magis obligaret in illo caſu, quià ſubditus à tali obligatione non poſſet ſe liberare; & obligaret minus, quam conſcientia, quià conſcientia habet vim robuſtiorem, vtpote quià obligat in vi legis divinæ, licet hæc obligatio deponi poſsit, deponendo conſcientiam.

QVÆSTIO XII.

An licitè poſsit quis inducere alium ad operandum ſecundum coſcientiam erroneam?

1 OPINIONEM Affirmantem tenet Hurtado Ieſuita de fide, ſpe, & charitate diſp. 173. ſec. 15. §. 199. Pro contraria autem ſtat Mercorus de Probab. part. 1. artic. 5. & alij plures. Pro cuius deciſsione notandum eſt, neminem poſſe alium inducere ad formandam conſcientiam erroneam, quià ſicuti eſt intrinſecè malum alium fallere, ità vt in nullo caſu id facere poſsit, ità eſt intrinſecè malum alium inducere in errorem conſcientię, quià hoc vel implicitè, vel explicitè eſſet illum fallere in rebus practicis ad conſcientiam attinentibus, quod maximum eſſet maleficium.

2 Notandum eſt ſecundò, nemini eſſe licitum inducere alium exiſtentem in conſcientia culpabilitèr erronea, ad operandum ſecundum illam. Patet, quià operari ſecundum conſcientiam culpabilitèr erroneam eſt inexcuſabilitèr peccatum, & quidem diſtinctum peccatum intrinſecè à peccato erroris, aut ignorantiæ, ex qua procedit; ſed nemini licet inducere alium ad peccandum: ergò nemini licet inducere alium ad operandum ſecundum conſcientiam culpabilitèr erroneam.

3 Sed quid inquiet Terillus, qui aſſe-

aſſerit operari ſecundum conſcientiam erroneam non eſſe intrinſecè peccatum, nec diſtinctum ab errore conſcientiæ, nullamque rationem malitiæ, aut peccati ſuperaddere ad peccatum erroris: itemque dari legem reflexam præcipientem operari ſecundum illam conſcientiam: & voluntatem divinam complacere in actu illo ſequendi conſcientiam culpabiliter erroneam? Sanè multo verius iudicabit poſſe quemlibet alium inducere ad operandum ſecundum conſcientiam culpabiliter erroneam. Tùm quià iuxta ipſum non eſſet illum inducere ad peccandum, cùm ſuppoſito errore conſcientiæ culpabili, nullum amplius agnoſcat peccatum in eius ſequela. Tùm quià licitum eſt cuilibet conſulere quod Deus præcipit; & Deus iuxta ipſum præcipit lege reflexa quod ſequamur conſcientiam, etiam ſi fuerit culpabiliter erronea: ergò. Tùm denique, quià licitum eſt cuilibet alium inducere, vt eliciat actum, in quo divinæ voluntati placebit; iuxta Terillum autem, qui ſuppoſita conſcientia culpabiliter erronea, illam ſequitur, iuxta illam operando, in illa operatione intrinſecè placet Deo, licet diſpliceat in errore præſuppoſito: cur igitur, tali errore ſuppoſito in Petro, non poterit quiſque illum inducere, vt ſecundum illum operetur? Hoc ſanè ità erit ſi placet Terillo: re ipſa tamen abſurdiſſimum eſt, nullique Theologo (vt reor) placiturum, impugnarique facile poteſt ex ſuprà dictis contra prædictum Authorem.

4 Maior igitur difficultas eſt de conſcientia invincibiliter errante. Potiſsimè, ſi admittatur ſententia Terilli, & M. Serna, ſuprà à nobis impugnata, aſſerente, quod actus, quo ſequimur conſcientiam inculpabiliter errantem, eſt honeſtus, bonus, ac meritorius, ſi ex bono fine procedat. Cùm enim omnis actus bonus, honeſtus, & meritorius poſsit cadere ſub licito conſilio, liciteque poſsit quiſque alium inducere ad actum honeſtum, & meritorium, neceſſario in prædicta ſententia dicendum eſt poſſe quemlibet iicitè alium inducere ad operandum ſecundum conſcientiam invincibiliter erroneam.

5 Cenſeo tamen abſolutè: *Nemini eſſe licitum alium inducere ad operandum ſecundũ conſcientiam, etiam inculpabiliter erroneam, licet poſsit licitè alium inducere ad ſervandam legem Dei generaliter, ex quo ille per ſuum errorem inducatur ad operandum ſecundum conſcientiam erroneam.* Prima pars probatur, quià licet operari ſecundum conſcientiam inculpabiliter erroneam ſit ſecundum quid honeſtum, ſecundum quod retinet de conformitate cùm regulis vniverſalibus ſyndereſis, tamen ſimpliciter & abſolutè actus, quo ſequimur conſcientiam inculpabiliter errantem, eſt defectuoſus, quià deficit à rectitudine virtutis debita ſecundum legem Dei, contrariuſque re ipſa divinæ legi; ſed nemò poteſt conſulere alium, vel illum inducere, vt operetur deficiendo re ipſa à bono virtutis, & à rectitudine re ipſa debita, minuſque vt operetur contra veram legem Dei: ergò nemò licitè poteſt inducere, aut conſulere alium, vt operetur ſecundum conſcientiam inculpabiliter erroneam. Minor probatur; nàm licet ille qui habet conſcientiam inculpabiliter erroneam poſsit licitè negativè, hoc eſt, abſque culpa, operari ſecundum illam, ideò eſt, quià ignorat talem operationem eſſe contrariam legi Dei, defectuoſamque re ipſa à rectitudine debita ſecundum veram legem Dei; ſed alius, qui conſuleret, ſciret quod illa operatio eſſet contraria legi Dei, & defectuoſa à rectitudine virtutis debita ſecundum veram legem Dei, ſiquidem ſciret quod conſcientia illa eſſet erronea; ergò non poſſet talem operationem conſulere.

6 Confirmatur: ideò habens conſcientiam erroneam, abſque peccato operaretur ſecundum illam, quià licèt incurreret defectum realem conformitatis ad veram legem Dei, & contrarietatem ad illam; hoc eſſet ei omninò involuntarium, quià incognitum: ſed conſulenti non eſſet ei hoc involuntarium, ſed potiùs eſſet voluntarium, quià cognitum: ergò non poſſet licitè, & abſque peccato conſulere talem operationem, quàm ſciebat eſſe contrariam legi Dei. Denique, quià vt ſuprà probatum manet, Deus non poteſt lege reflexa præcipere, nec conſulere quod quis operetur ſecundum conſcientiam erroneam: ergò nec vnus homo poteſt id ipſum alteri conſulere. Conſequentia patet, tùm quià quod Deus præcipere, aut conſulere nequit, nec homo poteſt illud licitè conſulere. Tùm quià rationes probantes primum, probant etiam ſecundum.

7 Sed dices: quid faciendum erit quando proximus eſt in conſcientia invincibiliter erronea? Sanè tunc ei conſulere non poſſumus quod operetur contra ipſam: ergò poſſumus licitè ei conſulere quod operetur iuxta ipſam. Nego conſequentiam, quià nec licitè poſſumus in eo caſu conſulere quod operetur contra conſcientiam, nec quod operetur iuxta ipſam.

ipſum. Quid ergò tenemur facere? Reſpondeò, quod tenemur ex charitate corrigere eius errorem, & eum veritatem docere, ab erroreque liberare, à quo ipſe ſe ipſum libere nequit.

8 Sed contra inſtat Hurtado, ſupponendo caſum in quo coniuges ignorent invincibiliter nullitatem ſui matrimonij; & quod prudens confeſſarius agnoſcat quod ſi eis detegat veritatem, nihilominus in connubio perſeverabunt, & quod antecedenter faciebant excuſabiliter, in poſterum continuabunt inexcuſabiliter cùm mala conſcientia, vel quod aliud magis grave damnum ſequetur: ſanè in hoc caſu prudens confeſſor nec tenetur, nec poteſt pœnitenti veritatem aperire, nec ei errorem detegere: ergò tunc poterit eis conſulere, quod iuxta ſuam conſcientiam reddant debitum, potiſsimè ſi immineat periculum de eo quod contra conſcientiam illud negent, vt ſi aliquis illorum ſe accuſaret, quod ſoleret debitum negare.

9 Reſpondeo negando conſequentiam; quià quod in tali caſu tenetur facere confeſſor non eſt inducere eos determinatè ad reddendum debitum, ſed verbis generalibus eis docere legem Dei graviter obligare coniugatos vt adinvicem reddant debitum, & legem Dei ſervandam eſſe ſub culpa mortali, & ſub pœna æterna, & tranſgreſores graviter puniendos, & alià huius generis vniverſaliter eis proponere, neutiquam applicando doctrinam illam ad particularem redditionem debiti inter ipſos, quià ſicut eis licitè dicere non poteſt, quod veri ſunt coniugati, aliàs loqui liceret contra veritatem, ità licitè eos excitare non poſſet ad concubitum, quià non licet excitare proximum contra legem Dei.

10 Sed dices, eo ipſo quod eos generaliter exhortaret ad ſervandam legem Dei, & ad faciendum quidquid Deus præcipit; & item eis ſuaderet legem Dei ſub mortali præcipere coniugatis redditionem debiti, eos exhortaret ad reddendum debitum; cùm enim ipſi invincibiliter ſe coniugatos exiſtimarent, idem eſſet eis ſuadere vniverſaliter quod ſervent legem Dei, & aliundè dicere quod lex Dei præcipit coniugatis redditionem debiti, àc eis efficaciter ſuadere redditionem debiti: ergò ſi licitè poteſt confeſſarius facere primum, etiam licitè poteſt facere ſecundùm.

11 Reſpondeo negando antecedens: nàm ſicut Deus verè præcipit coniugatis redditionem debiti, & item præcipit omnibus ſervare ſuam legem, quin proindè cenſeatur Deum verè præcipere illis falsò coniugatis concubitum; ità poteſt confeſſor intimare illis quod ſervent legem Dei vniverſaliter, & quod lex Dei præcipit vniverſaliter coniugatis redditionem debiti per carnalem concubitum, quin proindè cenſeatur eos exhortare in ſingulari ad redditionem debiti. Solum ergò ſequitur, quod ipſi, qui falsò ſe exiſtimant coniugatos, per ſuum errorem applicabunt illam doctrinam vniverſalem ſibi, & ſe intelligent obligatos ſub mortali ad redditionem debiti, excitabunturque ex illa doctrina vniverſali ad carnalem concubitum; ſed hoc non erit quià doctrina illa confeſſoris ad hoc inclinet in rei veritate; ſed quià pœnitens propter ſui errorem invincibilem eam ſibi applicat, & ratione talis erroris ex illa movetur. Quam doctrinam, & præciſionem ſolùm intellige obſervandam in caſibus vrgentiſsimæ neceſsitatis, quando prævidetur maius damnum aliàs ſequendum. Nàm aliter nunquam licet talem doctrinam exhibere cùm tali præciſione in circunſtantijs, in quibus proximus inducetur ex illa ad operandum ex conſcientia erronea, vel ad peccatum materiale.

12 Dices: hoc ad ſummum probare, quod confeſſor non poſſet licite eos exhortare per ſe ad redditionem debiti, ſeu ad carnalem concubitum: veruntamen negari non poteſt, quod eos poterit licitè exhortare per accidens. Nàm per illam doctrinam generalem, licet directè, & per ſe eos non inducat ad concubitum, per accidens tamen, & indirecte ad illum eos inducit, ſuppoſita, vt ſupponimus, in eis conſcientia illa erronea: ergò. Reſpondeo, vt ſuprà, quod ly *per accidens*, & *indirectè*, poteſt ſumi verè, & propriè; vel provt eſt idem àc per errorem, & falſam exiſtimationem pœnitentis. Primò modo exhortare eos indirectè, & per accidens ad concubitum eſſet exhortare eos per ſe ad aliquid, quod re ipſa, & ex natura rei fieri non poteſt abſque concubitu; & hoc nunquam admittimus vt licitum, nec eſt neceſſarium. Secundò modo exhortare eos indirectè, & per accidens, eſt exhortare eos ad aliquid quod revera ex natura rei fieri poteſt abſque concubitu; & hoc tantum admittimus in prædicto caſu vt licitum, & ſufficiens; quià monente eos confeſſario ad ſervandam in omnibus veram Dei legem, & vt illam non con-

temnerent, exhortaret eos re ipſa ad aliquid, quod verè & realiter abſque omni falſitate & errore fieri poſſet abſque concubitu carnali: ipſi tamen ratione ſui erroris exiſtimarent falsò, ſe non poſſe ſervare veram Dei legem, niſi reddendo debitum per carnalem concubitum, & exindè per accidens, id eſt, per ſuum errorem, & falſitatem obligarentur, & moverentur; non quià confeſſarius ex vi doctrinæ vniverſalis àc veriſimæ eos ad hoc verè exortaret, adhuc indirectè. Ex quo iàm patet ſecunda pars concluſionis.

13 Sed non quieſces: prævidebat confeſſarius quod ex illa doctrina vniverſali ipſi movendi erant ad concubitum carnalem, & cùm hac præviſione talem adhibebat doctrinam: ergò ſaltèm indirectè ad concubitum exhortabat. Secundò: ad hoc illos ea doctrina generali admonebat, vt mutuò redderent debitum: ergò ex propria intentione ad redditionem debiti ficti eos exhortabat. Ad primam: conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quià licèt prævideret, quod audita tali doctrina vniverſali recta & vera, ipſi movendi eſſent ad carnalem concubitum, etiam prævidebat hoc futurum forè propter eorum errorem, & falſam applicationem talis doctrinæ, cuius ipſe cauſa non eſſet, niſi tantum permiſiva, & ideò ſi audita tali doctrina, ipſi moverentur ad concubitum, hoc non deberet imputari eius exhortationi, & doctrinæ cauſaliter, ſed tantum permiſsivè; cauſaliter verò, & originativè imputandum erit errori invincibili, quo laborabant: vndè propriè, & verè loquendo nec indirectè illos ad concubitum exhortabat. Ad ſecundam, nego antecedens, quià ex vi illius doctrinæ generalis confeſſarius ſolùm deberet intendere, quod non contemnerent legem Dei veram affectivè, ſed potius quod perſeverarent in affectu vniverſali, & efficaci ſervandi veram legem Dei; ex quo purè permiſsivè, & prætèr eius intentionem ſequeretur redditio debiti ficti, & verus concubitus carnalis. Quod ſi vlterius determinatè intenderet redditionem debiti falsò exiſtimati, & concubitum carnalem inter eos, hoc non licitè faceret, nec ad hoc eos licitè induceret.

14 Ex quibus dictis obiter colliges, quàm falſa ſit illa doctrina Tamburini libro 3. in Decalogum cap. 1. §. 6. num. 7. & aliorum, quos ipſe citat, dicentis: *Licitum eſt inducere teſtem ad iurandum falſum, quod iurans quidem putat eſſe verum, ipſe verò inducens ſcit eſſe falſum.* Quam aſſertionem Magiſt. Gonet. Diſer. Theologica de opinionum probabil. num. 91. ait eſſe omnino improbabilem, & erroneam, & prorſus intolerabilem: eius autèm falſitas conſtat ex dictis. Et vlterius, quià ideò in illo caſu iurans falſum excuſaretur à peccato, quià falſitas in iuramento ſibi eſſet involuntaria, vtpote invincibiliter ignorata; ſed inducenti non eſſet involuntaria, ſed voluntaria, quià ab ipſo ſcita: ergò peccaret inducens, licet non peccaret iurans.

15 Nec vllius momenti eſt quod ait Tamburinus, nimirum ſic arguens: iurare falſum, quod ſinè culpa putatur eſſe verum, actus eſt religionis; vndè qui ad hoc inducit, ad actum virtutis inducit; ſed licitum eſt inducere ad actum virtutis: ergò. Reſpondeo enim, non eſſe illum actum virtutis nec religionis effectivè & re ipſa, ſed potius re ipſa eſſe traſgreſivum legis religionis: ſolùm autem affectivè ex parte iurantis, & exiſtimativè eſſet actus religionis; & ideò ipſe excuſaretur à culpa. Attamen ex parte inducentis hæc non eſſet excuſatio, quià benè ſciebat illud iuramentum eſſe falſum, & re ipſa prohibitum à religione: àc proindè ipſe affectivè, & exiſtimativè violaret legem religionis, imò iuraret ipſe ſcienter falſum, licet non per ſe, tamèn per amicum inductum, ſaltèm moraliter loquendo, quià in moralibus, qui præcipit, ſuadet, aut inducit alterum ad aliquid faciendum dicitur illud facere, ſi non per ſe, ſaltèm per alium.

QVÆSTIO XIII.

Quid ſit dubitare, & àn ſemper ſit cùm ratione?

1 POSTQVAM Exactè, quæ ad notitiam conſcientiæ erroneæ attinere poſſunt, declarata relinquimus, debitus ordo expoſtulat, vt iàm quæ ad conſcientiam dubiam expectant, exponamus. Et primò quæritur: quid ſit dubitare, vel dubium? Cui quæſtioni, vt reſpondeam.

2 Dico primò, quod dubium recte definitur à Div. Thom in 3. diſt. 7. quæſt. vnic, artic. 4. *Eſt motus rationis ſuprà vtramque partem contradictionis, cùm formidine determinandi alteram.* Seu, vt antea hoc idem explicaverat Div.

Iſidorus : *Eſt motus indifferens in vtramque partem contradictionis.* Quæ quidem definitio adeò clara eſt, vt probatione non egeat, potiſsimè cùm tanta ſit authoritate fulcita. Tamen aliquas obijciunculas non omittam.

3 Obijcies contra illam primo : per dubium ligatur mens, ſeu ratio, vt moveri, aut determinari non poſsit : ergò dubium non eſt *motus*, ſed potius ceſſatio à motu. Diſtinguo antecedens : per dubium ligatur mens aut ratio, vt moveri non poſsit vſque ad terminum, & quietem, ſivè vt moveri non poſsit conſummate, & perfecte, concedo antecedens : vt moveri non poſsit inchoativè incipiendo inquiſitionem veritatis, nego antecedens, & conſequentiam ſub eadem diſtinctione ; quià ratio, ſeu intellectus incipit motum ſuum inquirendo veritatem, & conferendo rationes pro vtraque parte contradictionis, vt illam inveniat ; terminatur autem talis motus, dum veritas determinate invenitur in vna parte contradictionis, vel re ipſa, vel exiſtimativè. Dubium igitur conſiſtit in illo motu inchoativo, & conatu intellectus, quo inquirit veritatem, ligato per æqualitatem rationum pro vtraque parte, ſive per indifferentiam nè vltrà progrediatur vſque ad veritatis inventionem ; quaſi ideò dicitur motus indifferens, id eſt, motus inchoatus, & inbivio, & indifferentia detentus nè vltra progrediatur.

4 Obijcies ſecundò, nàm dubium non eſt veritatis inquiſitio : ergò non eſt motus inchoatus modo explicato. Antecedens probatur, quià dubium præſupponitur ad veritatis inquiſitionem : ergo non eſt veritatis inquiſitio. Antecedens probatur : ideò enim veritatem inquirimus, quià dubitamus ; quià dubitamus enim conſulimus ſapientes pro veritate invenienda : ergò. Reſpondeo negando antecedens, ad probationem diſtinguo antecedens : dubium præſupponitur ad veritatis inquiſitionem inchoativè ſumptam, nego antecedens : ad veritatis inquiſitionem in ſui progreſſu, concedo antecedens ; ad cuius probationem dico : quod ipſe motus dubitationis eſt prima, & inchoata veritatis inquiſitio, cæterum ſicut in motu vitali cordis primus motus cauſat ſequentem, & ſic deinceps, ità in motu rationis primus, & inchoatus motus dubitandi excitat, & cauſat ſequentem motum interrogandi. Vbi primus motus eſt inquiſitio veritatis inchoata ; ſecundus eſt ipſa inquiſitio veritatis continuata per interrogationem. Primus eſt ipſa dubitatio formalis, & interna, ſecundus eſt etiam dubitatio externa : nàm interrogare, potiſsimè cùm ratione, eſt dubitare.

5 Obijcies tertiò : dubitare non eſt motus rationis, ſed motus apprehenſionis : ergò male dicitur in definitione, quod eſt motus rationis. Antecedens probatur, quià quanvis nullam habeamus rationem pro vlla ex partibus contradictionis, poſſumus dubitare : ergò dubitare non ſemper eſt motus rationis. Antecedens probatur ex Div. Thom. quæſt. 14. de verit. artic. 1. in corp. vbi ait : *Quod intellectus noſter quandoque non magis inclinatur in vnam partem, quam in aliam, vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad vtramque partem, & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Ergò in problematibus de quibus rationes non habemus intellectus dubitat : ergò dubitat abſque ratione pro vlla ex partibus contradictionis. Secundò : nàm omnes dubutamus, àn ſtellæ ſint pares, vel impares ; & tamen pro neutra parte habemus rationem : ergò dubitare non ſemper eſt cùm ratione. Vt ad hæc reſpondeam.

6 Dico ſecundò : *Dubitare propriè, & poſitivè ſemper eſt cùm ratione.* Ità Cella Dei, & Magiſt Ferre in præſenti. Et probatur primò ex communi vſu Div. Thom. & fere omnium ſcholaſticorum, qui quæſtiones incipiunt, proponendo rationes dubitandi pro vtraque parte contradictionis, vel pro altera ſaltèm, quod ſuperfluum videretur, ſi ad dubitandum nulla opus eſſet ratione. Secundò : nàm quicumque dubitat, àn aliquid ità ſit, vel non ſit, ſi interrogemus ab eo, cur dubitat ? Nequit reſpondere : *Neſcio cur dubito, aut propter quid dubito* : & ſi hoc reſponderet pro fatuo haberetur. Nec item reſpondere poſſet : *Propter nihil dubito* ; nàm hoc etiam eſſet fatuitas manifeſta : ergò poſſet aſsignare aliquid pro motivo dubitandi ; ſed hoc eſt dubitare cùm aliqua ratione : ergò dubitare ſemper eſt cùm aliqua ratione dubitandi. Tertiò : nàm dubium eſt duplex, aliud purè negativum, & improprium, & aliud poſitivum, & proprium. Dubium purè negativum ſolum importat puram apprehenſionem obiecti

cùm ſuſpenſione omnis diſcurſus circa alteram partem contradictionis: & dicitur magis neſcientia, aut ignorantia, quàm propria dubitatio; ſicut de iſta poſitione: *Aſtra ſunt paria*, dubitamus negativè, quià nullam rationem habemus, vt ſint paria, potius quàm imparia; & ideo de hoc propriè non dubitamus; ſed neſcimus. Attamen dubium poſitivum non poteſt in ſola huiuſmodi apprehenſione conſiſtere, ſed neceſſario debet addere aliquàm rationem pro altera, vel pro vtraque parte contradictionis, aliàs ſicut dubium negativum, eſſet pura neſcientia, aut ignorantia, & ab illa nullo ex capite differret: ergò dubitare propriè, & poſitivè ſemper eſt cùm ratione. Ex quo iàm patet ad obiectiones præiactas. Nàm Div. Thom. intelligendus eſt, ità vt circa problemata, quando non dùm de illis rationem habemus, ſit tantum dubium negativum, & improprium: quando vero ſunt rationes apparentèr æquales eſt diſpoſitio propriè & poſitivè dubitantis.

7 Sed dices: authoritas dicentium poteſt cauſare ſufficientèr dubium: ergò non eſt neceſſùm quod dubium ſemper ſit cùm ratione. Reſpondeo, quod ratio poteſt ſumi, vel latè pro motivo quocumque inclinante intellectum ad diſcurſum, vel aſſenſum: vel ſtrictè, & ſpecialiter pro motivo diſtincto ab authoritate dicentium. Dubitare igitur non exigit eſſe ſemper cùm ratione ſpecialiter, & ſtrictè dicta, ſed ſufficit quod ſit cùm ratione generalitèr ſumpta, hoc eſt, cùm motivo. Nàm hoc in ſenſu authoritas etiam poteſt eſſe ratio dubitandi, diſcurrendi, probandi, & aſſentiendi.

8 Dico tertiò: *Benè, & prudenter dubitare ſemper eſt cùm bona, gravi, & conſiderabili ratione.* Patet, nàm ſi dubitare ſemper eſt cùm ratione: ergò bene dubitare debet eſſe cùm bona, id eſt, cùm gravi, & conſiderabili ratione; alioquin ſi ratio ſit levis, & nullius momenti, qui ex illa dubitat, levitèr, & imprudentèr dubitabit.

9 Sed dices primò: vel ratio dubitandi pro parte affirmativa, v. g. verè eſt ratio, vel verè non eſt ratio; ſi hoc ſecundum: ergò iàm datur dubitare abſque ratione, nàm ratio, quæ verè non eſt ratio, abſolutè non eſt ratio. Si primum: ergò ex illa quis rationabilitèr poteſt aſſentiri parti affirmativæ, & conſequenter non dubitabit. Reſpondeo, quod ratio dubitandi pro parte affirmativa verè eſt ratio dubitandi, non tamen eſt verè ratio aſſentiendi, quià quàm optimè componitur, quod aliquod motivum ſit ratio ſufficiens fluctuandi, & dubitandi, quin tamen ſit ſufficiens ad hic, & nunc aſſentiendum, & determinandum ad aſſenſum. Et ſic, ſi ex tali ratione dubitet, rationabilitèr dubitat; ſi tamen ex tali ratione aſſentitur, temerè, & irrationabilitèr aſſentitur.

10 Secundò dices: ſi ratio eſt gravis, & conſiderabilis pro parte affirmativa, reddit illam verè probabilem; nàm probabile, vt infra dicemus, eſt quod nititur motivo, aut ratione verè gravi, & conſiderabili; ſed eo ipſo poteſt generare prudentem aſſenſum: ergò non generat dubium. Confirmatur: vel talis ratio evidentèr ſolvitur, vel evidentèr non ſolvitur. Si primum, eſt ratio nulla, & dubitare erit ſinè ratione. Si ſecundum, illa ratio generat & facit aſſenſum probabilem: nàm ratio evidentèr non ſoluta eſt ſufficiens motivum ad aſſenſum prudentem: ergò nunquam dari poteſt ſufficiens ratio dubitandi, quæ non ſufficiat ad aſſenſum prudentem.

11 Reſpondeo diſtinguendo maiorem: reddit illam verè probabilem ſecundum quid, & attenta præcisè illa ratione, concedo: ſimplicitèr & omnibus inſpectis, tàm in prò, quàm in contrà, nego maiorem, & minorem. Nàm ſi pro parte affirmativa ſit ratio gravis, & conſiderabilis, & etiam pro parte negativa ſit ratio gravis, & conſiderabilis in æquali gradu; tunc neutra pars evadit ſimplicitèr, & omnibus inſpectis probabilis; ſed vnaquæque ſecundum quid, vt infra explicabimus: hæc autem probabilitas æqualis ſecundum quid pro vtraque parte contradictionis, eſt quidem motivum ſufficientiſsimum, & prudentiſsimum dubitandi, non autem aſſentiendi vni parti potius quàm alteri; vndè qui dubitaret, dubitaret quidem prudentèr, ſed ſi aſſentiret, imprudentèr aſſentiret. Ad confirmationem dico, quod ratio dubitandi prudentèr, dùm eſt talis, evidentèr non ſolvitur, ſed nec evidentèr ſolvit contrariam; nàm remanet in æquilibrio comparata cùm ratione oppoſita, neutra contra alteram prævalente: & hæc eſt diſpoſitio dubitandi, in qua licet vtraque pars ſeorſim ſit ſecundum quid probabilis, aut veroſimilis, neutra tamen ſimplicitèr, & abſolutè, nec poteſt, æquilibrio durante, generare pruden-

dentem assensum vnius partis potius quàm alterius.

12 Sed dices: demus quod pro vna parte contradictionis nulla adsit ratio. Poterit ne pro altera parte esse ratio prudenter dubitandi, quæ non sit ratio prudenter assentiendi? Respondeo id posse contingere, licet raro: nàm ratio pro vna parte potest esse in tali gradu quod sufficiat ad dubitandum, sed non ad assentiendum, v. g. si vnus testis tantum, qui levis sit authoritatis, asserat, Petrum patrasse homicidium, & Petrus nullum testem, aut rationem exhibeat in sui defensionem: sanè in dicto casu dictum testis non sufficit ad prudentem assensum de homicidio à Petro patrato; sufficit tamen ad dubitationem prudentem; vndè Iudex ex tali dicto prudenter dubitat & inquirit veritatem, ad eiusque examen iustissimè procedit. Et ità contingit quoties ratio, aut motivum pro vna parte non facit de se plenam probabilitatem, sed semiplenam tantum, & secundum quid talem; in quo casu, licet intellectus non possit illi prudenter assentiri, potest tamen prudenter de illa suspicari. Suspicio autem dubium est, quatenùs non pervenit ad determinatum assensum, licet addat aliquid suprà dubium, scilicet imperfectam inclinationem intellectus ad vnampartem.

13 Sed dices: dubium debet esse motus rationis indifferens super vtramque partem contradictionis; sed quando adest ratio, licet imperfecta, pro vna parte, & nulla pro alia, tunc non est motus indifferens super vtramque partem, quià est potius inclinatus ad vnam, quàm ad aliam. Nec motus rationis super vtramque, quià solum est ratio pro vna: ergò non est dubium. Respondeo: hoc ad summum probare quod tale dubium non sit adæquatè positivum, quià nec intellectus habet rationem positivam pro vtraque parte, nec indifferentiam positivam, aut motum positive indifferentem, & inclinantem in vtramque partem: sed non tollitur, quod habeat dubium partim positivum & partim negativum; positivum quidem ex vna parte, quià habet rationem positivam, & positivum motum circa illam, non pervenientem vsque ad determinatum assensum: negativum quidem ex alia parte, quià licet nullam habeat rationem positivam pro illa, nec motum inclinantem ad illam, tamen non dùm intellectus habet rationem plenè probantem oppositam, quod est habere rationem negativam pro illa; & etiam est negative indifferens ad illam, quatenùs non est determinatus ad oppositam. Et in hoc tantum sensu concedimus posse dari dubium, quando, pro vna tantum parte adest ratio secundum quid probabilis sufficiens ad suspicionem, & non ad assensum determinatum, quin ex alia parte aliqua ratio detur. Quod quidem dubium aliquatenùs exit extra metas dubij; nàm re ipsa est suspicio media inter purum dubium, & determinatum assensum, participatque aliquid de dubio, & etiam aliquid de assensu determinato, ità vt possit appellari inchoativè assensus, & participativè dubium, licet potius videatur pertinere ad dubium, quàm ad assensum.

QVÆSTIO XIV.

An detur, & quid sit conscientia dubia?

1 POST Explicationem dubij in genere, sequitur ordine debito agere de conscientia dubia, cuius explicatio valdè vtilis est ad præsens institutum. Ocurrunt autem examinanda plura. Primò vtrùm detur conscientia dubia. Secundò vtrùm obliget in conscientia. Tertiò in vi cuius legis: quæ omnia in sequentibus sunt declaranda suo ordine. Igitur.

2 Dico primò: *Datur conscientia dubia.* Hoc assertum non indiget alia probatione, quàm authoritate omnium Theologorum, imò & hominum, ipsaque experientia. Hac enim edocti omnes testantur dari conscientiam dubiam, nihilque magis notum, quàm nos sepijssimè in conscientia dubitare.

3 Sed arguit Magist. Ferre in præsenti, argumento sibi difficilis conscientia est applicatio scientiæ ad opus; sed dubitans nequit applicare dubium suum ad opus: ergo dubium non potest esse conscientia, nec conscientia potest esse dubia. Minor probatur, quià dubium non potest esse regula operis; ergò dubitans nequit applicare dubium ad opus. Antecedens probatur primò, quià licet aliquis cùm dubio possit operari, non tamen regulando se per dubium. Secundò, quià dubium est actus intellectus indifferens; opus autem semper est singulare, & determinatum; sed actus indifferens non potest esse regula actus determinati: ergò.

4 Respondeo, & dico se-

cundo, quod sicut conscientia recta est applicatio rationis rectæ ad opus determinatum, & conscientia erronea est applicatio rationis erroneæ ad opus determinatum, & conscientia probabilis est applicatio rationis probabilis ad opus determinatum, & conscientia certa, & evidens est applicatio rationis certæ, & evidentis ad opus determinatum, ità conscientia dubia est applicatio rationis dubiæ ad opus determinatum. Et sicut conscientia quælibet est applicatio rationis vniversalis, & speculativæ ad opus singulare, ità vt per talem applicationem ratio, aut scientia, quæ antea erat vniversalis, & speculativè practica, fiat practicè practica, & dictamen singulare; ità pariter conscientia dubia est applicatio rationis speculativè, & vniversaliter dubiæ ad opus hic & nunc eliciendum, qua applicatione dubium vniversale, & speculativum fit practicum, & singulare.

5 Valde tamen advertendum est, duplicem excogitari posse applicationem ad opus singulare. Primam intellectualem, & intra lineam intellectus. Aliam efficacem, & affectivam pertinentem ad voluntatem. Prima fit per discursum intellectus, quo actum vniversalem contrahit ad obiectum singulare, vt id ipsum, quod affirmabat, negabat, aut dubitabat de obiecto in vniversali, id ipsum affirmet, neget, vel dubitet de ipso in singulari: quod quidem intellectus facit per discursum descendendo ab vniversalibus ad singularia. Secunda applicatio est, quæ fit per actum voluntatis, qui appellatur vsus activus, quo efficaciter applicat regulas intellectus ad opus exercendum, & efficiendum. Igitur in hac secunda applicatione non consistit conscientia, tùm quià conscientia non est actus voluntatis; tùm quià hæc secunda applicatio supponit iàm conscientiam: antequam enim voluntas applicet potentias, & regulas ad opus efficiendum, debet supponi in intellectu conscientia dictans tale opus esse licitum, vel illicitum: tùm denique, quià adhuc supposita conscientia in intellectu dictante hoc opus hic & nunc esse faciendum de præcepto, potest voluntas contra conscientiam non applicare efficaciter talem regulam ad opus efficiendum, sed potius illud omittere: in quo casu datur verè conscientia, & non datur applicatio voluntatis ad opus efficiendum. Solum igitur consistit conscientia in prima applicatione, quæ fit per discursum practicum intellectus.

6 Quo supposito iàm respondeo ad argumentum Magist. Ferre, detegendo æquivocationem, qua laborat. Conscientia est applicatio scientiæ ad opus efficiendum hic & nunc, nego maiorem: ad opus cognoscendum vt hic & nunc efficiendum, vel non, concedo maiorem: & distinguo minorem: dubitans nequit applicare dubium suum ad opus efficiendum hic & nunc, concedo minorem: ad opus cognoscendum sub dubio àn hic & nunc sit efficiendum vel non, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris, concedo quod dubium non potest esse regula operis efficiendi, sed potest dubium vniversale esse regula dubitandi de opere singulari àn sit efficiendum vel non. Itaque conscientia dubia non consistit in applicatione efficaci dubij ad opus efficiendum, vel non efficiendum; sicuti nec conscientia in applicatione efficaci scientiæ ad opus efficiendum. Quoties enim quis habet conscientiam de aliquo opere faciendo ex præcepto, & tamen non se applicat ad tale opus efficiendum, sed ad oppositum? Solum ergò consistit conscientia dubia in applicatione dubij vniversalis ad dubitandum de opere in singulari, sicuti conscientia generaliter consistit in applicatione dictaminis vniversalis ad dictandum de opere in singulari. Licet autem certum sit, quod dubium, manens dubium, non possit applicari vt regula ad opus singulare efficiendum hic & nunc, quod rectè probat argumentum; tamen nullus negare potest, quod dubium vniversale applicari potest, etiam vt regula, ad dubitandum in singulari àn opus licitè fieri possit hic & nunc, quià sicut iudicium vniversale est regula iudicandi in particulari, ità dubium vniversale potest esse regula dubitandi in particulari: potest igitur dubium vniversale applicari ad opus singulare dubitando de illo hic & nunc, quo pacto formatur conscientia dubia.

7 Sed dices: conscientia debet esse regula proxima operis, quæ possit applicari ad opus; sed conscientia dubia non potest esse regula proxima operandi, quæ possit applicari ad opus: ergò conscientia dubia non est conscientia. Maior patet; nàm licet conscientia non debeat esse applicatio efficax ad opus efficiendum, debet tamen esse regula quæ possit applicari per voluntatem ad opus efficiendum. Secundo; conscientia debet

bet eſſe dictamen practicum dictans quid ſit faciendum, vel omittendum ex lege; ſed conſcientia dubia nihil dictat: ergò non eſt conſcientia. Reſpondeo: ex his rectè probari conſcientiam dubiam non eſſe perfectè, conſumatè, & propriè conſcientiam, ſed inchoativè, imperfectè, & impropriè; & iuxta hanc diſtinctionem dico, quod conſcientia propriè dicta, & perfectè talis, debet eſſe regula operis, & dictamen practicum dictans quid ſit faciendum, vel omittendum ex præcepto: & hoc pacto negamus quod conſcientia dubia ſit propriè conſcientia, quià nec eſt regula proxima, quæ poſſit applicari ad opus, nec eſt dictamen practicum. Solum ergò dicimus eſſe conſcientiam impropriè, & imperfectè, ſeu inchoativè; ſicut enim dubium non eſt propriè iudicium, ſed inchoativè, quatenùs eſt quædam inchoatio iudicandi: ità conſcientia dubia non eſt proprie dictamen, nec conſcientia, ſed quædam inchoatio dictandi, & conſcientia inchoata non dùm habens perfectam rationem conſcientiæ, nec pro licito, nec pro illicito.

8 Ex quo infero, invtilitèr aliquos Authores apud Magiſt. Ferre in præſenti laborare in aſsignando quid dictet conſcientia dubia, quid vè proponat voluntati. Nàm conſcientia dubia nihil dictat, nec proponit voluntati faciendum, vel omittendum; ſed vnicè dubitat attentis omnibus circuſtantijs hic, & nunc & in dubitando ſiſtit: & hic non latet alia difficultas, nec aliud myſterium.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm liceat operari cùm conſcientia dubia illud, de quo dubitatur àn ſit licitum?

1 CASVS Quæſtionis eſt, quando dubitatur in conſcientia, àn aliquod opus ſit licitum, vel illicitum, àn ſcilicet tunc licitè poſsit quis tale opus elicere, & abſque peccato. Item quando conſcientia dubitat àn teneamur ad aliquod opus, v.g. ad recitandas horas, vtrùm poſsit quis licitè omittere recitationem horarum. Igitur.

2 Reſpondeo negative cùm communi omnium Theologorum ſententia. Et probatur primò ex Div. Thom. qui Quodlib. 8. artic. 13. aperte ait: *Quod qui dubitat àn ſit licitum habere plures præbendas, ſi manente tali dubitatione, plures præbendas habeat, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* Ergò iuxta Div. Thom. agere cùm conſcientia dubia id de quo dubitatur àn ſit licitum, vel illicitum eſt proculdubio peccare. Secundò probatur ex illo ad Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, quod iuxta omnes Interpretes ſic exponitur: omne quod non eſt ex bona exiſtimatione, qua credatur eſſe licitum, peccatum eſt, ſivè omne, quod non eſt ex conſcientia, peccatum eſt; ſed qui operatur cùm conſcientia dubia id, de quo dubitatur àn ſit licitum, illud facit, & non ex fide, quià non facit illud ex bona intentione, qua credat illud eſſe licitum, ſed dubitando, nec ex conſcientia dictante illud eſſe licitum, quià conſcientia dubia propriè non eſt conſcientia, nec ex illa quiſque poteſt regulari ad operandum, vt dictum manet: ergò proculdubio peccat.

3 Tertio, quià ille qui ſe exponit periculo proximo peccandi, & offendendi Deum, neceſſario peccat; ſed qui operatur cùm conſcientia dubia de honeſtate operis, exponit ſe periculo proximo peccandi: ergò proculdubio peccat. Maior patet, tùm quià *qui amat periculum peribit in illo*: tùm quià nequit propter amorem Dei ſe exponere periculo offendendi ipſum, & eius legem violandi, vt ex terminis patet: ergò qui ſe exponit tali periculo, ſe exponit propter amorem ſui, vel alicuius boni temporalis; ſed ob amorem ſui, vel alicuius boni temporalis ſe exponere periculo proximo violandi legem divinam, eſt formaliſsimè peccare, quià eſt plus æſtimare ſe ipſum, & bonum temporale, quàm legem divinam, vel Deum ipſum: ergò ſe exponere periculo proximo peccandi eſt formaliſsimè peccare. Minor verò probatur: nàm qui dubitat in conſcientia àn tale opus ſit à Deo prohibitum, vel non, eſt in diſpoſitione ex parte intellectus æquè proxima, vt tale opus ſit prohibitum, àc vt non ſit prohibitum, & vtrumque eſt proximè contingens, & imminens, quin habeat vel minimam ſecuritatem, quod potius erat licitum, quàm prohibitum, aliàs non dubitaret: ergò imminet periculum proximum violandi legem prohibentem, ſi tale opus eliciat: ergò ſe exponit periculo proximo violandi legem.

4 Quartò: quià operans cùm conſcientia dubia, ex modo operandi

contemnit legem Dei: ergò peccat. Antecedens probatur, quià vel formaliter, vel interpretativè hoc modo tendit: *Volo hoc opus facere, ſivè ſit, ſivè non ſit lege divina prohibitum*; ſed hic modus operandi eſt formaliſsimè contemptivus divinæ legis, vt perſe patet: ergò ex modo operandi contemnit divinam legem. Maior probatur, nàm qui, dubitando, àn tali opere violanda ſit lex Dei, vel non, ſe nihilominus reſolvit ad tale opus faciendum, id nullatenus facere poteſt, niſi interpretativè ſaltèm dicendo: *Sivè violetur lex, ſivè non, illud opus volo facere*; nec aliter excogitari poteſt.

5 Vrgetur: vel illud opus aggreditur nullo modo curando àn ſit prohibitum, vel non, & hoc formaliſsimè eſt contemnere divinam legem, ſiquidem eſt non curare in operando de conformitate, vel contrarietate ad illam, ſed eam ſpernere. Vel illud opus aggreditur attendendo ad conſcientiam dubiam, qua dubitat àn tale opus contrariabitur legi Dei, vel non. Et tunc inquiro, vel aggreditur illud opus abſque vlla formidine, & timore violandi legem Dei, & ei contradicendi, vel cùm timore. Si primum: eſt horribilis contemptus divinæ legis, ſcilicet, non formidare vllo modo quod violetur lex, vbi proximè imminet periculum quod violetur. Si ſecundum: ergò aggreditur illud opus vincendo timorem violandi legem. Sed hoc eſt ex modo tendendi velle illud opus elicere, quanvis forſan violetur lex: ergò. Hæc quidem de conſcientia dubia ſunt communia apud omnes Theologos, cùm quo tamen miror, àc ſtupeo, quod tot, tantique illorum convenerint in affirmando licitum eſſe cuilibet in concurſu opinionum contradicentium circa licitum, & illicitum, ſequi in praxi quod minus probabiliter iudicatur licitum, quanvis magis probabiliter iudicetur illicitum. Sed de hoc infrà, vbi videbimus, qualiter adverſarij præcedentes rationes elidere conantur.

QVÆSTIO XVI.

An detur lex reflexa ſeu præceptum ſequendi partem tutiorem in dubio conſcientiæ, & àn ſolum per reſpectum ad illam ſit peccatum eligere partem dubiam?

1 QVANVIS Aſſertum quæſtionis præcedentis adeò reputetur verum, obſtat tamen contra illud hæc obiectio. Qui operatur cùm conſcientia dubia non peccat contra legem dubiam; aliàs nec contra legem certam, quià ſi adeſſet lex certa, iàm non eſſet conſcientia dubia, ſed certa: ergò nullo modo peccat. Maior probatur, quià contra legem dubiam ad ſummum poteſt dari peccatum dubium, non certum, nàm peccatum certum ſemper eſt contra legem certam: ergò nemò certè peccat contra legem dubiam. Secundò: ſi fortasè lex non exiſtat, non peccat contra illam, quià contra legem non exiſtentem nemò peccat. Deinde quanvis exiſtat, contra illam non peccat: ergò dubius de lege contra illam non peccat. Minor probatur, quià reſpectu dubitantis, quod lex exiſtat potius quàm quod non exiſtat eſt omninò per accidens, & fortuitum; ſed ex aliqua lege omninò per accidens, & fortuitò exiſtenti reſpectu operantis, nemò incurrit peccatum, aliàs cùm ignorantia invincibili legis aliquis peccaret contra illam: ergò.

2 Huic argumento reſpondet Terillus, vt aſſolet, recurrendo ad legem reflexam, ait enim quod operari cùm conſcientia dubia, non exindè eſt peccatum, quià ſit contra legem directam dubiam, ſed quià eſt contra legem reflexam, taliter, quod ſi quis operetur in dubio, non attendens ad legem reflexam certam, non peccaret. Sic quæſtione 18. num. 12. Pro cuius ſolutionis examine, duo videnda ſunt. Primum àn detur lex reflexa, ſeu præceptum ſequendi partem tutiorem in dubijs conſcientiæ, relicta parte dubia. Secundum, àn qui ſequitur in praxi partem dubiam vnicè peccet contra legem reflexam, vel etiam independenter ab illa.

3 Quantum ad primum, notandum duxi, illam dici in dubio conſcientiæ partem magis tutam, quæ nullo modo incurrit periculum violandi legem, aut ei contradicendi; illam verò minus tutam, de qua dubitatur àn per illam violanda ſit lex Dei, vel non. Dubitat quis àn tenetur horas recitare, vel non. Tutior pars eſt horas recitare, quià in hoc non eſt periculum violandi legem. Minus tuta eſt ommittere recitationem. Item dubitat quis àn hic contractus ſit prohibitus: tutior pars eſt illum non celebrare, minus tuta eſt illum celebrare.

4 Sed, vt hi termini explicentur, dices: ſi pars dubia eſt minus tuta: ergò iàm eſt tuta. Sed eligere licet partem tutam: ergò licet illam eligere. Rurſus, ſi vna pars eſt tutior altera, ergò vtraque eſt

eſt tuta: ergò vtraque tutò ſequi poteſt. Reſpondeo, quod pars dubia, v.g. celebrare contractum, dicitur minus tuta adverſativè, non comparativè: & etiam pars tutior, v.g. non celebrare contractum, dicitur tutior adverſativè, non comparativè: eo modo quo de duabus partibus contradictionis dicitur quod vna eſt verior altera, quod non dicitur comparativè, quaſi vtraque ſit vera, vna magis, & alia minus; implicat enim apertè vtramque partē contradictionis eſſe ſimul veram, ſed dicitur adverſativè, hoc eſt quod vna præ alia eſt vera, ſeu quod potius affirmativa, quàm negativa vera eſt: qua locutione non affirmatur, quod negativa vera ſit, nec minus vera ſit poſitivè, aut comparativè, ſed potius quod vera non ſit. Sic igitur cùm in dubio dicimus tutius eſt recitare, quàm non recitare, non eſt ſenſus quod vtrumque ſit tutum, ſed quod ex illis duobus potius eſt tutum recitare, quàm non recitare, ſeu quod illud præ hoc tutum eſt; non quod non recitare tutum ſit poſitivè in dubio, ſed potius quià ſolum tutum eſt recitare, & periculoſum non recitare. Ità communitèr explicant hos terminos Theologi. Quo ſuppoſito.

§. I.

Statuitur prima concluſio.

5 DICO Primò: *Datur præceptum, & lex reflexa eligendi partem tutiorem, ſivè partem tutam præ dubia in dubijs conſcientiæ.* Probatur primò ex Iure Canonico cap. *Ad audientiam*, vbi hæc ſpecies proponitur. Cùm quidam Presbyter vellet cingulo, quo cingi ſolebat, vnum de familia corrigere, & verberare, contigit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapſus, eum in dorſo aliquantulum vulneraret. Vixit is aliquandiù, & convaluit à vulnere; tamen alia, vt dicitur, infirmitate percuſſus obijt: de quo Summus Pontifex conſultus reſpondet: *Quià verò vtrum occaſione vulneris deceſiſſet dubium habetur, veſtræ diſcretioni duximus reſpondendum, quod cùm in dubijs ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit iniungere Presbytero memorato, vt in ſacris ordinibus non miniſtret. Si verò ille ex alia infirmitate obierit, poterit.*

6 Confirmatur ex cap. *Significaſti* 2. vbi hæc refertur ſpecies: quidam ornamenta Eccleſiæ rapiens dicitur à quodam Presbytero percuſſus. Mox parrochiani ſupervenientes gladijs, & fuſtibus eum peremerunt. Et conſultus Pontifex reſpondet: *Vel conſtat percuſſionem illatam à Presbytero non fuiſſe lætalem, & tunc poterit miniſtrare; vel non conſtat, nec dicerni poteſt ex cuius ictu percuſſus interijt; & in hoc dubio tanquam homicida haberi debet, etſi forte homicida non ſit, à Sacerdotali Officio abſtinere debet, cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.*

7 Vrgetur: ex cap. *Petitio*, vbi proponitur quoſdam inimicos Crucis Chriſti invaſiſſe caſtrum quoddam: egreſoſque habitatores laicos, & Clericos ad defenſionem, hinc indè multos occiſos fuiſſe. Cuidam ergò metuenti àn irregularitatē incurriſſet, reſpondet Summus Pontifex: *Mandamus, quatenus, ſi de interfectione cuiuſdam tua conſcientia te remordet, à miniſterio Altaris abſtineas reverenter, cùm ſit conſultius in huiuſmodi dubijs abſtinere, quam temere celebrare.* Ex quibus conſtat in Iure Canonico expreſſum eſſe, quod in dubijs ſemitam tutiorem debeamus eligere, & quod debemus à parte dubia abſtinere; ſed quandò in iure eſt expreſſum quod aliquid debemus facere, vel quod aliquid debemus omittere, eo ipſo datur lex, & præceptum obligans ad illud faciendum, vel ad illud omittendum: ergò datur lex, & præceptum indubijs eligendi partem tutam, & omittendi dubiam.

8 Reſpondebis primo: ex prædictis textibus ſolum ſequi quod detur conſilium de tutiori parte ſequenda, & quod ex conſilio debeamus eam eligere, non autem præceptum. Sed contra eſt, quià, propriè loquendo, ad id quod tantum cadit ſub conſilio non tenemur, nec illud debemus facere, licet melius ſit illud facere; ſed in prædictis textibus dicitur, quod ſemitam debemus eligere tutiorem in dubijs: ergò non poteſt intelligi id tantum eſſe de conſilio, ſed etiam de præcepto. Secundò, quià Pontifex ſupponit quod ſi Presbyter in prædictis dubijs celebraret, temere celebraret; ait enim in prædictis dubijs tutius eſſe ceſſare, & abſtinere, quàm temere celebrare, quod falſum eſſet, vel ſupponeret, ſi celebrare non eſſet temerarium: ſed non ſolum de conſilio, ſed etiam de præcepto tenemur abſtinere à celebratione temeraria, ſivè à temere celebrando: ergò iuxta Pontificem non ſolum de conſilio, ſed etiam de præcepto tenemur abſtinere in dubijs à parte dubia, tanquam à temeritate, & eligere partem tutam.

9 Tertiò: ideò Pontifex ait debere Presbyterum in tali caſu à celebratione abſtinere, quià in celebratione magnum timetur periculum; ſed non ſolum

de

de consilio, sed etiam de præcepto tenemur vitare magna pericula violandi divinam legem: ergò sensus Pontificis non solum est quod sit de consilio, sed etiam quod sit de præcepto abstinere à celebratione. Quartò: quià si non daretur præceptum in dictis dubijs de non celebrando, tutum esset, & securum à peccato celebrare; sed quandò est tutum, & securum à peccato celebrare, melius videtur celebrare, quam non celebrare, & potius est de consilio celebrare, quàm non celebrare, saltèm semel in hebdomada, propter immensas vtilitates sacrificij: ergò abstinere à celebratione in dictis dubijs, vel est de præcepto, vel non est de consilio, hoc est, ergò vel datur præceptum contra quod sit celebrare, vel si non datur, tutius, & melius erit celebrare; àc proinde abstinere non erit de consilio.

10 Quintò: quià eligere tutius non solum in dubijs, sed in rebus certis est de consilio; sed iuxta Pontificem aliqua specialis ponitur obligatio in dubijs, quam in rebus certis: ergò ponitur obligatio de præcepto, & non solum de consilio. Maior patet, quià licet sit certum quod non teneatur quis ad sacrum audiendum diebus feriatis, tamen est de consilio illud audire: ergò in rebus certis quod est melius, & tutius cadit sub consilio.

11 Dices secundò; prædictas decisiones tenere tantum in casibus, qui ibi recensentur, non vero in omnibus dubijs conscientiæ. Sed contra, quià licet prædictæ decisiones loquantur in singularibus dubijs, applicant tamen eis doctrinam, quàm aliàs supponunt generalem, quod scilicet in dubijs semitam tutiorem debemus eligere, & ex hac regula vniversali descendunt ad illos casus particulares: ergò ex prædictis decisionibus non solum constat in illis casibus, sed etiam in omnibus dubijs conscientiæ tutiorem semitam esse eligendam ex debito, seu præcepto. Explicatur ex primò textu relato, vbi ait Pontifex: *Cùm in dubijs semitam debeamus eligere tutiorem, convenit iniungere presbytero memorato, &c.* Rogo igitur, loquitur ne hic Pontifex singulariter de illo dubio? Minimè: non enim ait: *In hoc dubio*, sed quod *in dubijs semitam debemus eligere tutiorem*: ergò loquitur de omnibus dubijs in generali.

12 Sed obijcies regulam 11. de regulis iuris, in 6. *Fabendum reo, cùm partium iura sunt obscura*: ergò in prædicto dubio, quod est de irregularitate, absolvendus est reus ab irregularitate, & consequenter poterit celebrare. Secundò; quià in foro exteriori, actore non probante, ille, qui convenitur, etiam si nihil præstiterit, debet absolvi, vt habetur in cap. vnico verbo. *Cùm enim vt Ecclesiastica beneficia.* Et hæc est consuetudo tribunalium: ergò pariter in foro interiori. Tertiò: in cap. *Is, qui.* De sententia excommunicationis cap. 6. decernitur: *Irregularitatem non incurri in casus similes, cùm id non sit expressum in iure.* At in dubijs iuris nihil est expressum in iure: ergò saltim in dubijs iuris non est quis irregularis: ergò decisiones prædictæ extendi non possunt ad dubia iuris, licet teneant in dubio facti de quo loquuntur.

13 Confirmatur primò: nàm causa propriè efficiens, & inducens irregularitatem, non est factum, sed ius: ergò quandò dubitatur de iure, dubitatur de causa inducente irregularitatem; quandò autem dubitatur de facto tantum, causa erit certa, & solum factum dubium; sed stat quàm optimè, quod quandò causa irregularitatis est certa, quis habeatur pro irregulari, quin ex hoc sequatur, quod idem sit dicendum, quandò causa irregularitatis est dubia: ergò stat optime quod in dubio facti, quandò ius est certum habendus sit reus pro irregulari, quin tamen hoc sequatur in dubio iuris. Confirmatur secundò: nàm in foro interiori, reus ipse est iudex sui ipsius; sed nemo in causa propria tenetur se condemnare: ergò in dubio non tenetur se iudicare irregularem. Tertiò, quià idem iudicium ferendum est in foro conscientiæ, quod præsumitur à recto iudice ferendum in foro exteriori, cæteris paribus; sed in foro exteriori, dùm causa est dubia, absolvitur reus: ergò in foro conscientiæ, dùm causa est dubia, potest dubitans se absolvere.

14 Respondeo ad primum, verum esse, quod in dubio, sivè iuris, sivè facti, favendum est reo; sed hoc non opponitur cùm præcepto de tutiori semita eligenda; cùm enim crimen est dubium, vel ius contra reum, si damnetur, manet periculum damnandi innocentem; si absolvatur imminet periculum non puniendi nocentem: cùm autem maius longe periculum immineat in damnando innocentem, quàm in non puniendo nocentem, indè est quod minus periculosum, & magis tutum est illum absolvere, quàm damnare ex ipsa regula, & præcepto quod in dubijs tutior pars est eligenda. Non ergò illa regula: *In dubijs favendum est Reo* opponitur cùm nostra de tutiori parte eligenda, sed potius in illa fundatur, & ex illa vires sumit.

15 Sed dices: ergò in foro conscien-

cientiæ etiam reus dubius eſt abſolvendus ab irregularitate, & poterit celebrare. Negat conſequentiam M. Ferre in præſenti num. 82 quià in foro exteriori reus negat determinate delictum, & non dubitat, actor probare tenetur, & ſi non probat, iuſtitia reum abſolvit, & eius negatio tenet. In dubio autem conſcientiæ reus non negat, ſed dubitat poſitive. Vndè in foro externo, vbi negat, ex ore ſuo probatur innocens, in foro interiori, vbi dubitat, probatur nocens; àc proinde in foro exteriori eſt abſolvendus, in interiori obligandus ad non celebrandum. Si enim in foro exteriori non negaret, ſed dubitaret, diceretque ſe eſſe incertum ob rationes, quas pro vtraque parte exprimeret, non eſſet tunc abſolvendus.

16 Sed rogo: eſſet tunc damnandus determinata ſententia pœnali? Minimè, quià adhuc maneret cauſa dubia, licet dubio ab ipſo reo confeſſo: & in cauſa dubia iniquum eſſet damnare reum ſententia pœnali certa. Nec obeſt, quod ipſe fateretur ſe dubium, & non negaret determinate delictum. Nàm hæc ingenua confeſsio cedere non debet in perniciem rei, & in damnum illius, & cauſa ſemper manet dubia: non igitur damnandus eſſet ſententia certa pro irregulari: igitur abſolvendus.

17 Reſpondeo igitur fore abſolvendum negativè, hoc eſt, relinquendum in ſuo dubio abſque vlla ſententia pœnali declaratoria, & declarandum tantum, actorem non probaſſe, & hoc idem faciendum in foro interiori, in quo neutiquam ipſe reus tenetur ſe iudicare determinate irregularem, ſed tantum manere in dubio, ex quo abſolutus quidem maneret negative ab irregularitate, hoc eſt, non declaratus, nec iudicatus determinate pro irregulari: ſed non maneret abſolutus poſitive ab illa, hoc eſt, determinate iudicatus pro immuni ab irregularitate, ſed maneret in dubio, ſeu dubitans àn irregularis eſſet. Et in hoc dubio declarat Summus Pontifex, non quidem ipſum eſſe irregularem, hoc enim eſſet contra illam regulam, in dubijs ſa vendum eſt reo; ſed illum teneri ad non celebrandum ob reverentiam Sacramenti, quià in dubijs ſemitam debemus eligere tutiorem.

18 Sed dices: hoc iàm eſt imponere ei pœnam certam non celebrandi, pro culpa, vel cauſa dubia. Reſpondeo: minimè. Quià ibi Pontifex non declarat illum privandum à celebratione in pœnam delicti dubij, ſed declarat ipſum teneri ad non celebrandum, ne incurrat novam culpam; quàm declararionem poſſet facere quilibet Theologus, nullam habens authoritatem imponendi pœnam, licet faciat maiorem fidem facta à Summo Pontifice. Vndè illa deciſio non eſt ſententia declaratoria pœnæ, ſed deciſiva quæſtionis moralis, & declarativa regulæ ſervandæ in dubijs conſcientiæ. Pœna enim ſemper dubia manet, ſcilicet irregularitas, ſed in dubio irregularitatis decernit non eſſe celebrandum propter periculum proximum violandi legem, & celebrandi irreverenter cùm irregularitate.

19 Ex quo patet ad ſecundam. Ad tertiam dico, irregularitatem non incurri in caſibus ſimilibus, niſi ſint expreſsi in iure; ſi tamen dubitetur de aliquo caſu, àn ſit, vel non ſit expreſſus in iure, quod non ſemel contingere ſolet, iàm neceſſum erit dubitare àn in illo caſu incurratur irregularitas, vel non; & tunc erit dubium iuris, & in illo dubio idem eſt dicendum in foro conſcientiæ. Quod ſi dicas, nunquam poſſe dari dubium àn caſus ſit expreſſus, vel non in iure, quià legendo textum neceſſario agnoſcitur evidenter àn caſus ibi ſit expreſſus, vel non, & ſi dubitatur adhuc, ſignum evidens eſt quod ibi non eſt expreſſus. Omittam ſane quod tale dubium dari non poſsit, licet forſan experientia contrarium doceat. Ceterum, indè ſequitur nullum poſſe eſſe dubium iuris, quod attinet ad irregularitatem, ſed ſolum dubium facti. Quod ſi hoc ità eſt, quantum ad præſentem quæſtionem de tutiori parte eligenda in dubio iuris de irregularitate, negandum erit ſuppoſitum, quod detur tale dubium, & ſemper manet vera noſtra ſententia, quod in omni dubio conſcientiæ, ſivè facti, ſivè iuris, ſi detur tale dubium datur præceptum eligendi ſemitam tutiorem.

20 Ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam, ſi, quandò cauſa irregularitatis eſt certa, factum ſit dubium; quià cùm incurſio irregularitatis pendeat eſſentialiter ex iure, tanquam ex cauſa efficiente, vt inquit argumentum, & ex facto tanquam ex applicatione neceſſaria talis cauſæ ad ſe ipſum, per factum enim applicat quis ius, ſivè cauſam irregularitatis ſibi, indè eſt, quod ſivè cauſa ſit dubia, ſivè applicatio, hoc eſt, ſivè ius ſit dubium, ſivè ſit dubium factum, ſemper manet dubius de irregularitate, qui de altero ex his dubitat.

21 Quod evidenter declaratur hoc ſyllogiſmo: *Datur ius imponens ipſo facto irregularitatem cuicumque commiſſerit delictum*

lictum A; sed ego commisi delictum A: ergò sum ipso facto irregularis. Supponamus igitur minorem mihi constare evidenter. Tunc sane si maior etiam est vera, evidentissimum est quod consequens erit verum, sivè quod *ipso facto sum irregularis.* Si autem sit falsa, falsum etiam erit consequens: ergò si suppositâ veritate minoris, dubito àn maior sit vera, vel falsa, non possum non dubitare de consequenti, àn scilicet *sim, vel non sim irregularis*; sed dubitare de maiori est dubitare de iure: ergò dubium iuris non minus quàm dubium facti inducit dubium de irregularitate. Supposito autem quod sim dubius de mea irregularitate, sic procedo: si sum irregularis, mihi prohibitum est sub sacrilegio celebrare; si non sum, licitum mihi est celebrare: ergò si dubito àn sim, vel non sim irregularis, dubito àn sit mihi licitum, vel prohibitum sub sacrilegio celebrare. Sed hoc dubium est dubium practicum, & conscientiæ, cùm quo nemini licet operari id, de quo dubitat àn sit prohibitum sibi sub mortali: ergò in tali dubio semitam debeo eligere tutiorem. En discursum, quo motus Pontifex declaravit homines illos dubios debere abstinere à celebratione, qui discursus pariter militat, sivè dubium irregularitatis oriatur ex dubio iuris, sivè ex dubio facti.

22 Ad secundam confirmationem, concedo consequentiam, quià nos non dicimus illum hominem dubium teneri se iudicare irregularem, sed dicimus, nec etiam posse prudenter se iudicare immunem ab irregularitate, quià de vtroque dubitat positive. Cùm dubio autem positivo dicimus, & dicit Summus Pontifex, quod non potest licitè celebrare, quià hoc esset temere celebrare.

23 Ad tertiam similitèr distinguo minorem, in foro exteriori, dùm causa est dubia, absolvitur reus negativè per hanc sententiam *non probavit actor*, concedo minorem: absolvitur reus positive per hanc sententiam, *declaramus quod reus immunis est ab irregularitate*, nego minorem. Et similitèr distinguo consequens, quià in foro interiori etiam potest quis iudicare non esse sibi probatam irregularitatem, attamen ex indè non potest se ipsum absolvere positive, declarando se positive immunem ab irregularitate, sed propter æqualitatem rationum dubitare tenetur: semel autem quod dubitet, temerarium esset celebrare, quià se exponeret proximo periculo celebrandi cùm irregularitate, quod absque temeritate fieri non potest, & consequenter absque peccato.

24 Et quidem instari potest argumentum, seu vltima confirmatio, quià in foro exteriori, nec de præcepto, nec de consilio in causa dubia damnandus est reus, sed potius de præcepto est absolvendus, & tamen in foro exteriori nullum est præceptum obligans ipsum reum, vt se absolvat, & celebret, sed potius est consilium de opposito, scilicet quod gerat se tanquam irregularem, non celebrando; & hoc dicitur esse de consilio, tanquam tutius, & securius ab ipsis adversarijs: ergò non bene arguitur de absolutione ferenda in foro exteriori ad absolutionem in foro interiori, ità vt celebrare possit.

25 Sed dices: ipsa obligatio non celebrandi pœna est; nàm ante delictum dubium, non erat obligatus, & nunc habet talem obligationem re ipsa onerosam, quæ nisi in pœnam incurri non potest, nec debet. Nego antecedens, quià illa obligatio, vt statim dicam, per se est obligatio iuris naturalis, qua quis ex ipso iure naturali, & syndereſi obligatur, vt temere non se exponat periculo proximo sacrilegij, aut peccati contra Deum; quæ obligatio, vt per se patet pœna non est, sed rectum dictamen syndereſis, & participatio quædam divinæ legis, quæ potius est beneficium, seu lumen receptum à Deo. Delictum autem dubium est conditio, vi cuius illa obligatio generalis contrahitur, & applicatur ad hic, & nunc, quià reddit celebrationem missæ periculosam de sacrilegio. Hoc autem supposito, ipsa obligatio generalis, quæ minime est pœna, obligat iàm ad hic, & nunc non celebrandum, non quià propter delictum dubium addatur nova obligatio, sed quià additur conditio, & applicatio talis obligationis, scilicet dubium hoc de irregularitate.

26 Sed dices: qualiter per delictum dubium applicatur certo illa obligatio ad hunc casum? Respondeo, quod non applicatur per delictum dubium, sed per dubium delicti, nec per irregularitatem dubiam, sed per dubium irregularitatis; quià lex illa, vel obligatio generalis est sequendi partem tutiorem in dubijs conscientiæ: àc per consequens solum expectat ad obligandum hic, & nunc, quod hic, & nunc adsit dubium conscientiæ; & ipsum dubium est conditio applicans obligationem illam ad casum particularem; cùm autem, licet delictum sit dubium, dubium tamen delicti non sit dubium, sed experimentaliter certum, pariterque licet pœna irregularitatis si dubia, dubium tamen de illa non sit dubium, sed certum: itemque licet sit periculum de sacrilegio dubio, periculum tamen non sit dubium, quià certum

tum eſt quod datur periculum; indè eſt quod conditio, vi cuius applicatur illa lex, vel obligatio vniverſalis ad caſum particularem, non eſt conditio dubia, ſed certa experimentaliter.

§. II.

An prædicta lex reflexa ſit naturalis, vel tantum poſitiva?

27 DICO Secundò, *Talem legem ſequendi in dubijs ſemitam tutiorem eſſe naturalem, & non ſolum poſitivam.* Probatur primò, quià in prædictis locis Iuris Canonici nō tàm imponitur illa lex, quàm ſupponitur à Summis PP. ait enim Summus Pontifex: *Cùm in dubis ſemitam debeamus eligere tutiorem, &c.* Sed lex, & obligatio, quæ ſupponitur in iure poſitivo, non eſt vnicè lex iuris poſitivi, ſed naturalis: ergò. Secundò, quià lex, quæ agnita, & approbata fuit ab ipſis Philoſophis Gentilibus, naturalis eſt; ſed Cicero ipſe lib. 1. officiorum ſic ait: *Quo circa, bene præcipiunt, qui vetant agere quidquam, quod dubites, àn æquum ſit, vel iniquum. Æquitas enim ipſa per ſe lucet, dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ.* Vbi iàm apud Ethnicos cognita erat, & approbata regula, & lex ſequendi ſemitam tutiorem in dubijs de licito, vel illicito: ergò talis lex eſt naturalis. Tertiò: quià omnis modus operandi intrinſecè malus, prohibitus eſt lege naturali; ſed modus operandi cùm dubio de honeſtate operis eſt intrinſecè malus, quià eſt intrinſecè contemptivus divinæ legis, vt probatum manet: ergò eſt prohibitus lege naturali. Rurſus, quià lege naturali prohibitum eſt exponere ſe periculo proximo violandi legem divinam; ſed operari cùm dubio de honeſtate operis, vel de eius prohibitione eſt exponere ſe periculo proximo violandi legem divinam, vt probatum manet: ergò eſt prohibitum lege naturali. Deinde non minus periculum eſt, periculum contradicendi divinæ legi, quàm periculum contradicendi veritati, ſed quià in affirmatione rei dubię periculum eſt proximum contradicendi veritati, lege naturali eſt prohibitum nobis in loquutione aſſerere rē nobis dubiam: ergò paritèr propter periculū proximum contradicendi divinæ legi, prohibitum eſt nobis lege naturali agere opus, de quo dubitamus, àn ſit prohibitum divina lege. Vrgetur non minus metuenda eſt violatio, & contrarietas in opere ad divinam legem, quàm contradictio in iuramento ad veritatem, ſeu falſitas; ſed propter metum iurandi contrà veritatem ſivè falſo, prohibitum eſt lege naturali iurare ſub dubio: ergò propter metum operandi contra legem Dei prohibitum eſt nobis operari ſub dubio.

§ III.

Statuitur tertia concluſio, & ſolvitur principale argumentum.

28 DICO Tertiò: *Independenter à lege reflexa ſequendi ſemitam tutiorem eſt peccatum agere cùm dubio id de quo dubitatur poſitivè àn ſit prohibitum.* Eſt contra Terillum, & probatur: quià per talem legem reflexam prohibetur agere ſub dubio, quià malum eſt agere ſub dubio; non autem ideò malum eſt, quià prohibetur; ſed quod prohibetur, quià malum, & non eſt malum præcisè, quià prohibetur, eſt malum independentèr à tali lege prohibente illud: ergò agere ſub dubio eſt malum independentèr à lege illud prohibente reflexe. Minor patet, quià quod prohibetur, quià malum, ſupponitur malum pro priori, & independentèr à tali prohibitione. Maior autem probatur primo, quià quod prohibetur lege naturali, non prohibetur libere à Deo, nec Deus in illo diſplicet libere, ſed neceſſario, & naturaliter; ſed implicat quod Deus neceſſario, & naturaliter prohibeat aliquid, & in illo diſpliceat, niſi quià malum eſt intrinſecè, & ex ſe; quià ſi ex ſe, & intrinſecè malum non foret, liberum eſſet Deo illud non prohibere, nec in illo diſplicere: ergò ideò Deus prohibet agere ſub dubio, quià intrinſecè malum eſt, & ex ſe. Secundò: nàm ideò prohibetur, quià eſt agere modo contemptivo divinæ legis; ſed agere modo contemptivo divinæ legis eſt intrinſecè malum ex ſe: ergò ideò prohibetur lege reflexa; quià intrinſecè malum eſt.

29 Secundo probatur concluſio: quià etiam ſi non prohiberetur lege reflexa, eſſet contemptus legis Dei directæ; ſed contemptus legis Dei directæ eſſentialiter eſt peccatum, independentèr ab eo quod prohibeatur lege reflexa, imò quanvis per impoſsibile non prohibeatur lege reflexa; ergò etiam ſi non prohibeatur lege reflexa eſſet peccatum. Maior probatur: nàm qui dubitat poſitivè àn contractus *A* ſit directè à Deo prohibitus, & cùm hoc dubio illum celebrat, hoc modo, ſaltèm interpretativè, tendit in contractum: *Volo celebrare contractum, ſivè re ipſa ſit prohibitus lege directa, ſivè non*; ſed hoc eſt formaliſsimè contemnere legem directam, ſeu directam prohibi-

tionem: ergò celebrare contractum cùm tali dubio eſt formaliſsimè contemptus legis directæ; & hoc quanvis nulla eſſet lex reflexa.

30 Sed contra hoc reſtat ſolvere argumentum initio queſtionis propoſitum; pro cuius ſolutione recurſum fecit Terillus ad legem reflexam. Ad primum igitur, nego maiorem; ad probationem, nego antecedens: quià vt certo contemnatur aliqua lex, non eſt neceſſarium quod talis lex ſit certa, ſed ſufficit quod ſit exercitè dubia, & cùm tali dubio exercito quis operetur contra illam; quod mille exemplis probari poteſt. Primò in eo qui exercite dubitans àn obiectum motum à longe eſſet homo, vel fera, in illud ſagittam mitteret animo illud occidendi; qui ſane affectivè ſaltèm contemneret vitam hominis, licet dubiam: & ſi dubium eſſet àn eſſet amicus eius, certiſsimè eius vitam contemneret, ipſumque graviter offenderet, licet illa offenſa non eſſet contra amicum certum, ſed contra amicum dubium. Item, ſiquis poſitivè dubitaret de aliqua hoſtia, àn eſſet verè conſecrata, vel non, & illam conculcaret, certo peccaret contra reverentiam debitam hoſtiæ conſecratæ, licet hoſtia tantum ſub dubio eſſet conſecrata. Et hoc non alia ratione, niſi quià tenderet in primo caſu hoc modo: *Sivè ſit homo, ſivè non; ſivè ſit meus Amicus, ſivè non.* In ſecundò verè hoc modo: *Sivè ſit conſecrata, ſivè non*, qui eſt modus contemptivus hominis, amici, & hoſtiæ conſecratæ in dictis caſibus. Sed pariter in caſu noſtræ quæſtionis ille homo celebrat contractum hoc modo tendendi: *Quanvis lex directa forſan ſit in contra*: qui modus tendendi eſt contemptivus legis directæ: ergò certiſsimè peccat contra legem directam.

31 Ad ſecundum, vel nego, vel diſtinguo maiorem: ſi lex illa non exiſtat, non peccat contra illam, illi contradicendo effectivè, vel affectivè abſolute, tranſeat maior: non peccat contra illam, illi contradicendo affectivè conditionatè, nego maiorem, quià ex modo tendendi, & quantum eſt ex parte affectus tendit contra illam legem affectu obiectivè conditionato, hoc pacto: *Volo celebrare contractum, etiam ſi forſan ſit contra legem directam Dei.* Et hic affectus ex modo tendendi, & conditionatè contradicens legi Dei, ſi forſan exiſtat, certiſsimè eſt peccatum, quanvis lex, cui conditionatè contradicit, ſit dubia, imò quanvis re ipſa non exiſtat.

32 Si dicas: peccatum formalitèr conſiſtit in contrarietate ad legem, ſeu inviolatione legis divinæ veræ; ſed vbi dubitatur àn lex exiſtat, neceſſario dubitatur àn ei opus contrarietur, & àn per opus violetur: ergò neceſſario dubitatur àn detur, vel non detur peccatum contra illam: ergò nullus certo peccat contra legem dubiam. Diſtinguo maiorem: peccatum formalitèr conſiſtit in contrarietate effectiva, aut ex parte operis ad legem, nego maiorem: in contrarietate affectiva ex parte operantis, ſub diſtinguo: in contrarietate affectiva abſoluta ſemper, nego maiorem; abſoluta, vel conditionata, concedo maiorem; & eodem modo dico, quod conſiſtit in violatione legis non effectiva ex parte operis, ſed affectiva ex parte operantis affectu conditionato eam violandi, ſi exiſtat, vel quanvis exiſtat. Et conceſſa minori de opere volito ex parte obiecti, nego conſequentiam. Quià peccatum non conſiſtit formalitèr in opere volito, vt contrario legi, & violativo legis effectivè, ſed in affectiva tendentia voluntatis ad tale obiectum, quanvis forſan ſit violativum legis, & licet dubium ſit àn opus volitum, v.g. contractus, ſit violativum legis divinę. Certum eſt tamen quod voluntas affectivè conditionatè tendit in tale opus, quanvis forſan ſit violativum legis: & ſic certum eſt quod peccat.

33 Dices: ergò tantum conditionatè peccat, ſi quidem tantum conditionatè tendit in obiectum violativum legis. Nego conſequentiam. Tùm, quià non tendit conditionatè in obiectum violativum legis. Hæc enim eſt æquivocatio arguentis. Abſolutè enim tendit ad celebrandum contractum, qui eſt obiectum volitum, licet conditionatè affectivè contradicendo legi. Quià cùm non ſit certum, ſed dubium legem prohibentem exiſtere, non poteſt voluntas affectivè abſolutè illi contradicere, ſed conditionatè, hoc modo tendendi: *Etiam ſi forſan exiſtat*; qui eſt modus tendendi adverſativus conditionatus. Tùm, quià licet contradicat legi conditionatè obiectivè, hoc eſt, modo conditionato reſpiciendo legem; non tamen conditionatè ſubiectivè, ità vt ipſa contradictio affectiva legis abſolutè non exiſtat, ſed tantum ſub conditione legis, hoc enim falſum eſt: nàm ipſa contradictio affectiva legis, *ſi forſan exiſtat*, abſolutè exiſtit, etiam ſi lex, cui affectivè contradicit, forſan non exiſtat. Et ſic, cùm peccatum conſiſtat in ipſa contradictione affectiva ad legem ſi detur, peccatum abſolutè exiſtit, & voluntas abſolutè peccat, licet per contrarietatem affectivam obiectivè conditionatam.

(***)

Sol-

§. IV.

Solvuntur alia argumenta.

34 OBIjCIES Secundò: vbi non eſt lex abſolutè obligans ad omittendum contractum, v. g. non poteſt quis abſolutè peccare celebrando contractum: qui enim non obligatur abſolutè ad omittendum contractum, liber eſt abſolutè, vt licite poſsit celebrare contractum, & conſequenter ſi eum abſolutè celebret, non peccabit abſolutè, quandoquidem ei abſolutè permittitur, & abſolutè licet per Deum illum celebrare; ſed ſi non daretur lex reflexa prohibens contrahere ſub dubio, nulla maneret lex abſolutè obligans ad omittendum contractum: ergò voluntas non peccaret abſolutè celebrando contractum. Minor probatur, quià præter legem reflexam, ſolum daretur lex directa dubia; ſed lex directa dubia abſolutè nequit obligare: ergò. Minor probatur: quià lex nõ exiſtens, abſolutè nequit obligare; ſed lex directa dubia forſan non exiſtit: ergò abſolutè non obligat. Secundò, quià lex directa dubia certo non exiſtit; ſed lex certo non exiſtens neqnit certo abſolutè obligare: ergò lex directa dubia non obligat certo, & abſolutè.

35 Reſpondeo negando minorem. Ad eius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad eius primam probationem, diſtinguo maiorem: lex non exiſtens, ſi exiſtimatur non exiſtens, concedo maiorem; ſi exiſtimatur, vel poſitivè dubitetur exiſtere, nego maiorem. Vel alitèr; lex non exiſtens re ipſa, nego maiorem: lex non exiſtens re ipſa, nec obiectivè in ratione exiſtimante, vel dubitante illam exiſtere à parte rei, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem: lex directa dubia forſan non exiſtit re ipſa à parte rei, concedo minorem: forſan non exiſtit obiectivè in ratione dubitante illam exiſtere, nego minorem, & conſequentiam. Quià vt lex divina abſolutè obliget voluntatem ad aliquid, in primis non requiritur, quod realiter à parte rei exiſtat re ipſa. Vt enim ſupra probavimus quæſt. 6. à num. 70. lex non obligat phyſicè, ſed tantum intentionaliter, ad quod non requiritur exiſtentia phyſica legis, ſed ſufficit exiſtentia intentionalis, & obiectiva; vndè vt ibi diximus, lex re ipſa non exiſtens à parte rei, exiſtimativè tamen exiſtens in conſcientia erronea obligat abſolutè ad ſui non tranſgreſionem. Sic igitur nunc dicimus, non eſſe neceſſarium quod lex directa abſolutè exiſtat phyſicè à parte rei, vt abſolutè obliget ad ſui non tranſgreſionem, ſed ſufficere quod exiſtat obiectivè in ratione dubitante, ſeu quod exiſtat dubitativè in mente dubitante illam exiſtere; eo enim ipſo reddit actum ſibi contrarium abſolutè impracticabilem ſine peccato, & conſequentèr abſolutè obligat ad culpam. Cùm autem lex dubia, licet forſan non exiſtat phyſicè à parte rei, certiſsimè tamen exiſtat dubitative in mente dubitante àn illa exiſtat à parte rei, indè eſt quod habet ſufficientem exiſtentiam, vt abſolutè obliget in conſcientia.

36 Ad ſecundam probationem in primis diſtinguo maiorem, detegendo fallatiam, quæ ibi latere poteſt: lex directa dubia certo nõ exiſtit, ſi per ly *certo non exiſtit*, idem ſignificatur àc *non exiſtere certo* concedo maiorem: ſi idem ſignificatur àc *certum eſt non exiſtere*, nego maiorem. Et pariter diſtinguo minorem, in qua latere poteſt eadem æquivocatio. Concedimus; ergò, quod lex, quæ *certo non exiſtit*, id eſt, de qua certum eſt quod non exiſtit, non obligat abſolutè. Ceterum in hoc ſenſu falſum eſt quod *lex dubia certo non exiſtit*, quià ſi certum eſſet quod *non exiſtit*, iàm non eſſet dubia, ſed certo falſa. Solum ergò verum eſt quod lex dubia certo non exiſtit, quatenus idem eſt, àc non eſſe certum eam exiſtere, ſed dubium. Ceterum negamus quod lex, ità certo non exiſtens, hoc eſt de qua non eſt certum, ſed dubium àn exiſtat, non poſsit abſolutè, & certo obligare.

37 Sed dices: non eſt certum eam exiſtere: ergò non eſt certum eam obligare. Diſtinguo antecedens: non eſt certum eam exiſtere dubitativè in ratione dubitante, nego antecedens: non eſt certum eam exiſtere phyſicè à parte rei, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quià vt ſit certum eam obligare; ſufficit quod ſit certum eam exiſtere modo, quo requiritur ad obligandum abſolutè: tantum autem requiritur quod exiſtat, vel exiſtimativè, vel dubitativè in mente, vt probatum manet.

38 Sed dices iterum: non poteſt lex certo exiſtere dubitativè in mente, niſi habeatur certitudo de ipſo dubio; ſed hæc haberi non poteſt, niſi per cognitionem reflexam de dubio: ergò vt lex dubia certo obliget, requiritur ſaltèm cognitio reflexa de dubio. Ex quo facile probari poſſet quod etiam requiritur lex reflexa. Diſtinguo maiorem: non poteſt lex certo exiſtere dubitativè in mente, niſi habeatur certitudo de ipſo dubio, certitudo inquàm vel exercita, vel ſignata, vel directa, vel reflexa, concedo maiorem: neceſſario ſignata, & reflexa, nego maiorem, & diſtincta mino-

ri eodem modo, nego conſequentiam; quià dùm intellectus dubitat de lege per ipſam dubitationem in actu exercito certificatur de dubio, hoc enim habet ſpeciale omnis actus intellectus, quod in ipſo exercitio exercitè, & experimentalitèr ſe ipſum notificat intellectui, ipſumque certificat de ſui elicientia. Hæc autem certitudo directa, & exercita de ipſo dubio, ſufficit vt ipſum dubium obliget ad omiſsionem contractus, & non requiritur certitudo reflexa, & ſignata, per cognitionem reflexam habita, licet hæc etiam plerumque detur.

39 Sed hinc oritur obiectio tertia: ſi lex dubia abſolute obligaret, eſſet mediante conſcientia dubia; ſed conſcientia dubia abſolute non obligat: ergò nec lex dubia. Minor probatur primò, quià conſcientia dubia propriè non eſt conſcientia, vt ſupra diximus; ſed conſcientia, quæ non eſt conſcientia, abſolutè non obligat: ergò nec conſcientia dubia. Secundò, quià conſcientia non obligat ad aliquid, niſi dictando illud eſſe faciendum, vel omittendum ex præcepto; ſed conſcientia dubia nihil dictat, ſed ſolum dubitat, vt ſupra diximus: ergò ad nihil obligat abſolutè. Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: conſcientia dubia abſolute non obligat directè, & poſitivè, concedo minorem: indirectè, & remotivè, nego minorem. Ad cuius primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem eodem modo. Quià obligare directè, & poſitivè, eſt obligare dictando determinatè contractum, v.g. eſſe omittendum ex præcepto. Obligare remotivè, & indirectè eſt obligare removendo conſcientiam neceſſariam, vt contractus poſsit fieri licite; conſcientia ergò dubia non obligat ad omittendum contractum, v.g. poſitivè, & directè, quià non eſt propriè conſcientia dictans contractum eſſe omittendum ex præcepto. Attamen ex hoc ipſo obligat remotivè; & indirectè, quià removet conſcientiam propriè talem de honeſtate contractus, aut de contractu, vt licito: & cùm ad celebrandum licitè contractum ſit omnino neceſſaria conſcientia de honeſtate eius, aut de eius licitate, vt ſic dicam, indè eſt quod conſcientia dubia removet conſcientiam neceſſariam, vt contractus poſsit fieri licite: hoc autem formaliſsimè eſt obligare remotivè, & indirectè voluntatem, quià eſt illam impoſsibilitare, vt contractum licite celebret, & conſequenter ipſam ligare, vt niſi illicite, & culpabiliter non poſsit illum celebrare.

40 Ad ſecundam, patet eadem diſtinctione: nàm conſcientia obligat directè, & poſitivè, dictando quid ſit faciendum, vel omittendum ex præcepto. Attamen, ad obligandum remotivè, & indirectè, hoc non requiritur, ſed ſufficit removere conſcientiam ex parte actus primi omnino neceſſariam, vt actus poſsit fieri licite, eo enim ipſo ex parte actus primi impoſsibilitatur voluntas, vt non poſsit illum actum facere, niſi illicite.

41 Et ratio huius doctrinæ eſt, quià qui operatur cùm conſcientia dubia non peccat, quià operatur contra conſcientiam directè, & poſitivè, quià ſtante ſola conſcientia dubitante àn opus ſit licitum, vel illicitum, nec eſt contra illam opus directè, & poſitivè, nec omiſsio operis, cùm ipſa ſit indifferens ad vtrumlibet. Rurſus, quià ipſa propriè non eſt conſcientia. Solum igitur peccat, quià operatur ſine conſcientia, quià operatur id, de quo non habet conſcientiam àn ſit licitum, vel illicitum. Qui modus operandi eſt intrinſecè malus, & inhoneſtus, quià eſt operari ſpernendo conſcientiam in actu exercito, & ex ipſo modo operandi: modus autem operandi ſpernendo conſcientiam, aut ſine conſcientia eſt intrinſecè malus, & pravus, & indirectè contrarius ipſi conſcientiæ, cùm ſit contemptivus illius.

42 Hoc explicatur in miniſtro artificiali, non applicante regulam artis, ſed operante ſine illa; hìc enim quanvis non operaretur directè, & poſitivè contra regulam, tam en eo ipſo quod ſine illa operaretur, ſciens, & volens, contemneret talem regulam in actu exercito operandi: ſic igitur qui operatur aliquid ſine conſcientia, quæ eſt regula neceſſaria ad honeſte operandum, operatur in ipſo actu exercito ſpernendo conſcientiam, ſivè talem regulam neceſſariam. Et ſicut artis Miniſter operando ſine regula neceſſaria ex modo operandi, peccaret contra artem, licet per accidens poſſet opus evadere arti conforme: ità pariter voluntas rationalis operando ſine regula conſcientiæ, peccat contra conſcientiam ex ipſo modo operandi, licet per accidens poſsit contingere quod opus electum evadat conforme legi, & rationi. Et ſicut artifex non habens regulam eſt impotens, dùm illam non habet, operari artificialiter, & neceſsitatus, vt ſi operari velit, operetur inartificialiter: ità voluntas non habens in actu primò conſcientiam, ſeu regulam honeſtatis, eſt impoſsibilitata ad honeſte operandum, & obligata vt ſi ſic velit operari, ex modo operandi operetur in honeſte. Cùm igitur conſcientia dubia non ſit propriè conſcientia, nec regula ho-

neſta

neſtatis, ſed potius ſit incompatibilis cùm conſcientia, & regula honeſtante opus, àc perconſequens removeat in actu primò conſcientiam, & regulam neceſſariò requiſitam ad honeſtè formaliter operandum, indè eſt, quod reddit voluntatem in actu primo impoſsibilitatam ad tale opus honeſtè formaliter eligendum, & conſequenter neceſsitatam, & obligatam, vt ſi illum eligat, electio evadat inhoneſta, quià ſinè regula, & ſinè conſcientia, & hoc pacto obligat abſolute, & non aliter.

43 Sed dices, quod operari ſinè conſcientia directa honeſtante opus, ideò eſt malum, quià eſt contra dictamen vniverſale ſyndereſis reflexè prohibens operari ſinè regula, & ſinè conſcientia; & conſequenter, quià eſt contra legem reflexam propoſitam per illud dictamen. Sed contra eſt, quià potius dictamen reflexum, & lex reflexa prohibet operari ſinè conſcientia, & ſinè regula, quià hic modus operandi intrinſecè malus eſt, & contemptivus legis, & conſcientiæ directæ: ergò. Explicatur: etenim certiſsimum eſt dari dictamen reflexum ſyndereſis, & legem reflexam prohibentem homini operari ſinè lege, & ſinè conſcientia directa. Ceterum, quare hoc prohibetur? Nunquid purè pro libito, & contingenter? Non ſanè, ſed quià operari hominem rationalem ſinè conſcientia, & ſinè lege, eſt operari modo brutali, & irrationali, quià eſt operari modo contemptivo legis, & conſcientiæ; & conſequenter, quià eſt operari cùm privatione attentionis ad legem, & conſcientiam: qui modus operandi intrinſecè malus eſt, & peccaminoſus; & ideò lege, & conſcientia reflexa prohibetur: ergò non præcisè quià contra illam legem reflexam, ſeu quià ab ea prohibitus, ſed independenter ab illa, ſupponitur talis modus operandi peccaminoſus, & malus cõtra legem directam, cuius cognitionem contemnit, & qua inconſulta, ſe accingit ad opus.

44 At inquies: quomodo ſpernitur, & contemnitur lex, de qua non habetur ſcientia, nec conſcientia? Reſpondeo, quod eo ipſo, quod quis ſinè ſcientia, nec conſcientia legis ſe accingit ad operandum ſpernit legem, & conſcientiam; ſicut eo ipſo quod quis non habens conſilium à ſenibus, ſe accingit ad operandum, ſpernit conſilium ſeniorum. Vndè cenſeo, quod etiam ſi quis invincibiliter non cogitaret de lege reflexa prohibente operari ſinè conſcientia, dummodo per ſyndereſim cogitaret de lege directa in vniverſali, adhuc peccaret contra illam, ſi illa inconſulta, operaretur pro libito quidquid vellet. Et ratio eſt, quià ipſa lex directa vniverſaliter propoſita per ſyndereſim habet ius obiectivum ex meritis proprijs, vt in omnibus conſulatur, & vt nihil fiat, non habito reſpectu ad illam; ſed hoc ius violaret, qui lege directa inconſulta operaretur, ſeu qui operaretur abſque conſcientia: ergò etiam ſi non cogitaret de lege reflexa, violaret ius obiectivum legis directæ vniverſaliter propoſitæ per ſyndereſim; hoc autem planè eſſet peccare contra legem directam ſic propoſitam, & contra ſyndereſim ſic illam proponentem.

45 Ex quo inferò, ipſam legem directam vniverſaliter propoſitam per ſyndereſim obligare obiectivè hominem vt in in omnibus illam conſulat, & vt nihil operetur, ipſa inconſulta; cùm autem operari cùm conſcientia dubia id ipſum, de quo dubitatur àn per legem Dei liceat, prohibeatur, aut permittatur, ſit formaliſſimè operari, lege Dei inconſulta, indè eſt quod ipſa lex Dei vniverſaliter propoſita per ſyndereſim obligat obiectivè ad nõ operandum cùm conſcientia dubia. Vbi iàm vides, prætèr legem dubiam, & conſcientiã dubiam, quę obligat remotivè ad non celebrandũ contractum, de quo dubium eſt *àn liceat*, dari aliud motivũ obligans directè, & poſitivè, nimirum legem Dei directam vniverſaliter propoſitam per ſyndereſim, quæ obiectivè ex proprijs meritis, & ex proprio iure obligat ad nihil operandum ipſa inconſulta, circa id quod operandũ eſt.

46 Et quidem ipſa lex directa, quanvis de illa in ſingulari dubitetur àn hoc permittat, vel prohibeat; tamen in vniverſali proponitur per ſyndereſim certiſsimè & evidenter, vt prima regula in omnibus conſulenda, & vt ſic propoſita qualiter non cadit ſub dubio, certiſsimè obligat ad nihil operandum, niſi quod ipſa conſulta, per ipſam liceat, aut permittatur, & conſequenter certò obligat ad non operandum cùm dubio legis.

47 Sed dices: per nos lex directa vniverſaliter proponitur per ſyndereſim, vt in omnib° conſulenda: ergò ſyndereſis dictat legem directam in omnibus eſſe conſulendam; ſed hoc dictare non poteſt, niſi in vi alicuius legis, quæ alia eſſe non poteſt, niſi lex reflexa præcipiens conſulere directã in omnibus: ergò tandem neceſſarius eſt recurſus ad legem reflexam. Diſtinguo primum conſequens: ergò ſyndereſis dictat exercitè, ſeu in actu exercito legem directam in omnibus eſſe conſulendam, concedo conſequentiam: ſignate, ſeu in actu ſignato ſemper, nego conſequentiam. Deindè concedo quod hoc dictat exercite

in vi alicuius legis, nego tamen quod ſit alia ab ipſa lege directa vniverſaliter propoſita: nàm cùm ipſa lex directa ex meritis proprijs, & ab intrinſeco habeat ius, vt in omnibus conſulatur, attendatur, & inſpiciatur; hoc enim habet titulo primæ, & vniverſalis regulæ moralitatis, ſyndereſis illam directè proponens, debet illam proponere vt obiectivè exigẽtem, & vt iure petentem in omnibus conſuli, & attendi. Hoc autem eſt illam proponere, vt in omnibus conſulendam, ſeu eſt dictare practicè, ſeu in actu exercito illam in omnibus conſulendam, quod quidem dictat in actu exercito non in vi alicuius legis reflexæ, ſed ex meritis ipſius directæ, quæ de ſe ad hoc ipſum ius, & exigentiam importat. Sicuti ſyndereſis cognoſcens Deum, vt primum, ſummum, & vniverſale bonum, nulla conſiderata lege reflexa, in actu exercito proponit Deum, vt ſummè amandum, vt amandum præ omnibus, & ſuper omnia; quià ipſe Deus titulo ſummi boni ex proprijs meritis habet ius obiectivum, vt ametur ſuper omnia, & ideò ſi per impoſsibile nulla cognoſceretur lex reflexa præcipiens amare Deum ſuper omnia, adhuc Deus ipſe obligaret obiectivè creaturam rationalem, vt illum omnibus anteponeret; adhucque peccaret, qui non amaret Deum ſuper omnia; peccaret quidem non contra vllam legem formalem, quià nulla tunc proponeretur, ſed immediatè contra ipſum Deum, qui eſt eminenter lex obligans ad ſui amorem, vt alibi latius oſtendam. Sic igitur pariformiter diſcurrimus de lege Dei directa vniverſaliter propoſita per ſymdereſim, quæ obiectivè per ſe ipſam habet ius, & obligat, vt à creatura rationali tanquam prima regula in omnibus conſulatur.

48 Quarto obijcit Terillus num. 16. ratione, quàm dicit à priori. Voluntas non poteſt determinatè, & deliberatè eligere obiectum cùm mero dubio de honeſtate, vel turpitudine eius, ſed neceſſum eſt quod præcedat iudicium determinatum, vel de eius honeſtate, vel de eius turpitudine; ſed hoc iudicium præcedere non poteſt deliberatam electionem voluntatis, niſi in vi legis reflexæ: ergò. Maiorem probat, quià ſicut ſimplex affectio voluntatis conſequitur ad ſimplicem apprehenſionem intellectus; ità deliberata voluntas poſtulat procedere à determinato iudicio de honeſtate, & turpitudine ſui obiecti: ergò nequit voluntas deliberatè eligere cùm mero dubio, ſed debet præcedere electionem deliberatam prædictum iudicium. Antecedens probatur, quià illa voluntas, vtpote intrinſecè voluntaria, debet procedere ex cognitione ſingulorum: ergò debet procedere ex iudicio determinato de honeſtate, vel turpitudine ſui obiecti. Ex quo tandem infert quod prætèr dubium, opus eſt iudicio alio vltimo regulante voluntatem, quod, iuxta ipſum, eſt illud, quo ex principio vniverſali ſyndereſis reflexo dictante *eſſe illicitum operari cùm dubio*, & ex hac minori, *ſed ego nunc ſum in dubio àn contractus mihi liceat*, infert: *ergò mihi eſt illicitum hic, & nunc celebrare contractum*, quod conſequens eſt vltimum conſcientiæ dictamen certum, & evidens, proponens legem certam, contra quàm certo peccat, qui in dubio conſtitutus ſequitur partem minus tutam. Quod ſi non daretur illud vltimum conſcientiæ dictamen certum proponens legem certam, non peccaret voluntas, quanvis in dubio ageret, & eligeret partem minus tutam.

49 Hoc argumentum innumera hominum opera liberat à peccato àc pœna, & vix homines peccare relinquit. Nàm homines pravi, qui nimis ſuis indulgent voluptatibus, & deſiderijs, parum, vel nihil curantes de lege Dei, vel conſcientia. Hi certè raro, vel nunquam curant de formando vltimo dictamine conſcientiæ certo, quo certificentur opus ſuum hic & nunc eſſe inhoneſtum, & turpè, imò nihil curant de honeſtate, vel inhoneſtate operis, ſed ſolum de ſua vtilitate, honeſtate, delectatione, vel conveniẽtia, quidquid ſit de honeſtate, vel turpitudine, imò, de hoc nolunt cogitare, nec legere quod eos ad hoc cogitandum poſſit inducere; &, ſi forſan vi auxilij divini aliqua cogitatio eis adveniat, quæ eos ſaltim dubitare cogat deturpidine, & offenſa Dei, non curant in tali dubitatione ſe certificare, ſed quidquid ſit de honeſtate, vel inhoneſtate, dummodo obiectum ſit delectabile, illud totis viribus amplexantur, parvi facientes honeſtatem, vel inhoneſtatem. Quod ſint non pauci huiuſmodi homines in mundo, ipſæ confeſsiones teſtantur, & corruptela morum publica, & notoria.

50 Ex prædito autem argumento, vel ratione à priori ſequi videtur nullum ex his in ſuis operibus peccare, nec illicitè agere; nàm nullus horum curat ſe certificare vltimo dictamine conſcientiæ quod ſuum opus ſit inhoneſtum, turpè, & legi Dei contrarium. Imo, ſi hoc aliquis eis per-

perſuadere nitatur, ei iraſcũtur; imò etiam, ſi Deus ſpeciali auxilio hoc eis intus loqui velit, ſæpè claudunt oculos mentis nè videant, & obturant aures nè audiant, ac ſic ferè nunquam lux mentis eo pervenit, vt forment illud vltimum dictamen certum, ac evidens, *hoc opus hic & nunc eſt illicitum, turpè, & offenſivum Dei.* Sed iuxta prædictum argumentum Patris Terilli, ad peccandum in aliqua operatione, vel electione indiſpenſabiliter requiritur illud vltimum dictamen certum & evidens, & quod conſcientia per illud certificetur de turpitudine, & inhoneſtate ſui obiecti: ergò nullus prædictorum hominum vnquam peccaret in ſuis operibus, ſed omnes excuſarentur à peccato ob defectum illius vltimi dictaminis ferè ſemper deficientis. Hoc autem quis non videat abſurdiſsimum pariter & falſiſsimum eſſe? Et quidem ex prædicta ratione à priori benè conſiderata, hæc planè ſequitur propoſitio: *Qui ante ſuam operationem non certificatur reflexè, & evidenter de eo quod talis operatio hic & nunc peccaminoſa, & violativa legis divinæ eſt, quanvis hoc dubitet, quanvis ſuſpicionem habeat, dummodo certus non ſit, non peccat in tali operatione.* Ex qua quidem quot ſequantur abſurda, quis facile meditare poterit? Vnum tantum infero, nimirum, quàm proxima ſit hæc doctrina Terilli alteri ſuprà impugnatæ quæſtione octava, neganti peccata ignorantiæ.

51 Iam igitur ad argumentum facile reſpondeò, negando maiorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem: debet procedere ex cognitione ſingulorum reflectente ſuprà ea etiam, quæ ſe tenent ex parte actus, nego maiorem: ex cognitione directa ſingulorum, quæ ſe tenent ex parte obiecti, diſtinguo, ex cognitione ſemper certa omnium, nego, ex cognitione, vel certa, vel dubia, vel conjecturali, &c. Tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Quià ſi eſt electio, vel volitio deliberata directa, de qua agimus, & procedit argumentum, tantum debet procedere ex cognitione directa ſingulorum, quæ eo ipſo quod ſit directa, ſolum poteſt eſſe cognitio ſingulorum, quæ ex parte obiecti, & operis directè cogniti, & voliti ſe tenent; non autem petit procedere ex cognitione ſingulorum reflectente etiam ſuprà cognitionem directam, & ſuprà omnia, quæ concurrunt ex parte actus, aliàs enim deberet procedere ex cognitione reflexa ipſius cognitionis reflexæ; & item ex cognitione iterum reflectente ſuprà hanc ſecundam cognitionem reflexam, & ſic in infinitum. Deindè nec etiam petit procedere ex cognitione certa, & evidenti ſingulorum, quæ ex parte obiecti poſſunt honeſtare, vel inhoneſtare ipſum; quinimò, nec ex cognitione probabili omnium illorum, ſed ſufficit ſi aliqua circunſtantia, vel aliquæ cognoſcantur conjecturaliter, vel ſub dubio, quià eo ipſo, ſi voluntas cùm conjectura, vel dubio de tali circunſtantia inhoneſtante obiectum, tendat in obiectum, iàm talis circunſtantia ipſi eſt voluntaria, & libera, ſi detur, quià tendit hoc modo: *Volo hoc obiectum, vel opus, quanvis forſan ſit affectum tali circunſtantia*, quo pacto vult indirectè incurrere illam circunſtantiam, ſi detur.

52 Imò, nec hic modus cognoſcendi circunſtantias inhoneſtantes requiritur, ſed ſat eſt, ſi potens eas conſiderare, timenſque nè inveniat aliquam, quæ ipſum retardet ab amplexu obiecti, aliàs valde delectabilis, vel vtilis, non curet examinare circunſtantias, ſed ſtatim ac videat ipſum eſſe delectabile, intrepidè, & inconſideratè in illud prorruat. Sanè, qui hoc modo tendit in obiectum, etſi tendat in illud ſinè cognitione ſingulorum, nihilominus tamen ex ipſo modo tendendi ipſi eſt indirectè voluntaria quæcumque circunſtantia ſit in obiecto ipſum deturpans, & inhoneſtans; quià ex ipſo modo tendendi ſinè prævio examine circunſtantiarum, & conſideratione illarum ſe temerè exponit cuicumque circunſtantiæ ex parte obiecti ſit, ſivè ſit circunſtantia ſacrilegij, v. g. ſivè homicidij, &c. Et ex prædicto modo tendendi ſibi voluntaria eſt indirectè. Nec ob hoc deſinit electio talis obiecti ſic inconſiderata eſſe voluntaria, & deliberata ſufficienter, vt ſit graviſsimum peccatum.

53 Et ratio eſt, quià peccatum non petit eſſe quoad malitiam, & pravitatem, nec quoad circunſtantias ipſum formaliter, & obiectivè deturpantes directè voluntarium, & deliberatum: nemò enim vult in obiecto malitiam eius, aut circunſtantias, vt ipſum deturpantes. Et, ſi hoc eſſet neceſſarium ad peccandum, nullus peccaret in rerum natura. Solum igitur requiritur quod talis malitia, vel circunſtantia ſit indirectè voluntaria, hoc eſt, quod, illa non obſtante, abſolutè amplexetur obiectum, quià delectabile; vel ità, vt magis velit frui delectatione, quàm cavere malitiam, & in-

honeſtatem in ſuis actibus, & operibus. Hoc autem pacto voluntaria eſt malitia obiectiva in agrediente opus cùm dubio illa, imò in eo qui nec cogitare, nec dubitare vult de honeſtate, vel inhoneſtate obiecti, vt liberius illo fruatur: quià iſti ex modo operandi anteponunt delectationem honeſtati, & voluptatem virtuti, quandoquidem non curat de honeſtate, vel inhonetaſte ſui operis, vt in illo delectentur. Quod ſufficientiſsimum eſt, vt inhoneſtas, & turpitudo ſit eis indirecte voluntaria, & ſufficienti deliberatione contracta. De quo infra.

54 Obijcies quintò: nullus peccat neſciens ſe peccare, aliàs peccaret involuntariè; ſed qui dubitat de peccato, neſcit ſe peccare, ſi enim ſciret, non dubitaret: ergò qui dubitat de peccato, non peccat: ergò qui operatur cùm conſcientia dubia de peccato, non peccat in eo quod ità operatur. Huic argumento facile ſuo iudicio reſpondent Reflexiſtæ, diſtinguendo maiorem: nullus peccat neſciens directè ſe peccare, ſi ſciat reflexè ſe peccare, negant: ſi neſciat reflexe ſe peccare, concedunt, & diſtingunt minorem eodem modo. Sed cùm arguens intendat probare quod non peccat, qui neſcit directè ſe peccare in eo quod facit, & conſequenter intendat tollere ſcientiam reflexam de peccato directo; reſpondere quod ille, qui neſcit directè ſe peccare, peccat tamen, quià ſcit reflexè ſe peccare, eſt reſpondere cùm concluſione, & petere principium.

55 Itaque tu dicis illum, qui dubitat directè de peccato, & directè neſcit àn peccet, vel non, ſcire tamen reflexè ſe peccare directè, & ideò peccare directè. Rogo igitur à te, vndè ille ſcit reflexè ſe peccare directè, dum neſcit directè vtrùm peccet, vel non? Rationem huius ſcientiæ reflexæ quæro. Nunquid reſpondebis, illum ſcire reflexè ſe peccare directè, quià licet neſciat directè ſe peccare, ſcit tamen reflexè ſe peccare? Ergò interrogatus, vndè ſcit reflexè ſe peccare directè: aliud reſpondere non valebit, niſi ſcio reflexè me peccare directè, quià ſcio reflexè me peccare directè: ergò nullam habet rationem obiectivam talis ſcientiæ reflexæ, ſed vnicè circulo vitioſo reddit ipſam ſcientiam pro ratione obiectiva ſui ipſius.

56 Rurſus: per te vt peccet formaliter directè neceſſum eſt omninò quod ſciat reflexè ſe peccare directè, ità vt ſi non haberet illam ſcientiam reflexam, non peccaret formaliter directè; ergò ad ſciendum quod peccat formaliter directè neceſſarium eſt quod ſciat ſe habere illam ſcientiam reflexam de peccato formali directo; ſed per ſcientiam reflexam ſcire nequit ſe habere talem ſcientiam reflexam, niſi ipſa circulo vitioſo reflectat ſuprà ſe ipſam, ſe ipſamque reſpiciat pro obiecto verificativo ſui: ergò vel debes circulo vitioſo ipſam ſcientiam aſsignare pro obiecto verificativo ſui, vel dicere, quod independenter à tali ſcientia reflexa peccat formaliter directè, qui operatur in dubio neſciens directè ſe peccare.

57 Vnde ad argumentum iuxta noſtram doctrinam facile reſpondeo, diſtinguendo maiorem: nullus peccat neſciens ſe peccare, ſi neſciat etiam ſe honeſtè agere, nego maiorem: ſi exiſtimet ſe honeſtè agere, concedo maiorem. Et diſtinguo minirem: qui dubitat de peccato neſcit ſe peccare, & etiam neſcit ſe honeſtè agere, concedo: & exiſtimat ſe honeſtè agere, nego minorem, & conſequentiam. Nàm qui dubitat de peccato, non ſolum neſcit àn eius opus ſit peccatum, ſed neſcit àn ſit honeſtum; non ſolum neſcit àn peccet in eo quod operatur, ſed neſcit àn honeſtè operetur in eo quod agit; & cùm hac neſcientia libere, & voluntariè illud opus eligit, & operatur, cùm tamen in promptu habeat eligere aliam partem, quàm ſcit eſſe honeſtam, ſcilicet abſtinere ab illo opere: operari autem libere, & voluntariè cùm neſcientia de honeſtate, vel inhoneſtate operis, eſt planè operari libere ſinè conſcientia, ità vt ei ſit liberum, & voluntarium directè taliter operari, hoc autem formaliſsimè eſt peccare, & ità evidenter, vt quicumque reflectat ſuprà illum modum operandi, ex eo præcisè quod eſt modus operandi libere in conſulta Dei lege, & cùm neſcientia de honeſtate, vel inhoneſtate operis, agnoſcit evidenter illum modum operandi eſſe peccaminoſum, non ità vt peccaminoſus ſit formaliter, quià reflexè cognoſcimus illum modum eſſe formaliter peccaminoſum, ſed potius cognoſcimus illum modum operandi peccaminoſum eſſe, quià de ſe, & ab intrinſeco peccaminoſus eſt, independenter ab eius cognitione reflexa.

58 Et quidem adeò evidenter peccaminoſus eſt ille modus operandi ſinè conſcientia, ſivè quod idem eſt, ſine ſcientia honeſtatis, nec inhoneſtatis operis, vt ipſo lumine naturæ, ad explicandum hominem peſsimè operantem, his ver-

verbis vtamur: *Eſt homo ſinè conſcientia: operatur ſinè conſcientia*, profectò agnoſcentes ipſum modum eligendi ſinè conſcientia ex terminis, & ab intrinſeco eſſe peſſimum modum operandi, & conſequentèr formaliter peccaminoſum. Dummodo ſit liber, & voluntarius operanti, ità vt habens ad manum operari cùm conſcientia de honeſtate operis, eligat potius operari illam partem, de qua non habet conſcientiam, nec ſcientiam, ſed ſolum dubium.

§. V.

Reliqua ſolvuntur argumenta.

59 OBIJCIES Sextò ex eodem Terillo: qui operatur in dubio, ideò peccat, quià exponit ſe periculo peccandi: ergò niſi cognoſcat reflexè eſſe peccatum operari cùm periculo peccandi, non peccat; ſed hoc nequit agnoſcere, niſi cognoſcendo legem reflexam vetantem operari cùm periculo peccandi: ergò. Nego primam conſequentiam, quià ex terminis operari dubiè, periculosè, & temerè, eſt operari malè, & peccaminosè; vndè ſi aliquis reflexe cognoſcit quod ità operari eſt peccatum, non ideò eſt peccatum, quià ità reflexè cognoſcitur, nec eſt neceſſarium vt ſit peccatum, quod ità reflexè cognoſcatur, cùm potius reflexè cognoſcatur eſſe peccatum, quià re ipſa ex terminis eſt peccatum formaliter tale operari temerè, dubiè, & periculosè cùm periculo proximo violandi legem Dei.

60 Sed dices: operari cùm periculo peccandi eſt operari cùm contingentia peccandi, vel non peccandi; ſed operari cùm tali contingentia, non eſt determinatè, & ex terminis peccare, quià determinate, & ex terminis peccare, non eſt contingentia ad peccandum, vel non peccandum: ergò operari cùm periculo peccandi non eſt determinate, & ex terminis peccare. Diſtinguo maiorem: operari cùm periculo peccandi eſt operari cùm contingentia peccandi, & non peccandi obiectivè, & materialiter ex parte operis voliti, concedo: cùm contingentia peccandi, & non peccandi formaliter ex parte electionis, & volitionis periculoſæ, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam de peccato formali ex parte electionis. Itàque aliud eſt peccatum quod certò committitur in electione periculoſa, & temeraria; aliud peccatum, cuius periculo proximo ſe exponit qui ſic eligit: peccatum enim, cuius periculo proximo ſe exponit, qui ſic eligit, eſt peccatum operis, ſivè violatio obiectiva legis divinæ per opus volitum. Cùm enim dubitet àn opus electum ſit lege prohibitum, vel non, dùm eligit illud, ſe exponit periculo violandi obiectivè legem divinam per tale opus. Quæ quidem violatio obiectiva legis per opus volitum dicitur peccatum materiale, non formale, quià non eſt peccatum ex parte actus. Et quià eſt contingentia de tali peccato materiali, & obiectivo ex parte operis, quatenùs poteſt forſan contingere quod tale opus non ſit contrarium legi Dei, & etiam poteſt contingere quod ſit illi contrarium, ideò de hoc eſt periculum, & contingentia. Ceterum quià certò ſe exponit huic periculo, & contingentiæ per electionem formalem talis operis, ideò talis electio certò eſt peccaminoſa formaliter, & de hoc non eſt periculum, ſed certitudo, ſicuti non eſt periculum de eo quod talis electio ſit periculoſa, imprudens, & temeraria.

61 Sed dices iterum: exponere ſe periculo peccati materialis, non eſt peccatum formale: ergò. Antecedens probatur, quià per peccatum materiale non offenditur Deus: ergò exponere ſe periculo peccati materialis, non eſt exponere ſe periculo offendendi Deum. Reſpondeo negando antecedens; ad probationem diſtinguo antecedens: non offenditur Deus formaliter, concedo antecedens: non offenditur obiectivè, materialiter, & ex parte operis, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu. Nàm per peccatũ materiale re ipſa contradicitur obiectivè divinę legi, & volũtati, & conſequẽter offenditur Deus obiectivè & ex parte operis; quod quidem licet non ſit imputabile ad culpam, quãdo contingit involuntariè; ceterum dum homo ſe exponit voluntariè periculo violandi materialiter, & obiectivè divinam legem, iàm illa violatio non eſt involuntaria, ſed voluntaria indirectè, & ex modo tendendi, & tunc offenditur Deus formaliter, & imputatur ad culpam. Sed de hoc infra redibit ſermo.

62 Obijcies denique ex eodem Terillo, ſupponendo caſum in quo quis dubitet de aliquo opere àn leviter diſplicebit Deo, vel àn multum illi complacebit, v. g. de magno ſumptu divitiarum àn ſit actus heroicus magnificentiæ, & liberalitatis, àn excedat aliquantulum, ità vt ſit iàm prodigalitas; certus quidem quod

ſi ſit actus liberalitatis heroicus, magnam afferet Deo complacentiam: ſi vero aliquantulum excedat, ità vt perveniat ad vitium prodigalitatis, parum diſplicebit Deo propter parum exceſſum; ſed quià dubitat quidnam horum ſit, dubitat àn Deo occaſionabit magnam complacentiam, àn levem diſplicentiam. In hoc igitur caſu, inquit Terillus, ſi non reflectat ſuprà ipſum dubium, nec formet abſolutum conſcientiæ dictamen de eo quod in dubio tenetur tutiorem partem eligegere, ſed purè in dubio maneret, *certè non erit cùr cenſeatur peccare, quià operatur in dubio*, neque enim imprudentia eſt actionem exercere, de qua tanta eſt ſpes magni boni acquirendi, quantus eſt metus parvi, & minimi mali incurrendi, imò videretur imprudentiæ eſſe eam omittere, quià imprudentis eſt non operari, quando actio in talibus circunſtantijs verſatur, vt eius omiſsio fortasè coniungatur cùm magno detrimento, ſcilicet, virtutis heroicæ, poſitio autem ad ſummum cùm eo quod fortasè conexum habet leve detrimentum. Sic in contractibus talem oportunitatem omittere ſtultitiæ eſt, non prudentiæ: ergò relate ad ipſum operantem non eſt cur peccet, ſi in tali dubio operetur.

63 Sed neque eſt cùr peccet relate ad Deum; nàm cùm ſit in neceſsitate, aut omittendi actionem, quę forte Deo placet quàm maximè, aut ponendi actionem, quæ forte Deo parum diſplicet, nec aliud ei proponitur, non eſt cùr actio ſumatur in partem deteriorem, aut cùr tribuatur contemptui, potius quàm reſpectui, & amori Dei. Certè in humanis res ità conſti tuta videtur, vt ſi quis poneretur in neceſsitate ponendi, aut omittendi actionem, de qua operans dubitaret vtrum lucrum ingens, aut parvum detrimentum eſſet proximo allatura, nemò iure iraſci poſſet quod talis actio in dubio poneretur, quià illa merito tribui non poſſet contemptui potius quàm reſpectui, imò ſi eam omitteret, videretur potius contemnere amicum parvipendendo magnam eius conplacentiam, quæ fortasè proveniret ab actione, quàm omittit. Certè tanti facienda eſt cuiuſque complacentia ad illam procurandam, quanti eius diſplicentia ad eam evitandam, nec prudentis eſt à magnis obſequijs abſtinenere, propter timorem parvæ diſplicentiæ. Idem dicendum eſt de Deo, cuius complacentia tanti facienda eſt vt obtineatur, quanti diſplicentia, nè incurratur: ergò ſpes magnæ complacentiæ Dei, timori parvæ eiuſdem Dei diſplicentię præferenda eſt. At operans in tali dubio, ſi alijs principijs non niteretur quàm ipſo dubio, operaretur cùm non minori ſpe magnæ complacentiæ, quàm ſit metus parvæ diſplicentiæ Dei: ergò prudenter operaretur. Hucuſque Terillus.

64 Sed quorſum hæc? Sanè ſi aliquid probant, probant abſolutè licitum eſſe operari cùm conſcientia dubia, & illud dictamen reflexum dictans eſſe peccatum operari in dubio, eſſe falſum. Nàm qui probat reflexè quod operari in dubio eſt prudentia, talis quod potius tribui debeat reſpectui Dei, eiuſque ſincero amori, quàm contemptui, probat falſum eſſe dictamen reflexè aſſerens oppoſitum, ſcilicet quod operari in dubio eſt peccaminosè, & imprudenter operari; ſed argumentum prædictum aperte probat primum: ergò & ſecundum.

65 Igitur ad argumentum in primis dico, quod in caſu ibi aſsignato, ſi dubium eſt, àn elargitio illa propter exceſſum incurrat vitium prodigalitatis, dubium non eſt de tota illa elargitione, ſed ſolum de exceſſu: exceſſus autem dubius ſuprà menſuram certam, & non ſuſpectam de prodigalitate, non poteſt fundare ſpem maioris virtutis, quàm vitij, nec maioris complacentiæ Dei, quàm diſplicentiæ, quià cùm certum ſit, quod quantum elargitio aliqua, vel ſumptus excedit menſuram liberalitatis, & magnificentiæ, tantum incurrit de vitio prodigalitatis oppoſito, qui dubitat àn excedat vt quatuor, v.g. menſuram virtutis, paritèr dubitat àn incurrat vt quatuor vitium oppoſitum, & conſequenter dubium eſt de illo exceſſu àn augeat virtutem vt quatuor, àn incurrat vitium vt quatuor. Nàm ſi in illo exceſſu dubio forſan augetur virtus vt quatuor, forſan etiam incurritur vitium vt quatuor; ſi forſan augetur complacentia Dei vt quatuor; forſan etiam incurritur diſplicentia vt quatuor: eſt ergò periculum æqualis diſplicentiæ Dei in illo dubio, quàm ſit complacentia, quæ ſperatur: falſum igitur eſt, quod in illo dubio de liberalitate, vel prodigalitate, quantum ad exceſſum, de quo dubitatur, ſit maior honeſtas, & complacentia Dei, quæ forſan ſperatur, & minor inhoneſtas, & diſplicentia, quæ forſan minuitur. Sed quidquid de hoc ſit.

66 Reſpondeo, in illo dubio præciſivè ſumpto, & ſecundum ſe eſſe plures, & efficaces rationes cùr cenſeatur peccare, qui cùm illo operaretur. Prima, quià operaretur ſinè conſcientia deter-

terminata circà illud opus. Secunda, quià operaretur ſinè regula. Tertia, quià operaretur inconſulta Dei lege circa illum exceſſum dubium. Quarta, quià quæreret per fortunam & ſortem complacentiam Dei, vel eius diſplicentiam, virtutem, vel vitium, honeſtatem, vel inhoneſtatem, contra ius, & exigentiam ipſius honeſtatis, & virtutis, quæ exigit quæri certò & per ſe, non fortuitò, & per accidens. Imò ſic tractare honeſtatem, & complacentiam Dei, & ſic illam quærere eſt ipſis indecorum, & iniuriosum intrinſecè. Nec excuſatur ſic operans, quià ſperat, & quærit maiorem complacentiam Dei, & ſolum timet minorem diſplicentiam. Imò duplicitèr ex hoc ipſo accuſatur. Primò, quià non timet illam levem Dei diſplicentiam, quàm timere debet, cùm debeat timeri ſuper omnia; ipſe autem in modo illo operandi exponit ſe periculo proximo illam incurrendi, qui apertè eſt modus operandi temerarius, licet levitèr. Secundò, quià etiam indebite quæreret complacentiam Dei, ſcilicet per fortunam, & ſortem, cùm tamen ipſa iure propriæ æſtimabilitatis, & excelentiæ exigat quæri per ſe, & propter ſe, & non per fortunam, & ſortem.

67 Ex quo patet ad paritatem primam de contractibus. In contractibus enim quæruntur bona temporalia, quæ non ſunt tantæ excelentiæ, & æſtimabilitatis, vt iure proprio exigant quæri per ſe, & propter ſe, ſed permittunt quæri per fortunam, & ſortem. Quin & hoc etiam ſolet habere aliquam intrinſecam inordinationem, propter quàm leges prohibent ludos illos, in quibus pecunia per puram ſortem quæritur, & fortunæ exponitur: ſolumque permittunt illos, in quibus magis per induſtriam, quàm per ſortem pecunia lucratur, quaſi ipſo lumine naturali notum ſit eſſe inordinatum, quod bonum, etiam temporale, & vile, quæratur fortuito, & per ſortem. Ceterum, honeſtas, virtus, & complacentia Dei eſt bonum maximæ excelentiæ, & æſtimabilitatis, in immenſum excedens omnia bona temporalia, ac perconſequens, exigens ex proprijs meritis quæri per ſe, & non per fortunam, aut ſortem, & tractari maxima certitudine, & ſecuritate, & non periculosè, & temere; etiam ſi periculum, & temeritas ſit incurrendi leviſſimam culpam, ſi enim lumine ipſo naturæ iudicatur inordinatum, & contra vile decus pecuniarum, quærere illas per puram ſortem in ludis, quanta erit inordinatio in modo quærendi per ſortem honeſtatem, & complacentiam Dei, & quàm hoc contrarium erit decori æterno virtutis.

68 Ad ſecundam paritatem de humanis, dico, quod etiam in humanis nullus dominus vult quod ſervus eius prætextu afferendi domino ſuo magnum lucrum prætèr eius iuſſionem, exponatur periculo proximo violandi eius mandatum, aut præceptum; vnde ſolent dicere ſervis, primum quod à vobis exigo, & de quo primum curare debetis, eſt de implendis meis iuſſionibus; obſequia autem vltronea non admitto, niſi poſquam cura, & diligentia exacta impleveritis quæ iubeo, & cùm detrimento, licet leviſſimo, imò & cùm periculo violandi mea mandata, nullum obſequium, quantunvis magnum admittam. Dominus igitur, qui ſic exigeret ſerviri, cuius mandata tàm delicatam obedientiam mererentur, cur iraſci non poſſet contra ſervum, ſi cùm periculo proximo violandi vel leviſsimum eius mandatum, ſervus ei præſtaret obſequium, aliàs magnum?

69 Dices, tunc iraſci poſſet, quià eis intimaſſet legem reflexam, ſivè reflexam ſuam voluntatem non admittendi obſequium cùm periculo levis inobedientiæ. Sed contra, quià præſcindendo ab illa voluntate reflexa intimata ſervis, ſi dominus ille tàm delicatè mereretur ſerviri, & obediri, iuſtiſsimè quæri poſſet de ſervo, ſi cùm periculo violandi mandatum eius, quanvis leve, ſibi vellet præſtare obſequium, quanvis aliàs magnum, eo quod iuſtiſsimè dicere poſſet, prius eſt obedire, quàm ſacrificare, & mihi diſplicet ſacrificium omne cùm periculo inobedientiæ. Cùr igitur Deus, qui eſt ſupremus omnium Dominus, & qui delicatiſsimè ſerviri meretur, iureque propriæ excelentiæ præciſivè ab omni lege reflexa, delicatiſsimam exigit obedientiam ab omnibus, non poterit iuſtè iraſci contra ſervum, ſi cùm periculo proximo violandi, vel leviſsimam eius legem, velit vltroneè, & prætèr Dei iuſſionem obſequium aliàs magnum Deo offerre? Cùr non poterit dicere; ſerve imprudens, prius erat obedire, quàm ſacrificare?

70 Deindè ſecundò reſpondeo, inſiſtendo diſparitati præcedenti, quod dato caſu, quod obſequium, & complacentia hominis abſque iniuria ipſius poſſit quæri fortuito, & per ſortem, hoc non ſequitur de obſequio, & complacentia Dei, quæ, vtpote infinitæ maioris excelen-

lentiæ, exigit & obligat ad modum perfectiorem illam quærendi, nimirùm per ſe, & non periculoſe per fortunam, & ſortem inter complacentiam, & diſplicentiam. Reſpondeo tertiò interrogando ab ipſo Terillo. Cur dictamen reflexum dictat non eſſe quærendam complacentiam Dei quantumvis maximam, cùm periculo diſplicentiæ levis, & cur dictamen reflexum id non dictat de obſequio homini exhibendo?

71 Reſpondet num. 18. diſparitatem eſſe, quià homo cùm non ſit per ſe ſumme fœlix, augetur eius fœlicitas bonis, & obſequijs ab alio præſtitis, & ideò cum ofendere non poteſt quod aliquis cùm periculo levi eius detrimenti, quærat magnum eius obſequium, quià ſic quærit, licet cùm contingentia, maximè augere eius fœlicitatem. At Deus eſt eſſentialitèr beatus, & ſumme fœlix, cuius fœlicitas augeri non poteſt per noſtra obſequia, & ideò noſtris obſequijs non indiget vllo modo, qua propter ſibi placere non poteſt, ſed potius neceſſariò diſplicet, & offenditur, ex eo quod prætextu præſtandi obſequium, cuius non indiget, & quod à nobis ipſe non exigit, operemur cùm periculo proximo violandi legem, aut præceptum eius, licet levitèr. *Deus enim*, inquit, *nullà de cauſa contemni debet, quantumvis leviſsimè, præcisè quià Deus eſt.* Omniſque eius offenſa infinitatem quandam extrinſecàm ſummit ex infinita Dei dignitate, ratione cuius omnia bona poſſibilia, quæ in comparationem venire poſſunt cùm peccato, ſunt potius contemnenda, quàm vel minimum peccatum committi debeat, quanvis exindè eſſet certiſſimè ſalvandus totus mundus, & omnes certiſsimè damnandi, ſi non patraretur. Nihil ſimile inhumanis. Hactenùs Terillus.

72 Hanc igitur rationem diſparitatis, quæ nullam importat legem reflexam, nec dictamen reflexum, ſed potius eſt ratio fundamentalis ipſius legis reflexæ, & reflexi dictaminis, nos aſsignamus cur cenſendum ſit quod operari in dubio propoſito in argumento de levi diſplicentia, & magna complacentia Dei, ſit intrinſecè peccaminoſum, & offenſivum Deo, licet talis modus operandi in obſequium hominis non ſit intrinſecè offenſivus hominis.

***

§. VI.

Aliqua dubiola ſolvuntur.

73 PRO Complemento quæſtionis inquires primò: quid faciendum, quando dubitatur de vtroque extremo libertatis contradictionis àn ſit peccatum? Exempli gratia, eſt quis die feſto aſsiſtens graviter ægrotanti. Vrget vltima hora audiendi Sacrum. Dubitat àn teneatur, audire Sacrum relicto infirmo, vel àn teneatur aſsiſtere infirmo omiſſo Sacro, & de vtroque dubitat àn ſit peccatum. Nunquid in hoc dubio conſcientiæ vrget regula, & præceptum, quod in dubio tutior pars eſt eligenda? Aut erit in hoc caſu peccatum operari in dubio, & ſinè conſcientia determinata?

Reſpondeo diſtinguendo. Nàm vel dubitat de vtroque extremo, ità vt neſciat diſcernere quodnam ex illis duobus ſit maius peccatum, caſu quo ſit peccatum. Vel ſcit certo quod vnum ex illis duobus, v. g. deſerere infirmum, ſi ſit peccatum, erit maius peccatum, quàm omittere Sacrum, ſi forſan ſit peccatum. Si dubitat primò modo, dico, ad nullum extremum præ altero obligari in illo dubio, nec tunc peccare quanvis operetur in dubio. Ratio primi eſt, quià vbi in dubio nulla pars eſt tutior, ſed in quacumque imminet æquale periculum, negatur ſuppoſitum de tutiori parte eligenda: ergò ibi nullam partem præ altera tenetur eligere, quià tutiorem. Ratio ſecundi eſt, quià vbi non poteſt vitari periculum, illud incurere, peccatum non eſt, nemò enim peccat in eo quod cavere, & vitare non poteſt, aliàs peccaret contra libertatem; ſed in dicto dubio vitari non poteſt periculum proximum violandi legem Dei, nàm vtrinque æqualitèr imminet periculum, & neceſsitatus eſt omninò ad vnam ex illis duabus partibus æquè periculoſis eligendam: ergò non peccat, etſi ſe exponat tali periculo, quia coactus, & invitus ſe exponit.

74 Sed dices: operatur ſinè conſcientia de honeſtate operationis: ergò operatur ſine regula debita omni actioni humanæ; ſed operari ſinè regula, & ſinè conſcientia, eſt modus operandi intrinſecè malus: ergò operatur intrinſecè male. Ad hoc reſpondebunt forſan Reflexiſtæ, quod ille qui ſic dubitaret, licet dubitaret directè, tamen haberet conſcientiam reflexam deter-

terminatam de eo quod in illo dubio operari licitum eſſet, & honeſtum, ſeu non peccatum, ob defectum libertatis, quià natura, vtpote provida, nunquam deficit in adminiſtranda regula reflexa, quando deficit directa, ſemperque providet de reflexo dictamine, vbi directum deficit.

75 Sed hoc ſanè experientiæ eſſe contrarium teſtantur omnes ſimplices, & ruſtici timorati, quos ſæpè videmus in ſimilibus dubijs anxiari, angique, ſi deſit qui eis dictet quid ſit agendum. Vbi, inquiro, eſt tunc illa providentia naturæ tàm prompta ſemper iuxtà contrarios? Quomodo relinquit tunc timoratos ſimplices anxiari, & afligi ſimilibus dubijs? Cùr ſtatim non intimat eis illam regulam reflexam iuxta contrarios nulli deficientem, quod in dubijs de vtra parte æquè periculoſa in tuto ſumus, & quamlibet eligamus, peccare non poſſumus? Certè, ſi natura nunquam deficeret in hac regula adminiſtranda, ſed illam ſtatim provide miniſtraret, in ſimilibus dubijs, nullum videremus anxium, & inquietum, cùm ſtatim per illam regulam pacaretur, & ſedaretur animus. Quinimò in nullo dubio vnquam animus torqueretur, cùm iuxta contrarios natura provida ſit, nunquamque deficiat in quibuslibet dubijs conſcientiæ, adminiſtrando ſemper regulam certam reflexam de eo quod faciendum eſt in tali dubio. Cum autem hoc manifeſtè contrarium ſit experientiæ, indè eſt quod natura non adeò provida eſt, vt fingunt contrarij, ſed quod ſæpiſſime deficit per non leve ſpacium, durante dubio directo, & animum torquente, ità vt menti non occurrat illa reflexio, ſed ſæpè invincibiliter deſit. Non igitur per prædictam reflexionem ſolvitur præcedens obiectio.

76 Dico igitur, quod ille, qui operaretur in illo dubio, operaretur ſinè conſcientia, & ſinè regula: ceterum ſupponimus illum feciſſe diligentiam debitam, quærendi regulam, & conſcientiam, hoc eſt, inquirendo quantum potuit, quid in illo caſu eſſet licitum, quid illicitum, ſeu ad quid teneretur, & talem conſcientiam, aut regulam non inveniſſe, àc perconſequens non libere, ſed neceſſario carebat regula, & conſcientia, & cùm aliàs eſſet etiam neceſſarium eligere vnum ex illis duobus, de quorum neutro habebat conſcientiam, nec regulam, omninò neceſsitatus erat ad operandum ſinè regula, & ſinè conſcientia, & cùm ad peccatum formaliter tale eſſentialiter exigatur libertas, & nemò poſsit peccare formaliter ex neceſsitate quantumvis malus, & defectuoſus ſit modus operandi, vel opus ipſum, indè eſt, quod in illo modo operandi ſinè conſcientia, quantumvis de ſe malo, & turpi, tunc non peccaret formaliter, nec ei eſſet imputabile ad culpam defectu libertatis.

77 Sed dices, poterat de hoc ipſo formare conſcientiam reflexam: ergò poterat operari cùm conſcientia. Negò antecedens, quià qui torquebatur in dubio, & quærebat pro poſſe ſolvere illud, & non invenit modum ſolvendi dubium, nec ei venit in occurſum; quomodo libere potuit formare conſcientiam reflexam qua liberaretur à tormento dubij? Sanè non potuit, quià diligentiſsimè inquirenti non occurrit.

78 Dices iterum: ergò ille maneret in dubio àn peccaſſet, vel non peccaſſet: ergò teneretur confiteri illam ſuam electionem, licet non peccaminoſam. Concedo conſequentiã, ſi nimirùm in poſterũ non inveniret, qui eum à dubio liberaret, nec ipſe poſſet dubium ſolvere. Et in hoc caſu tenetur tale dubium exponere confeſſori, vt mihi non ſemel, nec vnus tantum pœnitens ex poſſuit. Soluto autem dubio per confeſſorem, vel per quemlibet alium, aut ex proprio diſcurſu, ità vt iàm agnoſceret ſe non peccaſſe, non teneretur iàm ſe accuſare de tali facto, quià iàm non eſſet dubius de peccato, ſed certus de non peccato.

79 Si autem conſcientia dubia dubitet ſecundo modo ſuprà dicto, ità vt immineat periculum peccati maioris in vno extremo, quàm in alio: reſpondeo, quod vel imminet peccatum maius exceſſu levi, vel peccatum maius exceſſu gravi. Si exceſſu levi, dico quod tenetur ſub culpa levi eligere periculum de minori peccato. Si exceſſu gravi, tenetur ſub culpa gravi eligere periculum minoris peccati, & vitare periculum maioris. Et ratio eſt, quià ex duobus malis minus malum eſt eligendum, ſiquidem tenemur vitare malũ, & peccatum quantum poſsimus, licet non teneamur quærere bonum quantum poſsimus: ergò ex duobus periculis tenemur eligere minus periculum, ſeu periculũ minoris mali: ergò ſi eligamus periculum maioris mali, tantum peccabimus, quantum fuerit exceſſus mali, & peccati, cuius periculo nos exponimus: ergò ſi fuerit exceſſus gravis, erit culpa gravis, ſi levis levis. Et vlterior ratio eſt, quià periculum illud intantum eſt culpabile, inquantum excedit aliud periculum, non inquantum æquale eſt alteri, quià inquantum æquale

vitari

vitari non poteſt, quanvis eligat alteram partem: ergò erit culpabilis gravitèr, ſi excedat gravitèr, & levitèr, ſi excedat levitèr.

80 Sed dices: quo modo in æquali periculo peccati eſt certitudo non peccati, ſi eſt periculum peccati? Aut quomodo eſt periculum peccati, vbi eſt certitudo non peccati? Ad hoc iàm ſupra diximus eſſe diſtinctum peccatum illud cuius eſt periculum, & illud cuius eſt certa negatio. Eſt igitur periculum peccati obiectivi, & materialis ex parte operis, hoc eſt violandi obiectivè divinam legem per opus, & incurrendi opus revera prohibitum, eſt autem certitudo de non peccato ex parte actus; & vtrumque rectè componitur, ſicut re ipſa cohæret peccare materialiter ex parte obiecti, & non peccare formalitèr ex parte actus tendentis in obiectum.

81 Inquires ſecundò: àn qui operatur cùm dubio negativo de honeſtate operis, peccet? Ratio dubitandi eſt, quià dubium negativum etiam excludit conſcientiam certam de honeſtate operis; ſed operari ſine conſcientia certa de honeſtate operis eſt peccatum: ergò & operari cùm dubio negativo. Reſpondeo diſtinguendo dubium negativum de opere ſecundùm ſe, & dubium negativum de opere hic & nunc attentis omnibus circunſtantijs, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte finis. Primum dubium poteſt compati ſine ſecundò, cùm exiſtimatione ſcilicèt determinata de honeſtate operis vt vndique circunſtantiati. Et tunc cùm dubio negativo de honeſtate operis ſecundùm ſe, poteſt quis licitè, & honeſtè tale opus operari, quià vt hic & nunc circunſtantiatum in individuo ſibi repræſentatur determinate, vt honeſtum. Si tamen dubitet negativè etiam de opere, vt hic & nunc circunſtantiato vndique, tunc caſus peccabit operando. Ratio vtriuſque eſt, quià in primò caſu habet conſcientiam determinatam de honeſtate operis, ſecus autem in ſecundò. Cùm autem manifeſtè ſit peccatum eligere opus ſine conſcientia de eius honeſtate, non autem illud eligere cùm conſcientia de eius honeſtate, indè eſt quod in primò caſu non peccat, ſed honeſte operatur, in ſecundò verò caſu peccat, & illicitè eligit tale opus. Ex quo patet ad rationem dubitandi.

82 Sed dices primò: hoc eſſe eodem modo diſcurrere de dubio negativo, ac de dubio poſitivo, & nullam aſsignare diſparitatem: cùm tamen aliqua diſparitas admittenda ſit. Reſpondeo, diſparitatem eſſe in eo quod quando intellectus dubitat poſitivè de opere ſecundùm ſe, hoc eſt, cùm ratione gravi poſitivè probante eius inhoneſtatem, difficile ad modum ſolvitur dubium, vel determinatur conſcientia ad affirmandam honeſtatem operis, vt hic & nunc circunſtantiati: quià cùm ratio probans opus ſecundùm ſe eſſe inhoneſtum, probet ex conſequenti hic & nunc eſſe inhoneſtum, quià inhoneſtas, quæ convenit operi ſecundùm ſe, ſemper, & in omni ſtatu illi convenit, raròque poteſt honeſtari per circũſtantias advenientes, indè eſt quod durãte dubio poſitivo de inhoneſtate operis ſecundùm ſe, debet vt in plurimum etiam durare circa honeſtatem operis vt hic & nunc. Attamen in dubio negativo oppoſitum contingit: nàm qui eſt dubius negativè de opere ſecundùm ſe per neſcientiam, tàm eius honeſtatis, quàm inhoneſtatis, ſicuti ſub nulla ratione opus ſibi apparet honeſtum, ità ſub nulla ratione ſibi apparet inhoneſtum. Hoc autem dubium facillimè ſolvitur, & determinatur in praxi; nàm quæcumque circunſtantia adveniat in praxi, vel boni finis, vel vtilitatis proximi, vel quæcumque alia, iàm conſcientia dictat determinatè illud opus hic & nunc eſſe honeſtum, & honeſte appetibile, quià eo ipſo quod ſecundùm ſe non appareat honeſtum, nec inhoneſtum, intellectus circa opus ſecundùm ſe nullam habet rationem contradicentem honeſtati advenienti operi in individuo, & conſequenter ex quocumque capite honeſtetur in individuo, abſolutè dictat conſcientia abſque omni ratione contradicente opus illud hic & nunc eſſe honeſtum.

83 Explicatur: dubium negativum de honeſtate operis ſecundum ſe, eſt, vel æquivalet apparientiæ, qua opus appareat indifferens negativè, hoc eſt, nec ſub vlla ratione bonum, nec ſub vlla ratione malum. Cùm autem opus ſecundum ſe negativè indifferens, quacumque circunſtantia honeſtari valeat, indè eſt quod opus negativè dubium, poteſt facillimè honeſtari in praxi quacumque circunſtantia, v.g. deſignando illi bonum finem. Attamen quando quis dubitat poſitivè de honeſtate operis ſecundum ſe, proponitur opus ſub vna ratione, vt poſitivè inhoneſtum, & ſub alia vt poſitivè honeſtum, intellectu fluctuante inter illas duas rationes. Cùm autem opus ſecundum ſe ſub aliqua ratione poſitivè apparens inhoneſtum, non poſsit honeſtari, nec ex fine, nec ex alia circunſtantia, niſi ſolvatur, & reijciatur illa ratio, quià quod eſt ſecundum ſe poſitivè malum, nec propter finem bonum honeſtari, aut honeſte fieri poteſt, indè eſt, quod quantumvis mille circunſtantiæ advenirent, quæ

bonæ

bonæ eſſent, & honeſtæ, dummodo tamen dubitaret poſitivè de inhoneſtate operis ſecundum ſe, non poſſet determinatè dictare conſcientia tale opus, vt hic, & nunc eſſe honeſtum, & honeſte appetibile. In hoc igitur eſt maxima diſparitas.

84 Attamen, ſi ſemel conſcientia dubitet negativè de opere vt hic & nunc circunſtantiato, ità vt ei appareat indifferens negativè, hoc eſt ſub nulla ratione honeſtum, & ſub nulla ratione turpe, pariter dico, voluntatem peccaturam, ſi opus ſic vltimo propoſitum amplexaretur, non minus, quàm ſi proponeretur ſub dubio poſitivo; quià in vtroque caſu illud amplexaretur ſine conſcientia de honeſtate eius, & conſequenter ſine regula debita.

85 Dices ſecundò: tunc caſus voluntas operaretur indifferenter: ergò non peccaret. Antecedens probatur: quià actus voluntatis ſpecificatur ab obiecto propoſito voluntati, vt propoſito voluntati; ſed tunc caſus obiectum, vel opus proponeretur voluntati indifferenter, nec ſub ratione boni, nec ſub ratione mali: ergò voluntas indifferenter operaretur, nec male, nec benè. Hoc argumentum aliqualem vim habet ad probandum eſſe poſsibilem actum voluntatis indifferentem in individuo. Et ſane Scotus cùm ſuis plane fatebitur, voluntatem in caſu obiectionis operari indifferenter, hoc eſt, nec honeſtè formalitèr, nec inhoneſtè. Ceterum hoc aſſerunt, quià non agnoſcunt obligationem vniverſalem in homine ad operandum, ſemper quod operetur, cùm regula honeſtatis, nec ad ordinanda omnia ſua opera ad finem honeſtum. Nos autem cùm D. Thoma, & omnibus Thomiſtis contrariam opinionem tenemus, ducti oppoſita ratione, quià ſcilicet iudicamus creaturam rationalem teneri ad operandum, ſemper quod operetur, cùm regula honeſtatis, hoc eſt, conformiter ad divinam legem, & voluntatem tenetique ſemper adhibere hanc regulam, & normam in ſuis actibus, omniaque ſua opera ordinare in vltimum finem honeſtum: quod ſi faciat, non indifferenter, ſed honeſte poſitivè operabitur, & per conſequens nunquam indifferenter.

86 Vnde ad obiectionem factam, nego antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: tunc caſus proponeretur opus voluntati indifferenter, nec ſub ratione boni, nec ſub ratione mali, ſignate, & ex parte rei cognitæ, concedo minorem: exercitè, & ex modo concipiendi, nego minorem, & conſequentiam. Quià voluntatis actus non ſolum ſpecificatur ab obiecto propoſito voluntati, quantum ad rationes in eo ſignate cognitas, ſivè quantum ad id quod importat ex parte rei ſignificatæ conſiderato, ſed etiam ab obiecto vt ſtat ſub modo exercito, ſub quo exercitè proponitur voluntati: in prædicto autem caſu, licet opus, vel obiectum proponeretur ſignatè, & ex parte rei ſignificatæ nec ſub ratione boni moralis, nec ſub ratione mali moralis, quià nec ſignatè cognoſceretur in ipſo ratio boni moralis, nec ſignatè appareret ratio mali moralis. Tamen ex hoc ipſo proponeretur exercitè ſub malo modo morali, quià proponeretur ſub defectu regulæ debitæ, & finis debiti; proponeretur enim ſine fine, & regula debita. Obiectum autem ſic propoſitum, vt ſtat ſub tali modo exercito defectuoſo, eſt malum obiectivè moraliter in ratione obiecti, quià eſt obiectum propoſitum ſub defectu ordinis ad finem debitum, & ſub defectu regulæ debitæ; & conſequenter ſub defectu privativo in linea moris. Si igitur voluntas tendat per ſuum actum formalem in tale obiectum ſic propoſitum, ab obiecto ſic exercitè privato ordine & regula, ſub qua proponi debet, privatur in ſuo actu ordine, & rectitudine formali ſibi debita, & conſequenter eius actus ab obiecto privativè defectuoſo, redditur privativè defectuoſus, & ab obiecto exercitè propoſito vt malo, redditur formaliter malus, & non manet indifferens.

QVÆSTIO. XVII.

An ſolvere dubitationem ſit cùm ratione, quali, & quanta?

1 COMMVNIS Theologorum ſententia eſt, vt ex dictis patet, neminem licite poſſe agere in dubio id ipſum, de cuius honeſtate dubitat, durante dubio: attamen, ſi ſolvatur dubium pro parte affirmante licitum, omnes iudicant licitum illud agere. Quapropter in ſequentibus inquirendum reſtat, quo modo ſolvi poſsit, aut debeat. Igitur ſolvere dubitationem idem eſt, ac ſolvere indifferentiam illam, & æquilibrium, quo fluctuat intellectus inter vtramque partem contradictionis. Et, ſicut ſolvere indifferentiam eſt reducere indifferens ſubiectum de ſtatu indifferentiæ ad ſtatum actualis determinationis: ità ſolvere dubitationem erit reducere intellectum de ſtatu dubitantis ad ſtatum actualiter, & determinate aſſentientis vni parti contradictionis potius quàm alteri. De hoc igitur interrogamus primò, àn ſemper fiat cùm ratione? Secundò, qualis ratio ſit neceſſa-

ceſſaria, àn ſufficiat eadem, quæ erat ratio dubitandi, àn opus ſit alia diſtincta? Tertiò, quanta debeat eſſe aliqua ratio ad ſolvendum dubium, àn ſufficiat quicumque exceſſus ad rationem oppoſitam, àn ſit neceſſarius notabilis exceſſus?

§. I.

Statuitur prima concluſio.

2 AD Primum igitur reſpondeo, *Quod ſolvere dubium ſemper eſt cùm ratione, & non pro mero libito voluntatis.* Probatur: nàm licet intellectus moveatur à voluntate quoad exercitium actus; tamen neceſſario indiget moveri, & determinari ab obiecto quoad ſpecificationem: &, ſi non detur obiectum movens, & determinans quoad ſpecificationem, implicat quod voluntas determinet intellectum quoad exercitium aſſenſus; tunc ſic, ſed intellectus, dùm eſt in diſpoſitione dubitantis, aut in dubio actuali, eſt indifferens ad aſſenſum, non ſolum quoad exercitium, ſed multo magis quoad ſpecificationem, quià non ſolùm eſt indifferens vt in exercitio aſſentiatur, vel ſuſpendat iudicium, ſed etiam eſt indifferens, vt aſſentiatur aſſenſu affirmante, vel vt diſſentiatur diſſenſu negante, quæ eſt indifferentia quoad ſpecificationem: ergò indiget motivo ex parte obiecti determinante intellectum quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad aſſenſum præ diſſenſu, vt poſsit determinari ad exercitium talis aſſenſus; ſed motivum ex parte obiecti ad aſſenſum præ diſſenſu eſt ratio obiectivè movens: nàm in præſenti pro eodem accipimus rationem obiectivam, àc motivum quodlibet ex parte obiecti: ergò vt intellectus aſſentiatur determinatè vni parti, ſeu, quod idem eſt, vt ſolvatur eius dubitatio neceſſaria eſt aliqua ratio obiectiva determinans ad talem aſſenſum: ergò ſolvere dubitationem ſemper eſt cùm ratione. Vrgetur: nàm cùm intellectus humanus eſſentialiter ſit rationalis, aſſenſus, quo ſolvit dubitationem, debet eſſe rationalis; ſed non eſſet rationalis, ſi eſſet abſque omni ratione pro ſolo libito voluntatis: ergò neceſſario debet eſſe cùm ratione: non igitur ſolvi poteſt dubium abſque omni ratione.

3 Maior difficultas eſt quantum ad ſecundam partem quæſiti. Pro qua notandum eſt, quod vna ratio poteſt eſſe diſtincta ab alia dupliciter, vel quoad ſubſtantiam, id eſt, quantum ad principium, in quo fundatur, vel ità vt ſit eadem quoad ſubſtantiam, & ex parte principij, diſtincta tamen quantum ad modum eam penetrandi, & quantum ad connexionem in ipſa detectam: multoties enim eadem ratio ex eodem principio deſumpta vni ſuadet efficacitèr concluſionem, alteri ſecus; quin, & eidem intellectui nunc ſolet inefficax apparere, poſtea efficax; quod ex eo naſcitur, quod antea non penetrabatur tantum, quantum poſtea, nec eius connexio apparebat ſicut poſtea. Igitur poteſt vnica ratio materialiter, & quoad ſubſtantiam eadem diverſificari quantum ad penetrationem ipſius, quià detegitur connexio, quæ antea latebat; & tunc iàm eſt nova ratio formalitèr, & quoad modum, quià illa maior, vel diſtincta connexio penetrata, quæ antea latebat, eſt novum motivum intellectus, & conſequenter formalitèr nova ratio, vel ſi mavis, ratio inovata. Quo ſuppoſito.

§. II.

Statuitur ſecunda concluſio.

4 DICO Secundo: *Ad ſolvendum dubium neceſſaria eſt nova ratio, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum.* Probatur: nàm eadem ratio dubitandi, quæ eſt ratio prudenter dubitãdi omnino invariata formalitèr, & quoad modum, implicat quod ſit ratio ſufficiens prudentèr ſolvendi dubium: ergò requiritur nova ratio, ſaltim formalitèr, & quoad modum. Antecedens probatur: nàm ſi eadem ratio ſufficeret ad ſolvendum dubium prudenter, nullus eſſet, qui prudenter dubitaret; hoc eſt abſurdum: ergò. Sequela probatur: nàm omnis, qui prudenter dubitat, habet rationem ſufficientem ad prudentem aſſenſum partis affirmativæ, v.g. ſed nullus, qui habet rationem ſufficientem ad prudentem aſſenſum partis affirmatiuæ, v.g. prudenter dubitat de illa: ergò nullus, qui prudenter dubitat, dubitat prudenter. Maior probatur: nàm per te ratio dubitandi eadem omnino manens, & invariata, ſufficiens eſt ad prudentem aſſenſum vnius partis, v.g. partis affirmativæ, ſiquidem eſt ſufficiens ad ſolvendum dubium prudenter; ſed omnis, qui prudenter dubitat, habet veram rationem dubitandi: ergò habet rationem ſufficientem ad aſſenſum prudentem partis affirmativæ. Deinde probatur minor: nàm imprudentia manifeſta eſt manere in dubio, dùm adeſt ratio ſufficiens prudenter aſſentiendi, & ſolvendi dubium, cùm enim ſtatus dubitantis ſit intellectui quodammodo violentus, & ſit ſtatus imperfectus, quo tendit ad aſſenſum perfectum, imprudentia eſt

manifeſta, vel ſaltèm non eſt prudentia detinere intellectum in dubio, dùm adeſt ratio ſufficiens prudenter aſſentiendi: ergò nullus, qui habet rationem ſufficientem prudenter aſſentiendi, & ſolvendi dubium, dubitat prudenter.

5 Confirmatur: implicat quod eadem ratio omnino invariata inclinet, & ſuadeat intellectum prudenter ad oppoſita; ſed dubitarè de parte contradictionis affirmativa, v.g. & ſolvere dubitationem de illa, determinatè iudicando, ſunt actus oppoſiti intellectus, quorum primus, ſcilicèt, dubitare, importat ſuſpenſionem iudicij, ſecundus importat ipſum iudicium exercitum: ergò implicat quod eadem ratio omnino invariata, quæ movet intellectum ad dubitandum, ſit ratio ſufficiens ſolvendi dubium, & iudicandi pro parte affirmativa determinatè. Confirmatur ſecundò: nàm ſi rationes dubitandi ſunt rationes ſufficientes aſſentiendi, cùr igitur ſtatim àc dubitamus, non aſſentimur? Quid detinet intellectum? Certe intellectus ad aſſenſum, & iudicium tendit, & quanto magis dubitat, magis conatur ad iudicandum: ſi ergò habet motivum ſufficiens aſſentiendi, & iudicandi, certe non ſatis capio, cùr ſit prudentia intellectum ſuſpenſum retinere? Nec ſatis capio, cùr SS. PP. & plerique ſapientes in magnis dubijs ſolent iudicium ſuſpendere, & ſententiam proferre non audent. Sane ſi dubitant prudenter, rationem veram habent dubitandi; cùm igitur per te ratio dubitandi eadem, & invariata omnino ſit ratio ſufficiens prudenter aſſentiendi, cùr non aſſentiuntur, cùm habeant rationem ſufficientem ad prudenter aſſentiendum?

6 Dices: tunc rationes dubitandi eſſe rationes ſufficientes aſſentiendi, quandò ſunt rationes verè probabiles; quandò autem non ſunt rationes verè probabiles, tunc non ſufficiunt ad prudentem aſſenſum; cùm igitur ſapientes, vel prudentes dubitant, ſuſpenſo iudicio, eſt quià habent rationes dubitandi, quæ non ſunt verè probabiles; ſi tamen haberent pro aliqua parte rationem verè probabilem, ſtatim aſſentirent. Sed contra eſt, quià maximum dubium ab ingenti ratione procedit, vt enim ait Philoſophus in 2. Elench. cap. 7. *Eſt autem acuta ratio, quæ dubitare maximè facit, mordet enim hæc maxime*; ſed ratio acuta, quæ maximè mordet, non poteſt non eſſe veroſimilis, & probabilis: ergò dùm prudentes maximè dubitant, ſivè in dubijs maximis, ſemper habent rationes probabiles; & tamen plerumque ſuſpendunt prudenter aſſenſum: ergò non omnes rationes probabiles, quæ ſunt rationes dubitandi, ſunt ſufficientes ad prudenter aſſentiendum, alioquim ex illis prudenter aſſentirent. Secundò: nàm vel rationes probabiles, dùm ſunt verè probabiles, ſunt rationes prudenter dubitandi, vel non. Si non: ergò quanvis illæ ſint rationes ſufficientes prudenter aſſentiendi, non ſalvatur quod rationes prudenter dubitandi omnino invariatæ ſint rationes ſufficientes ad prudentem aſſenſum. Si ècontrà ſunt rationes prudenter dubitandi: ergò non erunt rationes ſufficientes prudenter aſſentiendi; alioquin cùr ſapientes, & prudentes habentes tales rationes, prudenter ſuſpendunt aſſenſum, & non audent proferre iudicium?

7 Sed obijcies primò: ſtante invariata ratione dubitandi pro parte affirmativa, poteſt intellectus ſolverè rationem dubitandi pro parte negativa oppoſita; ſed tunc caſus ratio, quæ antea faciebat dubitare de parte affirmativa, poteſt eſſe ratio aſſentiendi: ergò ratio dubitandi invariata poteſt eſſe ratio aſſentiendi. Minor probatur: nàm ideò illa ratio faciebat dubitarè de parte affirmativa, quià contra illam erat ratio trahens intellectum ad partem oppoſitam negativam, quæ quidem erat obſtaculum ne intellectus determinatè aſſentiret parti affirmativæ; ſed ſoluta ratione pro parte negativa, nihil eſt iàm quod intellectum trahat in oppoſitum, nec quod impediat aſſenſum ipſius pro parte affirmativa: ergò tunc motus ex eadem ratione, quæ erat antea pro parte affirmativa, & generabat dubium, poterit determinatè ei aſſentire, relicto dubio. Explicatur hoc in ſtatera: nàm idem pondus, quod tenet ſtateram in æquilibrio, dùm adeſt æquale pondus in lance oppoſita, trahit, & inclinat ad ſe totaliter ſtateram, ablato pondere à lance oppoſita: ergò pariter eadem ratio, quæ tenet intellectum in æquilibrio dubitationis, dùm adeſt ratio æqualis in contra, eadem invariata poteſt trahere intellectum ad aſſenſum, ſoluta ratione pro parte oppoſita.

8 Reſpondeo, diſtinguendo maiorem; ſtante invariata, tàm intrinſecè, quàm extrinſecè ratione pro parte affirmativa, poteſt intellectus ſolvere rationem dubitandi pro parte oppoſita, nego maiorem: ſtante invariata intrinſecè, concedo maiorem, & minorem, & diſtinguo conſequens, eodem modo Quià ratio pro parte affimativa, dùm erat ratio pro negativa æqualis, & non ſoluta, erat impedita ne traheret intellectum ad aſſenſum ſuæ partis, ſicut pondus in lance dextera ſtateræ

impe-

impeditur per æquale pondus in lance ſiniſtra ne trahat ſtateram, & illam inclinet in ſuam partem: attamen ſoluta ratione pro parte negativa, iam ratio pro parte affirmativa eſt expedita, quià nullum impedimentum habet in contra, vt trahat intellectum ad aſſenſum ipſius partis affirmativæ: hoc autem non eſt talem rationem manere invariatam omnino, quià licet intrinſecè, & ex parte ſua eadem maneat, tamen extrinſecè variatur per ablationem obicis, quià tranſit de impedita ad expeditam; & hoc pacto variata, fatemur, quod quæ antea erat ratio dubitandi, poteſt eſſe nunc ratio aſſentiendi; & hoc probat argumentum, & exemplum: quià iàm variatur diſpoſitio intellectus dubitantis, & tranſit in diſpoſitionem aſſentientis.

9 Obijcies ſecundò: ille, qui facta debita inquiſitione veritatis ſuper quæſtionem, àn ſit lex, vel non ſit lex, manet cùm eiſdem rationibus dubitandi, àc antea, non inventa veritate, poteſt de ponere dubium: ergò poteſt ſolvi dubium abſque novitate rationis. Antecedens probatur: nàm qui, facta debita diligentia pro invenienda vera Dei lege, non invenit adeſſe legem, poteſt prudenter exiſtimare talem legem non adeſſe, & licite de ponere dubium, vt docet Suarez tom. 5. in 3. part. ſec. 5. à num. 12. Taner. tom. 2. diſp. 2. quæſt. 6. diſt. 4. num. 44. & Salas tit. 8. ſec. 18. & alij: ergò. Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem ſimiliter, nego antecedens vniverſaliter ſumptum cùm M. Ferre in præſenti. Nàm ſic ipſe ait: Si enim plures, & graves, & pij Doctores aſſeruerint adeſſe legem, & ego non inveniam, meum non invenire non prævalet authoritati tantorum D.D. ex qua dubitabam adeſſe legem; & ſic nequit ſolvere meum dubium, quod ex affirmatione tot Doctorum fundabatur: requiritur ergò præter illam meam non inventionem aliqua ratio poſitiva, vi cuius poſsim probare falli eos Doctores, qui partem affirmativam tenent. Deinde illi Authores, qui affirmant adeſſe legem, fundantur in aliqua ratione magni ponderis. Hæc autem ratio non ſolvitur per hoc argumentum negativum: adhibui diligentiam in quærenda lege, & non inveni. Tum etiam, quià forſan non adhibui debitam diligentiam, cùm multoties iudicium privatum fallatur. Aliquid ergò præter non inventionem legis requiritur ad ſolvendum dubium. Hucuſque M. Ferre in præſenti quæſt. 4. num. 54. Quæ verba ad litteram ex ipſo retuli, vt videas ipſum à noſtra & vera eſſe ſententia.

10 Obijcies tertiò: invariatis rationibus dubitandi, poteſt intellectus ex imperio voluntatis omittere conſiderationem rationis pro parte negativa, & ſolum conſiderare rationem pro parte affirmativa; ſed tunc caſus eadem ratio pro parte affirmativa, quæ antea faciebat dubitarè propter actualem advertentiam, & attentionem ad rationē oppoſitam, nunc erit ſufficiens ad aſſenſum ſuæ partis propter non conſiderationem, & nō attentionem ad rationem oppoſitam: ergò ratio dubitandi invariata poteſt tranſire in rationem aſſentiendi. Diſtinguo maiorem: invariatis rationibus dubitandi intrinſecè, tranſeat maior: invariatis extrinſecè, nego maiorem. Quià dùm erant rationes dubitandi, ideò erant, quià conferebātur ad invicem, & ſimul conſiderabantur, & ſic cogebant dubitare: cùm autem conſideratur vna ſola, non attenta alia, iàm variatur hæc, ſaltèm extrinſecè, quià auſertur obex oppoſitæ rationis à ſtatera intellectus; & ratio, quæ antea propter talem obicem erat impedita ne traheret in ſuam partem intellectum, ablata conſideratione rationis oppoſitæ, expeditur iàm, quià actu non ponderat ratio oppoſita in ſtatera intellectus pro parte contraria, & eſt quaſi non eſſet, quià actu non conſideratur, nec ponderatur, vt in exemplo ſtateræ manifeſtum apparet.

11 Deinde, diſtinguo minorem: talis ratio tunc caſus erit ſufficiens ad aſſenſum partis affirmativæ, ad aſſenſum, inquàm, imprudentem, & inconſideratum, concedo minorem: ad aſſenſum prudentem, & conſideratum, nego minorem, & conſequentiam. Quià tunc caſus cùm aſſenſus partis affirmativæ procederet ex ratione ſtante pro ipſa, non quidem collata cùm ratione oppoſita, ſed omiſſa conſideratione, & attentione actuali ad rationem oppoſitam talis aſſenſus, eſſet abſque debita conſideratione, quià ad prudentem aſſenſum, & iudicium determinatum pro parte affirmativa, requiritur conſideratio, & attentio ad rationes pro vtraque parte militantes, & conferre vtraſque inter ſe, & quod ex tali collatione procedat aſſenſus. Sicuti vt Iudex proferat prudenter ſententiam pro vna parte, requiritur quod audiat æqualitèr rationes, & teſtes pro vtraque parte litigante; alioquim erit iniquus Iudex. Vnde ſi contrarij velint quod per ipſam rationem dubitandi, nulla alia ratione ſuperaddita, nec quoad ſubſtantiam diſtincta, nec quoad modum, poſsit ſolvi dubium imprudenter, & inconſiderate, hoc eſt, per non conſiderationem, & non attentionem ad rationem oppoſitam,

id

id vltro fatemur, imò cenſemus indè oriri, quod tàm facile quiſque præbeat aſſenſum opinioni cuilibet faventi libertati, dùm invenerit quatuor, octo, vel decem Authores pro ea, quià videlicet nimium attendit ad illos Authores, & quaſi iniuriam reputat eis negare aſſenſum, aut falſos fuiſſe iudicare, non tamen attendit ad hoc quod pro parte oppoſita ſunt tot, vel plures AA. æqualis, vel maioris authoritatis, quibus æqualis, vel maior iniuria fiet, ſi eorum ſententia pro falſa reputetur. Et quidem non dubito, quod, ſi, veluti recti Iudices, abſque nimio amore propriæ libertatis, vtraſque partes æqualiter, & ſecluſa paſsione, & affectione, audiremus, non adeò facile ſententiam pro libertate proferremus, ſed plerumque in dubio prudenti perſiſteremus, vel legem adeſſe iudicaremus.

§. III.

Statuitur tertia concluſio.

12 DICO Tertiò: *Solutio dubij ſemper eſt per veritatis inventionem veram, vel exiſtimatam veram.* Probatur ex Philoſopho qui 7. Æthicor. cap. 2. *Dubitationes*, inquit, *igitur tales quædam accidunt. Horum autem hoc quidem interimere, hoc autem relinquere: ſolutio enim dubitationis inventio eſt.* Super quæ verba D. Thom. ſic ait: *Hæc eſt enim vera ſolutio dubitationis, cùm invenitur quid ſit verum circa id quod dubitatur.* Ad quæ verba reſpondet M. Ferre in præſenti, quod in illis tantum habetur quod vera ſolutio dubitationis tunc adeſt, cùm invenitur quid ſit verum circa id quod dubitatur. Sed hoc non eſt, inquit, quod prætendit Cœlla Dei, nàm hic non ſolum vult, quod tunc invenitur vera ſolutio dubitationis, cùm invenitur quid ſit verum, ſed vult ipſam veri inventionem eſſe dubij ſolutionem. Sed in primis conatus Patris Cœlla Dei non eſt in eo quod ipſe conceptus metaphyſicus inventionis veritatis ſit metaphyſicè ſolutio dubij, ſed ſolum eſt quod inveniendo veritatem, & non aliter ſolvimus dubium, hoc enim eſt quod conducit ad illius intentum, & non illud, vt eum legenti manifeſtè conſtabit. Vnde ſi hoc concedit M. Ferre, pro libito eum ſibi fingit hoſtem. Secundò, qua D. Thom. non ait, quod *Tunc habetur vera ſolutio dubij, cùm invenitur quid ſit verum*, vt falſo interpretatur M. Ferre, ſed expreſſe ait: *Hæc eſt vera ſolutio dubitationis cùm invenitur quid ſit verum*: ergò iuxta D. Thom. non ſolum verum eſt, quod tunc ſolvitur dubium, cùm invenitur quid ſit verum, ſed quod vera ſolutio dubij eſt inventio veri.

13 Secundo probatur, quià dubitatio, vt dictum manet, eſt indifferentia quædam poſitiva intellectus, quàm patitur ex rationibus inclinantibus intellectum ad oppoſita; ſed huiuſmodi indifferentia ſolum ſolvitur per inventionem veritatis veram, vel exiſtimatam: ergò dubitationis ſolutio ſemper eſt per veritatis inventionem veram, vel exiſtimatam. Minor probatur, quià talis indifferentia ſolum ſolvitur per affirmationem, vel negationem obiecti, de quo dubitatur, cùm enim ſit motus indifferens ad vtramque partem contradictionis, per id ſolvitur, per quod determinatur ad vnam. Patet autem quod dubitans non determinatur ad vnam partem contradictionis, niſi per affirmationem, aut negationem eius, quod dubitatur; per affirmationem enim determinatur ad partem affirmativam; per negationem, ad negativam. Certiſsimum ergò eſt, quod ſolum ſolvitur dubium per affirmationem, vel negationem eius, de quo dubitatur. Tunc ſic, ſed omnis affirmatio, aut negatio eius, de quo dubitatur, eſt inventio veritatis vera, vel exiſtimata: ergò ſolutio dubij ſemper eſt inventio veritatis vera, vel exiſtimata. Minor probatur: nàm affirmatio illius, quod dubitatur, eſt iudicium, quo quis primum iudicat, vt veram, partem affirmativam; & negatio illius eſt iudicium, quo quis primò iudicat, vt veram, partem negativam; ſed primò iudicare vt veram partem affirmativam, v.g. eſt invenire in illa veritatem, verè, vel exiſtimativè, ſicuti iudicare eſſe veram negativam eſt invenire in illa veritatem verè, vel exiſtimativè: ergò affirmatio, vel negatio eius, de quo dubitatur, eſt inventio veritatis vera, vel exiſtimativa. Confirmatur: qui dubitat, inquantum dubitat, inquirit formalirèr veritatem, & nondùm ſcit vbi nàm illa ſit, àn in parte affirmativa, àn in negativa, & ideò dubitat, quià nondùm invenit vbi nàm illa ſit: ſicut qui interrogat, inquantum interrogat, inquirit veritatem, & tandiù interrogat, donec inveniat vbi ſit, quià tandiù quis quærit, donec inveniat, quod quærit: ergò ſicut tunc primum ceſſat inquiſitio, cùm accedit inventio, & tunc primum ceſſat interrogatio, cùm primum invenitur vbinàm ſit illud, de quo interrogat, tunc primum ceſſat, aut ſolvitur dubium, cùm invenitur id, quod per dubium quæritur, vbi ſit, ſcilicèt veritas: ergò ſolutio dubij fit per inventionem veritatis, vel in parte affirmativa, vel in parte negativa.

Reſ-

14 Reſpondet M. Ferre, quod inventio veritatis ſemper præſupponit ſolutionem dubitationis, quià ratio dubitandi impediebat iudicium de convenientia veritatis vni parti, præ alia. Vnde neceſſe eſt prius removere prohibens dubitationis, & deindè iudicare, quod in hac parte, præ alia, veritas ſit: ſemper ergò inventio veritatis præſupponit ſolutionem rationis dubitandi. Sed contra eſt, quià prædictus Author confundit ſolutionem rationis dubitandi, cùm ſolutione dubij, quaſi idem omnino ſit vna, àc alia; in quo tamen manifeſtè fallitur, quià ſæpè ſolvitur dubium, non ſoluta ratione dubitandi, v.g. ſi quis Catholicus dubitaret aliqua ratione ductus de aliqua veritate, quàm vſque tunc non legerat in Sacra Scriptura, ſtatim àc illam legeret, veritatem inveniret, & & dubium ſolveret, & non expectata ſolutione rationis dubitandi. Similitèrque de vera reſurrectione Lazari, vel Chriſti, cùm maxima pro tunc ratione dubitandi, ſtatim àc Lazarum, aut Chriſtum viderunt, & palpaverunt reſuſcitatum, ſolutum eſt dubium, & inventa veritas, non ſoluta ratione dubitandi: ergò non eſt idem ſolutio rationis dubitandi, àc ſolutio dubij, nec ſemper debet præcedere ſolutio rationis dubitandi ad inventionem veritatis. Deinde, quià dato caſu quod præcedat ſolutio rationis dubitandi ad inventionem veritatis, non ſequitur quod realitèr præcedat ſolutio dubij, quià prior eſt ſolutio rationis dubitandi, quàm ſolutio dubitationis, ſicut prior eſt ratio dubitandi, quàm dubitatio: ergò licet ſolutio rationis dubitandi præcedat inventionem veritatis, tamen ſolutio dubij non debet præcedere inventionem veritatis, ſed poteſt quàm optime componi quod vnus & idem actus intellectus ſit ſolutio dubij, qui eſt inventio veritatis. Et revera ità eſt, quià licet debeat præcederè ſolutio rationis dubitandi ante ſolutionem formalem dubij, tamen ipſa ſolutio dubij formalitèr eſt inventio veritatis, ſiquidem per illum actum intellectus primò, & formalitèr ſolvitur dubium, per quem primò invenitur vbi ſit veritas.

15 Sed obijcit M. Ferre: ad ſolvendum dubium, & licitè operandum in praxi, ſufficit quod quis ex dubitante tranſeat in opinantem; ſed ad hoc non requiritur inventio veritatis vera, vel exiſtimata: ergò ad ſolvendum dubium non requiritur vlla inventio veritatis. Conceſſa maiori quoad primam partem, & omiſſa quoad ſecundam (quià nunc non diſputamus directè quid opus ſit ad operandum in praxi licite, ſed tantum quid opus ſit ad prudenter ſolvendum dubium intellectus, & intempeſtivè miſcetur vna quæſtio cùm alia) nego minorem evidenter falſam. Quià opinio eſſentialitèr eſt exiſtimatio, quod pars opinata eſt vera; exiſtimatio autem, quod pars opinata eſt vera, eſt inventio veritatis exiſtimata, licet forſan non ſit vera inventio veritatis.

16 Sed hanc minorem ſic probat ipſe M. Ferre. Nàm inventio veritatis in re, vel certò exiſtimata eſſe in re, neceſſariò determinat vnam partem prorſus excludendo formidinem alterius, ſed hoc non requiritur, vt quis tranſeat de dubitante in opinantem: ergò nec requiritur inventio veritatis vera, nec exiſtimatio certa illius. Concedo totum de exiſtimatione certa omnino, prout certitudo oponitur opinioni. Ceterum, minor probanda hæc non erat, ſed quod ad opinandum non requiritur inventio veritatis vera, nec exiſtimata vera. Prædictus autem Author facit tranſitum de inventione exiſtimata vera ad inventionem certò, & abſque formidine, exiſtimatam veram: & hanc probat non eſſe neceſſariam ad ſolvendum dubium, ſicuti nec eſſe neceſſarium aſſenſum certum, & neceſſarium circa vnam partem contradictionis; quod quidem libenter fatemur cùm Cœlla Dei, quià tùm ipſe, tùm nos credimus ſufficienter ſolvi dubium per inventionem opinatam veritatis, ſivè per inventionem exiſtimatam: nec requiri quod certò, & abſque formidine exiſtimetur inventa veritas, ſed ſufficit, quod exiſtimetur: cuius contrarium nullatenus ſuadet M. Ferre, imò nec id ſuadere re ipſa conatur, àc proinde nihil agit contra noſtram ſententiam.

§. IV.

Statuitur quarta concluſio.

17 CIRCA Tertiam partem dubij, dico quarto: *Æqualitas rationum, & authoritatum pro vtraque parte contradictionis non poteſt ſufficere ad ſolvendum dubium, ſed potius ipſa æqualitas rationum, & authoritatum ad dubium proprietale revocatur.* Ità Cœlla Dei part. 1. lib. 4. quæſt. 3. qui pro ea citat innumeros AA & re ipſa cenſeo nullum ex antiquis ab hac ſententia diſsidere, imò nec de illa diſputatum fuiſſe, quià veluti certa ab omnibus ſupponitur; cuius ſignum evidens eſt, quod quicumque vult dubium aliquod ſolverè, neceſſariò inquirit pro qua parte ſit maior ratio, vel authoritas, nunquamque

decidit, aut reſolvit pro parte affirmativa, niſi quià iudicat pro illa eſſe maiorem rationem, vel authoritatem, quam pro negativa : ſtultuſque habetur, qui reſolveret dubium pro parte affirmativa, & vlteriùs fateretur ſe nullam maiorem authoritatem, aut rationem inveniſſe pro illa, quàm pro alia negativa : ergò ſignum eſt quod ab omnibus ſaltem ſæculis retroactis pro comperto habitum eſt æqualitatem rationum, & authoritatum neceſſariò retinere intellectum in dubio, & dubium non poſſe reſolvi, durante in actuali conſideratione intellectus æqualitate rationum, & authoritatum.

18 Deinde probatur expreſſo teſtimonio D. Thom. quæſt. 14. de verit. artic. 1. in corp. vbi ſic ait : *Intellectus noſter, reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode. Quandoque enim non magis inclinatur in vnam, quam in aliam, vel propter defectum moventium, vt in problematibus, de quibus rationes non habemus ; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad vtramque partem, & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis* : ergò iuxtà D. Thom. æqualitas rationum, vel authoritatum moventium ad vtramque partem contradictionis retinet intellectum in dubio, nè inclinetur magis ad vnam partem, quàm ad aliam.

Deinde probatur ratione : nàm quicumque quæſtionem movet, vtrùm licitum ſit, vel non ſit licitum facere aliquid, ſi ſolùm ponat rationes, vel authoritates æquales pro vtraque parte, & nihil ampliùs faciat, per hoc præcisè non ſolvit dubium, ſed quæſtionem in dubio relinquit : ergò per æqualitatem rationum, & authoritatum ſolvi non poteſt dubium, ſed durante tali æqualitate, intellectus in dubio manet.

19 Magiſter Ferre reſpondet num. 60. quòd ſi authoritates, & rationes, quæ proponuntur pro vtraque parte ſint verè probabiles, licèt per illas non reſolvatur dubium quoad illud, in quo tales rationes pugnant, reſolvitur tamen quoad illud, in quo aſſimilantur, & conveniunt. Pugnant autem circà veritatem quæſiti, quià rationes, & authoritates pro parte affirmativa contendunt reverà eſſe licitum pingere in die feſto : rationes autem, & authoritates pro parte negativa contendunt directè non eſſe re ipſa licitum, & circà hoc non reſolvitur dubium, ſed potiùs intellectus manet dubius ſpeculativè circà veritatem, àn videlicet re ipſa à parte rei ſit ità, vel non. Conveniunt tamen in eo quod vtramque partem faciunt verè probabilem, & circà hoc non pugnant, nec relinquunt intellectum dubium, ſed potiùs illum certum reddunt de probabilitate. Et hoc pacto reſolvitur quæſtio modo poſsibili, quià dùm poſt longum examen cognoſci non poteſt quænam pars ſit vera, determinatur, & reſolvitur vtramque eſſe verè probabilem.

20 Sed hæc ſolutio clarè demonſtrat Magiſt. Ferre quoad punctum præſens pro libito ſe fingere nobis adverſarium. Quià nos in præſenti tantùm contendimus dubium reſolvi non poſſe quoad punctum, de quo dubitatur àn ſit, vel non ſit, quandiù ſunt rationes, & authoritates æquales, tùm pro eo quod ſit, tùm pro eo quod non ſit : quod verò reſolvi poſsit circà aliud punctum, de quo non dubitatur, nec noſtræ ſententiæ contradicit, nec eſt ad propoſitum : ergò ſi primum concedit Magiſt. Ferre, nobiſcum eſt.

Explicatur ; quià duæ poſſunt excogitari quæſtiones. Primà, àn re ipſa ſit licitum pingere in die feſto, àn re ipſa ſit illicitum. Et circà hanc ſunt duæ ſententiæ, vna affirmativa, quæ dicit eſſe licitum, alia negativa, quæ negat eſſe licitum, ſeu dicit eſſe illicitum. Secunda quæſtio poteſt eſſe reflexa ſuper iſtas duas ſententias, àn videlicèt vtraque iſta ſententia ſit re ipſa, & verè probabilis, vel non. Magiſt. Ferre inquit, quod, ſtante æqualitate rationum pro vtraque parte primæ quæſtionis directæ, neutiquàm poteſt prima quæſtio ſolvi quoad punctum, de quo dubitat ; licet reſolvi poſsit quod vtraque ſententia, tàm affirmativa, quàm negativa ſint verè probabiles, quod eſt reſolvere ſecundam quæſtionem : ergò per rationes dubitandi æquales circà primam quæſtionem non ſolvitur prima quæſtio, nec deciditur dubium, de quo in illa dubitatur. Quid ergò ad rem quod decidatur alia quæſtio, de qua dubium in prima non procedat.

21 Ampliùs explicatur : ſupponamus extare circà aliquam quæſtionem moralem duas opiniones verè, & certò probabiles, quarum vna affirmat contractum A. eſſe licitum, alia negat, & quod vtraque habeat graves Authores, & rationes, quæ ſuam par-

partem faciunt certo probabilem. Iam ſanè, ſi vtraque eſt certo probabilis, de probabilitate dubium non erit: nàm de certo, vt certo, nemo dubitat. Rogo igitur: hoc ſuppoſito, poterit quiſque in poſterum dubitare prudentèr directè, àn talis contractus ſit licitus re ipſa, vel obligabitur credere indubitantèr talem contractum eſſe licitum? Si hoc ſecundum: ergò in poſterum nihil ampliùs licebit talem quæſtionem excitare, nec de illa directè dubitare, & imprudentèr procedunt omnes, qui poſtquam inveniunt graves Doctores, & rationes pro vtraque parte contradictionis in aliqua quæſtione morali, vlteriùs de illa directè dubitant, & illam excitant, veritatem inquirendo. Cùm autem hoc ſecundum dici non poſsit ſine temeritate; dicendum eſt neceſſariò primum, ſcilicet, quod adhuc ſuppoſita vtraque parte contradictionis, vt certo probabili, propter graves Auctores, & rationes, poteſt quis prudentèr dubitare, àn talis contractus re ipſa licitus ſit, vel non. Nunc igitur interrogo: per quid ſolvendum eſt hoc dubium? Sufficit nè ad illud reſolvendum æqualitas rationum, & auctoritatum pro vtraque parte militantium? Ais ſufficere ad reſolvendam certam probabilitatẽ vtriuſque partis. Ceterùm de hac iam non erat dubium, ſed vt certa ſupponebatur, & dubium ſolùm procedebat de rei veritate: ergò hoc dubium omninò inſolutum manet, & manebit vſque dùm duret æqualitas rationum pro vtraque parte. Hoc igitur eſt quod nunc defendimus.

22 Vrgetur; quià contrarij eas vocant rationes verè, & certè probabiles, quæ ſunt rationes graves, & magni ponderis. Et opiniones, quæ his rationibus nituntur, & Authoribus, vocant opiniones verè, & certò probabilles in praxi; ſed quod ſint rationes, & authoritates gravis, & magni ponderis, tùm pro eo, quod talis contractus ſit licitus, tùm pro eo quod ſit illicitus, non minuit, ſed potiùs auget dubitationem. Nàm quantùm rationes, & authoritates pro vtraque parte contradictionis militantes, graviores ſunt, & maioris ponderis, tanto magis dubitare faciunt intellectum circà illud, ad quod probandum tales authoritates, & rationes adducuntur: ergò quòd rationes, & auctoritates pro vtraque parte militantes, ſint verè, & certò probabiles, & faciant ſuas partes certò, & verè probabiles, non ſolvit dubium circà licitum, vel illicitum illius contractus, de quo dubium erat, & pro quo authoritates, & rationes adducuntur.

23 Dices denique, quod licet dubium non ſolvatur quantum ad eſſe, vel non eſſe in rei veritate licitum contractum, tamen eo ipſo quod iam ſupponatur ſolutum, & determinatum dubium reflexum de probabilitate vtriuſque opinionis per certam cognitionem de probabilitate practica vtriuſque, habetur quod eſt neceſſarium ad licitè celebrandum in praxi illum contractum, quià iam habetur tanquam certo probabile, quod ille contractus ſit licitus, & ſufficit huiuſmodi certitudo, vt hic & nunc poſsit quiſque licitè illum celebrare contractum.

Sed contrà; quià ſi ſemèl intellectus manet dubius directè, àn ille contractus re ipſa ſit licitus, àn re ipſa ſit illicitus, ſalvatur quidquid in præſenti quæſtione contendimus, ſcilicet, quod ſtantibus æqualibus rationibus, & authoritatibus pro vtraque parte contradictionis, pro neutra poſsit reſolvi dubium. Quod autem certò conſtet vtramque partem eſſe verè probabilem, id iam ſupponitur ante ipſum dubium, & dubium ſolùm eſt de eo, àn ſit re ipſa licitus, vel non talis contractus, & hoc indeciſſum manet. An autem ſufficiat certitudo de probabilitate, cum dubio actualiter perſeverante de veritate, vel falſitate ad licitè celebrandum talem contractum eſt alia quæſtio in poſterum decidenda, quam intempeſtivè miſcet Magiſt. Ferre cum præſenti, cùm tamen in puncto ſpeciali præſentis quæſtionis re ipſa non diſcordet à noſtra ſententia.

QVÆSTIO XVIII.

An cum dubio ſpeculativo, ſeu vniverſali de licito, vel illicito componatur certitudo practica, & in ſingulari de honeſtate actus?

1 RESPONDEO Primo: *quod ſi in ſingulari hic & nunc concurrat aliqua circunſtantia, vel ratio non attenta, nec prævisa in dubio vniverſali, & ſpeculativo, benè poteſt compati tale dubium cum certitudine practica de honeſtate, vel etiam de inhoneſtate actus in ſingulari.* Eſt ſententia communis omnium Theologorum, pro-

probatúrque primo exemplo: dubitat quis in vniverſali, ân liceat baptizare in aqua ſalis, & cum hoc dubio vniverſali accidit caſus ſingularis, in quo alia aqua deeſt, & infans moritur; tunc ſanè licet, & compatitur cum illo dubio vniverſali iudicare hic & nunc certo vt licitum baptizare in aqua ſalis. Et exemplo propoſito, probatur ratione, quià dubium illud vniverſale non eſt de caſu neceſsitatis, ſed extrà caſum neceſsitatis, cùm in vniverſali non fieret mentio illius caſus; ſed rectè componitur dubitare, ân ille modus baptizandi ſit licitus extrà caſum neceſsitatis, & certificari de eo quod ſit licitus in caſu neceſsitatis: ergò rectè componitur dubium illud vniverſale cum certitudine practica in ſingulari. Minor patet, quià dubium illud eſt de diſtincto obiecto, àc certitudo; ſed circà obiecta diſtincta rectè componitur certitudo de vno, & dubium de alio: ergò.

2 Dico ſecundo: *Si penſentur in vniverſali circunſtantiæ, quæ concurrunt in ſingulari caſu, eodem modo iudicandum eſt practicè, & in ſingulari, àc ſpeculativè, & vniverſalitèr: àc proinde, ſi intellectus vniverſalitèr eſt dubius, etiam debet dubitare in ſingulari.* Ità etiam communitèr Theologi, & probatur primo, exemplo ſuprà poſito: quià ſi in conſideratione vniverſali circà prædictum modum baptizandi, attenderetur, & includeretur caſus ſingularis neceſsitatis, qui dubitaret vniverſalitèr, ân eſſet licitum baptizare in aqua ſalis in caſu neceſsitatis, paritèr, adveniente tali caſu in ſingulari, teneretur dubitare in ſingulari, & ſi in ſingulari non dubitaret; quià caſus neceſsitatis eſt, nec in vniverſali dubitaret, loquendo de caſu neceſsitatis in vniverſali.

3 Deinde probatur ratione: quià intellectus nequit de eodem omnino obiecto ſimul dubitare, & certus eſſe, certitudo enim, & dubitatio reſpectu eiuſdem obiecti repugnant ſimul in eodem intellectu; ſed ſi dubitaret in vniverſali, ân eſſet licitus hic contractus conſideratus ſub his circunſtantijs, & certus eſſet in ſingulari, quod talis contractus hic & nunc ſub eiſdem & non alijs circunſtantijs eſſet licitus, dubitaret, & certus eſſet de eodem obiecto: ergò intellectus nequit ſimul dubitare in vniverſali de contractu, ân ſit licitus, vel illicitus, & eſſe certus in ſingulari, attentis in ſingulari, & in vniverſali eiſdem omnino circunſtantijs. Minor patet, quià obiectum in ſingulari, ſi nullam addat de novo circunſtantiam, quæ prævisa non fuerit in conſideratione vniverſali, idem omnino eſt àc obiectum in vniverſali.

4 Explicatur: quotieſcumque eadem omnino ratio, quæ cogit dubitare in vniverſali, adeſt in ſingulari invariata, etiam cogit dubitare hic & nunc in ſingulari; ſed ſi omnis ratio, & circunſtantia concurrens in caſu ſingulari conſideretur in vniverſali, nulla ratio concurrit in particulari, aut in ſingulari, quæ non prævisa fuerit in vniverſali; ſed potius ratio dubitandi in vniverſali manet omnino invariata: ergo ſicut in vniverſali dubitare cogebat, debet obligare ad dubitandum in ſingulari.

5 Vrgetur: ſi ſemel iudices in vniverſali ſimilem contractum ſub talibus circunſtantijs eſſe cunctis hominibus illicitum, & interdictum, & nulla tibi adſit ſpecialis cauſa exceptionis hic & nunc, quæ alijs hominibus non aſsiſtat, non poteris, ſaltèm prudentèr, & licitè, tibi exiſtimare licitum, ſeu non prohibitum talem contractum, niſi velis vnum Deum tibi, & alium cæteris; ergò ſignum eſt, quod quando omnes circunſtantiæ, & rationes, quæ concurrunt in ſingulari, conſiderantur in vniverſali, eodem modo iudicandum eſt, in ſingulari, àc in vniverſali: ſi ergò dubitas in vniverſali, vndè poteris ſub eiſdem omnino rationibus, & circunſtantijs certus eſſe hic & nunc in ſingulari.

6 Hoc rurſus explicatur exemplis: dubius eſt in vniverſali, ân pictoribus ſit licitum pingere in die feſto; accidit caſus ſingularis gravis neceſsitatis, & tu es pictor. Tunc ſanè iàm in ſingulari non dubitas. Cur? Quià acceſsit circunſtantia, & ratio tibi hic & nunc ſpecialis, quæ non prævisa fuit in vniverſali conſideratione. Attamen conſidera illam circunſtantiam in vniverſali, in hac vniverſali quæſtione: ân liceat pictori in caſu gravis neceſsitatis pingere in die feſto? Dubitabis nunc in vniverſali? Non ſanè. Ergò quià conſideraſti in vniverſali eandem omnino circunſtantiam, quæ te certificabat in ſingulari. Secundo: dubius es vniverſalitèr ân liceat ſuſcipere ordines vno, vel duobus, aut tribus diebus ante completam ætatem à Canonibus præſcriptam: accidit caſus ſingularis, in quo habes diſpenſationem ad id conceſſam auctoritate Apoſtoli-

ſtolica, ſanè non dubitabis hic, & nunc tibi licere ſuſcipere ordines ante talem ætatem? Cur? Quià in ſingulari concurrit diſpenſatio, quæ non attendebatur in dubio vniverſali. Attamen, ſi diſpenſatio conſideretur in vniverſali, quis dubitabit vniverſaliter licitum eſſe ſuſcipere ordines ante impletam ætatem cuicumque habenti ad id diſpenſationem? Tertio: dubitas àn aliquid licitum ſit, vel illicitum. Accedit præceptum Prælati ſub obedientia tibi imperans, vt illud facias: iam non dubitas tibi hic & nunc eſſe licitum illud facere. Cur? Quià acceſsit præceptum Prælati, quod non conſiderabatur in vniverſali. Nàm ſi in vniverſali illud conſideraſſes, non dubitares, quod quotieſcumque in dubio ſubditi aliquid ei præcipitur ſub obedientia à Prælato, de quo ſubditus dubitat, ei eſt licitum illud facere.

7 Sed dices, nos falſo ſupponere, quod circunſtantiæ concurrentes in praxi, poſſunt conſiderari in vniverſali. Nàm conſideratio vniverſalis eſt conſideratio ſpeculativa, conſideratio autem ſpeculativa non agit de obiecto veſtito circunſtantijs, ſed de natura obiecti ſecundùm ſe. Sic videntur exiſtimare aliqui. Qui tamen apertè falluntur, primo in eo quod iudicant conſiderationem vniverſalem de moribus eſſe ſpeculativam purè, ſicuti conſiderationem Metaphiſycæ, aut Philoſophiæ Naturalis; quod tamen falſiſsimum eſt. Nàm Philoſophia, & Metaphiſyca non conſiderant ſuum obiectum, veluti regulàm ad operandum in praxi, ſed tantummodo cum fine agnoſcendi naturam, & eſſentiam ipſius; eius enim finis tantùm eſt veritas, quià eſt ſcientia ſpeculativa. Attamen Philoſophia, & Theologia Moralis, dùm vniverſaliter agit de licito, vel illicito, de honeſto, vel inhoneſto, eius finis eſt rectitudo ſervanda in actibus humanis, & tradere regulas vniverſales, quibus homo regulet ſuas actiones. Vndè apud omnes eſt facultas ſimpliciter practica. Ceterum, quià conſideratio vniverſalis non eſt proxima regula, ſed remota actuum particularium, ideò non dicitur proximè practica, nec practicè practica; ſed, vt aliqui aiunt, ſpeculativè practica. Et comparatione facta cum dictamine ſingulari proximè, & immediatè regulante opus, appellatur ſpeculativa conſideratio, eo quod eſt minus practica, quàm dictamen ſingulare. Re ipſa tamen hic modus loquendi eſt abuſus, quià conſideratio moralis, quantumvis vniverſalis, practica eſt, & regula operandi. Et melius diſtinguimus dictamen vltimum regulans à iudicio vniverſali, penes vniverſale, & ſingulare, quàm penes practicum, & ſpeculativum. Nos autem ſi aliquandò conſiderationem vniverſalem moralem appellamus ſpeculativam, hoc facimus vt in vocibus ſtatim à RR. non diſcordemus.

8 Secundo falluntur in eo, quod circunſtantiæ, quæcumque ſint, honeſtantes, vel inhoneſtantes actiones in ſingulari non poſsint conſiderari in vniverſali, ſeu, vt ipſi loquuntur, ſpeculativè. Nàm hoc eſt imprimis contra D. Thom. qui 2. 2. quæſt. 7. art. 2. probat conſiderationem circunſtantiarum ad Theologum pertinere. Secundo eſt contra manifeſtam experientiam, cùm videamus in Cathedris, & in libris moralibus agi, & conſiderari omnes illas circunſtantias, vti ſunt diſpenſatio, præſcriptio, conſuetudo, epikeia, neceſsitas, ſcandalum, & alia huiuſmodi, quæ ſolent honeſtare, vel inhoneſtare actionem; in libris autem, & Cathedris certum eſt, quod diſputatur in vniverſali, & ſpeculativè in ſenſu dicto: ergò illæ circunſtantiæ poſſunt conſiderari ſpeculativè, & in vniverſali. Tertio: quià quotieſcumque Moraliſtæ tractant aliquem caſum particularem, & ſingularem cum ſingulariſsimis circunſtantijs, non tractant illum in ſingulari, ſed in vniverſali, loquentes vniverſaliter pro omnibus caſibus ſimilibus illi, qui contingere poſſunt. Aliàs, ſi ſolùm de illo caſu præterito loquerentur, inutilis eſſet doctrina, cùm ad alios caſus in poſterùm eam applicare non liceret, ſiquidem de eis non loquerentur: ergò caſus ſingularis cum circunſtantijs, quantumvis ſingulariſsimus, conſiderari poteſt in vniverſali. Imò ille eſt melior Theologus Moralis, qui plures circunſtantias conſiderat in vniverſali ex his, quę poſſunt contingere in particulari.

9 Certiſsimum ergò debet eſſe, quod, dùm intellectus eſt dubius in vniverſali de actione aliqua ſub talibus circunſtantijs, àn ſit illicita, tenetur dubitare in ſingulari, ſi alia circunſtantia, aut ratio nova non ſupervenerit, non prævisa in vniverſali. Hoc tamen ſuppoſito, dubitamus, quænam circunſtantia debeat eſſe iſta. Sit ergò.

QVÆ-

QVÆSTIO. XIX.

An ad ſolvendum dubium in ſingulari ſufficiat certa, & æqualis probabilitas in vniverſali pro vtraque parte contradictionis?

1 HOC Effugium Probabiliſtis manere videtur, eoque omnes tenent partem affirmativam. Sed quàm inconſideratè, iàm oſtendo.

2 Dico igitur: *Exiſtente dubio in vniverſali, ſeu ſpeculativo* (vt contrarij locuuntur) *àn hic contractus ſit licitus, vel illicitus, non poteſt ſolvi dubium in praxi, & in ſingulari per hoc præcisè quod ſit æqualis, & vera probabilitas pro vtraque parte contradictionis in vniverſali, nulla alia variata circunſtantia.* Probatur ex dictis: quià ſola illa circunſtantia poteſt ſolvere dubium in praxi, quæ non fuit prævisa in conſideratione vniverſali, & ſpeculativa, vt fatentur omnes Theologi, & probatum manet quæſtione precedenti; ſed vera, & æqualis probabilitas pro vtraque parte contradictionis in vniverſali, iàm fuit in vniverſali prævisa: ergò per illam non poteſt ſolvi dubium in praxi, & in ſingulari. Minor probatur: quià ratio dubitandi in vniverſali, fuit in vniverſali prævisa; ſiquidem propter illam dubitat intellectus vniverſaliter; ſed ratio dubitandi fuit ipſiſsima vera & æqualis probabilitas pro vtraque parte contradictionis; ſiquidem fuerunt rationes, & authoritates magni ponderis & momenti, æquales pro vtraque parte, in quibus formaliſsime conſiſtit æqualis probabilitas, & vera: ergò æqualis, & vera probabilitas pro vtraque parte fuit prævisa in dubio vniverſali, ſeu ſpeculativo. Si igitur illa non ſolvit dubium vniverſale, & ſpeculativum, nec etiam poterit ſolvere dubium in ſingulari, & practicum circa idem, ſcilicet, àn talis contractus ſit in ſingulari licitus, vel illicitus hic & nunc. Nàm de hoc erat dubium vniverſale.

3 Explicatur: intellectus videns in vniverſali, & in conſideratione ſpeculativa vtramque partem contradictionis æquè verè probabilem, non obſtante hac probabilitate vera, & æquali, imò ex ipſa cogebatur dubitare in vniverſali, & ſpeculativè àn talis contractus cunctis hominibus eſſet interdictus, & illicitus, vel non: ergò adveniente caſu ſingulari celebrandi talem contractum, ſi nulla alia ſuperniat circunſtantia, tenetur ſimiliter, non obſtante illa æquali, & vera probabilitate pro vtraque parte contradictionis, dubitare in ſingulari hic & nunc, àn ſibi ſit interdictus, & illicitus talis contractus. Niſi velis dicere, quod non obſtante illa probabilitate, dubium eſt àn cunctis hominibus ſit vniverſaliter prohibitus, & illicitus talis contractus, attamen tibi per illã probabilitatẽ, abſque alia ratione, eſſe certò licitum hic & nunc, & quod illa vera, & æqualis probabilitas, quæ eſt ratio dubitãdi reſpectu omnium vniverſaliter àn illis ſit illicitus talis contractus, ſit ratio certificandi te ipſum, quod tibi liceat. Quod ſanè eſt velle, vt iàm dixi, vnum Deum tibi, alium ceteris hominibus.

4 Probatur aſſumptum ſecundò: quià dubium ſpeculativum, & vniverſale obligat ad dubitandum practicè, & in ſingulari circa idem, ſi nulla ſuperveniat nova circunſtantia: ergò rationes obligantes ad dubitandum in vniverſali àn talis contractus ſit illicitus, obligant paritèr ad dubitandum practicè, ſeu in ſingulari àn ille contractus hic & nunc tibi ſit licitus, niſi nova ſupervenerit circunſtantia. Sed rationes verè graves, & magni momenti æquales pro vtraque parte obligant ad dubitandum ſpeculativè, & in vniverſali, àn ille contractus ſit licitus, vel illicitus: ergò obligant ſimiliter ad dubitandum in ſingulari, & practicè àn talis contractus ſit hic, & nunc tibi licitus, vel illicitus. Tunc ſic vlterius procedo; ſed rationes illæ, & authoritates ſunt ipſa vera, & certa probabilitas, æqualis pro vtraque parte: ergò æqualis, & vera probabilitas pro vtraque parte obligat ad dubitandum, tùm vniverſaliter, & ſpeculativè àn talis contractus ſit licitus, vel illicitus, tùm practicè, & in ſingulari àn hic & nunc tibi ſit licitus, vel illicitus; ſed circunſtantia, quæ cogit, & obligat ad dubitandum in vniverſali, & in particulari, ſpeculativè, & practicè, non poteſt eſſe circunſtantia, vi cuius dubium ſpeculativum, & in vniverſali decidatur in ſingulari, & practicè circa eundem articulum, de quo dubitatur in vniverſali: ergò

5 Et quidem, tu dubitas in vniverſali, & ſpeculativè àn talis contractus ſit vniverſaliter omnibus prohibitus, & illicitus, vel non, eo quod vides pro vtraque parte rationes, & authoritates vere magnas, & graves, quæ te obligant ad dubitandum vniverſaliter, & ſpeculativè. Inquiro igitur à te, cùr in ſingulari decidis dubium

bium pro parte negativa, iudicando determinatè hic & nunc tibi eſſe licitum talem contractum? Redde rationem, non mihi, ſed Deo. Reſpondebis ne: *Ideo certus ſum hic & nunc mihi eſſe licitum talem contractum, quià ſunt rationes graviſsimæ, & ſimiles authoritates obligantes ad dubitandum vniverſalitèr àn talis contractus ſit illicitus, & prohibitus vniverſalitèr cunctis hominibus: & aliam rationem non habeo?* Puto quod ità reſpondere non audebis. Reſpondebis ne, idem omninò dicendo, per tuas voces de verè, & certò probabili: *Ideò certus ſum in praxi mihi licere hic & nunc talem contractum, quià ſunt rationes, & authoritates verè probabiles pro vtraque parte, quæ vtramque partem reddunt certò, & verè probabilem?* Sed hęc reſponſio eadem eſt cùm præcedenti: quià idem eſt formaliſsimè eſſe rationes, & authoritates pro vtraque parte, quæ vtramque partem reddat certo, & verè probabilem æquè, àc eſſe pro vtraque parte rationes, & authoritates graviſsimas, & æqualis ponderis, quæ obligant ad dubitandum in vniverſali, & ſpeculativè àn talis contractus ſit illicitus, vel non. Deindè, quià idem eſt vi talium rationum, & authoritatum magni ponderis vtramque partem reddi æquè probabilem àc reddi dubitabilem prudentiſsimè, & rationabiliſsimè in vniverſali, & ſpeculativè, vt per ſe patet, & amplius infra declarabitur: ergò reſpondere: *Ideò certus ſum in praxi de vna parte contradictionis, quià vtraque pars eſt certo æquè probabilis*, eſt reſpondere: *Ideo ſum certus in praxi, & in ſingulari, quià vtraque pars contradictionis eſt prudentiſsimè, & rationabiliſsimè dubitabilis in vniverſali.* Hoc autem quis reſpondeat?

6 Deinde contra hanc reſponſionem vlterius interrogo: ſi vtraque pars, nimirùm, quod talis contractus ſit licitus, & quod ſit illicitus eſt æquè probabilis in vniverſali vi rationum authoritatum magni ponderis; & ob hoc dubitas ſpeculativè, & in vniverſali àn talis contractus ſit ilicitus, vel non, cùr in praxi certus es potius quod tibi hic & nunc eſt licitus, quàm quod tibi hic & nunc eſt ilicitus? Inquis: quià eſt verè, & certò probabile, quod eſt licitus. Sed contra; quià etiam eſt æquè, & certo probabile, quod eſt illicitus. Redde igitur rationem, cùr potius certificaris, quod tibi hic & nunc eſt licitum celebrare contractum, quàm quod tibi ſit illicitum? Inquies: quià licitum eſt in praxi operari ſecundum opinionem verè, & certò probabilem. At etiam æquè illicitum eſt operari in praxi contra opinionem æquè certò, & verè probabilem. Vndè igitur habes, quod tibi hic & nunc eſt licitum celebrare talem contractum, quià licitum eſt facere quod dictat vt licitum opinio verè probabilis, & non potius habes, quod illicitum eſt tibi hic & nunc celebrare talem contractum, quià illicitum eſt facere, quod opinio certò & verè probabilis dictat eſſe illicitum? Dices denique, quià licet vtraque ſit æquè probabilis ſpeculativè, affirmans tamen eſſe licitum eſt mihi practicè probabilis, & certa; ſecus alia. Sed contra, quià de hoc eſt reddenda ratio; & quidem in die iudicij. Cùr ſi vtraque eſt æquè probabilis in vniverſali, & ſpeculativè, & nulla alia eſt ratio in ſingulari potius pro vna, quàm pro alia, accipis potius vt practicè certam aſſerentem eſſe licitum, quàm aſſerentem eſſe illicitum? Certè hic aliud motivum non apparet, quàm propria, cuiuſque voluntas.

7 Nec deſſunt Probabiliſtæ, qui hoc tandem reducunt ad libitum voluntatis, quæ pro libito eligit ad praxim quamlibet ex partibus contradictionis æquè probabilibus, cùm dubio ſpeculativo, & vniverſali de licito, vel illicito. Hi ſanè reddent rationem in die iudicij, dicentes; ideò in praxi certi fuimus de licito, potiùs quàm de illicito, quià, non ſtante maiori ratione pro vno, quàm pro alio, pro libito voluimus credere potius eſſe licitum, quàm illicitum, & indè certi fuimus nobis fuiſſe licitum illum contractum. Sed qualitèr, obſecro, propria voluntas, abſque omni alia ratione potius pro vna parte, quàm pro alia, certificare poteſt, quod ſit licitum, potius quàm illicitum? Nunquid voluntas, quià vult, facit ſibi licitum, quod vult? Hoc ſanè de voluntate divina vix quidem dici poteſt: nàm & illa per divinam rationem, & ſapientiam regulatur, & indè eſt licitum, & ſanctum quidquid vult, non præciſe quià vult, ſed quià vult conformitèr ad divinam ſapientiam, quæ eſt prima regula honeſtatis. Attamen de voluntate creata dicere, quod non exiſtente maiori ratione cùr aliquis contractus ſibi ſit licitus, quàm illicitus, præcisè quià vult, facit illum ſibi licitum, eſt extollere voluntatem humanam pluſquam divinam, & illam facere regulam ſuæ operationis, & honeſtatis.

8 Sed inſtat Magiſt. Ferre, ope-

ra-

rationem voluntatis honeſtari ex vera probabilitate, hoc modo: *Qui ſequitur opinionem verè in praxi probabilem non peccat; ſed de eo, quod hic contractus eſt licitus, eſt opinio verè in praxi probabilis: ergò licet celebrare talem contractum.* Maior (inquit) habet poſſeſsionem pacificam ſuæ veritatis, ex quo moralia tractantur in ſcholis. Vndè Moderni nequeunt eam infirmare, niſi faciendo evidentiam de illius falſitate, quod nec fecerunt, nec facient. Minor conſtare poteſt ad oculum oſtendendo, quòd ratio verè probabilitatis illi conveniat. Conſequentia eſt in forma.

Reſpondeo facillimè: primò inſtando ſic: qui operatur contra opinionem verè in praxi probabilem, faciendo quod illa prohibet vt illicitum, illicitè operatur, & peccat; ſed eſt opinio verè probabilis in praxi dicens quod celebrare talem contractum eſt illicitum: ergò qui contrà talem opininionem illum celebrat, peccat. En tuum argumentum, in quo maior eſt æquè vera, ac tua maior. Minor etiam, nàm ſupponimus eſſe æquè probabile in praxi, quod ſit illicitum, quàm quod ſit licitum celebrare contractum: ergò idem modus diſcurrendi, qui honeſtat actionem, paritèr illam dehoneſtat.

9 Deinde in prædicto argumento falſo ſupponitur, quòd vtraque pars contradictionis poſsit eſſe ſimul in praxi probabilis, ſimplicitèr loquendo. Pro nunc tamen reſpondeo, diſtinguendo maiorem: qui ſequitur opinionem verè in praxi probabilem contra aliam opinionem æquè verè in praxi probabilem prohibentem actum, vt illicitum, nego maiorem, quæ in hoc ſenſu, nec habet poſſeſsionem pacificam ſuæ veritatis, nec video qualitèr ab vllo Theologo credi poſsit, vt vera. Nàm ſi aliquis eſt inter duas opiniones, quarum vna practicè dicit, quod hic & nunc eſt illicitum celebrare talem contractum, & alia etiam practicè dicit, quod hic & nunc eſt licitum: & prima eſt æquè probabilis in praxi ac ſecunda, abs dubio, qui ſic verſatur inter iſtas duas opiniones eſt in dubio practico, an hic & nunc ſit licitum celebrare talem contractum, quià cum vtraque ſit æquè in praxi probabilis, non eſt maior ratio, vt credat vni dicenti, quod eſt licitum, quàm alteri contradicenti, ſeu dicenti, quod eſt illicitum. Nunc interrogo: Vndè habetur, quod qui ità verſatur inter iſtas duas opiniones, in hoc bivio, ſeu dubio practico, licitè poteſt credere aſſerenti eſſe licitum pro mero ſuo libito, & illum contractum hic & nunc celebrare contra aliam opinionem, æquo iure, æqua probabilitate in praxi dicente, eſſe illicitum hic & nunc celebrare talem contractum? Hoc ne ità verum eſt, vt habeat poſſeſsionem pacificam ſuæ libertatis ab omni ſæculo, ex quo tractantur moralia in ſcholis? Quis credat?

10 Solum ergò poteſt habere veritatem aliquam, quod qui ſequitur opinionem verè in praxi probabilem in ſolidum, vel magis probabilem ſua contradicente, licitè, & prudentèr operatur: quià dùm opinio aſſerens contractum hic & nunc eſſe licitum, ſola ipſa eſt in praxi probabilis, abſque contradicente, vel, dato caſu, quod habeat contradicentem, illam excedit in probabilitate practica, tunc iam habetur aliqua maior ratio pro opinione aſſerente, eſſe licitum contractum: & ſic rationalitèr poteſt quis illi credere, ſolvendo dubium, & illam ſequi præ alia. Hoc ſanè aliquam veritatem poteſt habere inter Theologos, licet non pacificam poſſeſsionem ab omni ſæculo: nàm etiam habet contradicentes. Attamen, quod ſtante in mente hinc vna opinione dicente, quod hic & nunc celebrare talem contractum eſt licitum, & honeſtum; indè alia dicente, quod hic & nunc celebrare talem contractum eſt illicitum, & peccatum, abſque vlla alia ratione, niſi quià mens verſatur inter duas iſtas opiniones æquè verè in praxi probabiles, poſsit licitè, prudentèr, & honeſtè celebrare talem contractum, ſequendo primam contrà ſecundam, dùm non eſt maior ratio pro prima, quàm pro ſecunda; non video qualitèr hoc habeat poſſeſsionem pacificam ſuæ veritatis, imò nec apparentiam vllam.

QVÆSTIO XX.

An cum dubio de obiecto, ſalvis eiſdem circunſtantijs, ſtare poſsit certitudo de operatione quoad licitum, vel illicitum?

1 NVLLVM Relinquunt lapidem contrarij immotũ, quærentes, ſi forsàn inveniant aliquod effugium, vbi convinci non poſsint. Aiunt igitur, quod opiniones

æquè probabiles contradicentes, ſolùm ſe contradicunt circa obiectum operationis, ſivè voluntatis àn ſit prohibitum, vel illicitum, aut non: & circà hoc generant dubium, quod eſt tantùm ſpeculativum; quià eſt de obiecto ſecundùm ſe. Tales tamen opiniones non ſe contradicere circà operationem, vel actum voluntatis tendentem circà tale obiectum: quià ſi illa opinio, quæ ſtat pro licito, eſt verè in praxi probabilis, non poteſt oppoſita dicere, quod qui illam ſequitur, peccat, ſeu quod actus voluntatis illam ſequens eſt peccaminoſus. Ità Magiſt. Ferre in præſenti. Ex quo infert, quod cum dubio de obiecto, àn ſit licitum, vel illicitum, ſalvis eiſdem circunſtantijs, ſtat certitudo de honeſtate operationis tendentis in illud.

2 Sed vt hoc effugium præcludatur, dicò: *Quod durante dubio de obiecto circunſtantiato hic, & nunc, àn ſit licitum, vel illicitum, ſic dubitans habere non poteſt certitudinem de honeſtate formali actionis voluntatis.* Probatur: vt aliquis ſit certus de honeſtate actus voluntatis, neceſſum eſt quòd ſit certus de honeſtate obiecti circunſtantiati pro hic, & nunc, in quod tendere habet talis actus; ſed ſtante dubio de talis obiecti honeſtate, nequit ſimul ſtare certitudo de illa: ergò nec valet ſtare certitudo de honeſtate formali actus. Maior probatur, quià vt aliquis ſit certus de honeſtate formali actus voluntatis, debet eſſe certus de obiecto ſpecificativo talis honeſtatis; ſed obiectum ſpecificativum talis honeſtatis formalis eſt obiectiva honeſtas in obiecto, vt hic, & nunc circunſtantiato: ergò debet eſſe certus de honeſtate obiecti, vt hic & nunc circunſtantiati. Secundò: Quià vt aliquis ſit certus de honeſtate formali actus voluntatis, debet eſſe certus de eo, quod eſſentialiter requiritur ad talem honeſtatem; ſed ad honeſtatem formalem actus voluntatis eſſentialiter requiritur, quòd obiectum, in quod tendit, vt hic & nunc circunſtantiatum, ſit honeſtum: ergò debet eſſe certus de honeſtate talis obiecti, vt hic & nunc circunſtantiati.

3 Confirmatur: Iudicium de honeſtate actus habetur per iudicium de honeſtate obiecti, cùm actus accipiat ſuam honeſtatem ab honeſtate obiecti: ergò qui dubitat de honeſtate obiecti, & nondùm poteſt determinatè abſolvere dubium, circà illam determinatè iudicando obiectum eſſe honeſtum, adhuc non poteſt certo determinare, & iudicare actum tendentem in illud obiectum eſſe honeſtum. Secundo confirmatur: ſtante dubio de honeſtate, vel inhoneſtate obiecti ſic circunſtantiati, ſtat certitudo quòd ſi voluntas in tale obiectum tendat peccabit; ſed ſtante certitudine hac, non poteſt ſtare certitudo de honeſtate actus voluntatis tendentis in illud obiectum: ergò ſtante dubio de honeſtate, vel inhoneſtate obiecti, vt hic, & nunc circunſtantiati, ſtare non poteſt ſimul certitudo de honeſtate operationis. Maior probatur, quià certum eſt, quòd ſi voluntas tendat in obiectum, de quo, prout hic & nunc circunſtantiato, dubitat, àn ſit licitum, vel illicitum, honeſtum, vel inhoneſtum, peccabit: ergò ſtante dubio de obiecto hic, & nunc circunſtantiato, àn ſit licitum, vel illicitum, ſtat certitudo, quod ſi voluntas tendat in illud, peccabit. Antecedens patet, quià certum eſt apud omnes Theologos, quòd ſi voluntas tendat in obiectum cum conſcientia dubia, àn tale obiectum ſit licitum, vel illicitum, peccabit; ſed dubium de obiecto, vt hic, & nunc circunſtantiato, àn ſit licitum, vel illicitum eſt formaliſsimè conſcientia dubia: ergò certum debet eſſe apud omnes Theologos, quòd ſi voluntas tendat in obiectum, de quo prout hic & nunc circunſtantiato dubitat, àn ſit licitum, vel illicitum, peccabit.

4 Ex quibus iam manifeſtè detegitur effugium contrariorum, initio quæſtionis propoſitum. Dicunt imprimis, dubium circà obiectum, àn ſit licitum, vel illicitum, eſſe tantùm ſpeculativum: & in hoc manifeſtè falluntur. Nàm ſi dubium ſit de obiecto, vt hic & nunc circunſtantiato, probatum relinquimus, quod eſt dubium verè immediatè practicum; àc per conſequens infertur, quod dubium de illo ſit veriſsimè dubium proximè practicum, licet dubium, & iudicium de obiecto ſecundùm ſe, & præciſivè à circunſtantijs, quibus hic & nunc afficitur, ſit tantùm remotè practicum. Dicunt ſecundo, quòd opiniones contradicentes in praxi, æquè probabiles generant dubium de obiecto, quod eſt dubium tantùm ſpeculativum. Hoc etiam eſt falſum, quià quando opiniones contradicentes, de licito, vel illicito conſiderantur, vt practicè probabiles, non ſunt opiniones de obiecto ſecundùm ſe, ſed de obiecto, ſub his circunſtantijs hic & nunc conſiderato, quià de obiecto ſecundum ſe, vt

con-

contrarij fatentur, ſolum poſſunt dari opiniones ſpeculativè probabiles, ſeu probabiles in vniverſali. Opiniones autem de obiecto hic & nunc circunſtantiato æquè probabiles, & contradicentes, quarum vna dicit, obiectum eſſe licitum, alia negat, abſdubio generant dubium de obiecto hic & nunc circunſtantiato, quod eſt dubium proprijſsimè practicum.

5 Dicunt tertiò, non generare dubium circa ipſam operationem, ſed relinquere certitudinem de eo quod ſit honeſta. Hoc etiam eſt falſum: quià, vt probatum manet, generant dubium de obiecto hic & nunc circunſtantiato: impoſsibile autem eſt, mentem eſſe dubiam de obiecto hic & nunc circunſtantiato àn ſit licitum, vel illicitum, honeſtum, vel inhoneſtum, & habere certitudinem de eo quod ſi per operationem voluntas tendat in illud, talis operatio erit honeſta; cùm potius, vt probatum manet, certum ſit, quod talis operatio erit inhoneſta. Et ſi hoc pacto velint contrarij, quod ſtante dubio de obiecto, ſolvitur dubium, & manet certitudo de operatione, hoc eſt, de eius inhoneſtate; vltro id fatemur, negamus autem quod ſolvatur, & decidatur dubium pro eius honeſtate.

6 Dicit denique Magiſt. Ferre, quod ſi vtraque opinio eſt verè in praxi probabilis, nequit vna dicere de altera, quod, ſiquis illam ſequitur, peccat. Hoc etiam eſt falſum: nàm ſi in eodem intellectu adſunt æquè probabiles opiniones circa obiectum, vt hic & nunc circunſtantiatum, qualiter ſolum dicuntur practicè probabiles, & vna dicat, tale obiectum eſſe illicitum, vt hic & nunc circunſtantiatum, neceſſariò dicere tenetur, exercitè ſaltèm, licet non ſignatè, quod, ſi cùm hac opinione æquè in praxi probabili, àc alia, ſequatur aliam dicentem eſſe licitum, peccabit, quià operabitur contradicendo ſibi in praxi. Deindè, dato caſu quod vna opinio directa de obiecto non dicat ſignatè, quod, qui ſequitur aliam, peccat, quià hoc eſſet iàm reflectere ſupra operationem tendentem in obiectum, & ſuprà aliam opinionem contrariam, quod iudicamus impoſsibile in opinione directa. Tamen eo ipſo quod actu dicat obiectum hic & nunc eſſe prohibitum, & illicitum cùm tanta probabilitate in praxi, quàm alia dicit eſſe licitum. Manet veriſsimum, quod ſi in hoc bivio eligit tale obiectum, talis electio eſt peccaminoſa, licet hoc non dixerit ſignatè opinio illa, quæ aſſerit obiectum hic & nunc eſſe prohibitum, quià ſufficit quod in illo bivio practico duarum opinionum practicè dicentium, vna, quod obiectum eſt licitum, & alia, quod eſt illicitum, voluntas intrepidè eligat illud obiectum, vt formalitèr peccet in tali electione; quod quidem peccatum formale, licet per illas cognitiones, aut opiniones directas non cognoſcatur, cognoſcitur tamen per reflexionem, quàm modo nos facimus, & quà quiſque facere poteſt.

7 Et quidem ſicut opinio practicè dicens tibi in tua mente obiectum provt hic & nunc eſſe prohibitum, nequit dicere tibi, quod, ſi ſequaris contrariam opinionem, peccabis: ità nec opinio, quæ tibi dicit practicè obiectum hic & nunc eſſe licitum, poteſt tibi dicere, quod, ſi operaris contra oppoſitam opinionem prohibentem obiectum vt illicitum, rectè ages. Et huius ratio eſt, quià illæ ſunt opiniones directę de obiecto hic & nunc, quæ ad invicem non poſſunt reflectere ſuprà ſe ipſas, nec ſuprà actum voluntatis, ex illis proximè regulatum. Attamen, ſi per alium actum reflexum ſpeculeris modum illum intrepidum eligendi obiectum intèr duas opiniones æquè probabilitèr dicentes, vna, quod tale obiectum eſt licitum, & alia, quod, eſt illicitum, clarè inveniens talem modum eligendi eſſe peccaminoſum, & quià eſt proprijſsime eligere cùm conſcientia dubia; & quià omnes rationes, quæ probant eſſe peccatum eligere cùm conſcientia dubia, idem probant de modo eligendi in illo bivio opinionum æquè probabilium.

8 Et ratio huius eſt, quod vt actus, vel electio voluntatis evadat mala, ſufficit quod immediatè ad ipſam præcedat cognitio de obiecto, vt hic & nunc prohibito, non autem requiritur quod ipſa electio voluntatis reflexè præcognoſcatur vt mala, & prohibita, quià malitia actus voluntatis non provenit ei à cognitione ſui reflexa, ſed ab obiecto directè atacto, & cognito vt prohibito. Sed dices: ſicut obiectum proponitur per vnam opinionem in praxi vt prohibitum, ità per aliam proponitur in praxi vt licitum, & honeſtum: ergò ſi propter primam actus evadit inhoneſtus ab obiecto propoſito vt illicito, propter ſecundam actus debet evadere honeſtus ab obiecto propoſito vt honeſto. Reſpondeo pro nunc, negando conſequentiam, quià cùm bonum ſit ex quocumque defectu, ſufficit primum vt actus evadat malus, & inhoneſtus: vt tamen eſſet honeſtus, neceſſum erat quod per nullam opinionem actus proponeretur vt inhoneſtus, vt nullum caput haberet vnde vitiaretur.

Ad

9 Ad vltimum adverto in hac, & præcedentibus quæſtionibus, diſputandi gratia, nos admiſiſſe cùm Probabiliſtis, quod in intellectu poſsint ſimul adeſſe duæ opiniones practicè probabiles, & contradicentes directè circa obiectum; quod tamen nobis eſt falſiſsimum, vt infra declarabimus. Caſu tamen admiſſo, dicta tenent contra Probabiliſtas. Negato autem, tota eius doctrina corruit.

QVÆSTIO. XXI.

An titulus poſſeſsionis propriæ libertatis ſit circunſtantia rationabiliter ſolvens dubium in praxi?

1 VLTIMVS Recurſus contrariorum ad id pervenit. Aiunt enim, quod caſu, quo, attentis omnibus rationibus, & circunſtantijs, nulla appareat maior ratio pro eo quod contractus ſit licitus, quàm pro eo quod ſit illicitus, & ex hac parte intellectus maneat dubius, hoc non obſtante, adeſt alia circunſtantia, vi cuius facillime poteſt ſolvi dubium in praxi pro eo quod ſit licitus talis contractus hic & nunc, potius quàm pro eo quod ſit illicitus. Quænam hæc eſt? Aiunt eſſe poſſeſsionem propriæ libertatis cùm illa regula iuris, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*. Nàm ſic arguunt, probantes ex ipſo dubio certitudinem: *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*; ſed dubium eſt hic, & nunc àn hic contractus ſit mihi licitus, vel non, & aliunde in hoc dubio ego poſideo meam libertatem illud faciendi, vel non faciendi: ergò in hoc dubio melior mea conditio eſt, àc per conſequens ſolvendum eſt dubium, & decidendum in mei favorem, quod ſcilicèt mihi ſit licitus hic & nunc talis contractus.

2 Confirmant à paritate: nàm ſi ſit litigium àn fundus ſit de iure Titij, vel Caij, & rationes, & teſtes pro vtraque parte ſint æquales, & Caius poſsideat; Iudex ſtatim ſolvit litem pro parte Caij, quià *Beatus, qui poſsidet*, & quià *melior eſt conditio poſsidentis*: ergò pariter dùm eſt dubium, & æqualitas rationum, & authoritatum pro eo quod contractus ſit mihi licitus, vel illicitus; ſtatim ſolvi poteſt dubium pro parte mea, quià poſsideo meam libertatem, & *Beatus, qui poſsidet*. Hoc fundamento inſignis Probabiliſta Caramuel eo vſque pervenit, vt diceret, omnia omnibus licere, quæ certò prohibita non haberentur. Nihilominus tamen.

§. I.

Statuitur prima concluſio.

3 DICO Primò: *In dubijs circa materiam iuſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, ſi poſſideat pacificè, & bona fide; àc proinde, ceteris paribus, pro ipſo ſolvendum eſt dubium, ſaltim quantum ad retentionem fundi vel rei, de qua dubitatur cuius ſit.* Probatur primò ex regula 65 de regulis iuris in *ſextò*, quæ huius tenoris eſt: *In pari delicto, vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis*. Quæ quidem regula, iuxta omnes, duo requirit ex parte poſſidentis, ſcilicet, quod poſsideat pacificè, & abſque lite: nàm ſi litigium eſt de ipſa poſſeſsione, prædicta regula nihil valet. Et item quod poſsideat bona fide: nàm ſi poſſeſsio fuerit mala fide cùm dubio conſcientiæ, ſeu cùm mala conſcientia circa ipſam, poſsidenti ſufragari non poteſt in foro conſcientiæ, quidquid ſit de foro contentioſo.

4 Secundò probatur: quià pacifica poſſeſsio, ceteris paribus, facit partem poſsidentis valde probabilem: ergò facit illam meliorem, ità vt pro ea poſsit reſolvi dubium. Antecedens probatur, quià cùm plerumque homines non ingrediantur pacificam poſſeſsionem alicuius rei, niſi cùm debito iure, raroque accidit oppoſitum, caſu quo iura, rationes, & authoritates ſint æqualia pro vtraque parte, quantum ad proprietatem rei, adeſt vehemens præſumptio, quod qui illam pacificè, & bona fide poſsidet, habuit aliquod ius, quod forſan nunc latet occultum; ſed hæc præſumptio reddit eius partẽ valde probabiliorem: ergò. Nec dicas, litigium eſſe ſuper iura, quæ habuit quandò ingreſus eſt poſſeſsionem, àn ſcilicet fuerunt maiora, quàm iura alterius partis; & facta debita inquiſitione, inveniuntur æqualia. Non, inquam, valet: quià forſan, quandò incœpit poſsidens poſsidere, fuit aliquod ius maius, quod nunc non apparet, & de hoc adeſt vehemens præſumptio, quià rationabiliter iudicatur, quod nec iſte inciperet pacificè poſſeſsionem abſque maiori iure pro parte ſua; nec pars contraria permitteret alteri poſſeſsionem, ſi habuiſſet æquale ius ad ipſam rem. Nec eſt imperſuaſibile, quod tale ius maius fuerit pro parte poſsidentis, licet nunc lateat omninò, quià plura iura, & chirographa deperdi ſolent ob incuriam hominum. Et licet hoc præcisè non ſufficiat ad certo iudicandum fuiſſe tale ius, ſufficit tamen ad præſumptionem, quæ multum auget probabilitatem poſsidentis, vt eius partem reddat melioris conditionis.

Ter-

5 Tertiò: quià vſucaptio definitur communitèr: *Adiectio dominij ſeu adeptio dominij*, quià videlicet diuturna poſſeſſio aliquo modo adijcit ad præcedens dominium, & illud auget. Patet autem, quod quando augetur dominium, augetur ius, àc proinde, etſi cetera ſint paria, poſsidens habet ius maius; ſed eo ipſo, ceteris paribus, melior eſt conditio poſsidentis: ergò. Quartò: quià, quandò dubium eſt pro vtraque parte, cuius ſit res, non poteſt dici quod poſsidens teneatur reſtituere alteri parti litiganti: ergò cùm non detur medium inter reſtituere, & manere cùm re, licitè poteſt retinere rem; & conſequenter ſolutum eſt dubium in favorem illius, ſaltim quoad retentionem rei. Antecedens probatur, quià cùm ſit æquale ius, ratio, & authoritas pro vtraque parte, ſi, qui nunc poſsidet, teneretur reſtituere, demus quod reſtituat, pariter tunc alter, iàm poſsidens, teneretur reſtituere, cùm æqualis omninò ratio militet contra ipſum. Et ſi reſtitueret, alter iterum accipiens, quod antea reſtituerat, iterum teneretur reſtituere; cùm autem hoc eſſet omninò contra rationem naturalem, quià ſequeretur motus infinitus, & circulus infinitus in reſtituendo, indè eſt quod ratio naturalis dictat quod res maneant ſicut antea, ſcilicèt poſsidens poſsideat, & carens careat: dici ergò non poteſt, quod poſsidens tenetur reſtituere. Quintò: quià in prædicto caſu, attentis æqualibus motivis pro vtraque parte, Iudex nihil poteſt determinatè decidere potius in favorem vnius, quàm alterius, cùm non habeat maiorem rationem pro vno, quàm pro alio, ſed neceſſario tenetur manere in dubio circa proprietatem rei, ſuſpenſoque iudicio; ſed ſuſpenſo iudicio iudicis, poſsidens pacifice poſsidet, & carens caret: ergò tandem reſolutio dubij, quantum ad retentionem rei, ſolvetur pro poſsidente.

6 Dices: dùm nullus poſsidet rem, & iura ſunt æqualia pro vtraque parte. Iudex non tenetur manere in dubio, nec ſuſpendere iudicium, ſed poteſt decidere, quod res dividatur inter vtramque partem: cùr igitur idem non poterit decidere in caſu poſſeſsionis pro vna parte certæ? Reſpondeo, diſparitatem eſſe manifeſtam: nàm caſu quo nullus poſsideat ex litigantibus, non poteſt Iudex relinquere rem ſicut antea, ſuſpenſo iudicio; quià ſicut antecedenter ſupponitur vtraque pars ſine poſſeſſione, in poſterum maneret vtraque pars ſimul ſine poſſeſsione, quod eſſet iniuſtum, quià ſupponimus ius totale ad illam rem eſſe in vtraque parte litigante coniunctim ſumptam, licet neſciatur cuius ſit determinate; àc proinde iniuſtè maneret vtraque pars ſimul privata poſſeſsione; & item Iudex tenetur deſsignare poſſeſſorem rei, & non relinquere rem pendulam ſine poſſeſſore: neceſſum igitur eſt quod Iudex decernat determinatè, vel quod illam poſsideat Caius, vel quod illam poſsideat Titius, vel quod illam poſsideat partim Caius, & partim Titius. Cùm autem non poſsit decidere iuſtè, quod illam totalitèr Caius poſsideat, præ Titio, quià nullam maiorem rationem habet pro Caio, quàm pro Titio; nec item, quod illam totaliter poſsideat Titius, præ Caio propter eandem rationem, indè eſt, quod tenetur dividere rem, & partim dare poſſeſsionem vtrique, vel, ſi res ſit indiviſibilis, partes componere per commutationem alterius rei.

7 Attamen cùm datur poſſeſſor bonæ fidei, & pacifice poſsidens rem, non poteſt poſſeſsio alterari, neque in totum, neque in partem, vſque dùm conſtet quod eſt aliena vel in totum, vel in partem, quià tunc, qui non poſsidet, eſt veluti actor, & qui poſsidet eſt veluti reus, cui tantum incumbit propriam defenſionem procurare; eo autem ipſo quod actor non prævaleat, nec ratione, nec iure, nec authoritate, Iudex abſque vllo inconvenienti, imò cùm debita veritate, & iuſtitia poteſt decidere *quod actor non probavit contra poſſeſſorem*, ſicuti in cauſa criminali dubia veriſsimè decidit *quod actor non probavit contra reum*. Et ſicut hoc ſola deciſsione reus manet liber, ſicut antea, ità ſimili deciſsione poſſeſſor manet in poſſeſsione, ſicut antea. Ex quo non ſequitur rem manere pendulam abſque poſſeſſore, quià iàm manet in poteſtate veri poſſeſſoris, ſicut erat antea. En igitur qualiter, caſu quo nullus ſit poſſeſſor, tenetur Iudex rem dividere; & tamen ad id non tenetur, cùm adeſt poſſeſſor pacificus; quià in primò caſu non diſſolveret litem, dicendo: *Non probavit Caius, aut non probavit Titius*. Sed potius, ſi relinqueret rem pendulam, præberet occaſionem belli partibus, quià quælibet agredi vellet violenter poſſeſsionem rei; & item relinqueret certiſsimè verum dominum illius rei abſque poſſeſsione illius. Nàm licet dubium eſſet, quiſnam ex illis duobus eſſet verus Dominus proprietarius ipſius, tamen certiſsimum eſſet, quod eſſet vnus ex illis; àc proinde relinquendo rem extra poſſeſsionem vtriuſque, certiſsimus eſſet Iudex, quod maneret res extra poſſeſsionem ſui veri Domini adæquatè. Hoc autem non eſſet adimplere Iudicem proprium munus: nàm ad hoc ponitur à Republica, vt deſsignet poſſeſſores rerum, &

vt

vt vnaquæque res pro posibili habeat determinatum dominum, & possessorem. Vnde non satisfaceret suo muneri, præcisè dicendo, *Non probavit hic. Non probabit ille*, sed vlterius deberet designare possessorem modo dicto. In secũdo autem casu sufficiẽtèr satisfacit suo muneri, dicendo, *Actor non probavit*, quià per hoc præcisè res maneret cùm determinato, & pacifico possessore, sicut antea; àc per consequens tollitur occasio belli inter partes. Et non relinquit certo rem extra possessionem sui proprietarij, quià non est certum, quod pars contraria sit proprietaria rei, sed dubium.

8 Nec est vllo modo necessarium dividere rem; quià etiam si dimidium rei daret parti antea non posidenti, iniustè, & absque ratione faceret, quià de illo dimidio erat idem dubium, cuius esset, & alias Caius erat in pacifica possessione illius, vndè eadem ratio, quæ probat Iudicem non debere innovare in possessione totius, probat non debere innovare in possessione dimidij, quià sicut actor non probavit de toto, ità nec probavit de dimidio.

9 Dices secundo: vel ipsa ratio possessionis ingreditur rationem dubitandi, ità vt Caius posidens, præcisivè à possessione, habeat minorem valde probabilitatem, & addita præsumptione possessionis, habeat æqualem probabilitatem, àc pars contraria, & ideò cogat dubitare: vel nõ ingreditur rationem dubitandi, sed tota ratio dubitandi stat præcisivè à possessione. Si primum: ergò dubium dissolvi non potest per possessionem, siquidem ipsa possessio ingreditur rationem dubitandi, & per rationem dubitandi solvi non potest dubium. Si secundum: stante possessione superaddita ex parte Caij, iàm non est dubium, quod ipse habeat iustitiam pro sua parte: ergò non sumus in casu dubio: ergò nunquam verificatur, quod in dubio melior est conditio posidentis.

10 Respondeo, quod casus debet esse, in quo possessio non ingrediatur rationem dubitandi, vt bene probatur in argumento. Et ad instantiam, dico, quod stante possessione ex parte Caij, non stat dubium consequens, seu practicum, quod est semper circa rem, attentis omnibus circunstantijs in pro, & in contra. Stat tamen dubium antecedens, seu speculativum circa rem præcisivè à circunstantia possessionis, quod dubium consequenter, & in praxi dissolvitur per ipsam possessionem, & sic sensus regulæ est: In dubio circa proprietatem rei, præcisivè à possessione, melior est conditio posidentis, quià per possessionem dissolvitur dubium in eius favorem. Vel dato casu, quod possessio non probet, nec resolvat dubium, quantum ad proprietatem rei, quod verosimilius existimo; quià quanvis addat maiorem probabilitatem pro possessione, non tamen tantam, quod probet absolute ipsum esse proprietarium: tamen sic melius salvatur regula iuris, quià durante dubio circa proprietatem rei, possessio favet possessori, non quidem ità vt dubium solvatur quantum ad proprietatem rei, iudicando absolute rem esse propriam possessoris, & alienam ab actore, sed quantum ad retentionem illius, eo quod iuste resolvitur quod posidens posideat, & carens careat, sivè quod nihil innovetur, eo quod actor non probavit.

§. II.

Statuitur secunda conclusio.

11 DICO Secundò: *Prædicta regula iuris malè aplicatur ad possessionem libertatis in dubijs de licito, vel illicito, vt solvatur dubium pro libertate.* Probatur primò, quià dicta regula, vtpote regula iuris, data est determinatè ad materiam iustitiæ, cuius proprium obiectum est ius; non autem ad materiam conscientię, vndè nõ appellatur regula cõscientiæ. Secundò, quià dicta regula applicari nõ potest, nisi in casu, in quo detur certa possessio; non autem in casu, in quo dubitatur de possessione; sed in dubio de licito, vel illicito dubitatur de possessione libertatis: ergò ineptè dicitur, & falso supponit qui dicit, in dubio de licito, vel illicito, melior est conditio posidentis libertatem, cùm in tali dubio sit dubia libertatis possessio. Minor probatur, supponendo primò, quod libertas, alia est moralis, alia physica. Physica consistit in potestate libertatis ad agere, vel non agere, sivè licitè, sivè illicitè, sivè peccando, sivè non peccando. Moralis libertas solet accipi pro immunitate ab obligatione, qua ratione ad omnia, quæ sunt prohibita, negamus homini libertatem, & potestatem moralem, eo quod obligatus est ad ea non facienda. Vndè dicimus, Catholicos sanos, seu non infirmos non posse edere carnes in quadragesima, nec ad id esse liberos: non posse omittere sacrum in die festo, nec opera servilia exercere, &c. Non quià ad id non habeant potestatem, & liberratem physicam, sed quià ea licitè, & absque peccato facere non possunt, seu quià non sunt liberi ab obligatione legis, vt ea licitè facerè possint. Econtrà possunt alijs diebus edere carnes, & die-

diebus feriatis exercere opus ſervile, & ad hoc habent libertatem moralem ab obligatione; quià nulla obligatione ligantur, aut neceſsitantur moraliter circà iſta. Libertatem autem in hoc ſenſu, appellabimus libertatem ab obligatione, ſeu libertatem licentiæ, & permiſsionis, eo quod eadem eſt cùm licentia, & permiſsione, vi cuius nobis licet per Deum hoc facere, vel non facere. Philycam autem libertatem, ſeu moralem in alio ſenſu appellabimus libertatem à neceſsitate, ſeu libertatem abſolutæ poteſtatis.

12 Suppono ſecundò: poſſeſsionem libertatis à neceſsitate non auferri, nec tolli per legem prohibentem, ſivè dubiam, ſivè probabilem, ſed nec per certiſsimam, & evidentem. Quid enim magis certum, & evidens, quàm mihi prohibitum eſſe iuramentum falſum, & tamen libertatem à neceſsitate habeo, poteſtatemque abſolutam, vt, ſi vellem, poſſem iurare falſo? Suppono tertiò: ex poſſeſsione huiuſmodi libertatis ineptiſsimè probari poteſtatem ad faciendum aliquid licitè, ſeu ſinè peccato, cùm ego prædictam libertatem habeam ad omnia certo prohibita, quæ tamen facere non poſſum licitè, nec ſinè peccato. Imò poſſeſsio prædictæ libertatis neceſſaria omninò eſt, vt illud poſsim facere peccando, quià nemò peccat, niſi cùm libertate à neceſsitate, & cùm poteſtate abſoluta non faciendi illud, in quo peccat. Suppono quartò: contrarios recurrentes in dubijs ad poſſeſsionem libertatis, vt melior ſit conditio poſsidentis libertatem, & vt per talem poſſeſsionem ſolvatur dubium pro licito, potius quàm pro illicito, non poſſe intelligi de poſſeſsione libertatis à neceſsitate, nàm hæc eſt omnino indifferens ad faciendum aliquid cùm peccato, vel ſinè peccato: & ex illa nec præſumptio quidem oritur potius pro eo, quod mihi ſit licitus actus, ad quem talem libertatē habeo quā illicitus. Vndè ineptiſsimè quis ſic diſcurret: ſum in dubio actuali, àn tenear, vel non hodie ad recitandas horas; aliàs habeo libertatem à neceſsitate ad illas omittendas, quæ eſt libertas abſoluta ad illas omittendas, ſivè peccando, ſive non peccando: ergò ex poſſeſsione huius libertatis præſumere poſſum, quod licitè potero eas omittere. Quis ſic diſcurret, niſi fatuus?

13 Explicatur hoc: quod de ſe eſt æquè compatibile cùm eo quod contractus ſit mihi licitus, àc illicitus, & nihil magis favet parti dicenti, quod eſt licitus, quàm parti dicenti, quod eſt illicitus, & prohibitus, non poteſt determinatè eſſe ratio ſolvendi dubium pro parte dicente, contractum eſſe licitum; ſed poſſeſsio libertatis à neceſsitate ad contractum de ſe æquè compatibilis eſt cùm eo quod contractus ſit illicitus, àc cùm eo quod ſit licitus, vt per ſe patet: ergò prædicta poſſeſsio libertatis nequit eſſe ratio ſolvendi dubium pro parte dicente, quod contractus eſt mihi licitus. Rurſus ſequeretur, neminem vnquam prudenter dubitare practicè de licito, vel illicito. Nàm ſi dubium quodlibet ſolvitur per poſſeſsionem libertatis à neceſsitate; cùm omnibus nota ſit talis poſſeſsio, imprudenter manerent in dubio, cùm in promptu haberent rationem efficacem illud ſolvendi, nimirum poſſeſsionem libertatis ſibi certiſsimam. Non igitur contrarij intelligi poſſunt de poſſeſsione huiuſmodi libertatis à neceſsitate, quæ nihil omninò iubare poteſt adſolvendum dubium pro parte dicente, contractum eſſe licitum. Sed ſolum intelligi poſſunt de poſſeſsione libertatis ab obligatione, de qua quidem ſic probo iàm minorem ſuprà poſitam n. 11.

14 Etenim, dùm eſt dubium àn contractus ſit licitus, vel illicitus formaliſsime per hoc dubium dubitatur, àn quis poſsideat libertatem ab obligatione in ordine ad talem contractum celebrandum; ſed ſola poſſeſsio huius libertatis ſolvere poſſet dubium pro parte dicente contractum eſſe licitum, vt probatum manet; ergò in dubio de licito, vel illicito dubitatur de poſſeſsione libertatis, quæ ſolvere poſſet dubium. Maior probatur: quià dubitare àn contractus ſit licitus, vel illicitus, eſt dubitare formaliſsime àn liceat mihi per Deum celebrare talem contractum; ſed hoc eſt formaliſsime dubitare àn poſsideam libertatem ab obligatione ad celebrandum talem contractum: ergò. Probo minorem: quià dubitare àn liceat mihi per Deum celebrare talem contractum, eſt dubitare formaliter àn poſsideam licentiam ex Deo ad illum celebrandum; ſed libertas ab obligatione, & licentia ad celebrandum talem contractum idem omninò ſunt: ergò dubitare de primo eſt dubitare de ſecundò, & ècontrà.

15 Confirmatur: in materia iuſtitiæ ideò tenet illa regula: *In dubijs melior eſt conditio poſsidentis*, quià poteſt eſſe dubium de proprietate rei, cùm certitudine de poſſeſsione illius; ſed dùm dubitatur àn pœnitens, v. g. teneatur ad confitendas circunſtantias notabiliter aggravantes, non eſt certa, ſed paritèr dubia libertas ab obligatione illas confitendi: ergò tunc non tenet illa regula: *In dubijs melior*

lior eſt conditio poſſidentis. Explicatur: in materia iuſtitiæ duplex ſolet eſſe litis, duplexque iudicium valde diſtinctum. Vnum quidem de poſſeſsione rei. Aliud de proprietario rei. Iudicium, in quo litigatur de proprietario rei, vocant Legiſtæ, & Canoniſtæ iudicium petitorium. Iudicium vero, in quo agitur de poſſeſsione rei, vocant iudicium poſſeſſorium: & hæc duo iudicia ſolent eſſe adeò diſtincta, vt ſæpè decidatur poſſeſsio penès Titium, v. g. Et litigium procedat cùm tota ſua vi circa proprietatem, ſæpè admittitur appellatio à ſententia circa proprietatem, & non admittitur appellatio à ſententia circa poſſeſsionem, & alia huiuſmodi, quæ probant in materia iuſtitiæ poſſe manere certam poſſeſsionem penès Caium, v. g. cùm dubio perſeverante circa proprietatem, & ideò ibi tenet regula, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis.* Atqui, in dubio de licito, vel illicito, de obligatione, vel non obligatione, implicat eſſe certam poſſeſsionem libertatis ab obligatione; implicatque dubium in vero iudicio decidi pro eo quod Petrus poſſideat libertatem ab obligatione, & quod maneat dubium àn teneatur, vel non; àn ei ſit licitum, vel illicitum omittere actum, v. g. ideòque hic nec poſſunt eſſe duo iudicia, nec duo dubia, nec duæ deciſsiones, vna circa poſſeſsionem libertatis ab obligatione, & alia circa licitum, vel illicitum, àn videlicet quis teneatur, vel non teneatur: ergò ineptiſsimè talis regula iuris applicatur ad dubium de licito, vel illicito.

16 Confirmatur ſecundò: dùm in materia iuſtitiæ litigatur de poſſeſsione, cuinam ex partibus debeatur, non valet illa regula iuris, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*, quià tunc nulla in parte eſt certa poſſeſsio, ſed litigatur de ipſa poſſeſsione: ſed dùm dubitatur àn quis teneatur recitare horas Canonicas, formaliſsimè dubitatur, àn poſſideat libertatem ab obligatione illas recitandi, & conſequentèr poſſeſsio non eſt certa ſed dubia: ergò ineptiſsimè tunc applicatur regula iuris.

17 Reſpondet Magiſt. Ferre num. 91. quod cùm ad legem præſupponatur tanquam materia, ſuprà quàm cadit lex, non ſolum libertas phiſyca, ſed etiam libertas moralis (quàm accipit pro libertate ab obligatione) non poteſt eſſe dubium, quod Titius, v. g. in poſſeſsione ſuæ libertatis aliquando fuerit: vndè ſolum poteſt eſſe dubium àn amotus fuerit vel non. Vnde cùm de hoc res incerta ſit, & multoties non ſit probabile legem adeſſe, licet aliqualis de hoc habeatur probatio, melior tunc erit conditio illius, de quo conſtat aliquando ſuam poſſediſſe libertatem, quià de hoc conſtat, & de eo quod amotus fuerit non conſtat. Ità ad litteram.

18 Sed in primis fallitur manifeſtè in eo quod ait, libertatem moralem præſupponi ad legem tanquam materiam, ſuprà quàm cadit lex. Nàm lex, vt ipſe ſepiſsime fatetur, & evidentèr patet, tollit libertatem ab obligatione, illamque formalitèr excludit: ergò, dato caſu, quod ſupponeret libertatem moralem ab obligatione, vt materiam deſtruendam, & aufferendam, falſum tamen eſt, quod ſupponat talem libertatẽ, vt materiam ſuprà quàm cadit. Secundò, quià nec vt materiam deſtruendam debet lex ſupponere libertatem ab obligatione. Lex enim, quæ obligat hominem, vt in primò inſtanti vſus rationis convertatur ad Deum vltimum finem, nullo modo ſupponit in homine libertatem moralem, vt poſsit licitè non ſe convertere ad Deum vt vltimum finem. Et innumeræ leges, præſertim omnes negativæ, & naturales, quæ obligant à primo inſtanti vſus rationis, nullo pacto ſupponunt libertatem moralem à tali obligatione exemptam: ergo.

19 Tertio: nàm, dato caſu, quod aliquando præceſſerit talis libertas, & hoc ſit certum; ſi tamen dubitatur àn in illa perſeveret, àn ab illa amotus fuerit, iàm dubium eſt àn de præſenti poſsideat, vel non poſsideat talem libertatem; ſed quandiù poſſeſsio eſt dubia, nequit ſuſtragari dubitanti, ſicuti nec in materia iuſtitiæ, litiganti: ergò. Explicatur: illa regula iuris ſolum poteſt applicari ad mores in eo ſenſu, ſeu pariformitèr àc intelligitur in iure, ſivè à Iuriſperitis, aliàs non eſſet illã regulã applicare, ſed aliam novã cudere; ſed in iure non intelligitur illa regula de poſſeſsione certa de præterito, quando de ipſa poſſeſsione de præſenti litigatur; nec talis intelligentia vnquam à Iuriſperitis vſurpatur: ergò nec debet applicari ad poſſeſsionem libertatis de præſenti dubiam, quanvis de præterito certam.

20 Quartò: quià, vel per poſſeſsionem certam de præterito ſolvitur dubium circa poſſeſsionem de præſenti, vel non? Si ſolvitur: ergò non eſt dubium àn amotus fuerit Titius à tali poſſeſsione, vel non, ſed determinatè perſeverat in tali libertate, contra id quod ſupponit ſolutio. Si non ſolvitur: ergò nec ſolvitur dubium circa obligationem Titij ad recitandas horas Canonicas, v. g. pro parte negati-

va.

va. Patet conſequentia, quià, dùm non ſolvitur, ſed perſeverat dubium, àn Titius poſſideat de præſenti libertatem ab obligatione recitandi; non ſolvitur, ſed perſeverat dubium àn teneatur, vel non ad recitandum, vt per ſe patet. Quintò: nàm poſſeſsio de præterito certa omninò indifferens eſt, nullamque connexionem dicit ad poſſeſsionem libertatis de præſenti. Supponamus enim aliquem hodie accepiſſe aliquod beneficium, de quo dubitatur, àn obliget ad recitandas horas Canonicas. Poſſet nè quis ſolvere dubium, hoc diſcurſu: iſte ante collationem beneficij certò poſsidebat libertatem ab obligatione recitandi: ergò nunc poſsidet talem libertatem? Hæc ſanè eſſet conſequentia probabilis? Eſſet vel coniecturalis? Sanè qui ſic diſcurreret ab omnibus rideretur; ſed per id quod nullam connexionem habet cùm poſſeſsione de præſenti, ſed omninò indifferenter, & diſparate ſe habet ad illam, ineptiſsimè ſolveretur dubium pro poſſeſsione de præſenti: ergò per poſſeſsionem certam de præterito ineptiſsimè ſolveretur dubium circa poſſeſsionem de præſenti in favorem poſsidentis de præterito.

21 Forſan dices: prædictam regulam non ſemper tenere, ſed tantum quando dubium oritur ex rationibus, & opinionibus vtrimque æquè certò probabilibus. Sed contra, quià quantum rationes, & opiniones generantes dubium pro vtraque parte, ſunt magis certò probabiles, tanto generant maius dubium, & faciunt magis dubitare: ergò ſi dubium, quod non oritur ex ſimilibus rationibus, & opinionibus, ſed ex rationibus minoris momenti, quæ non ſufficiunt ad veram probabilitatem, quod quidem à fortiori eſt minus dubium, ſolvi non poteſt per poſſeſsionem libertatis certam de præterito, minùs poterit ſolvi dubium valde maius, quod oritur ex rationibus, & authoritatibus tàm magni momenti, quod ſufficiunt ad fundandam vtrimque veram, & certam probabilitatem. Explicatur: nàm dubium, vt ſuprà vidimus ex Div. Thom. eſt veluti vinculum ligans mentem; & rationes, & authoritates vtrimque trahentes mentem ad partes contradictorias ſunt quaſi vincula, & compedes impedientes mentem nè poſsit ad aſſenſum vnius partis determinatè progredi; ſed quò maius eſt vinculum, & quo fortiora ſunt vincula magis difficile diſſolvuntur: ergò, quo maius eſt dubium, & quo rationes dubitandi ſunt validiores, magis difficile diſolvuntur; ergò ſi dubium minùs, quod fundatur in rationibus minoris momenti, ſolvi non poteſt per poſſeſsionem, nec per illam ſolvi poterit dubium maius, quod fundatur in rationibus maximi momenti.

22 Contra ſecundò: nàm vt quis dubitet de poſſeſsione propriè libertatis (verbis vtor ipſius Magiſt. Ferre num. 95.) non eſt neceſſe quod fiat ei evidentia moralis de eo quod ſub lege ſit, ſed ſufficit, ſi rationibus magni ponderis, & authoritatibus fiat ei veriſimile, quod iàm ſuam libertatem moralem non habet. Sed dùm adeſt opinio vere probabilis dicens, legem adeſſe, quanvis detur etiam opinio probabilis in contra, adſunt rationes, & authoritates magni ponderis probantes legem adeſſe, aliàs id non facerent probabile: ergò adhuc in tali caſu manet dubium de poſſeſsione libertatis ortum ex rationibus, & authoritatibus magni ponderis. Sed vt ibidem ait prædictus Magiſt. dubium generatum ex rationibus, & authoritatibus magni ponderis probantibus adeſſe legem, non componitur cùm certitudine de non amiſsione meæ libertatis moralis: ergò, manente tali dubio, voluntas nequit manere certa de eo quod in poſſeſsione libertatis perſeveret. Et explicat ſic: vt ego tuta conſcientia vtar privilegio de meliori conditione poſsidentis debeo eſſe certus de mea pacifica poſſeſsione libertatis; at de hoc non ſum certus, ſed dubito, non levitèr, ſed gravitèr ex vi rationum, & authoritatum magni ponderis: ergò tuta conſcientia applicare mihi non poſſum tale privilegium. Sic ad litteram Magiſt. Ferre in noſtrum favorem.

23 Quod vrgeo ex ipſo, qui num. 98. *Secundò inſto*, ſic inquit. Propoſita ratione, & authoritate magni ponderis, quæ ſuadet legem Dei adeſſe non eſt in mea poteſtate non dubitare de oppoſita opinione negante legem: ergò propoſitis, & conſideratis rationibus, & authoritatibus magni ponderis neceſſarium erit mihi de vtroque dubitare. Sic ipſe. Sed quando vtraque ſententia eſt certo, & verè probabilis adſunt rationes verè magni ponderis, & ſimiles authoritates dicentes, legem adeſſe: ergò tunc neceſſum mihi erit dubitare de poſſeſsione meæ libertatis, ideſt, àn ſim obligatus, vel non.

§. III.

Alijs rationibus ſuadetur concluſio.

24 TERTIO Probo concluſionem: quià ideò in materia iuſtitiæ,

tiæ, ſtante dubio circa proprietatem, melior eſt conditio poſſidentis, & pro eo deciditur dubium, quià poſſeſſor tantum agit defenſorem, contrarius autem eſt actor, & eo ipſo quod actor non probaberit, per hoc manet dubium deciſum in favorem poſſeſſoris. Sed in dubio de licito, vel illicito; de obligatione, vel non obligatione dici non poteſt, quod pars litigans pro obligatione, & pro lege ſit peioris conditionis, veluti actor, cui onus incumbat probandi; & quod pars litigans pro non lege, ſeu pro libertate ſit melioris conditionis, veluti defenſor, cui ſolum incumbat onus defenſionis: ergò ineptè applicatur illa regula iuris, vt in dubijs de licito, vel non licito; de obligatione, vel non obligatione melior ſit conditio libertatis, quàm legis. Minor probatur: quià in dubio de obligatione, vel non obligatione, pars quaſi litigans pro lege eſt Deus, Rex, vel Superior: pars verò litigans pro libertate eſt homo, ſeu ſubditus; ſed dici non poteſt, quod in hoc quaſi litigio, vel in hoc dubio Deus, vel Rex ſit peioris conditionis, cui incumbat onus actoris, & obligatio probandi; & quod homo, vel ſubditus ſit melioris conditionis, cui incumbat tantum onus defenſoris: ergò.

25 Vrgetur: in pari cauſa melior eſt conditio cauſæ piæ, Eccleſiæ, &c. ergò in pari dubio de poſſeſſione libertatis à lege, potiori titulo melior eſt conditio Dei, quàm hominis. Sed ſi Deo ſupremo Legiſlatori incumberet munus actoris, & obligatio probandi, ſecus autem homini, peior eſſet conditio Dei, quàm hominis: ergò dici non poteſt in prædicto dubio, partem litigantem pro lege, ſcilicet Deum, genere munus actoris, cui onus probandi incumbat, ſecus autem homini. Amplius: in tribunali iuſtitiæ vtrique parti æqualiter adeſt Deus, Deuſque nõ eſt pars, ſed ſupremus Iudex vtriuſque partis, & ideò pars poſſidens abſque inconvenienti poteſt eſſe melioris conditionis, quàm alia pars, quià alia pars in contra litigans nõ eſt Deus, ſed homo ſimilis, & æqualis quantũ ad litem: nàm quanvis vna pars litigans eſſet Rex, & alia Plebeius, exceſſus dignitatis Regiæ omninò de materiali, & per accidens ſe haberet in iudicio, & per ſe ſolum conſiderarentur vt æquales, abſque acceptione perſonarum, & ideò in iure, vel titulo poſſeſsionis poſſet eſſe Plebeius melioris conditionis quantum ad licitum, quàm Rex. Sed in tribunali conſcientiæ, dùm dubito àn ſim obligatus ad recitandum, lis eſt inter me, & Deum, & pars pro lege eſt Deus, pars pro non lege, & pro libertate ſum: ego, in quo dubio Deus non poteſt conſiderari, vt æqualis mihi, nec ego, vt æqualis Deo, ſed neceſſariò comparare me debeo ad Deum, tanquàm inferioriſsimus ad infinitè ſuperiorem; nec item dici poteſt, niſi cum intolerabili abſurdo, peiorem eſſe conditionem Dei, meliorem eſſe conditionem hominis in tribunali conſcientiæ: ergò abſurdiſsimè applicabitur ad tribunal conſcientię prędicta regula, Melior eſt conditio poſſidentis.

26 Reſpondet Magiſt. Ferre, num. 90. quod in tribunali conſcientiæ lis non eſt inter Deum, & hominem, ſed intrà ipſum hominem, qui ſecundùm portionem inferiorem ſuam defendit libertatem; & ſecundùm rationem ſuperiorem defendit vinculum legis, & iuxtà allegata, & probata aliquandò fert ſententiam in favorem libertatis, ſeu rationis inferioris: aliquandò in favorem rationis ſuperioris. Vndè Deus vtrimque poteſt aſsiſtere, & pro lege, & pro non lege: quià ſicut non vult quod eius contemnatur lex, ità non vult quod habeatur pro lege ſua, quę ſua lex non eſt. Ex quo non ſequitur, quod in dubio ſtare debeamus pro lege, ſicut in dubio ſtamus pro Eccleſia, & cauſa pia, quià de hoc habentur iura expreſſa in materia iuſtitiæ, ſecùs autem de illo.

27 Sed contrà, ſic inſto, incipiendo ab hoc vltimo. Quià in iure eſt expreſſa regula, quod in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, illam applicant proportionaliter Probabiliſtæ ad dubium, & tribunal conſcientiæ; ſed paritèr in iure eſt expreſſa regula, quod in pari cauſa melior eſt conditio Eccleæ, cauſæ piæ, &c. Ergò paritèr poterunt proportionaliter applicare hanc regulam ad tribunal conſcientiæ, vt melior ſit conditio Eccleſiæ, vel Dei, dùm de eius lege dubitatur. Vel ſi hanc regulam non applicant, omnino convincuntur purè pro libito, & ſinè vlla ratione applicare primam, cùm non ſit maior ratio vnius, quàm alterius, & vtraque ſit expreſſa in regulis iuris.

28 Contrà ſecundò: quià per te, lis in tribunali conſcientiæ eſt inter rationem ſuperiorem, & inferiorem; ſed ratio ſuperior, vt eſt tritum in D. Aug. & D. Thom. attendit ad rationes æternas, & ſecundùm rationes æternas iudicat de rebus; ratio vero inferior iudicat de rebus ſecundùm rationes temporales vtilitatis, conveniențiæ, delectationis, &c. Ergò ratio ſuperior agit partes Dei, ſeu divinæ legis, æternæque rationis, ratio verò inferior agit partes ipſius ho-

mi-

minis, eiuſque vtilitatis, convenientiæ, & delectationis, &c. Ergò tandem lis in tribunali conſcientiæ eſt inter partes, quarum prima, ſcilicet ratio ſuperior, litigat prò Deo, ſeu pro eius lege. Secunda, ſcilicet ratio inferior, litigat pro homine, pro eius ſcilicet libertate, convenientia, vel vtilitate; ſed abſurdum eſt in tali dubio, ſeu lite intellectuali peiorem eſſe conditionem rationis ſuperioris litigantis pro lege Dei æterna, ſeu pro æterna ratione, quæ eſt obiectum eius, melioremque eſſe conditionem rationis inferioris litigantis pro rationibus temporalibus vtilitatis, libertatis, & conuenientiæ humanæ: ergò ſemper manet abſurdum, partem litigantem in tribunali conſcientiæ pro libertate eſſe melioris conditionis, partem verò litigantem pro lege eſſe peioris conditionis.

21 Explicatur: nàm ratio ſuperior intrà ipſum hominem gerit vices ipſius Dei, procurando pro eius lege, honore, & obſequio, vndè habet quandam ſuperioritatem ad ipſum hominem, vi cuius homo ſuam rationem ſuperiorem formidat, ipſaque ratio ſuperior, veluti Miniſtra, & Vicaria Dei, homini leges intimat, pœnas minatur, & correctiones exhibet; quod clarè probat, ipſam rationem ſuperiorem eſſe intra ipſum hominem, & in tribunali conſcientiæ veluti Dei procuratricem contra ſenſualitatem, & rationem inferiorem cum Deo adverſantur, & reſiſtunt: pars ergò, quæ litigat in ratione ſuperiori, eſt Deus media ipſa ratione ſuperiori; ſed iuxta Magiſt. Ferre lis in tribunali conſcientiæ eſt inter rationem ſuperiorem, & inferiorem: ergò eſt inter Deum, & hominem, cuius libertatem, vtilitatem, aut conuenientiam temporalem procurat ratio inferior. Standum igitur erit in dubio pro Deo, & conſequentèr prò ratione ſuperiore, & pro lege, non prò homine, nec pro eius libertate, aut ratione inferiore.

30 Contra tertio: quià per te Deus in tribunali conſcientiæ vtrinque aſsiſtit æqualitèr, quià ſicut non vult, quod contemnatur ſua lex, ità non vult, quod habeatur pro lege, non lex, ſeu prò lege vera, falſa. Rectè: ergò Deus vult, quod quando adeſt tanta ratio pro lege, quanta pro libertate, & ècontrà, non decidatur dubium, nec pro lege, nec prò libertate, ſed ſuſpendatur iudicium deciſivum. Probo conſequentiam, quià per te Deus vult in tali caſu, & quod eius lex non contemnatur, & quod lex falſa non habeatur pro vera; ſed ſi decidatur dubium pro non lege eſt periculum, quod contemnatur, & violetur lex vera Dei, & ſi decidatur dubium prò lege eſt periculum, quod non lex habeatur pro lege, ſeu quod lex falſa reputetur pro vera: ergò vt vtrumque inconueniens vitetur, vult Deus, quòd non decidas dubium pro libertate præ lege, nè fortè contemnatur lex; & quod illud non decidas pro lege prę libertate, nè fortè non lex habeatur pro lege. Itaque nos non contendimus dubium ſolvendum eſſe pro lege contra libertatem, quià forsàn ſequeretur quòd non lex haberetur prò lege, ſed contendimus, nec etiam decidendum eſſe pro libertate contra legem, quià forsàn etiam ſequeretur quòd lex Dei haberetur prò non lege: & re ipſa in cauſa dubia patrocinare potiùs libertati, quàm legi Dei, eſſet contemnere legem Dei, nàm eſſet facere libertatem hominis melioris conditionis, & eam plùs facere, quàm Deum, ſiuè quam eius legem. Vndè contendimus ſecundùm rectam rationem, hominẽ debere manere in dubio, ſuſpenſo iudicio deciſiuo, quo pacto evitatur vtrumque periculum.

31 Explicatur: non minus odioſum eſt habere legem veram Dei prò non lege, ſeu prò lege falſa, quàm habere non legem, ſeu legem falſam Dei prò lege vera, vt per ſe patet; ſed quià periculum adeſt, ſi decidatur dubium prò lege contra libertatem, quod non lex habeatur pro lege, non licet decidere tale dubium pro lege: ergò, quià æquale periculum adeſt, ſi decidatur pro libertate contra legem, quod habeatur lex prò non lege, lex vera prò falſa, non licet decidere dubium prò libertate.

Ex quo inferes, quam merito D. Thom. quodlib. 9. art. 15. dixit: *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur. Præcipuè autem periculoſum eſt, vbi veritas ambigua eſt.* Sed nunquàm veritas eſt magis ambigua, quam dùm adeſt æqualitas rationum, & authoritatum prò vtraque parte: ergò tunc maximè periculoſum eſt decidere dubium prò quacumque: ergò ſuſpendendum eſt iudicium, & manendum in dubio.

32 Sed inquirès: caſus vrget, & neceſſum eſt vnum è duobus determinare: ergò decidendum eſt dubium pro aliqua parte,

Reſpondeo, quòd cùm dubium, àn teneatur quis ad recitandum, veſ non; àn adſit lex obligans ad recitan-

dum, vel non ſit libet à tali obligatione, quanvis adveniat caſus hic & nunc, non eſt neceſſum ſolvere dubium prò altera parte, ſed ſuſpenſo iudicio circa obligationem, vel non obligationem, poteſt eligere partem tutiorem, quià poteſt recitare, & ſic licet maneat dubius circa obligationem ſuſpenſo iudicio, non manet perplexus circa operationem, quià actu recitat; ſivè non ſit obligatus, certus quod in recitando peccatum non ſit, licet dubius àn foret peccatum non recitare, vel licitum.

33 Quarto probatur concluſio: quià ideò in materia iuſtitiæ in cauſa dubia, vbi certa eſt poſſeſsio, poſsidens non tenetur ad reſtitutionem, quià ſequitur motus infinitus in reſtituendo, vt probavimus concluſione prima, rat. 4. Sed hoc inconveniens non ſequitur in dubio de licito, vel illicito, ſi dubium indeciſſum maneat in conſcientia, & ratione conſcientiæ dubiæ teneatur ad partem tutiorem: ergò licet illa regula teneat in materia iuſtitiæ, non ſequitur quod valeat in tribunali conſcientiæ. Minor patet: nàm eo ipſo quod dubitans, àn teneatur recitare, vel non, ratione huius dubij neutrùm poſsit determinate iudicare; poteſt tamèn, iudicio ſuſpenſo, & dubio indeciſſo, recitare; & in hoc nullum eſt periculum, & hic poteſt quieſcere abſque motu vlteriori: ergò non ſequitur proceſſus infinitus, ſicut in materia iuſtitiæ.

34 Quinto: quià licet in materia iuſtitiæ dentur præſcriptiones, tamèn in tribunali conſcientiæ nullus vnquam allegare poteſt præſcriptionem contra legem Dei, ſivè naturalem, ſivè divinam, & poſitivam: ergò ſimiliter licet in tribunali iuſtitiæ valeat illa regula, in dubijs melior eſt conditio poſsidentis, tamen indè non ſequitur eam valere in tribunali conſcientiæ. Conſequentia probatur, quià indè primum eſt verum, quià circa bona temporalia, circa quæ dantur præſcriptiones, poteſt Reſpublica ſuis legibus decernere, vt qui per longum tempus ſuis rebus non curavit, eo ipſo amittat ius proprietatis ad illas, & quià hæc eſt pœna iuſtiſsima non curantis ſua re per longum tempus, & quià ità eſt valdè conſonum ad regimen commune, & quià valdè vtile vt omnes curent ſuis rebus, & dominij ſint certi, & non confuſi, & ideò in his legibus præſcriptiones inducentes omnes debent convenire, & nullus poteſt eſſe rationabiliter invitus. Atque adeò nulli parti fit iniuria in ſervanda lege præſcriptionis, etiam ſi privetur iure proprietatis, quod certo conſtat habuiſſe ante annos quadraginta, v. g. Attamen Reſpublica, nec Theologi, nec vllus hominum vnquam ſtatuit, ſed nec ſtatuere poteſt legem præſcriptionis adverſus legem Dei. Tùm quià hoc eſſet multare ipſam Dei legem, ipſumque Legiſlatorem nè amplius haberet ius obligandi proptèr ipſius Dei incuriam, quo nihil abſurdiùs excogitari poſſet. Tùm, quià ſi forsàn lex Dei amittat per aliquod tempus, aut reſpectu aliquorum vim actualem obligandi, non eſt ob incuriam Dei, hoc enim nefas eſt dicere, ſed ob incuriam hominum, qui negligunt addiſcere Dei voluntatem, vel illam docecere ignorantibus, vel purgare mentem humanis paſsionibus, vt eam agnoſcere poſsint; àc proindè non Deus privandus eſt iure obligandi, ſed potiùs ipſi homines ſtrictius obligandi forent in pœnam ſuæ negligentiæ. Tùm, quià huiuſmodi præſcriptiones, non vtiles, ſed perniciosæ forent ad regimen animarum, ſeu Reipùblicæ ſpiritualis, facerent enim omnes ferè leges Dei vel nullas, vel dubias, dùm quilibet proptèr ignorantiam longi temporis vellet talem, vel talem legem iàm non obligare, fierentque homines exleges: imò lege Dei ſuperiores, qui per præſcriptiones poſſent pleraſque Dei leges extinguere. Hæc igitur immenſa diſparitas in cauſa eſt cùr præſcriptiones admittantur in tribunali iuſtitiæ adverſus verum Dominum antiquatum rei, & non admittantur in tribunali conſcientiæ adverſus legem Dei.

35 Tunc ſic, ſed eadem vel maior diſparitas datur, quantùm ad privilegium poſſeſsionis, vt valeat in tribunali iuſtitiæ adverſus partem non poſſidentem, non vero adverſus legem Dei in tribunali conſcientiæ: ergò. Probo hanc minorem: nàm privilegium poſſeſsionis in tribunali iuſtitiæ vtile eſt, vt homines non negligant, ſed potiùs curent ſervare certam poſſeſsionem ſuorum bonorum, vt dominij in regimine Reipublicæ ſint certi. Attamèn privilegium poſſeſsionis libertatis in tribunali conſcientiæ potiùs iuvaret, vt homines negligerent ſcire veram Dei legem, & illam in poſſeſsione ſervare quantùm ad obligationem, cùm potiùs curarent poſſeſsionem ſuæ libertatis, quæ tantum magis illis eſſet, vel videretur certa, quanto minùs curarent addiſcere legem Dei. Ex quo rurſus ſequeretur, leges Dei fieri apud homines valdè in-

incèrtas, & dubias, vel potiùs nullas, quià per poſſeſsionē libertatis invalidæ prorſus manerent. Aliæ etiam plures diſparitates patent ex dictis: ergò ſicut lex inducens in tribunali iuſtitiæ præſcriptiones, non debet, nec licet eam transferre ad tribunal conſcientiæ, ità lex inducens poſſeſsionis privilegium non poteſt transferri ad tribunal conſcientiæ.

36 Sexto probatur concluſio alia inſigni diſparitate: nàm in tribunali iuſtitiæ licitum eſt homini pluris æſtimare proprium ius, quam ius alterius; magis diligentèr inquirere rationes, & iura, quæ ſuæ parti faveant, quàm ea, quæ favent parti contrariæ, imò ei licitum eſt non curare de rationibus, aut iuribus parti contrariæ faventibus, ſed hanc curam relinquere parti contrariæ; & hoc, quià non tenetur magis velle ius contrarij, quam ſuum, nec magis procurare, quod attinet ad contrarium, quam ad ſe. Nunc accedamus ad tribunal conſcientiæ Petri, v. g. Rogo igitur: Petrus poteſt nè in tribunali propriæ conſcientiæ pluris æſtimare ius propriæ libertatis, quàm ius divinæ legis? Poteſt magis diligentèr inquirere rationes, quæ faveant propriæ libertati, quam rationes, quæ faciant pro divina lege? Poteſt nè dicere: Deus quærat rationes, quæ faciant pro ſua lege, & ego quæram rationes, quæ faciunt pro mea libertate? Poteſt denique dici, quod non debet curare magis de divina lege, quàm de propria libertate? Sanè ſi homo tenetur diligere Deum plus quàm ſe ipſum, hæc omnia dici non poſſunt, ſed ſunt falſiſsima; ſi autem dici poſſunt, & vera ſunt, vel dicendum eſt poſſe hominem plus quàm Deum diligere ſe ipſū, vel ad minus æquè ac Deum ipſum: ergò datur immenſa diſparitas de vno caſu ad alium.

37 Septimo datur alia diſparitas: nàm in tribunali iuſtitiæ bonum, de quo litigatur, eſt verum, & proprium bonum temporale, quod re ipſa amitteretur à poſsidente per ſententiam iudicis, ſi contra illum decideret dubium, poſſeſſorque re ipſa evaderet minoratus, vel privatus in bonis temporalibus, quæ ſola bona attenduntur in tribunali iuſtitiæ. Attamen in tribunali conſcientiæ non attenditur ad bonum temporale hominis tantùm, ſed potiſsimè attenditur bonum virtutis, & bonum ſpirituale ipſius hominis. Vbi maximè conſiderandum eſt, quod per divinam legem nullum adimittitur homini bonum virtutis, ſed potius datur ei virtutis regula: imò nullum bonum amittit, nec ipſam libertatem, quià libertas per legem non amittitur, ſed potiùs perficitur, & dirigitur ad ſuum vltimum finem: ergò licet poſsidens in tribunali iuſtitiæ poſsit allegare privilegium poſſeſsionis, nè amittat bonum temporale, quod poſsidet, ſi lis decidatur pro parte contraria; homo tamen in tribunali conſcientiæ imprudentiſsimè allegare poterit poſſeſsionem libertatis contra legem, quandoquidem nullum damnum timere poteſt ex lege, nullumque bonum amittere, nec ipſam libertatem, etiam ſi dubium decidatur pro lege.

38 Dices, quod licet non libertatem naturalem, ſeu phiſycam, tamen amittit libertatem ab obligatione, quam homines plurimum æſtimare ſolent. Sed contrà, quià libertas ab obligatione non eſt bonum aliquod ſuperadditum, aut maius ſuprà libertatem naturalem, nec eſt melior libertas, quam libertas ſub obligatione legis, niſi velis hominem ignorantem invincibiliter legem habere meliorem libertatem, quam hominem eam agnoſcentem, Deumque homines obligantem legibus ſuis, eorum libertati invidere, eamque deteriorare; quod abſurdiſsimum eſt dictu. Vndè è contrario dicendum eſt, libertatem ſubditam legi divinæ, multo meliorem libertatem eſſe, quam libertatem exlegem: quià libertas ſine lege eſt libertas ſine regula virtutis, ſine pędagogo, & directore quantum ad bonum virtutis. Libertas autem ſubdita legi eſt libertas cum regula virtutis, cum directore ſupernæ legis ad vltimum finem. Hæc autem (vt per ſe patet) melioris conditionis eſt quàm illa; ergò per legem, propriè loquendo, non amittit homo meliorem libertatem, ſed libertatem deterioris conditionis commutat in libertatem melioris conditionis: ergò allegare poſſeſsionem pro prima, nè accedat ſecunda, per indè eſt, àc ſi quis allegaret poſſeſsionem vnius argentei, nè loco illius daretur ſibi aureus maioris pretij: ergò imprudentèr homo in tribunali conſcientiæ allegat poſſeſsionem libertatis ab obligatione, vt ſit melior conditio poſsidentis.

39 Nec dicas, homini melius eſſe, eſſe liberum ab obligatione recitandi, v. g. quià ità ſecurus eſt à peccato, ſivè recitet, vel non recitet; cùm tamen ſi obligatus conſtituatur habeat maximum periculum peccandi, ſicuti & non recitandi.

Sed contrà, quià ſi hoc ità eſt: vè mihi, qui feci votum vitæ quadra-

geſimalis; anteà enim poteram comedere carnes, & ſive comederem, ſi non comederem, ſecurus eram à peccato. Nunc tamen cum ſanus ſum, ſicuti habeo periculum carnes comedendi, habeo periculum peccandi propter votum: ergò per votum feci me peioris conditionis, ac eram anteà? Ergò melius mihi erat non feciſſe votũ? Quis hoc credat, niſi hęreticus?

40 Rurſus: ergò peioris conditionis erit homo, qui Hiſpano idiomate dicitur, *de grandes obligaciones*, hoc eſt, magnis obligationibus obſtrictus, quam homo nullius obligationis, ſeu vt Hiſpanicè dicitur, *de pocas obligaciones*; quià iſte minus periculum habet à proprijs obligationibus deficiendi, quàm ille.

41 Sed dices: legem Dei conſtituendam eſſe ſuavem, & talem, quæ ab omnibus ſervari poſsit. Contrà, quià lex Dei non eſt conſtituenda ſic, vel ſic à nobis, ſed vnicè à Deo, qui tantùm eſt ſupremus legiſlator, & qualitèrcumque à Deo fuerit conſtituta, certum eſt, quod erit ſuavis: ſolus enim ipſe Deus, qui legem imponit, ſcit plenè quænam lex ſit facilis, & ſuavis, quià ſolus ipſe ſcit, ac penetrat vires naturæ, & gratiæ, quam nobis paratus eſt dare; & ideo non noſtro arbitrio, ſed ex ipſa lege Dei iudicandum eſt à nobis, quod ſit onus leve, & iugum ſuave, inquirentes accuratè, & diligentèr, quid præcipiat vera lex Dei, quid iubeat, pro comperto habentes, quod quidquid ipſa præceperit, id erit onus ſuave, & iugum leve. Quod ſi facta diligentia ex rationibus, & authoritatibus vtrimque partibus, oriatur dubium àn hoc Deus præceperit, vel non, non ſtatim eligenda eſt pars negativa, tanquàm magis ſuavis, quià ſi forsàn Deus præceperit, illud quod præcipit faciet magis ſuave, quià Deus ad illud præſtabit auxilium ſuæ gratiæ, vti ad opus à ſe præceptum, quo auxilio fiet ſuave, quod ſine illo eſſet grave. Ac proinde dùm veritas non apparet, dubitandum eſt, & iudicium deciſsivum ſuſpendendum, vt vitetur periculum ex vtraque parte, quod in præſenti quæſtione tantùm intendimus. Conamur enim intellectum ità in debita rectitudine continere, vt ſemper adhibeat debitam diligentiam inveniendi veritatem circà licitum, vel illicitum, circà legem, vel non legem, & quod ſi debita diligentia adhibita non inveniat maiorem rationem pro vna parte, quàm pro alia, ſed in æqualitate rationum, & authoritatum pro lege, & contra legem verſetur, quod intrepidè non decidat dubium, ſed prudentèr in dubio perſiſtat vſque dùm lumen naturale, vel ſupernaturale aliquam partem veriorem, aut probabiliorem oſtendat ſaltèm.

§. IV.

Statuitur tertia concluſio.

42 DICO Tertio: *Dato, & non conceſſo, privilegio poſſeſſionis in tribunali conſcientiæ, per illud pluries decidendum eſt dubium pro lege, quàm pro libertate.* Nàm in omni quæſtione vbi ſupponitur vt certum, legem aliquando obligaſſe, & dubium eſt àn duret, vel non duret obligatio, ſi aliqua ibi eſt poſſeſsio debet eſſe prò lege, quià de illa conſtat fuiſſe in poſſeſsione, & non conſtat amotam fuiſſe à ſua poſſeſsione; ſed vbi poſſeſsio ſtat prò lege, melior eſt conditio legis, ſi melior eſt conditio poſsidentis: ergò prò illa ſolvendum erit dubium, & non prò libertate. Sed quæſtiones huius generis plurimæ ſunt: ergò iàm habemus, quod ſi talis regula admittatur in tribunali conſcientiæ, plurimæ quæſtiones ſolvendæ erunt prò lege, & non prò libertate.

Secundò, quià lex naturalis, cùm obliget hominem ab ipſo primo inſtanti vſus rationis, non poteſt ſupponere hominem liberum ab obligatione ſui, cùm ipſe homo naſcatur legi naturali ſubditus: ergò in omni dubio, aut quæſtione de lege naturali poſſeſsio nequit ſtare prò libertate ab obligatione, cùm talis libertas, caſu quo detur, non poſsit eſſe antiquior lege naturali, ſed potiùs debet ſtare pro lege naturali, quæ valdè antiquior eſt: ergò etiam, ſi ſervanda eſt regula Iuris in tribunali conſcientiæ, in omni quæſtione vbi agitur de lege naturali, ſolvendum erit dubium prò lege naturali, & non prò libertate ab obligatione. Cùm autem huius generis quæſtiones, & dubia plurima ſint, iàm etiam ex hac parte habemus plurima dubia, in quibus, ſi talis regula admittatur, dubium ſolvendum erit pro lege, & non prò libertate.

43 Tertiò, quià in omni quæſtione vbi ſuppoſita lege certa dubitatur àn talis caſus excipiendus ſit, poſſeſsio ſtat prò lege, vt expreſsè tenet Ioann. à S. Th. 1. 2. q. 18. diſp. 12. ar. 3. fol. mihi 734. Quod ſic probat: quià exceptio iſta eſt ſicut vulnus legis, & quædã eius abſciſio; cùm autem lex ſemèl eſt ſtatuta, & ſtabilita eſt in poſſeſsione præcipiendi, quià iàm exiſtit præceptum eius, nec eſt lex dubia, vt ſupponimus: ergò

ſi

ſi cauſa exceptionis nõ eſt certa, ſed dubia, non poteſt legem vulnerare, & in hac parte deponere, quià lex poſsidet, & in caſu dubij melior eſt conditio poſsidentis. Tunc ſic, ſed plurimæ etiam ſunt quæſtiones in Theologia Morali, in quibus dubitatur de cauſa exceptionis à lege de ſe certa, & ſtabilita: ergò etiam in his ſolvendum erit dubium pro lege. En igitur, qualitèr etiam ſi illa regula admittatur in tribunali conſcientiæ, adhùc exinde non ſequitur, quòd in dubijs de licito, vel illicito dubium ſolvendum ſit pro libertate vniverſalitèr, ſed potiùs, quod magis vniverſalitèr dubium ſolvi debeat pro lege contra libertatem; ſiquidem, re benè inſpecta, multo plures ſunt quæſtiones, & dubia, in quibus poſſeſsio ſtat pro lege, quàm in quibus ſtet pro libertate.

§. V.

Solvuntur argumenta contra primam concluſionem.

44 PRIMO Arguit Caramuel; dùm quis poſsidet in materia iuſtitiæ nequit ſpoliari, niſi per evidentem iuſtitiam partis oppoſitæ: ergò in foro conſcientiæ, dùm quis poſsidet ſuam libertatem, nequit ſpoliari, niſi per evidentiam præcepti oppoſiti.

Ad hoc reducitur totale fundamentum Caramuelis, vt probet voluntatem ſemper poſsidere libertatem ad faciendum quodlibet, dùm non conſtet evidenter ſaltèm evidentia morali, illud eſſe prohibitum. In qua quidem reſolutione communitèr deſeritur ab omnibus ferè Probabiliſtis, & acritèr impugnatur ab aliquibus, vt videre eſt apud Magiſtrum Ferre, & P. Cardenas, qui tamen ſolùm ab eo differunt, quatenùs aiunt, quòd tunc ſolùm requiritur evidentia prohibitionis ad ſpoliandum hominem poſſeſsione libertatis, quando eſt opinio probabilis pro libertate, neganſque prohibitionem. Tunc enim aſſerunt, quòd quantvis ſit opinio æquè, vel multo magis probabilis pro lege aſſerens prohibitionem, voluntas ſpoliari nequit libertate, niſi ſuperveniat evidentia pro parte legis, quæ faciat improbabilem opinionem pro libertate. Attamèn, ſi opinio, quæ negat legem prohibentem, & favet libertati, non ſit probabilis vera probabilitate, aſſerunt, ſufficere, quod tunc ſit inſolidum, & vnicè probabilis opinio aſſerens obligationem, vt voluntas amittat libertatem ab obligatione, & non requiri evidentiam legis. Caramuel autèm aſſerit, ſemper, & in omni caſu requiri evidentiam legis obligantis, vel prohibentis, vt voluntas amittat poſſeſsionem ſuæ libertatis. Quam parum autèm differant hæc duæ opiniones, & quam in conſequentèr aſsignetur tale diſcrimen Probabiliſtarum à Caramueli, infrà conſtabit.

45 Ad prædictum igitur argumentum reſpondet M. Ferre, num. 102. negando conſequentiam: nàm in materia iuſtitiæ nullus, qui poſsidet, dubitat de ſui poſſeſsione, ſed omnis, qui poſsidet videt ſe poſsidere, & ſic vt videat ſe iam non poſsidere, neceſſum eſt vt videat iuſtitiam partis oppoſitæ. Vndè in materia iuſtitiæ nunquàm eſt dubium de poſſeſsione, ſed de ſolo titulo poſſeſsionis. At in tribunali conſcientiæ, etiam ſi pars oppoſita non faciat evidentiam legis, dubitat conſcientia de illa propter rationes oppoſitas. Nàm cùm ipſa ablatio libertatis conſiſtat in ipſa poſitione præcepti, dùm conſcientia dubitat propter rationes partis oppoſitæ de talis legis poſitione, dubitat eodem modo de amiſsione ſuæ libertatis. Dùm autèm dubitat in praxi, & gravitèr dubitat de amiſsione ſuæ libertatis, nequit iuſtè in ſui favorem applicare privilegium poſſeſſionis. Sic ipſe, qui tamen alias ait, quòd cùm dubium oritur ex rationibus verè probabilibus, ſolvendum eſt pro libertate, propter privilegium poſſeſsionis, quaſi dubium ex rationibus probabilibus non eſſet verum dubium propter rationes oppoſitas. Solutionem igitur eius contra ipſum approbo. Nàm vt ipſe inquit num. 103. §. *vndè ad primum*, eo ipſo quod ſit probabile præceptum adeſſe, aut obligare, probabile eſt voluntatem non habere libertatem ab obligatione. Nàm cùm duæ opiniones contradictoriæ pugnant inter ſe, alia pro lege, alia pro libertate, pugna eſt pro libertate: nàm alia affirmat gaudere ſua libertate, & alia negat; vndè nec prima habet certitudinem de poſſeſsione ſuæ libertatis, ſed tantùm habet de hoc probabilitatem, nec ſecunda habet certitudinem de eo, quod non ſit libertas, ſed tantùm probabilitatem, & ſic cum incertitudine legis non ſtat certitudo libertatis, ſed ex parte vtriuſque extremi ſola ſtat probabilitas, & incertitudo. Sic Ferre concludens contra Caramuelem, per præceptum probabile, etiam quando eſt probabile non adeſſe præceptum, privari hominem ſua libertate; quod tamen pariter contra ipſum militat.

46 Secundò format præcedens arg. Terillus, quæſt. 23. n. 46. cum Eſparza,

quæſt. 23. art. de actibus humanis: evidens eſt voluntatem eſſe ſui iuris, cæteraſque potentias ipſi naturaliter eſſe ſubiectas, vt omnia, tàm intrà, quàm extrà hominem, tàm quoad rerum vſum, quàm quoad potentiarum actus, naturali voluntatis dominio ſubiecta ſint. Ratione huius dominij voluntas ex naturali ſuæ conditionis excellentia eſt in pleniſsima poſſeſsione dominij circà iſta omnia; nec ab ea deturbari debet, niſi pari evidentia conſtet vſſum huius dominij aliqua lege ſibi reſtringi, quatenùs aliquis ſubiectarum potentiarum actus legitimè prohibetur, neque enim quiſquam incertas iuris limitationes tenetur admittere. Porrò leges omnes, non ſolùm naturales, ſed etiam poſitivæ, ſunt quædam limitationes, & exceptiones iuris, àc dominij, quod naturaliter competit homini circà inferiora omnia, tàm intrà, quàm extrà hominem: ergò donec pari certitudine conſtet legem aliquam reſtringentem dominium naturale, eiuſque vſſum, exiſtere, non tenetur homo talem legem admittere. Ecce regula iuris: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, non ſolùm æqualiter, àc in materia iuſtitiæ, ſed multo potiori iure tenet in quacumque alia materia, quando lex non eſt evidens, aut certa in contrà. Sic Terillus, ſtillo ſibi familiari dicens: *Eccè* quaſi ad oculum demonſtrans quod dicit.

47 Sed reſpondeo primò, argumentum nimis probare, nàm probat hominem nunquàm poſſe amittere poſſeſsionem ſuæ libertatis, niſi per evidentiam legis in contrà, quæ eſt ipſiſsima ſententia Caramuelis, quam plerique etiam Probabiliſtarum, vt improbabilem reijciunt.

Secundò dico, quod eſt evidens hominem eſſe ſui iuris cum ſubordinatione ad Deum vt ſupremum legiſlatorem, potentiaſque eius ipſi eſſe ſubiectas, non quidem vt domino ſupremo, & diſpotico, ſed vt domino ſubordinato Deo vt ſupremo legiſlatori, cuius legem in omnibus primò debet diligenter attẽdere; & de eius obſervatione primo curare, quã de ſua libertate.

Ex quo dico tertio, quòd eo ipſo, quòd dubitetur àn per Deum mihi liceat aliqua actio, iam ceſſat evidentia de meo iure abſoluto, & abſoluto dominio morali ad illã actionem exercendam; quià cùm dominium Deo in omnibus ſubordinatum vt legiſlatori ſupremo, tantùm ſit dominium ad faciendum, quod ſibi liceat per Deum, dependeatque â licentia Dei, dùm de hac poſitivè dubitatur, pariter dubitatur àn retineam ius, & dominium abſolutum ad illã actionem, & implicat, me eſſe evidenter certum de meo iure abſoluto, & abſoluto dominio ad illud faciendum licitè, dùm dubito àn mihi liceat, vel prohibitum ſit per Deum illud facere.

48 Dico quartò: falſum eſſe, quòd leges, ſivè naturales, ſivè poſitivæ, ſint limitationes, & exceptiones iuris naturalis, quod habet voluntas. Primò: nàm propriè loquendo limitationes, & exceptiones iuris in eo conſiſtunt, quod ius de ſe potens, & perens extendi ad omnia, limitetur, & coarctetur excipiendo ab eius iuriſdictione aliqua, ad quæ poterat, & petebat extendi; non autem conſiſtunt in eo, quod ius non extendatur ad id quod ex prima ſua intentione extendi non poteſt, nec petit. V. g. quod Superior Provincialis prohibeatur nè extendat ſuum dominium ad alteram provinciam non eſt limitatio, nec exceptio ſuæ iuriſdictionis; quià eius iuriſdictio ex prima ſua inſtitutione, nec poteſt, nec petit extendi ad exteram provinciam; ſolumque erit limitatio, & exceptio, ſi prohibeatur, aut excipiatur aliquis locus, vel ſubditus eiuſdem provinciæ, quià iuriſdictio Provincialis ex ſua prima inſtitutione, & natura poteſt, & petit extendi ad omnia loca, & ad omnes ſubditos ſuæ provinciæ. Sed ius voluntatis, & eius dominium morale ex prima ſua inſtitutione, nec poteſt, nec petit ad mentiendum extendi, nec ad furandum, occidendum, & alia, quę lege naturali ſunt prohibita, ſed ex prima ſua inſtitutione tantũ eſt ad omnia naturaliter non prohibita: ergò leges naturales ineptiſsimè appellantur exceptiones, & limitationes iuris, & dominij volũtatis. Min. patet: quià ius, & dominium morale voluntatis ex prima ſua inſtitutione tantùm eſt ad honeſta, & licita; patet autem quod à prima inſtitutione talis iuris, & dominij, tantum eſt honeſtum, & licitum, quod lege naturali eſt prohibitum.

49 Secundò, quià limitatio, & exceptio iuris ea tantum eſt, quæ reddit ius diminutum, & imperfectum, àc quodã modo truncatum; ſed lex naturalis non reddit ius, & dominium voluntatis diminutum, imperfectum, & truncatum: ergò non eſt proprie loquendo exceptio, aut limitatio talis iuris. Minor probatur, quià lex naturalis prohibens mentiri, peierare, furari, & alia huiuſmodi, potiùs dirigit, & perficit ius, & dominium voluntatis; abſurdumque videtur dicere, Deum per legem ſuam naturalem quaſi truncaſſe, & deterioraſſe ius, & dominium morale hominis ad regendas ſuas potentias. Nunquid enim contrarij dicere audebunt, homi-

hominem habiturum maius, aut melius dominium, & ius morale, ſi Deus eum feciſſet exlegem? Nunquid Deus eius dominio, & iuri inviſſus fuit, vt illud per legem minueret, àc truncaret? Quis hoc credat? Quinimò certiſsimum debet eſſe, Deum per ſuam legem minimè deterioraſſe, aut minoraſſe ius, & dominium morale hominis, ſed potius eum melioraſſe, & auxiſſe: ergò lex naturalis non reddit ius, & dominium morale voluntatis imperfectum, truncatum, aut diminutum.

50 Tertiò: nàm rogo à contrarijs, àn ius, & dominium Dei limitetur per impotentiam mentiendi, aut peierandi? Et àn lex divina naturalis, quæ Deum ad id impoſsibilitatum reddit, ſit exceptio, & limitatio divini iuris? Et ſane id dicere non audebunt, quià videlicet ius, & dominium mentiendi, & peierandi non eſſet proprie ius, & dominium, ſed potius defectus, imperfectio, & deterioratio dominij, & iuris; àc proinde impoſsibilitas mentiendi, & peierandi in Deo, potius auget, eſtque perfectio iuris, & dominij, quàm eius limitatio, & exceptio: ergò ſimiliter in homine lex naturalis prohibens mentiri, furari, &c. Non eſt exceptio iuris, aut limitatio dominij ipſius, ſed perfectio, & melioratio, augmentumque.

51 Ex quo dico quintò, quod licet nemo teneatur admittere exceptiones, & limitationes incertas iuris certi proprij, ſed poſsit eas contemnere, exinde tamen non ſequitur hominem poſſe contemnere leges naturales, & poſitivas Dei poſitivè dubias. Tùm, quià ideò primum eſt verum, quià limitationes, & exceptiones iuris ex ſuo genere ſunt odioſæ, & inviſæ: quis autem dicat, leges Dei naturales, & poſitivas ex ſuo genere eſſe odioſas, & inviſas? Tùm, quià eo ipſo quod lex prohibens aliquam actionem poſitivè dubia ſit, implicat quod voluntas habeat ius certum ad illam actionem. Nàm ius voluntatis, & dominium eius morale tantum eſt ex natura ſua, & ex prima ſua inſtitutione ad id, quod per Deum liceat, & eius lege permittatur: dùm autem poſitivè dubitatur de aliqua actione àn per Deum liceat, aut per legem eius permittatur, qualiter poſſumus habere certum ius, & dominium abſolutum ad illam actionem?

52 Denique dico: nos minimè aſſerere, quod in caſu, quo dubitatur poſitivè de lege, tenetur homo talem legem admittere, ſed ſolum dicimus, quod tenetur de illa poſitivè dubitare, & manere in dubio, & quod dubium ſolvi non poteſt per privilegium poſſeſsionis præciſè, ſi nulla ſit maior ratio pro vna parte, quàm pro alia, ſed vtrimque ſint rationes dubitandi æquales, vel maiores pro lege, quàm pro libertate. Suppoſito autem quod intellectus maneat in dubio, & dubium non ſolvatur, ipſe Terillus fatetur, vt ſupra vidimus, adeſſe certam Dei legem, & indubitatam, quæ reflexè præcipit non agere illam actionem, de qua dubitamus àn ſit licita, vel illicita. Ex quo infero iuxta ipſum, non privari hominem proprio iuri, & dominio per legem incertam, adeſſe tamen legem reflexam certam, vi cuius ſpoliatur homo libertate morali ad illam actionem. Vide igitur in quantis falluntur contrarij, & quàm facile eorum argumentum potiſsimum enervatur.

53 Obijcies tertiò: ideò in materia iuſtitiæ melior eſt conditio poſsidentis, quià contradicenti incumbit obligatio probandi, & poſſeſſori tantum defendendi ſe; ſed etiam in tribunali conſcientiæ imponenti obligationem incumbit obligatio probandi, poſsidenti vero, cui imponitur obligatio, tantum ſe defendendi: ergò etiam in tribunali conſcientiæ melior eſt conditio poſsidentis. Minor probatur: nàm obligatio ſemper eſt oneroſa libertati, & imponens obligationem ſemper agit contra poſſeſsionem libertatis, ſed quandò aliquis agit in dubio, & lite contra alium intendens ei imponere obligationem oneroſam, ei incumbit obligatio probandi, poſsidenti vero antecedenter ſuam libertatem attinet tantum ſe defendere: ergò imponenti obligationem incumbit onus probandi, libertati vero ſolum ſe defendendi.

54 Confirmatur: ſi aliquis fuerit vſque ad litem in poſſeſsione pacifica fundi, & litigans in contra, non probet, per ſolam ſententiam, qua Iudex declarat, actorem non probaſſe, poſsidens manet in ſua poſſeſsione ſecurus: ergò dùm imponens obligationem, non probaverit obligationem, poſsidens antecedenter libertatem manet ſicut antea ſecurus in poſſeſsione ſuæ libertatis. Explicatur: dubium ex ſe non poteſt variare ſtatum poſſeſſoris, ſed relinquit poſſeſſorem ſicut antea: ergò qui aliquo tempore fuit bona fide in poſſeſsione ſuæ libertatis, ſi poſtea adveniat dubium, debet manere ſicut antea ſecurus, & bona fide in poſſeſsione ſuæ libertatis.

55 Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, quæ manifeſtè eſt falſa. Nàm in tribunali iuſtitiæ cùm vterque homo ſit æqualis acceptationis in

lite, & non debeat fieri acceptio perſonarum, æquitas ipſa exigit, vt obligatio inquirendi veritatem dividatur inter partes litigantes, taliter quòd actori incũbat probare ſuum ius, poſsidenti verò reſpondere, & ſatisfacere ad iura actoris. Vel, ſi dubium ſit de poſſeſsione, quòd vnaquæque pars inquirat ius proprium, rationes, & probationes ſibi faventes, relinquendo alteri parti, quod eandem diligentiam pro ſe faciat. Et huius ratio eſt primò, quià charitas incipit à ſe ipſo, facta comparatione cum proximo, & ideò litigans priùs debet curare de proprio iure, quàm de iure alterius; & cùm videat alterum de ſuo iure curantem, poteſt omnino omittere curam illius, & totus incumbere proprio iuri curando, ſicuti videt alterum pro ſe facientem, in quo ſervatur æquitas iuſtitiæ, & charitatis. Secundò, quià dato caſu, quòd vtrimque immineat periculum in dubio, vel quod violetur ius proprium, ſi ſententia proferatur pro parte contraria, vel quod violetur ius proximi, ſi ſententia ſit in ſui favorem; nemo tamen tenetur, nec lege iuſtitiæ, nec lege charitatis priùs vitare periculum violandi ius proximi, quàm periculum violandi ius proprium, ſed potiùs in dubio per priùs poteſt vitare periculum amittendi ius proprium.

56 Attamen in tribunali conſcientiæ oppoſitum totaliter cõtingit. Nàm evidens eſt quod poſsidens anteà libertatem, ſi poſt oriatur dubium de tali poſſeſſione, tenetur facere diligentiam, non ſolùm pro libertate, ſed etiam pro lege, & non ſolùm inquirere rationes, & probationes pro libertate, ſed etiam inveſtigare rationes, & probationes, quæ poſſunt militare pro lege: nàm Deus eidem defenſori libertatis impoſuit onus, & obligationem inquirendi diligenter legem, & conſequenter rationes, & probationes pro lege, quànvis amori proprio, ſeu, ſi velis propriæ libertati contraria: vbi diligentia inquirendi veritatem non partitur inter defendentem propriam libertatem, & inter alium procurantem pro lege, ſed tota diligentia quærendi veritatem, tàm pro parte legis, quàm pro parte libertatis, incumbit ipſi defenſori libertatis. Et huius ratio eſt duplex etiam. Prima, quià charitas comparativè ad divinam legem, & propriam libertatem, non incipit à propria libertate, quaſi quis priùs debeat amare propriam libertatem, quam divinam legẽ, & per priùs de illa curare, quàm de illa; ſed potiùs charitas incipit à Deo, & eius lege, quià per priùs quis debet amare Deum, & eius legem, quàm propriam libertatem; & cùm videat in tribunali conſcientiæ nullum eſſe, qui agat partes divinæ legis, ſi ipſe totus incumbat defenſioni propriæ libertatis, tenetur ipſe agere partes legis, & quidèm pèr priùs quàm partes propriæ libertatis, & maiori diligentia, & cura: vndè, vt ſuprà dicebamus num. 36. ipſi poſsidenti anteà libertatem incumbit onus probandi ipſam legem. Quod ſi illam non probaverit plenè contrà propriam libertatem, maneatque ex vi rationum, & authoritatum poſitivè dubia, tàm lex, quàm poſſeſsio libertatis, non poteſt licitè ſe gerere vt ſecurum poſſeſſorem ſuæ libertatis, ſicut anteà. Secunda ratio eſt, quià in æquali periculo violandi ius legis, vel ius propriæ libertatis, cùm charitas comparativè priùs incipiat à lege, quàm à ſe ipſo, per priùs tenetur quis vitare periculum violandi legem, quàm periculum violandi ius propriæ libertatis; potiſsimè cum in hoc ſecundo nullum ſit periculum peccati, nec formalis, nec materialis, ibi autem ſit periculum proximum peccati materialis, quod ſemper vitare debemus, vt infrà oſtendam.

57 Ex quo patet ad probationem minoris, diſtinguendo maiorem: obligatio ſemper eſt oneroſa libertati, onere deſtructivo, aut nocivo libertatis, aut eius perfectionis, nego maiorem: onere perfectivo, & directivo libertatis, concedo maiorem. Et paritèr dico, quòd, dùm Deus, Eccleſia vice ipſius, aut ratio ſuperior intrà hominem intendit imponere ipſi homini obligationem, agit quidèm contrà libertatem ab obligatione, ſed non contra perfectionem talis libertatis; imò potiùs conatur libertatem perficere, dirigere, & rectificare in ordine ad vltimum finem, vel, ſi lex humana ſit, in ordine ad bonum commmune, quod pluris debet æſtimari ab ipſo homine, quàm propria libertas ab obligatione. Huiuſmodi autem obligatio, aut impoſitio obligationis non debet reputari, vt odioſa contra poſſeſſorem libertatis. Et, ſi, vt plurimum, reputatur odioſa, hoc oritur ex amore proprio omnium ferè hominum corda tranſcendenti, quo nimium curamus, & æſtimamus noſtram libertatem, & laxitatem, & triſtamur, quandò ea privamur propter aliquam legem ſupervenientem, & quantum eſt ex vi talis amoris proprij vellemus leges nobis non intimari, nec nobis notificari, ſed eas penitùs, & invincibilitèr ignorare, quo pacto nobis omnia licerent. Sed hoc non

pro-

probat diligentibus Deum plus quàm ſe, & bonum commune plus quam proprium, leges eſſe odioſas, aut obligationes ab ipſis inductas eſſe nocivas, ſed potiùs illum amorem proprium, vndè hæc exiſtimatio pullulat, eſſe debere nobis odioſum, & oneroſum. Ex quo infero, quod ſemel quòd Deus, vel Eccleſia promulgaverit ſufficientèr aliquam legem ex parte ſua, ſi forsàn adveniat tempus, in quo dubitetur de tali lege, vel de eius ſenſu, tunc caſus, nec Eccleſiæ, nec Deo incumbit onus illam probandi, aut quærendi probationes, & rationes pro illa, ſed nobis ſubditis incumbit obligatio diligentèr inquirendi rationes, & probationes pro illa, quià obligamur magis ad curandum de lege, quàm de libertate propria; ſicuti ad curandum magis de bono Dei, & Eccleſię, quàm de bono proprio.

58 Et quidem, adhuc attento amore boni proprij, ex ipſo etiam nobis incumbit obligatio inquirendi rationes, & probationes pro lege, præſertim divina, & Eccleſiaſtica; quià cùm evidens ſit divinam legem, nec Eccleſiſticam minimè nocere bono noſtro proprio, ſed potius tendere ad promovendum noſtrum proprium bonum, noſque plerumquè ignoremus, quid nobis re ipſa profit, aut noceat, ex ipſo amore proprij boni deberemus inquirere diligentèr, quid lex divina, quid Eccleſia faciendum dictaret, & hoc habere pro bono proprio. Nàm abſque dubio Deus, & Eccleſia melius ſciunt quid nobis profit, aut noceat, quàm nos ipſi: & conſequentèr, ſi bonum proprium diligentèr quæreremus, ad iudicium, & dictamen Dei, & Eccleſiæ recurrendum nobis eſſet, quod exprimitur per leges divinas, & Eccleſiſticas, & cùm facta debita diligentia maneret dubium, potius vitandum periculum violandæ legis, quàm propriæ libertatis; quià in violatione legis imminet peccatum materiale contra Deum, & etiam damnum proprium; in abdicatione verò propriæ libertatis nullum damnum imminet.

59 Ex quo ad confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, duplici ex diſparitate. Prima, quià in tribunali iuſtitiæ poſſeſsio fundi non eſt purè intellectualis præcisè conſiſtens in exiſtimatione, qua quis exiſtimat ſe poſsidere; ſed eſt poſſeſsio phyſica conſiſtens in reali tentione, vel actione aliqua phyſica, & externa in rem poſſeſſam; vndè per dubium intellectuale de proprietate rei non tollitur poſſeſsio certa, & realis eiuſdem rei; attamèn poſſeſsio libertatis ab obligatione eſt purè intellectualis, conſiſtensque tantum in exiſtimatione, & fide, qua quis credit ſe eſſe liberum ab obligatione, non autem eſt poſſeſsio realis, & phyſica conſiſtens in tentione phiſyca, vel actione aliqua phiſyca, & externa exercita in ipſam libertatem. Cùm autem per dubium intellectuale, quo quis dubitat àn ſit, vel non ſit liber ab obligatione, formalitèr ceſſet poſſeſsio intellectualis talis libertatis, quæ conſiſtit in iudicio determinato, & exiſtimatione, qua quis iudicat, & tenet ſe eſſe liberum ab obligatione, indè eſt, quòd quanvis in dubio circa materiam iuſtitiæ poſsidens, non obſtante dubio de proprietate, poſsit manere ſicut antea in poſſeſsione ſui iuris: tamen in tribunali conſcientiæ, qui antea poſsidebat libertatem, exorto dubio, nequit manere in poſſeſsione talis libertatis: implicat enim poſſeſsio libertatis cùm dubio de libertate, ſicut poſſeſsio, aut tentio veritatis cùm dubio de veritate.

60 Quod ſi dicas: in tribunali iuſtitiæ, non obſtante dubio de proprietate exorto, poſſeſſor manet ſecurus, non ſolùm de poſſeſsione, ſed etiam de proprietate, quanvis nulla ſit maior ratio pro proprietate, quàm contra ipſam, ſed æqualis: ergò paritèr quanvis in tribunali conſcientiæ exoriatur dubium de libertate, & nulla appareat maior ratio pro illa, quàm contra illam, poteſt anteà poſsidens manere ſecurus de libertate, ſicut anteà. Ad hoc reſpondeo ſecunda diſparitate, diſtinguendo antecedens: manet ſecurus de proprietate, ſi Iudex ſua ſententia decreverit rem eſſe ſuam, vel parti contrariæ interdixerit penitùs abſque appellatione talem litem revocare ad tribunal, tranſeat antecedens. Si tantum Iudex decernat, actorem non probaſſe, nego antecedens, & conſequentiam: quià ſi Iudex procedat primo modo videtur ſua ſententia adiudicare rem poſſeſſori tanquam proprio domino, etiam ſi fortè ad alium pertineat, quod authoritate Reipublicæ, & propter Reipublicæ bonũ facere poteſt: & tunc caſus licet poſſeſſor nõ poſsit manere ſecurus de eo quod res antèa fuerit propria, ſed debeat manere dubius propter rationes vtrimque æquales, tamen in poſterum iàm poteſt eſſe ſecurus, & indubius de proprietate; quià Iudex authoritate Reipublicæ ei tradidit proprietatem, ſi fortè illam non habebat. Attamèn, ſi Iudex ſecundo modo procedat, poſſeſſor nullo modo poteſt manere ſecurus de proprietate, ſed tantùm de poſſeſsione, niſi fortè ſuppoſitis rationibus æqualibus prò, & contrà

trà proprietatem, possessio sit talis, quæ addat magnam præsumptionem, & novam rationem prò proprietate: quià si hoc ità sit, iàm non est æqualitas rationum prò, & contrà proprietatem, sed excessus considerabilis favens proprietati; si autem talis excessus non sit, sed adhuc considerata possessione, sit æqualitas rationum prò parte negante proprietatem, quàm prò illam affirmante, dico, quod possessor necessariò debet manere dubius de proprietate, & forsàn cùm timore prudenti, quod actor in posterum inveniat instrumentum evidens contra ipsam, quo casu, etiam si litis antèa terminata fuisset, tamèn Iudex posset, & deberet admittere revocationem itteratam illius, & declarare rem nunquam fuisse propriam possessoris. Ex quo non infertur, quod possidens dubius de proprietate maneat in possessione cùm mala conscientia, aut non securus de possessione, quià quidquid sit de proprietate certum est, quod vsque dùm dubium resolvatur, licitè potest possidere, & vsufructuare rem ipsam.

61 Attamen in tribunali conscientiæ, dùm est dubium de ipsa libertate, & de possessione libertatis, Iudex, qui est ipse homo, nec habet authoritatem à Deo, nec ab Ecclesia adscribendi libertatem, vt propriam sibi, & negandi legem; cùm potiùs à Deo ei præscriptum sit, quod fugiat periculum violandi eius legem, & ab Ecclesia quod in dubijs eligat tutiorem partem, nec potest imponere silentium perpetuum divinæ legi, sicut Iudex actori, quià à nullo habet authoritatem superiorem, nec dominium suprà legem, & libertatem. Ac proindè ad summum potest decidere, quod pars pro lege contra libertatem plenè non probavit. Ex hoc autem minimè sequitur certitudo de libertate contra legem, sed solùm dubium de libertate, & de lege; &, sicut cùm dubio de proprietate non stat securitas, & certitudo de ipsa proprietate; ità cùm dubio positivo de libertate stare non potest securitas, & certitudo de ipsa.

62 Et quidem aliam manifestam invenio disparitatem. Nàm si argumentum aliquid probaret, probaret vtiquè, quod sicut possessor in materia iustitiæ, etiam in principio dubij, & antequàm sit facta debita diligentia prò veritate invenienda, rem secure possidet, & vtitur ea, eamque vsufructuat: ità, exorto dubio in tribunali iustitiæ, antequàm fieret debita diligentia inquirendi veritatem, melior esset conditio possidentis libertatem, & posset quisque, durante dubio, & non dùm facta debita inquisitione, vti sua libertate, & secura conscientia agere id, de quo dubitaret àn esset licitum, vel illicitum. Cùm autem in hoc ab omnibus debeat assignari disparitas antè factam debitam diligentiam inquirendi veritatem, cùr etiam non erit manifesta disparitas, si post factam debitam diligentiam dubium perseveret. Ad explicationem confirmationis patet ex solutione data.

63 Objicies quartò: in quæstionibus de potentia absoluta eo ipso quod non probetur aliquid implicare contradictionem manifestam, debemus credere illud esse Deo possibile: ergò in quæstionibus de licito, vel illicito, eo ipso quod non probetur aliquid esse illicitum, debemus credere illud nobis esse licitum. Consequentia probatur: quià sicut Deus ratione omnipotentiæ potest producere omne, quod non implicat contradictionem, homo ratione libertatis potest licitè elicere omnem actionem non prohibitam; sed sola ratio convincens aliquem terminum implicare contradictionem, aut esse impossibilem potest obstare, vt affirmemus prudentèr Deum illum terminum posse producere: ergò sola ratio convincens actionem aliquam esse prohibitam, potest obstare vt homo prudentèr iudicet, se posse licitè illam actionem elicere: ergò eo ipso quod non probetur aliquid esse prohibitum, prudentèr possumus iudicare, illud non esse prohibitum.

64 Respondeo primò, negando antecedens, quià duplex casus excogitari potest. Primus, in quo nullo fundamento gravi cogente ad dubitandum suadeatur aliquid implicare contradictionem, sed ad summum sit dubium negativum, seu ignorantia, & nescientia àn implicet, vel non implicet contradictionem: & in hoc casu fatemur, quemlibet posse prudentèr, & debere concedere, quod illud Deus possit facere, quià prò hac parte stat generalis ratio omnipotentiæ infinitæ, quæ de se ad omnia se extendit, sinè vlla restrictione, aut limitatione; & prò contraria in casu dicto nulla adest ratio gravis cogens ad dubitandum. Et similitèr dicimus, quod in dubio negativo àn aliqua actio sit prohibita, possumus prudentèr credere illam actionem nobis esse licitam proptèr eandem rationem.

65 Ceterum casus nostræ quæstionis non procedit, nisi de dubio positivo, quando prò vtraque parte sunt rationes prudentèr dubitandi. Et in hoc sensu dico, quod etiam si manifesta implicatio non probetur in aliquo termino, nec con-

vin-

vincatur, illum terminum eſſe impoſsibilem, ſi tamen adſit ratio gravis dubitandi pro parte affirmante implicationem, tunc, nec debemus, nec poſſumus prudenter iudicare illum terminum eſſe abſolute poſsibilem Deo, Deumque poſſe abſolutè illum terminum producere, ſed prudentiam ipſam exigere, vt maneamus in dubio vſque dùm veritas ſaltim exiſtimativè inveniatur. Vnde Theologus audiens eſſe æquales Authores, & rationes probantes ſubſtantiam creatam ſupernaturalem eſſe impoſsibilem, àc eſſe poſsibilem, imprudenter ſtatim ſolveret dubium, iudicando eſſe poſsibilem, aut Deum illam producere poſſe; & iniuriam faceret Authoribus, & rationibus probantibus eſſe impoſsibilem: nàm iuxta dictamen prudentiæ deberet ſuſpendere iudicium, vſque dùm aliquam maiorem rationem pro vna parte, quàm pro alia invenerit, vel maiorem authoritatem. Non enim hæc eſt prudens conſequentia: dantur Authores, & rationes æquales pro impoſsibilitate, quàm pro poſsibilitate ſubſtantiæ creatæ ſupernaturalis: ergò illa eſt poſsibilis Deo abſolutè, & non impoſsibilis; àc proinde imprudenter quis aſſentiret huic conſequentiæ in vi illius antecedentis. Idem igitur dicimus in caſu dubij poſitivi àn actio aliqua ſit prohibita, vel licita; quod, licet non plene probetur illam eſſe prohibitam, ſi tamen ſit ratio dubitandi gravis, & æqualis, quàm pro parte contraria, imprudenter quis iudicabit ſtatim eam eſſe licitam, & non ſibi prohibitam, cùm ſit æqualis, & non maior ratio vnius, quàm alterius.

66 Secundò reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: quià in dubio de poſsibilitate, vel impoſsibilitate termini, ſtandum erit pro omnipotentia potius quàm pro implicatione termini: & in hoc nullum periculum eſſet. Attamen in dubio de lege Dei prohibente, vel de libertate propria, in quo imminet periculum violandi legem Dei, vel ius propriæ libertatis, ſtandum eſt potius pro lege Dei, quàm pro propria libertate, & hoc, caſu quo dubium neceſſario ſolvendum eſſet. Nàm re ipſa ſtandum eſt ſemper pro veritate, & ideò vbi illa non apparet, ſuſpendendum eſt iudicium, ne incurratur falſitas, vt infra dicam.

67 Obijcies quintò: dùm eſt dubium in materia iuſtitiæ, àn res aliqua ſit mea propria, vel non, eſt etiam dubium in tribunali conſcientiæ, àn tenear reſtituere illam, vel non, àn ſit mihi licitum illam retinere, vel illicitum; & tamen hoc dubium tunc ſolvitur per poſſeſsionem, quià ex eo ipſo quod poſsideo illam rem, iudico me non teneri ad reſtitutionem in dubio circa proprietatem: ergò etiam in tribunali conſcientiæ ſolvitur dubium per privilegium poſſeſsionis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſi detur dubium circa poſſeſsionem, concedo maiorem: ſi poſſeſsio ſit certa, nego maiorem: quià dùm poſſeſsio eſt certa, & dubitatur de proprietate, in tribunali conſcientiæ nullum eſt dubium àn teneatur, vel non teneatur reſtituere, ſed potius conſcientia eſt ſecura, quod nondùm tenetur reſtituere. Si vero poſſeſsio ſit dubia, vel dubiæ fidei, tunc fateor, quod in tribunali conſcientiæ erit dubium àn teneatur reſtituere, vel non; ſed hoc dubium in illo caſu non poteſt ſolvi per poſſeſsionem, cùm ſit de poſſeſsione ipſa, quæ dubia manet. Solvi tamen poſſet per ipſam poſſeſsionem, ſi tandem poſſeſsio appareret iuſta, & legitima; eo enim ipſo iàm ceſſaret dubium conſcientiæ de obligatione ad reſtituendum, & ſolveretur per poſſeſsionem: non quidem per poſſeſsionem libertatis ab obligatione, cùm dubium conſcientiæ ſit formaliſsime de huius libertatis poſſeſsione; ſed per poſſeſsionem fundi, vel rei, qua ſemel certificata alijs rationibus, ceſſaret dubium conſcientiæ, quod tãtum fundabatur in dubio circa poſſeſsionem rei, vel fundi. Quod autem negamus in præſenti eſt, quod in tribunali conſcientiæ ſolvatur dubium de licito, vel illicito per poſſeſsionem libertatis abſque omni alia ratione; quià videlicet tunc caſus poſſeſsio libertatis dubia eſt, & de qua dubitatur in conſcientia: & quià nemo, dùm eſt dubius de poſſeſsione libertatis, poteſt ſolverè dubium pro parte affirmativa ex motivo poſſeſsionis, dicendo: *Poſsideo, quià poſsideo.* De hac enim poſſeſsione libertatis ab obligatione eſt dubium, & conſequenter reſpondere cùm illa, & illam vltimo reddere pro ratione eſt petere principium, & reſpondere idem per idem, idemque per idem probare, dùm de ipſo eſt quæſtio. Neceſſum ergò eſt quærere rationem aliam diſtinctam ab ipſa poſſeſsione libertatis, vi cuius ipſa poſſeſsio probetur, & ſolvantur rationes contra ipſam, vt dubium de ipſa pro ipſa ſolvatur.

68 Sed dices: in tribunali iuſtitiæ qui poſsidet non tenetur reddere rationem ſuæ poſſeſsionis diſtinctam ab ipſa, ſed poteſt dicere poſsideo, quià poſsideo: ergò pariter in tribunali conſcientiæ de poſſeſsione libertatis. Diſtinguo antecedens: ſi dubium ſit de poſſeſsione ipſa, & ipſa non ſit evidens, & certa, nego antecedens: ſi poſſeſsio ſit evidens, & certa, concedo antecedens,

dens, & nego consequentiam propter oppositam rationem: quia dum dubitatur in tribunali conscientiæ de licito, vel illicito, possessio libertatis ab obligatione non est evidens, & per se nota, nec certa, sed positivè dubia; & consequenter per illam non potest solvi dubium, nec nisi imprudentissime responderi, *possideo, quia possideo*, licet ità responderi possit, quando possessio est evidens, & per se nota. Ex quo patet qualiter solvi possit dubium conscientiæ de possessione libertatis ab obligatione restituendi per possessionem fundi certam in materia iustitiæ; quia cùm hæc sit possessio distincta ab illa, potest quàm optimè esse ratio probativa illius; & interroganti quare possides libertatem ab obligatione restituendi fundum, rectè quis respondere potest, quia in dubio de proprietate fundi possideo fundum, quia hoc pacto vna possessio certa redditur pro ratione alterius antecedenter dubiæ. Attamen ipsam possessionem libertatis, de qua est formalissimè dubium in tribunali conscientiæ, reddere prò ratione, dicendo: *Possideo libertatem quia possio libertatem*, quid est omninò alienum à ratione.

69 Denique objicies: in materia religionis, si quis dubitat àn emiserit votum dandi Ecclesiæ fundum, vel pecuniam, re ipsa certus est de possessione talis fundi, vel pecuniæ, licet non sit certus de possessione libertatis ab obligatione voti: ergò in tali casu solvi poterit dubium conscientiæ de possessione libertatis per possessionem fundi. Confirmatur: qui dubius est àn promiserit Petro librum, in materia fidelitatis dubitat àn teneatur librum dare in dubio promissum; certus tamen est de possessione præsenti talis libri: ergò etiam in hoc casu solvi poterit dubium in alia materia, quàm in materia iustitiæ, scilicet in materia religionis, & fidelitatis, per possessionem certam de præsenti: ergò falsum est, illam regulam, *in dubijs melior est conditio possidentis* solùm tenere in materia iustitiæ.

70 Respondeo, hos, & similes casus nihil probare contra nostrum assumptum, quod solum tendit ad negandum, quod dubium conscientiæ solvi possit per possessionem libertatis, & quod privilegium possessionis possit applicari possessioni libertatis; quia hæc in dubio conscientiæ semper est dubia. Admissis autem prædictis casibus, dubium per possessionem libertatis dubiam non solvitur, sed per possessionem certam alterius rei, de qua non est dubium. Veruntamen dico, in primo casu, quod si dubium est negativum, ità vt nullam gravem rationem habeat prò emissione voti, sed vel nullam, vel levem, deponere debet dubium, vtpote sinè gravi fundamento formatum, & consequenter imprudens. Si tamen dubium sit positivum, gravi aliquo fundamento innixum pro emissione voti, cùm obligatio religionis ex suo genere sit ad Deum, & sit periculum proximum violandi promissionem Deo factam, si res non reddatur Ecclesiæ; tenetur rem Ecclesiæ reddere, vel in totum, vel in partem, quia non potest se exponere periculo proximo violandi promissionem Deo factam propter non amittendam possessionem rei temporalis, eo quod in tali casu Deus, vt obiectum religionis, habet ius dubium ad illam rem, & similiter possidens habet ius dubium ad illam retinendam: & homo ex duplici periculo violandi ius proprium, vel violandi ius divinum, debet eligere potius periculum violandi ius proprium, quàm periculum violandi ius divinum, quia tenetur plus æstimare ius divinum, quàm proprium. Quàm sententiam tenent plures AA. quos citat Ioann. à S. Thom. 1. 2. quæst. 18. disput. 12. fol. mihi 746. etiam independenter ab hac ratione à me proposita, licet multò plures sint pro opposita, qui tamen hanc rationem non considerant, nec solvunt.

71 Ad confirmationem aliter respondeo, quod quanvis dubium sit positivum de obligatione fidelitatis dandi librum, cùm talis obligatio sit ad proximum æqualis æstimationis, quem non debet magis amare, quàm se, est similis, & minor, quàm obligatio iustitiæ. Vndè dato quod in promissione dubia proximus fundet ius dubium, vt sibi detur librum, & possidens etiam habeat ius dubium illum retinendi, melior est conditio possidentis relate ad proximum, quia non tenetur incurrere periculum violandi ius proprium, aut amittendi rem propriam propter vitandum periculum violandi ius proximi, cùm possit plus æstimare ius proprium, quàm ius proximi, & ad contrarium non teneatur.

72 Infero primo ex dictis: *Minime solvi posse dubium conscientiæ præcisè per diligentiam factam debitam inquirendi veram legem; etiam, si post talem diligentiam non apparuerit certo lex, dummodo maneat vera & gravis ratio dubitandi pro lege.* Id asseruerunt contra plerosque Probabilistas, qui cùm Terillo quæst. 23. num 27. ex sufficiente diligentia facta pro invenienda lege, & non inventa, inferunt, dubium esse sol-

vendum pro non lege, ſivè pro libertate hoc modo: *Obligatio non ſupponitur, ſed probatur: ſed hæc obligatio poſt omnem induſtriam probari non potuit: ergò non debet præſumi, ſed præſumendum eſt quod nulla detur.* Aliter: *Si lex aliqua actionem hanc prohiberet, illa poſt debitam diligentiam patuiſſet; at poſt omnem induſtriam non patet, quià ſemper manet incerta: ergò nulla lex prohibet hanc actionem.* Contra hos igitur prædictum aſſertum ſtatuo. Reſpondeoque ad primum ſyllogiſmum, diſtinguendo minorem: poſt omnem induſtriam probari non potuit plene rationibus aſſentiendi illi, concedo minorem: probari non potuit ſemiplene rationibus prudenter dubitandi, nego minorem, & conſequentiam quoad ſecundam partem. Quià cùm, facta diligentia, adhuc maneant rationes dubitandi in ſuo robore, & ſolutæ non maneant, nec ſolvantur præcisè per non inventionem certam legis; ſolum dici poteſt, quod lex probari non potuit plene rationibus moventibus ad aſſenſum; nõ autem quod probari non potuit ſemiplene rationibus moventibus ad dubiũ. Hoc autem ſuppoſito, cùr potius præſumendum eſt, talem legem non adeſſe, quàm adeſſe, quandòquidem adeſt æqualis ratio, vel maior pro eo quod adſit, quàm pro eo quod deſit, & ratio æquè inſoluta manet, vel magis inſoluta, quàm oppoſita.

72 Similitèr ad ſecundum ſyllogiſmum, nego maiorem: quià licet ſit verum, quod ſi lex aliqua talem actionem prohiberet, poſt debitam diligentiam appareret aliqua ratio pro illa, aliquod vè veſtigium illius, tamen falſum eſt quod debeat apparere ipſa patenter, & apparere evidentèr. Et dato caſu, quod quandò facta debita diligentia, nulla apparet ratio, nullum que veſtigium probabile legis, poſsimus prudentèr præſumere talem legem non dari; tamen dùm apparet ratio, & veſtigium probabile legis, quod facit æque, vel magis veroſimile legem adeſſe, quàm non adeſſe, fatua erit præſumptio, quod lex non ſit. Imò ad hominem inſto hoc ſyllogiſmo: ſi nulla adeſſet lex prohibens hanc actionem, nulla adeſſet ratio gravis momenti pro illa, nec veſtigium probabile illius, cùm id quod nunquàm fuit, nullum ſui veſtigium relinquere poſsit, difficileque admodum pro ſe poſsit habere rationem probabilem, & gravis momenti; ſed facta diligentia apparet veſtigium, & ratio probabilis legis prohibentis: ergò præſumendum quod talis lex adſit. Compara igitur maiorem huius ſyllogiſmi cùm maiori à Terillo aſſumpta, & vide, àn verior, vel ſaltèm æque vera ſit. Diſcurſus autem eſt eiuſdem formę: conſequenſque contrarium conſequenti ab ipſo illato.

74 Vnde non ſatis percipio, quid profit facta diligentia ad ſolvendum dubium, ſi ſemel per illam diligentiam non fuit ſoluta ratio dubitandi, nec debilitata, ſed manet æque gravis momenti, àc erat antea. Si antea, quià erat gravis momenti cogebat dubitare, cùr, ſi facta diligentia, etiam manet ratio gravis momenti, non inducet ad dubitandum? Et quidem ſi ego ſcirem, quod facta diligentia nulla vera lex poſſet mihi latere, nec manere dubia, ſed quod omnis mihi manifeſtanda foret, aut ſi de hoc haberem prudentem præſumptionem; rectè præſumerè poſſem: *Sed facta diligentia hæc lex mihi latet, aut mihi dubia eſt: ergò non datur.* Attamen contrarium potius certum eſt, quià adhuc facta diligentia, plurimæ leges dubiæ manent: id teſtantur innumeræ opiniones contradicentes contra leges, & obligationes, quibus innumeræ leges, & obligationes poſt exactiſsimam diligentiam tantorum Theologorum dubiæ manent, adeò, vt plures iàm ſint obligationes dubiæ, quàm certæ, etiam poſt exactam diligentiam: ergò falſum eſt, quod poſt exactam diligentiam nulla vera lex poſsit latere, aut dubia manere, ſed potius verum eſt oppoſitum, quod ſcilicèt plurimæ obligationes, & leges poſt exactam diligentiam dubiæ manent: ergò hæc eſt ineptiſsima conſequentia: *Poſt exactam diligentiam hæc lex mihi dubia eſt: ergò non datur.*

75 Et quidem ſi hæc conſequentia probabilis ſaltem eſſet, poſſet quis probabilitèr affirmare nullam legem intèr Authores dubiam dari; & vno ictu omnes opiniones pro lege, & obligatione interimere hoc diſcurſu: nulla lex, quæ poſt exactam diligentiam apparet dubia, re ipſa datur; ſed omnis obligatio, de qua controvertitur intèr Theologos, poſt exactam diligentiam, dubia manet: ergò nulla obligatio, de qua contravertitur intèr Anthores, re ipſa datur. Sed ſi re ipſa nulla ex his obligationibus datur, omnis opinio pro lege falſa eſt: ergò falſa eſt omnis opinio Theologorum pro lege, de quà diſputatur intèr ipſos. Hoc autem quis non videat abſurdiſsimum eſſe? Sed de hoc iàm ſupra quæſt. 17. num. 9. & forſan infra quæſt. 28. n. 383.

76 Infero ſecundò: *Male etiam ſolvi dubia conſcientiæ pro libertate ex eo præcisè quod materia, de qua dubitatur àn ſit præcepta, ſit difficilis & ardua, aut incommoda.* Patet, nàm lex Dei plura præcipit difficilima, ardua & incommoda naturæ noſtræ, vt infra latius videbimus, quæſt. 29.

à num. 33. ergò iſta conſequentia eſt ineptа, & nulla: *Hæc materia, de qua dubitatur àn ſit præcepta, difficilis eſt: ergò non eſt præcepta, ſed libertati relicta*: ergò per difficultatem materiæ ineptè ſolvitur dubium prò libertate. Explicatur: nequit ſolvi dubium prò libertate titulo difficultatis, niſi ex hoc principio: *Res arduæ àc difficiles non præcipiuntur*: ſed hoc principium nec verùm, imò nec probabile eſt, ſed potiùs eſt evidenter falſum inter Chatolicos, quibus videmus ardua & difficilia præcipi ſenſui repugnantia, conſuetudini adverſa, & carni contraria: & aliàs ex principio improbabili & falſo male ſolvitur dubium conſcientiæ: ergò.

77 Sed dices, prædictam regulam ſaltèm tenere in legibus Eccleſiæ, quæ Matèr eſt & benigna, & raro præcipit difficilia. Sed contra eſt, quià etiàm Deus Pater eſt viſcera miſericordiæ habens; & tamèn præcipit ſæpè difficilia: ergò ineptè infers ex eo quod Eccleſia ſit Mater & benigna, quod non præcipiat difficilia. Et quidem certiſsimum eſt virtutem & perfectionem non niſi per difficilia obtineri; cùr ergò ſi Eccleſia, vti Mater benigna, nos promovere conatur ad virtutem, non præcipiet difficilia? Ineptè igitur aliqui generalitèr ſolvunt dubia conſcientiæ ſolo titulo difficultatis materiæ. Nec per hoc, nego in aliquibus caſibus difficultatem, aut incommodum grave eſſe poſſe titulum ſolvendi dubium: at, talem difficultatem aut incommodum eſſe regulam generalem abnuo.

78 Infero tertiò: *Nec Æpikeiam eſſe regulam generalem ſolvendi dubium conſcientiæ prò libertate.* Eſt contra aliquos, qui in omni dubio conſcientiæ, præſumendum eſſe, inquiunt, Legiſlatorem nolle obligare. Sed quàm falſum hoc ſit infrà declarabimus quæſt. 28. à num. 415. vbi oſtendemus contra Terillum quàm falſa ſit iſta præſumptio. Infero denique, *ineptè etiam ſolvi dubium prò libertate, ex eo quod lex dubia non ſit ſufficienter promulgata.* Nàm, vt quæſtione citata dicemus contra Terillum num. 401. falſum eſt hoc principium multis ex capitibus, à quibus nunc ſuperſedeo.

79 Sed dices, quàm ergò regulam generalem aſsignamus nos prò ſolvendis dubijs? Reſpondeo non aliam, quàm ſtudium, & inquiſitionem veritatis modo infrà explicando quæſt. 32. Peccant enim valdè illi qui quærunt regulam ſolvendi dubia moralia, generalem prò omnibus dubijs, quæ in promptu ſit ad cuiuſlibet dubij deciſsionem. Non minus quàm ſi quis quæreret regulam generalè promptam prò ſolvendis quibuslibet dubijs Philoſophiæ aut Mathematicæ. Sicut enim hoc eſſet velle vnica regula fieri ex integro Philoſophum aut Mathematicum, quod fatuum foret, & riſu dignum, ità illud foret velle vnica regula fieri Theologum, & Philoſophum moralem, qui promptè poſſet omnia dubia circa mores decidere, quod non minus apparet ineptum.

QVÆSTIO. XXII.

Opinio quid ſit, & quid probabile?

1 POST Exactam de conſcientia erronea vincibili, & invincibili, itemque de conſcientia dubia diſputationem, debitus ordo nos provocat ad illam acerrimam inter Theologos controverſiam, qua nulla maior præſenti ſæculo agitatur, de conſcientia, nimirùm probabili, de qua integros prò vtraque parte libros dederunt RR. Quorum tamèn diſsidium ad vnum tantum articulum reduci videtur, àn ſcilicet ſequi liceat quamlibet opinionem, ſivè minus, ſivè magis probabilem ſua contradicente; vel àn id illicitum ſit, & contra rationis regulas. Quinam ex contradicentibus ceteris prævaleant examinandum ſuſcipimus, indequè patebit qualitèr rite formanda ſit conſcientia probabilis. Vt tamèn ordinate procedamus aliquas levioris momenti quæſtiones præmittendas exiſtimavi, in quarum prima inquirimus: quid ſit opinio, & quid probabile. Cui vt reſpondeam.

§. I.

Duo aſſerta ſtatuuntur.

2 DICO Primo: *Quod opinio eſt iudicium, quo intellectus aſſentitur determinatè vni parti contradictionis cùm formidine alterius:* Ità Div. Thom in præm. poſteriorum, & 2.2. quæſt. 1. art. 4. Et alibi ſæpè. Et patet, quià triplicitèr intellectus ſe habere poteſt circa aliquod obiectum; nimirùm, vel dubitando àn ſit, vel non ſit; vel ſuſpicando tantùm quod ſit, vel deniquè iudicando determinatè, quod ſit; ſed opinio nec eſt dubitatio, nec pura ſuſpicio: ergò eſt iudicium, quo determinatè aſſentitur intellectus vni parti contradictionis, iudicando determinatè, quod ſit. Deindè dupliciter poteſt intellectus aſſentiri determi-

minatè vni parti contradictionis ; nimirum, vel certè & firmiter abſque omni formidine, vel debiliter & cùm aliquali formidine ex parte oppoſita. Primò modo aſſentitur per evidentiam, aut per fidem divinam. Secundò per opinionem, & fidem humanam, quæ in præſenti pro eodem ſumitur, ac opinio: opinio ergò eſt iudicium, quo intellectus aſſentitur determinatè vni parti contradictionis cùm formidine alterius.

3 Dico ſecundò, quod probabile ſic rectè definitur: *Quod fere ſemper, aut plerumque ità contingit.* Ità expreſſe Philoſophus lib. 1. Rethoric. cap. 2. & lib. 1. Æthic. cap. 3. & alibi ſæpè, cui conſonat D. Thom. tum 2. 2. quæſt. 70. art. 2. vbi definit probabilem certitudinem, *Quæ vt in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat.* Tùm in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 5. in corp. vbi ſic ait: *Quædam autem ſunt cauſæ, ex quibus conſequuntur effectus, vt in maiori parte ; ſed tamen deficiunt in minori. Vnde in iſtis cauſis effectus futuri non habent certitudinem abſolutam, ſed quandam, inquantum ſunt magis determinatæ ad vnum, quàm ad aliud ; & ideò per iſtas cauſas poteſt accipi ſcientia coniecturalis de futuris, quæ tanto magis eſt incerta, quanto cauſæ ſunt magis determinatæ ad vnum.* Id ipſum aſſerit in 2. diſtinct. 4. quæſt. 2. art. 2. in corp. & diſtinct. 7. quæſt. 2. art. 2. in corp. & 1. part. quæſt. 86. art. 4. in corp. & alibi ſæpè, vbi futurum coniecturale, illud eſſe ait, quod vt in plurimum ità contingere ſolet, quanvis raro, vel in minori parte deficiat ; ſed probabile addit maiorem aliquem gradum certitudinis, quàm coniecturale, & in alio non diſtingitur : ergò probabile vt ſic ex D. Thom. & Philoſop. rectè definitur, quod plerumque ità contingit, licet raro, vel in paucis deficere poſsit.

4 Hinc infero motivum probabile rectè definiri : *Quod plerumque veritatem infert, & raro fallit.* Quod ſic probatur: quià ſic ſe habet motivum aſſentiendi alicui concluſioni obſcuræ, ſicut cauſa alicuius futuri ad affirmandum, quod ità erit; ſed quandò cauſa ità eſt connexa cùm eventu futuro, vt plerumque ex illa ſequatur talis eventus, tunc eſt motivum probabile ad iudicandum, quod ille eventus ità erit : ergò tunc etiam aliquod motivum erit verè probabile ad aſſentiendum alicui concluſioni, quandò plerumque talem concluſionem, ſeu veritatem infert, & raro fallit. Minor eſt D. Thom. & conſequentia patet à paritate.

5 Explicatur: triplicitèr enim poteſt conſiderari aliquod motivum in ordine ad aliquam concluſionem, nimirùm, vel ità vt cùm tali concluſione omninò neceſſario connectatur, vel ità vt nullo modo cùm illa connectatur, ſed omninò indifferenter ſe habeat ad illam, vel denique ità vt cùm illa connectatur; non quidem connexione omninò infruſtrabili, ſed quæ aliquandò fruſtrari, & fallere poſsit. Sane in primò caſu ità connectitur, vt tali motivo poſito, concluſio ità ſemper eveniat. In ſecundò caſu ità ſe habet, vt eo poſito, vtrumque contradictionis extremum æque frequenter contingere poſsit, attenta indifferentia motivi. In tertiò verò caſu ità connectitur, vt concluſio plerumque ità ſequatur, licet cùm aliquali contingentia, ità vt aliquandò deficere poſsit.

6 Nunc ſic argumentor : motivum probabile non eſt quod omninò neceſſario connectitur cùm concluſione, quià illud eſt motivum evidens, & infallibile; deindè nec eſt quod omninò indifferenter ſe habet ad concluſionem, & ad eius oppoſitam: ità vt æquè frequenter vtraque pars contradictionis contingere poſsit : ergò motivum probabile eſt, quod connectitur tertiò modo cùm concluſione, hoc eſt, ità vt plerumque illam inferat, licet aliquandò fallere, & fruſtrari poſsit talis connexio. Minor, in quà ſola poteſt eſſe difficultas, probatur: quià motivum probabile alicuius concluſionis eſt illud, in quo, & ex quo talis concluſio determinatè cognoſci poteſt, licet cognitione probabili ; ſed in principio, aut motivo indifferenti ad talem concluſionem, & eius oppoſitam, & ex quo non plerumque, nec frequentius ſequitur talis concluſio, quàm eius oppoſita, minimè cognoſci poteſt determinatè talis concluſio, adhuc cognitione probabili, aut coniecturali: ergò motivum probabile non poteſt eſſe, quod ità indifferenter ſe habet ad concluſionem, quod æquè frequenter ex illo poſsit ſequi eius oppoſita.

7 Minor probatur primò ex D. Thom. in 2. diſtinct. 7. quæſt. 2. art. 2. in corp. & alijs locis ſupra citatis, vbi ait, quod effectus, qui in ſuis cauſis nullam habet determinationem ad eſſe potius, quàm ad non eſſe, ſed æquè frequenter, vel frequentius deficerè poſſunt, quàm evenire, nullo modo, adhuc coniecturalitèr, poſſunt in ſuis cauſis cognoſci. Secundò : quià ideò hoc eſt verum in futuris, quatenus ex cauſa ſic indifferentè nulla poteſt fieri conſequentia adhuc probabilis ad eventum potius quàm ad non eventum ; ſed ex motivo omninò indifferenti ad concluſionem, & eius oppoſitam nulla poteſt fieri conſequentia adhuc

hùc probabilis ad talem concluſionem, quandòquidem æquè frequentèr poteſt ſequi oppoſitam: ergò quandò principium, aut motivum eſt ità indifferens, minimè ex illo, adhuc probabilitèr, aut coniecturalitèr cognoſci poteſt talis concluſio præ eius oppoſita.

8 Hæc cùm ſatis per ſe evidentia ſint, de menteque expreſſa Philoſop. & D. Thom. reijciuntur à RR. probabiliſtis. Primò, quià aſſerunt, definitionem Philoſop. vniverſalitèr intellectam non verificari: nàm plures ſunt caſus ſingulares probabiles; & tamen de nullo caſu ſingulari verificatur definitio Philoſop. ſcilicet quod plerumque contingat, quià caſus ſingularis ſemel tantum, & vna vicè contingit: ergò. Quod in gratiam ipſorum vrgeri poteſt: nàm præſervatio B. Virginis ab originali eſt Theologis probabilis; & tamen dici non poteſt quod plerumque ità contingit: ergò.

9 Sed hæc obiectio levis eſt, & ex non intelligentia Philoſop. & D. Thom. procedit. Nàm ſenſus eorum non eſt quod idem eventus numero, aut idem ſingularis caſus, qui dicitur probabilis, plerumque contingat: ſed quod attento principio, cauſa, aut motivo, vi cuius talis caſus vel eventus dicitur probabilis, ità plerumque contingat quoties adeſt tale motivum. V.g. probabile eſt Mariam triſtari in morte Petri, non quià plerũque contingat ipſam Mariam triſtari in morte Petri, ſed quià plerumque fieri ſolet, quod vbicumque filius vnicus alicuius Matris moritur, ipſa triſtetur. Ex quo patet ad obiectionem: nàm licet nullus caſus ſingularis idem numero plerumque contingat, ſi tamen eſt probabilis ex vi alicuius motivi, verum debet eſſe, quod concurrente tali motivo, ità plerumque contingeret, & ſimilitèr eveniret in ſimilibus caſibus.

10 Ex quo etiam patet ad exemplum de præſervatione B. Virginis: nàm rogo à contrarijs, ex quo motivo eſt Theologis probabilis præſervatio B. V. Mariæ? Si dicant, quià eius filius eſt omnipotens, & potuit eam præſervarè, & alias eſt pius, ex quo ſequitur, illam voluiſſe honorare quantum potuit. Ego dicam, ità plerumque contingere, quià plerumque filij pij ſuas Matres honorant quantum poſſunt. Si vero dicant eſſe probabilem, quià illam vniformitèr credunt omnes Catholici pij, quià illam confirmant plures revelationes privatæ, necnon multorum SS. authoritas. Indè paritèr dicam, plerumque contingere quod ita ſit id quod fere omnium Catholicorum pia credit mens; quod revelationes privatæ teſtantur; quod plurium SS. confirmat authoritas: & in vniverſum de omni caſu ſingulari probabili ex aliquo motivo, verum debet eſſe quod concurrente tali motivo, non idem individualitèr caſus, ſed ſimilitèr, aut ità plerumque contingeret. Et hæc eſt ipſa mens Philoſop. & D. Thom.

11 Dicunt ſecundò Probabiliſtæ, quod licet prædicta definitio veriſsima ſit, inutilis tamen eſt ad cognoſcendum quænam ſit opinio probabilis, vel non, quià haud facile quiſque cognoſcere poterit, àn motivũ illius plerumque connectatur cùm veritate, quàm cùm falſitate. Sed etiam hæc obiectio nullius eſt momenti, quià ſi ſemel prædicta definitio veriſsima, & apertiſsima eſt, vt fatetur P. Terillus, cuius eſt iſta evaſio, quæſt. 2. aſſert. 4. num. 11. tunc ſolum erit difficile cognoſcere àn motivum opinionis plerumque inferat veritatem, quandò ſit difficile cognoſcere àn tale motivum ſit probabile: nàm definitum aliter cognoſci non poteſt, niſi per eius veriſsimam, & apertiſsimam definitionem. Et quidem, neſcio qualitèr ſciri poſsit aliquod motivum eſſe probabile, ſi ignoretur, àn plerumque inferat veritatem concluſionis potius quàm eius falſitatem: nàm qui hoc ignorat, neceſſario ignorare debet, àn probabilitèr inferat talem concluſionem, vt ex dictis, & ex dicendis patebit.

12 Sed dices: non poteſt cognoſci, àn aliquid plerumque contingat, niſi ex ſenſibili experientia de pluribus caſibus ſimilibus, in quibus ità plerumque acciderit; ſed hæc experientia in rara quæſtione morali datur: ergò raro ad ſolvendas quæſtiones morales invenietur medium probabile. Nego maiorem. Primò; quià non requiritur noſtra experientia, ſed ſufficit experientia antiquorum, ratione cuius in pleriſque ſcientijs, & artibus innumeras opiniones probabiles habemus: experientia autem prædeceſſorum noſtrorum, non adeò difficile invenietur. Secundò, quià nec experientia vlla ſemper requiritur, ſed ſufficit cognoſcere naturam alicuius motivi, & quod magis de ſe inclinat ad hanc partem, quàm ad oppoſitam, vt cognoſcamus plerumque cùm tali parte coniungendum eſſe. V.g. quanvis nullam haberemus experientiam de triſtitia Matrum in morte filiorum; tamen ex natura maternitatis, & ex amore connaturali, quo proſequuntur filios, facile quiſque conijcere poteſt plerumque futurum, vt Mater in morte filij triſtetur.

13 Dicunt tertiò: probabile eſt

Cæ-

Cœlum eſſe fluidum, & item Deum eligere Prædeſtinatos ante præviſa merita; & tamèn hoc plerumque non contingit, ità vt raro deficiat: ergò. His, & ſimilibus argumentis reſpondendum eſt, interrogando à contrarijs, ex quo motivo ſit hoc probabile? Si dicãt, quod eſt probabile Cœlum eſſe fluidum, quià videmus partes illius, ſcilicet ſtellas moveri, & Cœlum integrum non videmus moveri; tunc dicam ego, ideò eſſe probabile, quià plerumque contingit quod corpus, cuius partes videntur moveri, ipſius motu non viſo, ſit fluidum, & non ſolidum. Si item dicant, quod eſt probabilis electio ante præviſa merita, quià merita ſunt media ad conſequendam gloriam, & gloria eſt finis, & quià intendens non expectat prævisionem mediorum, ſed illam prævenit; tunc ego reſpondebo plerumque contingere, quod intendens finem, intendit illum ante prævisionem abſolutam mediorum, & ideo eſſe poſsibile Deum ante prævisionem abſolutam mediorum eligere quos vult ad gloriam. Vndè diſtinguo minorem: hoc plerumque non contingit, ſub ratione peculiari, & propria, tranſeat minor: ſub ratione vniverſali ſui motivi, vi cuius eſt probabile, nego minorem, & conſequentiam.

14 Dicunt quartò: Philoſophum in prædicta definitione ſolùm definiſſe probabile ſyllogiſticum aptum ad diſputationem probabilem formandam, non vero probabile morale ad doctrinam moris conducens: Sed contra eſt, quià eandem definitionem, quàm tradit 1. Rethoricorum, & lib. 2 Priorum, vbi agebatur de Dialectica diſputatione, eandem tradit 1. Ethic. c. 3. vbi ſermones inſtituit de doctrina morali: ergò iuxta Philoſoph. non eſt aliud probabile Dialecticum, aut ſyllogiſticum, quàm probabile pertinens ad doctrinam moralem. Secundo: quià etiam mens humana format dictamen morale per ſyllogiſmum practicum ex principijs doctrinæ moralis, ad ſingulares concluſiones procedendo: ergò ſi Philoſoph. in prędicta definitione definivit probabile ſyllogiſticum, paritèr definivit probabile conducens ad formandum dictamen morale, ſeu probabile conſcientiæ pertinens ad doctrinã morale.

15 Denique obijcit Terillus loco citato: ſæpè vtraque pars contradictionis eſt ſimul probabilis; at impoſsibile eſt vtramque contradictionis partem plerumque contingere, alias pars affirmativa frequentius contingeret, quàm negativa; & rurſus negativa frequentius, quàm affirmativa: non ergò requiritur ad probabilitatem, quod fere ſemper motiva attingant veritatem. Sed hoc argumentum expreſſe militat contra definitionem traditam à D. Th. 2. 2. loco citato. Ad illudque infra reſpondebimus, negando vtramque partem contradictionis poſſe eſſe ſimul probabilem abſolutè, & ſimpliciter.

16 Interim tamèn notare licet inconvenientia, quæ ſequuntur, ſi definitio Probabilis ab Ariſt. & Div. Thom. tradita reijciatur. In primis enim ſequitur, quod in prima Probabilis notione, & definitione ab Antiquis Philoſophis diſsideamus: nihil autem periculoſius in controverſijs ſcholaſticis eſſe poteſt. Nàm exinde ſequitur ſecundo, quod vnuſquiſque de ſuo cerebro novam velit cudere definitionem, & nullus cùm alio conveniat in prima notione, & definitione rei, de qua diſputatur, vt evenit contrarijs in præſenti. Nàm vnuſquiſque pro ſuo nutu alitèr, & alitèr definit probabile, vt videre licet apud Terillum de conſcientia probabili q. 2. qui plures refert, & impugnat definitiones, & poſtea aliam, ſtatim à nobis impugnandam, adſtruit. Exinde ſequetur tertio, quod vnuſquiſque diſtincto, vt ſic dicam, loquatur idiomate, & nemo alterum intelligere poſsit, ſed veluti Babilonicæ turris ædificatores mutuo æquivocentur, & confundantur, dùm vnuſquiſque loquetur de diſtincto probabili; & quanvis vox videatur vna, conceptus tamèn in mente cuiuſque correſpondens erit diverſus. Quod quidẽ in præſenti concertatione, quę Baſsis eſt totius Theologię moralis, valdè periculoſum eſt.

§. II.

Alijs duobus aſſertis abſolvitur quæſtio.

17 VNDE Dico tertiò: *Motivum probabile nequit rectè definiri per prudentiam aſſentientis.* Hoc aſſertum ſtatuo contra pleroſque Probabiliſtas, quibus commune eſt definire motivum probabile: *Cui prudentes aſſentiuntur præſtant*, vel: *Cui aliquis prudentèr aſſentitur*, ſive, vt loquitur Terillus loco citato, *Cui, ſi quis aſſentiatur, tanquam prudens merito laudari poſsit.* Ceterum inquiro à prædictis AA. quis eſt prudens in aſſentiendo alicui, aut laudari poteſt tanquam prudens in prędicto aſſenſu? Sanè aliud omninò reſpondere nequeunt, niſi quod omnes reſpondent, nimirùm, eum eſſe prudentem in aſſentiendo, qui aſſentitur ex motivo gravi, & verè probabili: nàm aſſentiri prudentèr, & non temere, alitèr melius definiri non poteſt, quàm per aſſentiri ex motivo gravi, & verè probabili: ergò dùm vlterius definiunt motivum gra-

ve,& verè probabile,dicendo, eſt illud, cui ſi quis aſſentitur,tanquam prudens merito laudari poteſt, & non reprehendi vt temerarius, committunt manifeſtum circulum in definiendo; explicando nimirùm motivum grave, & probabile per prudentiam aſſentientis, cùm aliàs prudentia aſſentientis aliter definiri nequeat, niſi per motivum grave,& vere probabile.

18 Confirmatur: nàm in præſenti tractatu ad hoc definitur motivum vere probabile, vt per illud poſtea quiſque poſsit cognoſcere in moralibus, & diſcernere prudenté aſſenſum à temerario: ergò prius debet definiri motivum vere probabile independenter à prudentia, vel temeritate aſſentientis, vt ex illo præcognito diſcernere valeamus quiſnam prudenter, & quiſnam temere aſſentitur. Vrgetur: regula diſcernendi aſſenſum prudentem opinativum ab imprudente eſt motivum talis aſſenſus; vt quando motivum eſt vere probabile, aſſenſus ſit vere prudens,& quando motivum non eſt vere probabile, aſſenſus dicatur imprudens:ergò implicat quod regula diſcernendi motivum probabile ab improbabili ſit aſſenſus prudens, vel imprudens præſtitus à tali motivo. Conſequentia patet: nàm implicat quod idem reſpectu eiuſdem ſit regula ipſius, & regulatum ab ipſo. Tunc ſic, ſed ſi motivum vere probabile definiri debet per prudentiam aſſentientis,manifeſtè ſequitur, quod prudentia aſſentientis ſit regula diſcernendi motivum probabile, ſiquidem per illam definitur, & diſtinguitur à motivo improbabili, & item motivum probabile eſt regula diſcernendi aſſenſum prudentem ab imprudenti: ergò ex prædicta definitione motivi probabilis manifeſtè incurritur circulus vitioſus.

19 Sed, ni fallor, ideò conantur aliqui RR. Probabiliſtæ explicare eſſentiam probabilis per prudentiam aſſentientis, vt vix vlli opinioni negari poſsit vera probabilitas. Suſpicionem hanc indè confirmo: nàm iuxta prædictam definitionem negari non poteſt de vlla opinione eſſe vere probabilem, niſi negando Authorem eius fuiſſe prudentem in aſſenſu illius, aſſerendoque fuiſſe imprudentem, & temerarium; cum autem valdè odioſum ſit diſputare de prudentia, & temeritate AA. eamque negare ſit eis iniurioſum, àc proindè nemò audeat Authorem vllum notare imprudentiæ, vel temeritatis; indè planè ſequetur nulli opinioni cuiuſvis Authoris negari poſſe veram probabilitatem: àc proindè homines per ſpatioſam viam tot laxarum opinionum tuto vivere poterunt, & ad vitam pervenire æternam, contra ſententiam expreſſam Salvatoris.

30 Dico quartò:probabilitas, alia eſt ab authoritate dicentium, alia à ratione probante. Prima vocatur probabilitas extrinſeca,& authentica.Secunda intrinſeca, & rationalis. Primam rectè definivit Ariſt.1.Topic.cap.1.his verbis: *Probabilia ſunt quæ videntur omnibus, vel pleriſque, vel ſapientibus,atque his,vel omnibus, vel pleriſque, vel maxime notis.* Ex qua definitione ſequentes regulas elicio. Prima: id quod iudicatur verùm ab omnibus, vel ſaltèm à pleriſque eſt authenticè probabile. Secunda:id quod iudicatur verùm à ſapientibus, ſi tale iudicetur ab omnibus,eſt etiam probabile ab authoritate. Tertia: idem dicendum, ſi verùm exiſtimetur à pleriſque ſapientibus. Quarta: nec non, ſi non à pleriſque, ſed tamèn à præſtantioribus & maximè notis exiſtimetur tale. Quinta: illud quod videtur verùm paucis ſapientibus, ſi non ſint ex maxime notis, non ex indè evadit probabile authentice,ſi ceteri in æquali, vel ſuperiori numero contradicant.

21 Huius definitionis ratio eſt in promptu, quià plerumque contingit ità eſſe quod omnibus tale videtur, raro enim omnes circa idem falluntur, & ſimiliter plerumque ità eſt quod ab omnibus ſapientibus, vel à pleriſque, vel maxime notis tale iudicatur, quià raro contingit omnes ſapientes circa idem falli; & item pleroſque, aut maximè notos circa idem errare; ſed probabile eſt quod plerumque ità contingit: ergò probabile ab authoritate eſt, quod ità videtur omnibus,vel ſapientibus,&c.

22 Probabile rationale,ſeu ab intrinſeco ex mente Philoſophi ſic definiri debet: *Quod,attentis rationibus, quibus nititur,plerumque ità contingit.* Sed inſtant contrarij exindè ſequi, duas opiniones contradictorias nunquam eſſe ſimul probabiles, quod tanquam abſurdum in præſenti materia reprobant. Sed quid circa hoc dicendum ſit, explicat quæſtio ſequens.

QVÆSTIO. XXIII.

An vtraque pars contradictionis poſsit eſſe ſimul probabilis, & qualiter.

1 DICO Quod non loquimur de probabilitate impropriè, & latè ſumpta prò immunitate

tate à nota, vel cenſura eccleſiaſtica, qua ratione omnis opinio cuiuſvis Authoris, aut Doctoris ab Eccleſia non proſcripta nec ab vllo tribunali damnata, dicitur probabilis: nàm in hac lata acceptione non dubitamus vtramque partem contradictionis poſſe eſſe ſimul probabilem, hoc eſt, immunem à cenſura; ſed loquimur de probabilitate ſtrictè, & propriè accepta iuxta definitionem Philoſop. & Div. Th. prout importat connexionem cùm veritate vt in plurimum. Sit ergò.

§. I.

Duplici concluſione noſtra ſententia ſtabilitur.

2 PRIMO Dico: *Vtraque pars contradictionis poteſt eſſe ſimul probabilis reſpectu diverſorum intellectuum.* Primo, quià poteſt vnus intellectus habere motiva, quibus abſolutè fiat ei probabilis pars negativa. Exemp. grat. vnus intellectus poteſt ſcire Mariam eſſe Matrem Petri, & indè inferre probabilitèr Mariam diligere Petrum, quià plerumque Matres diligunt filios ſuos: & alius intellectus hoc neſciens, poteſt ſcire Mariam gravitèr fuiſſe iniuriatam à Petro, & indè probabilitèr inferre Mariam odio habere Petrum, quià plerumque mulieres odio habent iniuriantes ſe; ſed in hoc caſu pars affirmativa eſſet abſolutè probabilis primo intellectui, & negativa ſecundo: ergò. Secundo, quià pars affirmativa poteſt approbari ab vno intellectu per aſſenſum & pars negativa ab alio per diſſenſum, vt experientia ipſa videmus; ſed magis apparet difficile partem negativam, & affirmativam ſimul approbari, quàm ſimul eſſe probabilem: ergò pars affirmativa, & negativa poſſunt eſſe ſimul probabiles reſpectu duorum intellectuum, ſicut à duobus intellectibus approbari poſſunt ſimul, affirmativa ab vno, & ab alio negativa.

3 Secundò dico: *Vtraque pars contradictionis poteſt eſſe ſimul probabilis reſpectu eiuſdem intellectus, vtraque, aut altera ex illis ſecundum quid, conditionate, aut remote, non vero vtraque ſimpliciter abſolutè, & proximè.* Explicatur: nàm tunc ſimul eſſet probabilis vtraque pars contradictionis reſpectu eiuſdem intellectus, quando intellectus actu conſiderat rationes, & motiva probabilia pro vtraque parte; ſed tunc caſus vnaquæque, aut altera ex illis ſolùm eſt probabilis ſecundum quid conditionate, & remote, non vero ſimpliciter abſolutè, & proximè: ergò. Minor probatur: nàm tunc caſus vnaquæque, aut altera ex illis ſolùm eſt probabilis attento ſuo motivo præcisè, & quantum eſt ex parte illius, non vero attentis omnibus motivis, & rationibus concurrentibus in illo intellectu; ſed hoc eſt eſſe probabilem ſecundum quid conditionate, & remote, non vero ſimpliciter abſolutè, & proximè: ergò. Maior probatur primo ab exemplo: nàm intellectus, qui cognoſcit Mariam eſſe Matrem Petri, & rurſus fuiſſe gravitèr iniuriatam ab ipſo, etſi attento præcisè primo motivo, ſcilicet quod ſit eius Mater, ſit ei probabile Mariam diligere Petrum, eo quod ratio Matris quantum eſt ex ſe in dilectionem filiorum inclinat; tamèn attendenti ſimul rationem Matris, & rationem mulieris iniuriatæ à Petro ex vtroque motivo ſimul ſumpto, & collato ad invicem, non manet iàm probabile Mariam diligere Petrum: ergò.

4 Secundò à ratione: quià in eo ſenſu aliquid eſt probabile reſpectu intellectus, in quo poteſt intellectus facere conſequentiam probabilem ad illud; ſed in prædicto caſu intellectus, attentis omnibus motivis pro parte affirmativa, & negativa, non poteſt ex illis facere conſequentiam probabilem ad partem affirmativam, quià minimè probabilis eſt iſtà conſequentia: *Dantur motiva, & rationes æquè probabiles prò vtraque parte contradictionis: ergò pars affirmativa vera eſt.* Nullus enim cordatus ità diſcurreret: ergò, attentis omnibus motivis prò vtraque parte, non eſt probabilis pars affirmativa. Idemque argumentum poteſt fieri de parte negativa.

5 Deinde probatur, quod eſſe probabile præcisè, quantum eſt ex parte vnius motivi, ſit eſſe probabile ſecundum quid conditionatè, & remote: nàm in primis probabile tantum ex vno motivo, alio contradicente, eſt probabile præcisè ſecundum vnam rationem, ſeu ſecundum aliquid, non vero omnibus penſatis; ſed hoc eſt eſſe probabile ſecundum quid: ergò. Deindè ità eſt probabile, quod ſi non obeſſet motivum prò parte oppoſita æquale, vel maius, ex vi ſui motivi eſſet abſolutè probabile, abſoluteque probaretur, ſed propter motivum in contra impeditur probabilitas ex proprio motivo; ſed hoc eſt eſſe tantum conditionatè probabile: ergò. Denique ità eſt probabilis in prædicto caſu pars affirmativa, quod ex vi proprij motivi non poſsit intellectus proximè moveri ad aſſenſum, niſi deficientè motivo oppoſito pro parte negativa impediente energiam, & efficaciam motivi pro parte affirmativa. Vndè vt intellectus poſsit moveri proximè, & expedite ad aſſenſum, debet expectare abſentiam motivi oppoſiti; ſed hoc ipſo pars illa affir-

mativa solùm remotè manet probabilis: ergò.

6 Explicatur in exemplo relato de Matre iniuriata à filio: nàm tunc solùm est probabile eam diligere filium secundum quid, id est, secundum præcisam rationem matris; item solùm est probabile conditionate, ità videlicet, quod ex tali principio rectè probaretur, si non adesset in oppositum ratio mulieris iniuriatæ; minimè autem potest dici probabile absolutè, & simplicitèr. Nàm si accipiatur Maria, v. g. non præcisè sub ratione Mariæ, [illegible] ta simul ratione mulieris iniuriatæ à filio, qualitèr debet accipi ad probabilitatem absolutè, & simplicitèr talem, non est probabile Mariam diligere Petrum, quià probabile non est matrem gravitèr iniuriatam à filio diligere filium.

7 Ex quo iàm secundò probatur assertum: nàm licet vtraque pars contradictionis posset esse credibilis secundum quid, conditionate, & remote, non tamèn simplicitèr, absolutè, & proximè: ergò licet vtraque pars contradictionis possit esse probabilis simul primo modo, non tamèn secundo modo. Consequentia patet primò à paritate. Secundò, quià credibilitas humana, de qua loquimur, aliud non est, quàm probabilitas authentica, sive, ab authoritate: ergò eo modo præcisè, quo vtraque pars contradictionis potest simul esse credibilis, potest esse simul probabilis. Deindè probatur antecedens, quià casu quo duo testes stent pro parte affirmativa, & alij duo eiusdem authoritatis pro negativa, quælibet pars, attentis suis testibus, est credibilis secundum quid, conditionate, & remote; quatenùs si alij non contradicerent, pars illa absolutè, & proximè maneret credibilis ex testimonio illorum duorum testium. Ceterùm absolutè, simplicitèr, & proximè neutra pars maneret credibilis. Vndè imprudentèr omnino quisque assentiret parti affirmativæ, v. g. ergò. Disparitatem, quàm contrarij adhibere conantur, infra retundemus.

§. II.

Prosequitur assumpti probatio.

8 TERTIO Probatur assumptum: quià illa est opinio simplicitèr, & absolutè probabilis respectu alicuius intellectus, quæ, omnibus attentis tali intellectui notis, apparet absolutè vera; sed implicat vtramque partem contradictionis eidem intellectui, attentis omnibus sibi notis, simul apparere veram: ergò implicat vtramque partem contradictionis respectu eiusdem intellectus simul esse probabilem absolutè, & simplicitèr. Maior ex terminis est nota, quià probabile idem est, àc verisimile, seu apparens verùm. Minor etiam est evidens, quià nulli intellectui potest simul apparere absolutè, & simplicitèr verùm, quod eadem res sit, & non sit in sensu contradictorio: nàm cuicumque intellectui evidens est non posse simul esse idem, & non esse.

9 Dices, quod licet ex vnico motivo non possit simul apparere vera vtraque pars contradictionis, tamèn simul potest eidem intellectui pars affirmativa apparere vera ex vno motivo, & pars negativa etiam apparere vera ex alio motivo: àc proinde non repugnat vtramque partem contradictionis simul ex diversis motivis apparere veràm. Sed contra est primo, quià quod pars affirmativa, attento præcisè vno motivo, quantum est ex parte illius, appareat vera, non est illam absolutè, & simplicitèr apparere veram, sed tantum secundum quid, vt probatum, explicatumque manet: ergò.

10 Contra secundò: quià vt vtraque pars contradictionis sit simul probabilis simplicitèr eidem intellectui, debet ille intellectus actu considerare motiva prò vtraque parte; sed intellectui actu consideranti, & attendēti motiva prò vtraque parte contradictionis, non potest vtraque absolutè apparere vera, vnaquęque ex suo motivo: ergò. Probo minorem: nàm vt in tali concursu motivorum pars affirmativa appareat absolutè vera, debet apparere vera non obstante motivo in contra, id est, apparientia vincentè, & contemnentè motivum in contra. Rursusque, vt appareat absolutè vera pars negativa, debet apparere vera, non obstante motivo in contra pro affirmativa, id est, apparientia vincente, & contemnente motivum in contra; sed apertè implicat, quod intellectui actu attendenti motiva prò vtraque parte contradictionis, vtraque appareat vera non obstante motivo in contra, apparientia vincente, & contemnente motivum in contra, quià aliàs daretur simul duplex apparientia in eodem intellectu, vtraque simul vincens, & victa, contemnens & contēpta, quod est pulchra chimera: ergò.

11 Contra tertiò, quià vt vtraque pars sit simul absolutè probabilis, non sufficit, quod vnaquæque appareat conditionate vera, nec quod vtraque appareat disiunctim, & vage vera, hoc est, vna, vel altera: nàm mihi apparet stellas esse pares, si non sunt impares, aut esse pa-

res,

res, vel impares disiunctim; & neutrum eſt mihi probabile: ergò requiritur quod vtraque pars absolutè, & determinate appareat vera; ſed implicat quod vtraque pars contradictionis, attento ſimul vtriuſque motivo, ſimul absolutè, & determinate appareat vera: ergò implicat quod vtraque ſimul ſit absolutè probabilis. Minor probatur, quià intellectui apparet evidenter impoſsibile vtramque partem contradictionis eſſe ſimul veram: ergò intellectui nequit ſimul apparere absolutè & determinate vera vtraque pars contradictionis.

12 Reſpondent contrarij, regugnare quidem, quod intellectui appareat vera ſimul vtraque pars contradictionis; at non repugnare quod vtraque ſimul appareat vera, quià repugnat apparientia ſimultatis, non tamèn repugnat ſimultas apparientiæ: ſicuti repugnat poſſe eſſe veram ſimul vtramque partem contradictionis, at non repugnat vtrãque ſimul poſſe eſſe veram; quià repugnat poſsibilitas ſimultatis, at non repugnat ſimultas poſsibilitatis. Sed contra eſt, quià licet poſsit dari ſimultas apparientiæ conditionate, aut disiunctivè repræſentantis veritatem in vtroque extremo contradictionis, quin detur apparientia ſimultaneæ veritatis in vtroque, tamen repugnat ſimultas apparientię absolutè, & determinatè repræſentantis veritatem in vtroque extremo, quin ſit apparientia ſimultaneæ veritatis in vtroque extremo: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur: nàm ſi absolutè, & determinatè apparet vera pars affirmativa pro inſtanti *A*, & ſimul eidem intellectui absolutè, & determinatè apparet vera pars negativa pro eodem inſtanti *A*: ergò ſimul absolutè, & determinatè apparet vera pars affirmativa, & negativa, vtraque pro eodem inſtanti: ergò non ſolùm vtraque ſimul apparet, ſed apparet vtraque ſimul vera. Vrgetur: non eſt medium, vel ex vi vtriuſque ſimultaneæ apparientiæ, vtraque pars contradictionis apparet disiunctim, & vage vera, vel vtraque ſimul vera. Si hoc ſecundum: ergò apparet vtraque ſimul vera: ergò datur apparientia ſimultatis. Quod iuxta ipſos contrarios omninò repugnat. Si primum non ſufficit ad absolutam probabilitatem cuiuslibet partis determinatè. Nàm vt vna pars contradictionis ſit absolutè probabilis non ſufficit quod appareat vera disiunctim, & vage ipſa, vel ſua oppoſita, aliàs, vt dixi, eſſet absolutè probabile ſtellas eſſe pares; ſed requiritur quod illa appareat absolutè, & determinatè vera: ergò vel ſequitur apparientia ſimultatis veritatis in vtraque parte contradictionis, vel non poteſt vtraque pars contradictionis eſſe absolutè probabilis.

13 Ex quo patet diſparitas ad exemplum de poſsibilitate ſimultatis, & de ſimultate poſsibilitatis. Ideò enim poteſt dari ſimultas poſsibilitatis ad vtrumque extremum contradictionis, quę non ſit poſsibilitas ſimultatis; quià illa ſimultanea poſsibilitas reſpicit disiunctim, & vage, & cùm indifferentia ad vtramque partem contradictionis, eſt enim poſsibilitas indifferens ad vtramque contradictionis extremum vage, & disiunctim. Attamen probabilitas abſoluta vnius partis contradictionis, non reſpicit ipſam cùm indifferentia, & vaguitate ad oppoſitam, nec eſt apparientia veritatis vage, & disiunctim in vna, vel altera, ſed reſpicit determinatè, & absolutè, ſinè indifferentia, & vaguitate illam partem per connexionem determinatam cùm illa vt in plurimum, eſtque apparientia veritatis absolutè, & determinate in illa parte præ alia; ſed licet poſsit dari habitudo ſimultanea reſpiciens cùm indifferentia, & vaguitate vtramque partem contradictionis, quin reſpiciat vtramque ſimul, tamèn dari non poteſt duplex habitudo ſimultanea reſpiciens absolutè, & determinate cùm connexione, & abſque indifferentia vtramque partem contradictionis, quin reſpiciat vtramque ſimul: ergo licet poſsit dari ſimultas probabilitatis, tamèn dari nequit ſimultas abſolutæ probabilitatis de vtraque parte contradictionis, quæ non ſit probabilitas ſimultatis.

14 Ex quo patet ad ſequens argumentum, in quo magnam patiuntur æquivocationem contrarij: quod ſic proponunt: non repugnat ſimultas poſsibilitatis reſpectu vtriuſque partis contradictionis, quæ non ſit poſsibilitas ſimultatis: ergò non repugnat ſimultas abſolutæ probabilitatis reſpectu vtriuſque partis contradictionis, quæ non ſit probabilitas ſimultatis. Patet inquam, vel negando conſequentiã propter diſparitatẽ aſsignatam, vel diſtinguendo antecedens: non repugnat ſimultas probabilitatis, &c. ſi vtraque poſsibilitas ſit connexa determinate, & absolutè cùm ſua parte contradictionis vt plerumque contingenti, nego antecedens, quià repugnat ſimul dari poſsibilitatem absolutè, & determinate connexam cùm vtraque parte contradictionis vt plerumque contingenti, niſi ſit poſsibilitas ad vtramque parrtem contradictionis ſimul. Si loquamur depoſsibilitate indifferenti ad vtramque partem vage, concedo antecedens, & nego conſequentiam: quià probabilitas abſoluta non reſpicit partem pro-

babilem cùm indifferentia ad illam, vel ad oppoſitam, ſed determinatè dicit connexionem cùm illa parte vt in plurimum contingenti. Implicat autem connexio huiuſmodi cùm vtraque parte contradictionis ſimul.

15 Confirmatur: licet poſsit dari in eodem ſubiecto poſsibilitas abſoluta ad vtrumque contradictionis extremum, nullus tamèn admiſit ſimul in eodem ſubiecto exigentiam, debitum, neceſsitatem, aut ius abſolutum ad vtramque partem contradictionis: nàm argueret exigentiam, debitum, neceſsitatem aut ius ad ſimultatem. Quare hoc? Quia poſsibilitas dicit indifferentiam, & vaguitatem; exigentia vero, debitum, & ius dicit aliqualem connexionem; ſed paritèr probabilitas non dicit ſolam indifferentiam, vt ſit, vel non ſit pars, quæ dicitur probabilis, ſed dicit connexionem aliquàm cùm eo quod vt in plurimum ſit pars, quæ dicitur probabilis: ergò ſi daretur ſimultanea probabilitas abſoluta vtriuſque contradictionis extremi, ſequeretur probabilitas ſimultatis, quamvis ex ſimultate abſolutæ poſsibilitatis non ſequatur poſsibilitas ſimultatis.

16 Itaque, ſi contrarij probabilitatem intelligant per modum cuiuſdam indifferentiæ ad veritatem, vel falſitatem abſque maiori connexione cùm veritate, quàm cùm falſitate, fateor quod vtraque pars contradictionis poterit eſſe ſimul probabilis, aut ſimul probabilitèr vera ſimultate probabilitatis, ſicut eſt ſimul poſsibilis, aut ſimul poſsibilitèr vera ſimultate poſsibilitatis. Attamen probabilitas abſolutè, & ſimpliciter talis non eſt pura indifferentia ad veritatem, vel falſitatem, ſed importat connexionem determinatam cùm veritate vt in plurimum, licet raro fruſtrabilem, & à veritate defectibilem: implicat autem apertè vtramque partem contradictionis eſſe ſimul abſolutè connexam cùm veritate vt in plurimum habenda, niſi ſequatur aliquando ſimultanea veritas in vtraque, vt per ſe patet, & ex argumento Terilli ſuprà facto q. 22. n. 15. ergò, ſi probabilitas intelligatur ſtrictè, & propriè, ſeu abſolutè, & ſimpliciter, implicat vtramque partem contradictionis eſſe ſimul probabilem, quin ſit probabilis ſimultas veritatis in vtroque extremo contradictionis.

17 Quarto probatur aſſumptum: quià implicat quod vtraque pars contradictionis, reſpectu eiuſdem intellectûs, ſit ſimpliciter veroſimilis: ergò & quod ſimul illi ſit ſimpliciter probabilis. Antecedens probatur, quià quantum vna pars contradictionis eſt veroſimilis, tantum alia eſt falsò ſimilis: nàm cùm veritas vnius contradictorij ſit falſitas alterius, quantum vna eſt ſimilis vero, ſeu apparet vera, tantum alia apparet falſa; vndè quantum mihi apparet verum *dari prædeterminationem*, tantum mihi apparet falſum *eam non dari*; ſed implicat quod eadem pars contradictionis ſimul abſolutè, & ſimpliciter ſit veroſimilis, & abſolutè, & ſimpliciter falſoſimilis: ergò implicat, quod vtraque ſit ſimul abſolutè, & ſimpliciter veroſimilis. Minor probatur, quià quantum aliquid eſt falſoſimile, tantum eſt vero diſſimile, quià ſimilitudo cùm falſo, eſt diſſimilitudo cùm vero, ſicut ſimilitudo cùm tenebris eſt diſſimilitudo cùm luce; ſed implicat eandem partem contradictionis eſſe abſolutè, & ſimpliciter veroſimilem, & abſolutè, & ſimpliciter verò diſſimilem, licet poſsit eſſe ſecundum quid vtrumque, vel ſimpliciter veroſimilis, & ſecundum quid vero diſimilis: ergò implicat eandem partem contradictionis eſſe ſimpliciter veroſimilem: & ſimpliciter falſo ſimilem.

18 Denique probari poteſt aſſumptum argumento Terilli ſuprà facto quæſt. præced. n. 15. deductoque ex definitione Philoſop. quo quidem evidentiſsime probatur, vtramque partem contradictionis non poſſe eſſe ſimul probabilem abſolutè, & ſimpliciter.

36 Sed dices forsàn, etiam probari quod non poſsit eſſe ſimul probabilis ſecundum quid, aut attento ſuo peculiari vtriuſque motivo. Nego ſequelam, quià ſtat optime vtramque partem contradictionis ſub diſtincta ratione, & motivo conſideratam plerumque contingere: nàm ſi in exemplo ſuprà appoſito Maria conſideraretur ſub ratione Matris Petri, ſub tali ratione plerumque contingit in ſimilibus, Matres diligere filios, quàm eos non diligere: ſi vero conſideretur ſub ratione mulieris iniuriatæ à Petro plerumque in ſimilibus contingit altera pars contradictionis, quià plerumque mulieres iniuriatæ non amant, ſed potius odio proſequuntur iniuriantes ſe: abſolutè tamèn, & ſimpliciter, id eſt, omnibus rationibus & motivis attentis non poteſt vtraque pars eſſe ſimul probabilis, quià implicat quod omnibus penſatis abſolutè plerumque contingat pars affirmativa, quàm negativa, & turſus plerumque contingat pars negativa, quã affirmativa. Vndè ſi Maria cõſideretur ſub ratione matris, & ſimul ſub ratione mulieris iniuriatę à Petro-

tro, non poteſt dici quod plerumque in ſimilibus contingat pars affirmativa, quià non plerumque contingit Matres à filijs iniuriatas diligere filios.

§. III.

Solvuntur argumenta.

20 SED Contra obijcies: nàm ſtantibus motivis pro parte affirmativa gravibus, & probabilibus, ſi nullum ſtet motivum pro parte negativa, pars affirmativa evadit abſolute, & ſimplicitèr probabilis; ſed etiam ſi poſtea adveniant motiva etiam gravia, & probabilia pro parte negativa, quibus fiat probabilis pars negativa, nihil diminuitur de probabilitate partis affirmativæ: ergò adhuc poſtquam facta eſt probabilis pars negativa, maner abſolute, & ſimplicitèr probabilis pars affirmativa. Minor probatur, quià tota probabilitas partis affirmativæ conſiſtebat in gravitate, & efficacia motivorum pro ſua parte; ſed talia motiva remanent cùm eadem efficacia, & gravitate, ſiquidem remanent cùm eadem intrinſeca vi, quæ non diminuitur per extrinſecum acceſſum aliorum motivorum pro parte oppoſita: ergò.

21 Reſpondeo negando minorem. Ad eius probationem diſtinguo maiorem: tota probabilitas partis affirmativæ conſiſtebat in gravitate, & efficacia motivorum pro ſe, vt non impedita per efficaciam, & gravitatem motivorum in contra, concedo maiorem: in tali gravitate, & efficacia, ſivè impedita, ſivè non impedita, nego maiorem; & diſtinguo minorem: talia motiva manent cùm eadem gravitate, & efficacia, ſiquidem manent cùm eadem intrinſeca vi vt impedita, concedo: vt non impedita, nego minorem, & conſequentiam. Quià intrinſeca vis, & energia motivorum pro parte affirmativa impeditur quoad munus probandi, & ſuadendi per motiva oppoſita. Nec obſtat, quod non varientur illa motiva intrinſecè, quià ad hoc vt abſolute, & ſimplicitèr, ac proxime faciant probabilem hic & nunc partem affirmativam, non ſufficit vis intrinſeca illorum motivorum, ſivè impedita, ſivè non impedita, ſed vlterius requiritur quod non ſit impedita per motiva oppoſita maioris, vel æqualis gravitatis.

22 Quod pluribus exemplis ſuaderi poteſt. Etenim, ſi præexiſtentibus motivis pro parte affirmativa, quibus eſſet abſolute probabilis, ſuperveniret motivum evidens, ac infallibile pro parte negativa, quo talis pars negativa fieret evidens, omnes fatentur, etiam ipſi Probabiliſtæ, quod iàm amplius pars affirmativa non maneret abſolute, & ſimplicitèr probabilis; & tamen remanerent motiva pro ipſa intrinſecè invariata, & cùm eadem vi intrinſeca, licet impedita per motivum evidens in contra: ergò. Secundò, quià ſi duo teſtes conformes teſtificarent aliquod factum, vi talis teſtimonij maneret abſolute credibile tale factum: ſi tamen advenirent alij duo teſtes æqualis, vel maioris authoritatis pro parte negativa, iàm factum non maneret abſolute, & ſimplicitèr hic & nunc proximè credibile; & hoc licet maneret teſtimonium pro facto cùm eadem vi intrinſeca intrinſecè invariata, quià videlicet eius vis impedita manet per teſtimonium oppoſitum: ergò idem in noſtro caſu.

23 Obijcies ſecundò: opinio Thomiſtica de prædeterminatione, & opinio Ieſuitica illam negans ſunt contradictoriæ; & tamen vtraque eſt ſimplicitèr, & abſolute probabilis: ergò. Reſpondeo diſtinguendo minorem: vtraque eſt ſimul probabilis abſolute, & ſimplicitèr reſpectu eiuſdem intellectus, nego minorem: vna reſpectu vnius intellectus, ſcilicèt Thomiſtarum, & alia reſpectu alterius, ſcilicèt Ieſuitarum, concedo, vel admitto minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu.

24 Sed dices primò: Thomiſtæ negare non poſſunt opinionem Ieſuiticam eſſe probabilem: ergò tenentur iudicare eam eſſe probabilem: ergò ipſis etiam eſt probabilis; ſed aliàs opinio affirmans dari prædeterminationem ipſis eſt probabilis: ergò eidem intellectui vtraque pars, vel opinio ſimul eſt probabilis. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non poſſunt negare talem opinionem eſſe probabilem probabilitate lata, & vulgari ſumpta pro immunitate à nota, & cenſura, concedo antecedens: probabilitate ſtricta, ſubdiſtinguo, non poſſunt negare eam eſſe probabilem ipſis Ieſuitis, quorum eſt opinio, concedo antecedens: non poſſunt negare eſſe ſibi proxime, & ſimplicitèr probabilem, nego antecedens, & cetera, quę ſequuntur, in eodem ſenſu. Quià aliud eſt cognoſcere, & iudicare aliquam opinionem eſſe probabilem; aliud talem opinionem eſſe probabilem ipſi iudicanti: ad primum enim ſufficit iudicare eam opinionem eſſe immunem à nota & cenſura, ſi ſermo ſit de probabilitate lata, vel ſi ſermo ſit de probabilitate ſtricta, de qua in præſenti, ſufficit iudicare

ſignatè eam opinionem eſſe probabilem reſpectu alterius intellectus, ſivè quod eius motiva habent vim perſuadendi alterum intellectum. Ad ſecundum verò hoc non ſufficit, ſed requiritur quod talis opinio abſolutè, & ſimpliciter, & omnibus inſpectis vera appareat iudicanti, ſivè quod eius motiva habeant vim aliundè nō impeditam ad perſuadendum iudicantem.

25 Thomiſtæ igitur debent fateri opinionem Ieſuiticam imprimis eſſe probabilem probabilitate lata & vulgari, hoc eſt, immunem à nota & cenſura. Et item Ieſuitis eſſe probabilē, & ab ipſis probabiliter conceptam: itemque motiva talis opinionis habere vim ad perſuadendum eorum intellectum: ipſiſque apparere abſolutè, & ſimpliciter veram: quià aliter viri doctiſsimi, ac veraciſsimi illam non tenerent. Nullus autem Thomiſta fateri tenetur hoc ipſum reſpectu proprij intellectus; vndè nullus vnquam dixit, nec dicet: *Probabile mihi eſt abſolutè, & ſimpliciter, & omnibus inſpectis non dari prædeterminationem: Mihi verùm apparet abſolutè, & ſimpliciter non dari prædeterminationem: Motiva contra prædeterminationem tantam habent vim, & energiam, vt hic & nunc ſufficiant movere, & ſuadere meum intellectum ad negandam illam.* Ad hoc enim affirmandum nullus poteſt obligari Thomiſta, cùm hoc ſit contra eorum manifeſtam, licet internam, experientiam, vt prò mea parte teſtificare poſſum. Et idem accipe dictum de opinione Thomiſtica reſpectu Ieſuitarum.

26 Sed vrgebis: fundamenta Ieſuitarum, quibus ipſis redditur ſua opinio abſolutè, & ſimpliciter probabilis, non latent Thomiſtas, ſed ab ipſis cognoſcuntur; ſed quià ipſi agnoſcunt talia motiva, ipſis eſt abſolutè, & ſimpliciter probabilis ſua opinio: ergò ſi nobis etiam talia motiva non latent, nobis debet eſſe abſolutè, & ſimpliciter probabilis ſua opinio. Diſtinguo maiorem: talia fundamenta cognoſcuntur à Thomiſtis diverſa luce, & ſecundùm diverſam diſpoſitionem intellectus, concedo maiorem: eadem luce, & ſecundùm eandem diſpoſitionem intellectus, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: quià ipſi cognoſcunt talia motiva tali luce, & ſecundùm talem diſpoſitionem particularem, concedo minorem: præcisè, quià talia motiva cognoſcūt, nego minorē, & conſequentiam; quià eadem motiva, quæ cognoſcunt Ieſuitæ, cognoſcuntur à Deo, & ab Angelo; & tamèn nullus dicet quod Deo eſt probabilis opinio Ieſuitica; ſed potiùs, vel ipſi eſt evidenter falſa, vt nos iudicamus, vel evidenter vera, vt ipſi dicent: quià videlicet diverſa luce, & ſecundùm diverſam diſpoſitionem, vt ſic dicam, ſui infiniti intellectus talia motiva cognoſcit. Sic igitur contingere poteſt quòd quanvis intellectus Thomiſtarum eadem motiva agnoſcat, quæ Ieſuitæ, tamen quià diverſa luce, diſpoſitione, & conſideratione cognoſcit, ideò vi illorum motivorū opinio Ieſuitica non fit abſolutè, & ſimpliciter probabilis Thomiſtis. Nàm ratione diverſæ lucis, & diſpoſitionis motiva, quæ Ieſuitis apparent ſolida, & gravia, poſſunt Thomiſtis apparere ſophiſtica, & levia, ſicut ratione diverſæ diſpoſitionis in oculis idem obiectū ſæpè vni apparet album, & alteri flavum.

27 Et quidèm hoc negari non poteſt, etiam ab ipſis contrarijs: nàm opinio Ieſuitica, non ſolùm eſt ſimpliciter, & abſolutè probabilis Ieſuitis, ſed etiam eſt ipſis probabilior, ex vi motivorum, quibus nititur: & tamen Thomiſtæ agnoſcunt talia motiva, quin proinde ex vi illorum opinio Ieſuitica ſit ipſis probabilior. Vndè igitur hoc reſultat? Sanè non aliundè, quàm ex diverſa luce, ex diverſa conſideratione, & ex diverſa diſpoſitione, qua vnus intellectus præ alio callet talia motiva: ergò vi huius diverſæ diſpoſitionis poteſt ſimiliter contingere, quòd opinio Ieſuitica abſolutè, & ſimpliciter ſit probabilis Ieſuitis, non tamen Thomiſtis, & vice verſa opinio Thomiſtica reſpectu Ieſuitarum.

28 Quod, ſi inquiras: in quo conſiſtat iſta diverſa lux, & diſpoſitio? Reſpondeo: ex pluribus capitibus provenire poſſe. Primò, ex diverſitate luminis naturalis, nàm cæteris paribus maius acumen, & perſpicacia ſolet agnoſcere melius gravitatem, aut levitatem motivorum; ſæpè enim intellectui tardo apparet aliquod fundamentum ſolidum, quod intellectui perſpicaci apparet ſophiſticum, vel leve. Secundò, ex affectu ad proprios Magiſtros: nàm vi illius voluntas applicat magis intellectum ad conſiderandas rationes ab eis traditas, quàm ab alijs; & exinde oriri ſolet quòd rationes proprio-rum Magiſtrorum appareant graviores, quàm rationes in contra. Tertiò: ex vi aſſuefactionis talia audiendi, ratione cuius intellectus ità ſolet affirmari in aliquo obiecto, vt nullum fundamentum, quantumvis ex ſe grave ſufficiat ad ſuadendum ei oppoſitum. Quartò, ex diverſa ordinatione ſpecierum, vi cuius ſolet etiam eidem intellectui apparere aliquod fundamentum efficax, & grave, quod tamen

poſteà

posteà, alitèr ordinatis speciebus, appareret debile, àc leve. Quintò, ex passionibus animi, quæ sæpè faciunt apparere verum, quod sine illis appareret falsum, & ècontrà. Ex his, & alijs solet componi diversa dispositio intellectus, vi cuius eadem fundamenta levia sunt respectu vnius intellectus, & gravia respectu alterius.

QVÆSTIO XXIV.

An idem intellectus posit simul existimare, aut opinari vtramque partem contradictionis veram?

§. I.

Nostra sententia probatur.

1 RESPONDEO Cum P. Mercoro, & alijs, *evidentèr repugnare, quod idem intellectus existimet, aut simul opinetur vtramque partem contradictionis veram.* Demonstratur: implicat eundem intellectum existimare, aut opinari id, quod sibi evidentèr est falsum, & impossibile; sed partem affirmativam esse veram, & simul esse veram partè negativam cuilibet intellectui est evidèter falsù, & impossibile, quià illud principium: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, omnibus est per se notum, àc evidentissimum: ergò implicat eundem intellectum simul existimare, aut opinari vtramque partem contradictionis vt veram.

Confirmatur: intellectus non potest simul existimare, aut opinari, quod simul non potest affirmare, aut enuntiare; sed nullus intellectus potest simul enuntiare vtramque partem contradictionis vt veram; quià nullus intellectus potest ità enuntiare: *Licitum est habere plures præbendas: non est licitum habere plures præbendas*: ergò nullus intellectus potest simul existimare vtramque partem contradictionis vt veram.

2 Rursus: eidem obiecto nequit intellectus simul assentire, & dissentire; simul illud affirmando, & negando, vt communitèr fatentur omnes Doctores; sed opinari vtramque partem contradictionis est assentire eidem obiecto, illud affirmando; & simul dissentire, illud negando: ergò repugnat, intellectum existimare, seu opinari simul vtramque partem contradictionis.

Denique nàm, vt expressè ait D. Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 3. ad 3. & alibi sæpissimè: opiniones contradictoriorum sunt contrariæ in eodem intellectu; idque etiam fatetur expressè Arist. lib. Perierm. circa fin. sed contraria simul repugnant in eodem subiecto: ergò opiniones contradictoriorum repugnant simul in eodem intellectu: ergò evidentèr repugnat, intellectum simul opinari vtramque partem contradictionis.

3 Quibus addo, quod si opposita sententia teneret, posset intellectus simul assentiri isti duplici propositioni vt veræ: *Physica prædeterminatio tollit libertatèm: Datur physica prædeterminatio.* Nàm vtraque est probabilis: ergò posset intellectus probabilitèr assentiri consequenti, indè evidenter illato, nimirùm: *Ergò non datur libertas.* Hoc autè quis non videat esse absurdum, cùm huiusmodi consequens sit hæreticum. Sequela autem probatur: nàm qui simul assentitur præmissis vt veris, ex quibus evidentèr infertur consequens, negare nequit consequens, sed tenetur assentiri consequenti vt vero; sed ex illis duabus præmissis evidentèr infertur non dari libertatem: ergò qui probabilitèr simul vtrique assentiretur vt veræ, cogeretur existimare, etiam probabilitèr vt verùm, non dari libertatem.

§. II.

Solvuntur obiecta.

4 HIS Non obstantibus P. Ferre t. 2. tract 6. à n. 170. contra P Mercorum tenet posse intellectum simul probabilitèr assentiri vtrique parti contradictionis, iudicando de vtraque esse veram. Et quidem non sinè ingenti mei intellectus admiratione. Iudico tamen Patrem Ferre insigni æquivocatione laborare. Sic suam conclusionem probat: contingere potest quod intellectus convictus sit circa veram, & propriam probabilitatem vtriusque partis contradictionis; si nimirùm prò qualibet inveniat rationes magni ponderis, quæ illam declarant, licet non veram, tamèn verosimilem: ergò in hoc casu, qui non est de raro contingentibus, poterit intellectus vtrique parti contradictionis assentiri probabilitèr, iudicando esse veram.

5 Respondeo in primis, distinguendo antecedens: potest contingere quod intellectus convictus sit circa veram, & propriam probabilitatem vtriusque partis contradictionis, iudicando vtramque esse probabilem respectivè ad diversos intellectus, concedo antecedens;

dens: reſpectivè ad eundem intellectum, ſubdiſtinguo: iudicando eſſe abſolutè, & ſimpliciter, & omnibus attentis vtramque ſimùl probabilem, nego antecedens: iudicando vtrãque ſecundum quid, & attento ſuo motivo præcisè, probabilem, concedo antecedens: & nego conſequentiam. Quæ ſolutio patet ex dictis: quià vt intellectus aſſentiatur alicui parti contradictionis, iudicando eſſe veram, nec ſufficit, quod convictus, iudicet eam partem eſſe alteri intellectui abſolutè, & ſimpliciter probabilem, nec quod iudicet eſſe ſibi probabilem ſecundum quid, & quantum eſt præcisè ex vno motivo, ſi contra illam habeat maius, vel æquale motivum; nàm ex hoc non declaratur vtraque pars abſolutè, & ſimpliciter probabilis, ſed potiùs declaratur experimentaliter vtraque pars abſolutè, & ſimpliciter dubitabilis, vt infra dicemus ex Div. Thom.

6 Secundò, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam: nàm ex antecedenti ſolum infertur intellectum poſſe iudicare vtramque partem eſſe probabilem, non autem poſſe iudicare probabiliter vtramque eſſe veram. Nàm valdè diverſum eſt iudicare aliquam propoſitionem eſſe probabilem, & iudicare probabiliter talem propoſitionem eſſe veram. Primum eſt iudicare prædicatum probabilitatis convenire propoſitioni. Secundum eſt iudicare prædicatum intrinſecum ipſius propoſitionis convenire ſubiecto eius; ſtat autem intellectum iudicare quod probabilitas convenit propoſitioni, quin proindè iudicet prædicatum propoſitionis convenire ſubiecto ipſius. Cuiuslibet enim Thomiſtæ intellectus iudicat huic propoſitioni, *Deus habet ſcientiam mediam*, convenire probabilitatem: nemo autem iudicat, adhuc opinativè, ſcientiam mediam convenire Deo. Hanc ſolutionem confirmat P. Mercorus ex Card. de Lug. diſp. 10. de fide ſec. 1. num 14. ſic aiente contra Coninc. *Æquivocationem patitur qui confundit hæc duo; credere concluſionem illam eſſe probabilem, & credere probabiliter illam: quæ ſunt valdè diverſa. Nàm qui tenent aliquam propoſitionem probabilem, concedunt ſimul contrariam eſſe probabilem, non tamèn credunt veram, etiam aſſenſu probabili, alioquin haberent aſſenſus duos probabiles de obiectis contradictorijs.*

7 Sed contra inſurgit P. Ferre, quià non repugnat per nos, intellectum iudicare probabiliter vnam partem contradictionis eſſe veram, & ſimul iudicare alteram eſſe verè probabilem; ſed eo ipſo quòd illam iudicet verè probabilem, licèt de facto non teneatur illi aſſentiri vt veræ, poteſt tamen, ſi vult, illi vt vere probabiliter aſſentiri: ergò licet de facto intellectus ſimul non debeat aſſentiri vtrique parti vt veræ, de poſsibili tamen non repugnat, quod ſimul aſſentiatur probabiliter vtrique vt veræ.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: poteſt tamen, ſi vult, probabiliter aſſentire illi vt veræ in ſenſu compoſito aſſenſus oppoſiti, nego minorem: in ſenſu diviſo, & excludendo aſſenſum oppoſitum, tranſeat minor, negoque conſequentiam. Inſtoque manifeſtè: nam poſtquam quiſque amat inimicum, v. g. benè cognoſcit eum eſſe odio proſequibilem, & cognoſcit ſe poſſe eum odio habere; & tamen ex hoc non ſequitur, quòd poſsit eum odio habere in ſenſu compoſito amoris ergà illum, ſivè quod poſsit eum ſimul amare, & odio habere, ſed tantùm ſequitur, quod poſsit eum odio habere, deponendo amorem, & in ſenſu diviſo amoris: ergò idem in noſtro caſu. Et quidèm, ſi voluntas, adhuc ex diverſis propoſitis motivis, non poteſt ſimul amare, & odio habere aliquod obiectum, vt communiter omnes fatentur; & hoc quànvis poſsit ſimul ei proponi tale obiectum, vt amabile ex vno motivo, & vt odio proſequibile ex alio: cùr poterit intellectus ſimul affirmare, & negare idem obiectum, licèt ex vno motivo proponatur vt affirmabile, & ex alio vt negabile?

8 Sed replicabis ex M. Ferre: nulla eſt contradictio in eo quòd intellectus ſimul aſſentiatur probabiliter vtrique parti contradictionis: ergò non ſolùm poteſt aſſentire vni in ſenſu diviſo alterius, ſed etiam in ſenſu compoſito. Antecedens probat: quià aſſentire probabiliter ſimul vtrique contradictorio, non eſt affirmare vtrumque eſſe verum in ſe, & abſolutè, ſed tantùm eſt affirmare vtrumque videri verum, attentis probationibus, quæ prò vtroque fiunt; ſed in hoc nulla eſt contradictio: ergò. Maiorem probat: nàm qui tantùm probabiliter adhæret vni parti contradictionis, non iudicat abſolutè illam partem eſſe veram, ſed tantùm iudicat eſſe veram, retinendo ſimul formidinem, & timorem de eius falſitate: non ergò poteſt abſolutè intrà ſe iudicare: *hoc eſt verum*, ſed ſolùm poteſt dicere abſolutè: *hoc eſt veroſimile*. Nàm vt docet D. Thom. 1. Æthic. cap. 2. probabile eſt, quod eſt ſimile vero. Confirmat primò: ſi per impoſſibile vtrumque contradictorium poſſet eſſe ſimul verum, vtrique poſſet intellectus aſſentire ſimul vt vero; ſed vtrumque contradictorium poteſt eſſe ſimul probabi-

babile: ergò vtrique poteſt intellectus ſimul aſſentiri vt probabili. Secundò: nàm non eſt contradictio, vbi non eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem; ſed in eo quod intellectus aſſentiatur vtrique parti contradictionis, non eſt affirmatio, & negatio, ſed vtrumque iudicium eſt affirmativum: ergò. Minorem probat: Nàm intellectum aſſentire vni contradictorio, non eſt abſolutè iudicare illud eſſe verum, ſed ſolùm illud apparere verum ex vi rationis, & authoritatis, qua probatur: & ſimilitèr aſſentiri alteri contradictorio præcisè eſt iudicare illud apparere verum ex vi ſuæ rationis, & authoritatis; ſed in his iudicijs non eſt affirmatio, & negatio, ſed vtrumque iudicium eſt affirmativum, licèt circà oppoſita obiecta: ergò.

9 Reſpondeo negando antecedens; ad eius probationem, nego maiorem; ad eius probationem, nego antecedens, & conſequentiam. Nàm qui probabilitèr ſtat pro vna parte contradictionis, & ei adhæret, non conditionatè, ſed abſolutè affirmat illam vt veram, vt videre eſt ipſa experientia in omnibus DD. qui poſtquàm examinant vtriuſque partis fundamenta, abſolutè, & reſolutoriè, iudicio deciſivo affirmant vnam, & negant aliam. Vndè opinio dicitur ſententia, quam intellectus profert per modum iudicis in quæſtione, & lite intellectuali; ſententia autem eſt iudicium abſolutum, & deciſivum pro vna parte, & negativum alterius. Nec obeſt quod opinio ſit iudicium de vna parte cum formidine alterius, quià formido, & timor de oppoſito non tollit quod iudicium ſit verè abſolutum, & non conditionatum; ſicut qui proponit de cetero non peccare cum formidine, & timore non adimplendi propoſitum propter propriam fragilitatem, non ideò tollitur quod tale propoſitum ſit verè abſolutum; aliàs enim timor offendendi Deum eſſet incompatibilis cum propoſito abſoluto peccandi; quod quis dicat?

10 Itidem falſum eſt, quod qui adhæret vni parti contradictionis, v. g. quod *licet pingere in die feſto*, non poſſit intra ſe dicere abſolutè *hoc verum eſt*. Si enim intrà ſe abſolutè dicit: *Licet pingere in die feſto*, profectò abſolutè exiſtimat hoc ità eſſe; ſed hoc ità eſſe eſt formaliſsimè verum eſſe: ergò abſolutè exiſtimat hoc verum eſſe: ergò poteſt abſolutè dicere intrà ſe, *hoc verum eſt*. Rurſus etiam fallitur, & æquivocatur M. Ferre in eo quod ait, ſolùm poſſe dicere abſolutè, *hoc eſt veroſimile*; nàm licet verum ſit, quod probabile idem eſt àc veroſimile, iuxta D. Thom. tamen falſum eſt quod ille, qui aſſentitur vni parti contradictionis, ſolùm poſsit dicere, hoc eſt probabile. Quod ſic demonſtro: nàm plùs poteſt abſolutè affirmare de parte affirmativa, qui illi aſſentitur, quàm qui illi diſſentitur; ſed qui illi diſſentitur abſolutè affirmat eam eſſe probabilem, & veroſimilem: ergò qui aſſentitur illi plùs affirmat abſolutè, quam eam eſſe probabilem: ergò affirmat abſolutè eam non ſolùm eſſe probabilem, ſed veram. Tota hæc doctrina conſtat ex D. Thom. in 6. Æthicorum, lect. octava, littera K. vbi ex mente Philoſophi ait: *Omne illud, de quo habetur opinio iam eſt determinatum quantum ad opinantem, licet non ſit determinatum quantum ad rei veritatem. Opinio enim non eſt inquiſitio, ſed quædam enuntiatio opinantis. Opinans enim dicit verum eſſe quod opinatur.*

11 Ex quo ad primam confirmationem conceſſa maiori, & omiſſa minori, diſtinguo conſequens: ergò vtrique poteſt aſſentiri vt probabili motivè, ſeu exercitè, nego conſequentiam: vt probabili terminativè, & ſignatè, tranſeat conſequens. Nàm aſſentiri vtrique parti contradictionis, vt probabili motivè, & exercitè, eſt aſſentiri vtrique, quià probabili, & modo probabili, ità vt probabilitas ſit motivum, & modus aſſentiendi, ſed non terminus ſignatè affirmatus per aſſenſum: quià licèt aſſenſus moveatur ex probabilitate, & aſſentiatur modo probabili, non tamen affirmat probabilitatem, *ſed eſſe licitum*, v. g. *pingere in die feſto*; in hoc autem ſenſu negamus intellectum poſſe ſimul aſſentiri vtrique parti contradictionis, vt probabili; quià motus ex probabilitate vtriuſque motivi nequit ſimul vtramque iudicare, ſeu enuntiare vt veram affirmando, v. g. *eſſe licitum, & non eſſe licitum pingere in die feſto*, aliàs enim, quià vtrumque eſt probabile, iudicaret vtrumque eſſe verum. Aſſentiri autem vtrique parti contradictionis vt probabili ſignatè, & terminativè, eſt aſſentiri iudicando vtramque partem eſſe probabilem, ſeu aſſentiri probabilitati vtriuſque; & in hoc ſenſu fatemur nullam eſſe contradictionem, quià hoc non eſt propriè aſſentiri vtrique parti contradictionis directè, & immediatè, ſed aſſentiri reflexè probabilitati vtriuſque, quod facere poteſt, & ſæpè facit, qui neutri parti aſſentitur, dubitans de vtraque.

12 Ex quo ad ſecundam nego minorem; ad cuius probationem, nego maiorem. Nam qui adhæret vni parti contradictionis, non præcisè affirmat illam

lam apparere veram ex vi rationis, & authoritatis, qua probatur, ſed motus ex vi talis rationis, & authoritatis abſolute iudicat, & exiſtimat illam eſſe veram. Quod mihi evidens apparet ex ipſa experientia. Nàm quandò vnus Doctor ſua opinione alteri contradicit, aliquid affirmat, quod negat alter, alias enim illi non contradiceret, vt ex terminis notum eſt; ſed alter non negat opinionem iſtius eſſe probabilem, nec negat eam apparere veram quantum ex parte authoritatis, & rationis, qua probatur, ſed præcisè negat veritatem illius, & eam impugnat: ergò iſte non ſolum affirmat eam opinionem eſſe probabilē, ſed etiam tenet, & affirmat eſſe veram. Vrgetur: quandò duo D.D. adhærent, vnus opinioni affirmativæ, alter opinioni negativę, inter illos DD. eſt manifeſta contradictio, evidenterque vnus alteri contradicit; ſed ſi intellectus adhæreret ſimul vtrique parti contradictionis, idem faceret ſolus, quod illi duo DD. ergò ſibi ipſi contradiceret: ergò intellectum adhærere ſimul vtrique parti contradictionis involvit manifeſtam, & experimentalem contradictionem intellectus ad ſe ipſum.

13 Vrgetur, ſupponendo caſum, in quo vterque Doctor conveniat in probabilitate vtriuſque partis contradictionis; nihilominus tamen litigat vnuſquiſque pro ſua, contra aliam, ſuæ aſſentitur, ſuæ adhæret, & quidem probabiliter, non evidenter: nàm fatetur contrariam eſſe probabilem, quod dicere non poſſet, ſi ſuam iudicaret evidentem: nàm evidentia vnius facit oppoſitam improbabilem; & tamen mutuo litigant, ſe impugnant, & contradicunt. In quo, interrogo? In probabilitate? Minimè: nàm conveniunt in eo quod vtraque ſit probabilis: ergò contradicunt ſe in veritate, & de ea eſt pugna, & contradictio: ergò vnus iudicat ſuam eſſe veram, & oppoſitam falſam, & alter ſimiliter: ergò qui adhæret probabiliter vni parti contradictionis, non præcisè iudicat eam eſſe probabilem; ſed abſolute, licet probabiliter, iudicat, & affirmat eam eſſe veram.

14 Replicabis denique: propoſitio probabilis non eſt abſoluta, ſed modalis; ſed propoſitio modalis non affirmat rem abſolute eſſe, ſed potius affirmat modum eſſendi, ſivè rem eſſe ſub modo: ergò propoſitio, ſeu affirmatio opinativa, & probabilis non affirmat rem abſolute eſſe, ſed potius affirmat modum eſſendi, ſivè rē eſſe ſub modo: ergò qui tantum affirmat probabiliter, *Eſſe licitum pingere in die feſto*, non affirmat abſolute eſſe licitum, ſed ſolum eſſe probabile quod eſt licitum, ſeu eſſe probabiliter licitum. Explicatur: quià iſta propoſitio, *Petrus poteſt currere*, eſt modalis de modo poſsibili, non affirmat abſolute Petrum currere, ſed ſolum Petrum currere poſsibiliter, ſeu eſſe poſsibile, quod Petrus currat; ſed opinio probabilis aſſerens, *Licitum eſſe pingere in die feſto*, eſt modalis de modo probabili, ſiquidem probabiliter affirmat: ergò non affirmat abſolute licitum eſſe, ſed ſolum quod probabiliter eſt licitum, ſeu eſſe probabile quod eſt licitum.

15 Hoc argumento, conatus eſt probare Caramuel omnem opinionem modalem ſuam, & cuiuſvis Doctoris eſſe modalem de modo probabili, & non abſolutam; & inde intulit nullam ex his opinionibus impugnari poſſe, niſi argumentis evidentibus, & demoſtrationibus, quibus earum probabilitas deſtrueretur, minimè vero argumentis probabilibus. Quia cùm tales opiniones ſolum ſint modales de modo probabili, contradici, aut impugnari nequeunt, niſi impugnando, aut contradicendo probabilitatem: hæc autem non contradicitur, nec impugnatur argumentis probabilibus in contra. Caramueli adhæſit Verde, & aliqui ex Probabiliſtis, ceteris ipſum impugnantibus. Et quidem ſi antecedens verum teneret, conſequentia rectè infertur. Nàm quià hæc propoſitio: *Petrus poteſt currere*, eſt modalis de modo poſsibili, nullus eam poterit contradicere, niſi impugnando poſsibilitatem curſus Petri: ergò ſi hæc opinio: *Licitum eſt pingere in die feſto*, eſſet modalis de modo probabili, nullus eam impugnare poſſet, niſi impugnando eius probabilitatem, idemque de qualibet alia opinione probabili; cumque impoſsibile ferè ſit impugnare probabilitatem propoſitionum moralium, imò nec illi contradicere, quià ad hoc ſunt neceſſaria argumenta evidentia, aut demonſtrativa, quæ plerumque deficiunt; & item nemo audet, quià iniurioſum eſt contrarias opiniones notare vt improbabiles; indè fiet, quod Probabiliſtæ in ſuis opinionibus inimpugnabiles erunt, & vt ſic dicam, incontradicibiles; adeò fortiſsimam, & inexpugnabilem cenſent aliqui arcem Probabiliſmi.

16 Sed certè iſti AA. evidentiſsimè falluntur, & contra propriam experientiam ipſorum luctantur. Nàm ipſemet Caramuel, Diana, Verde, alijque ſimiles non ſemel ſe ipſos impugnant, & contradicunt in ſuis opinionibus; & tamen non argumentis evidentibus demonſtrando improbabilitatem contrariæ opinionis, ſed con-

contrariam relinquendo in ſua probabilitate, vt ſæpè aiunt: ergò in opinionibus moralibus evidentiſsimè poteſt vnus Doctor alteri contradicere, & ſæpiſsimè contradicit, non impugnando argumentis evidentibus probabilitatem alterius, ſed directè impugnando argumentis probabilibus veritatem contrariæ opinionis.

17 Vndè ad vltimam replicam nego maiorem; & ad explicationem, nego minorem: & cùm ſubiungis, quod propoſitio probabilis probabiliter affirmat, concedo: nego tamen quod exindè ſequatur eam eſſe modalem. Pro cuius intelligentia noto, quod propoſitio aliqua non dicitur modalis contradiſtinctè ab abſoluta *de ineſſe*, ex modo intrinſeco tendendi ſe tenente ex parte actus, ſed ex modo ſignificato ex parte obiecti. Primum patet, quià aliàs nulla propoſitio mentalis eſſet abſoluta, ſed omnes modales, quià nulla eſt aſsignabilis, quæ non habeat ſuum modum tendendi ex parte actus, ſcilicet, vel evidenter, vel obſcure; vel negativè, vel affirmativè; vel ſcientificè, vel opinativè, & alijs innumeris modis, qui minimè faciunt propoſitionem eſſe modalem, & non abſolutam. Secundum etiam patet: quià ideò iſta propoſitio eſt modalis: *Petrus poſsibiliter eſt albus*, quià enuntiat modum poſsibilitatis ex parte obiecti. Et ſimiliter iſta: *Petrus neceſſario eſt homo*, quià affirmat modum neceſsitatis ex parte obiecti: ergò tunc aliqua propoſitio eſt modalis, quandò enuntiat modum ex parte obiecti. Vndè hæc propoſitio: *Pingere in die feſto eſt probabiliter licitum*, eſt modalis, quià attingit adverbialiter modum probabilitatis ex parte obiecti. Et ſimiliter iſta: *Probabile eſt eſſe licitum pingere in die feſto*, quià attingit talem modum verbaliter ex parte obiecti. At vero iſta: *Licitum eſt pingere in die feſto*, modalis non eſt, quanvis intrinſecè tendat modo probabili, & ex probabili motivo. Et quidem iſta: *Evidens eſt Petrum eſſe hominem*, eſt modalis, quià enuntiat modum evidentiæ ex parte obiecti. At iſta: *Petrus eſt homo*, quanvis hoc ipſum enuntiet, ac iudicet modo evidenti, non eſt modalis, quià modus evidentiæ ſolum ſe tenet ex parte actus. Idem igitur dicimus de modo probabilitatis, & opinionis.

18 Denique obijcies: duo contraria in gradibus remiſsis bene poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſimul; ſed licet duæ opiniones contradictoriæ ſint oppoſitæ, & contrariæ, ſunt tamen in gradibus remiſſis, dùm intellectus illis tantum probabiliter aſſentitur: ergò poſſunt compati ſimul in eodem intellectu. Minor patet: nàm qui aſſentitur probabiliter, non aſſentitur intenſe, & firmitèr, ſed tenuitèr, & remiſſe: ergò duo aſſenſus probabiles, licet ſint oppoſiti, ſunt tamen in gradibus remiſsis. Diſtinguo maiorem: quandò oppoſitio eſt eſſentialis, & obiectivè, aut illativè contradictoria, nego maiorem: quandò ſolum eſt accidentalis, aut gradualis, concedo maiorem, & omiſſa minori, nego conſequentiam: quià quandò oppoſitio aliquarum formarum eſt eſſentialis, aut illativè, vel obiectivè contradictoria, non dependet à gradibus intenſionis, & remiſsionis, ſed ex eſſentia formarum dicunt in compatibilitatem, vt gratia, & peccatum mortale; error, & veritas, odium & amor, affirmatio, & negatio eiuſdem. Ita igitur ſe habent duo aſſenſus contradicentes, ſeu contrariæ opiniones de eodem, quæ eſſentialem dicunt oppoſitionem, ſubiectivè quidem contrariam, at obiectivè contradictoriam, quià obiectivè ſe contradicunt, & ideò in nullo gradu compatiuntur.

QVÆSTIO. XXV.

An poſsit intellectus opinari practice, & in ſingulari contra propriam opinionem ſpeculativam, & vniverſalem?

1 QVANVIS Doctrina moralis ſit facultas ſimplicitèr practica, nihilominus in ipſa diſtinguimus cognitiones, aut regulas aliquo modo ſpeculativè practicas, & cognitiones totalitèr, ſeu practicè practicas. Cognitio ſpeculativè practica eſt quæ dictat in vniverſali, quid ſit agendum, quid ſit licitum, vel illicitum. V.g. opinio iſta: *Illicitum eſt pingere in quocumque die feſto*. Cognitio practicè practica eſt quę dictat in ſingulari hoc opus, vt hic, & nunc veſtitum omnibus circunſtantijs, eſſe licitum, vel illicitum: v.g. *Hic, & nunc omnibus penſatis licitum eſt mihi pingere in die feſto*. Cognitio prima non eſt regula vltima, & proxima operis, quià cognitiones, & opiniones vniverſales non regulant opus ſingulare, niſi vt contractæ, & applicatæ per cognitionem ſingularem. Cognitio autem ſingularis de opere hic, & nunc eſt proxima, vltima, & immediata regula operis.

2 Pro cuius intelligentia nota, quod intellectus practicus in nobis pariter diſcurrit, ſicut ſpeculativus. Vnde ſicut ſpeculativus ad deducendam concluſionem ſingularem, prius ſibi ſtatuit propoſitionem vniverſalem, quæ appellatur maior, & poſtea ſingularem, in quà contrahit

trahit medium vniverſale ad ſubiectum ſingulare, & hæc appellatur minor: ac denique concludit ſingulariter de eodem ſubiecto minoris prædicatum vniverſale maioris, v.g. dicendo: *Omnis homo eſt rationalis; ſed Petrus eſt homo: ergò Petrus eſt rationalis.* Ità pariformiter intellectus practicus ſyllogizat ad formandum dictamen particulare. Nàm prius ſtatuit ſibi regulam vniverſalem, v.g. *Licitum eſt cuilibet homini pingere in quocumque die feſto.* Et poſtea ſingularizat ſubiectum, vel dictum maioris, ſic: *Sed ego ſum homo, & hic, & nunc eſt dies feſtus.* Et indè deducit dictamen ſingulare: *Ergò hic, & nunc mihi licitum eſt pingere.* Huiuſmodi igitur concluſio eſt ſingularis, & practicè practica. Maior vero ſolum eſt opinio vniverſalis, & ſpeculativè practica. Dubitamus igitur, àn intellectus poſsit in ſingulari formare dictamen practicè practicum contra opinionem propriam ſpeculativè tantum practicam, & vniverſalem. V.g. àn poſsit iudicare in vniverſali non eſſe licitum pingere in die feſto; & tamen in ſingulari contra illud dictamen vniverſale dictare hic, & nunc in hoc die feſto, licitum eſt mihi pingere.

§. I.

Prima concluſio pro noſtra ſententia ſtatuitur.

3 RESPONDEO Cùm communi ſententia DD. primò: *Quod ſi in caſu ſingulari concurrat aliqua circunſtantia non prævisa in iudicio, & opinione vniverſali, poteſt intellectus in particulari, & practicè dictare oppoſitum eius, quod dictabat in vniverſali; licet hoc non ſit propriè contradicere iudicio vniverſali, & ſpeculativo.* Patet, quià dùm intellectus noſter iudicat vniverſaliter, & ſpeculativè de aliquo opere, plerumque non attendit omnes circunſtantias, quæ concurrere poſſunt in elicientia illius operis, ſed tantum conſiderat illud opus ex ſuo genere, vel attentis aliquibus circunſtantijs, quas prævidere poteſt in vniverſali; ſed poteſt contingere quod opus ex ſuo genere, vel etiam attentis aliquibus circunſtantijs, ſit licitum, & tamen quod in ſingulari adveniat aliqua circunſtantia, ratione cuius tale opus ſit illicitum hic, & nunc, vel ècontrà: ergò poteſt intellectus ſpeculativè, & in vniverſali iudicare de aliquo opere quod ſit licitum, & tamen practicè, & in ſingulari iudicare oppoſitum, ſcilicet, quod eſt illicitum, vel ècontrà. Exemplum eſt in promptu: intellectus dictat vniverſaliter eſſe illicitum facere opus ſervile in die feſto; attamen hic, & nunc non poteſt quis ſuſtentare ſe ipſum, nec propriam familiam, niſi faciendo opus ſervile in die feſto, quià vrget gravis neceſsitas; tunc ſane intellectus dictare poteſt in particulari hic, & nunc eſſe licitum opus ſervile in die feſto. Rurſus, opinatur quis in vniverſali eſſe licitum pingere in die feſto; at hic, & nunc ſi tale opus exercuerit ſequitur ſcandalum proximorum, vel propter contrariam opinionem, quàm habent, vel propter ignorantiam; tunc poteſt opinari hic, & nunc non eſſe licitum pingere in die feſto.

4 Nihilominus tamen dico, hoc non eſſe contradicere iudicio vniverſali, & ſpeculativo: quià iudicium vniverſale, & ſpeculativum ſolum dictabat opus illud ſecundum ſe, & in genere eſſe illicitum, & peccaminoſum; iudicium autem ſingulare, & practicum dictat tale opus, vt hic & nunc in caſu neceſsitatis, non eſſe peccatum; ſed hæc duo iudicia non ſe contradicunt, nec ſunt obiectivè contraria: ergò in tali caſu iudicium practicum, & particulare non contradicit propriè iudicio vniverſali, & ſpeculativo. Minor patet primò, quià rectè componitur opus aliquod ſecundum ſe, ex ſuoque genere eſſe illicitum, & tamen hic, & nunc ex aliqua circunſtantia reddi licitum; ſed hoc aſſerunt illa duo iudicia: ergò aſſerunt res interſe compoſsibiles: ergò vnus non contradicit alteri. Secundò, quià non ſunt eiuſdem de eodem: nàm iudicium vniverſale eſt de opere ſecundum ſe, & ex ſuo genere; iudicium vero particulare eſt de opere, vt veſtito omnibus circunſtantijs hic, & nunc concurrentibus; ſed iudicia, quæ non ſunt eiuſdem de eodem, non ſunt contradictoria, nec vnus contradicit alteri: ergò.

§. II.

Secunda concluſio pro noſtra ſententia.

5 DICO Secundò: *Si in caſu ſingulari non concurrit vlla circunſtantia, quæ non fuerit memorata in iudicio vniverſali, & ſpeculativo, ſed iudicium particulare procedat de eodem opere, & ſub eiſdem circunſtantijs omnino, de quo, & ſub quibus procedit iudicium vniverſale, & ſpeculativum, tunc non poteſt intellectus in particulari iudicare practicè contra iudicium ſpeculativum, & vniverſale.* Probatur, quià tunc intellectus ſibi ipſi apertè contradiceret, opinaretur que contradictoria ſimul; ſed hoc eſt impoſsibile, vt ex dubio præcedenti patet: ergò Sequela probatur: quià affirma-

firmare vniversalitèr de aliquo opere, vt sic circunstantiato, esse illicitum; & singularitèr, sivè in casu singulari negare de illo opere, vt eodem modo circunstantiato, esse illicitum, est affirmare vniversalitèr, & negare particularitèr idèm de eodem secundum idem; sed hæc est formalissima contradictio: ergò si intellectus vniversalitèr iudicaret de aliquo opere, vt sic circunstantiato, esse illicitum, & particularitèr negaret de tali opere, vt eodem modo circunstantiato, esse illicitum, manifestè sibi contradiceret, & opinaretur contradictoria simul.

6 Ex quo infero in confirmationem dubij præcedentis, nunquam intellectum posse simul opinari contradictoria, nec habere simul opiniones obiectivè contradictorias, seu de obiectis contradictorijs. Nàm licet aliquãdo possit practicè opinari, & in singulari contra iudicium speculativũ, hoc solum est quando concurrit in singulari aliqua circunstantia, vi cuius subiectum iudicij particularis est diversum à subiecto iudicij vniversalis, & consequenter tollitur contradictio obiectiva; si vero vtrumque iudicium sit de eodem subiecto, & sub eisdem circunstantijs, fatemur quod si vnum affirmaret, & alterum negaret, forent contradictoria. Sed negamus ità contingere posse.

7 Sed dices: etiam si iudicium vniversale & speculativum, & iudicium singulare & practicum sint eiusdem subiecti, & sub eisdem circunstantijs, potest primum esse affirmativum, & secundum negativum: ergò ruunt dicta. Antecedens probatur: nàm intellectus motus ex intrinseca ratione potest iudicare affirmativè opus aliquod in vniversali esse licitum sub his circunstantijs; & rursus simul in particulari motus ex exemplo, & authoritate virorum gravium, & timoratæ conscientiæ iudicare negativè non esse peccatum sub eisdem circunstantijs. V.g. (exemplificat P. Mercorus part. 2. art. 2.) est Clericus, qui putat esse de præcepto recitare matutinas ante celebrationem Missæ, hac ratione: quià videlicet huiusmodi preces se habent sicut dispositio præparatoria ab Ecclesia instituta pro huiusmodi sacrificio peragendo; excellentia enim, ac dignitas tanti mysterij non videtur antecedenter exigere minorem animi præparationem in divinis colloquijs. Et nulla alia ratione extrinseca ductus adhæret parti affirmativæ, quod, scilicet, est peccatum gravè omittere matutinas ante celebrationem Missæ. Suppono insuper quod pro parte negativa est exemplum, & authoritas virorum proborum curam habentium propriæ conscientiæ, qui aliquando etiam extra casum necessitatis celebrant ante recitationem nocturnorum, qui de hac re consulti dicunt non esse gravè peccatum hunc mutare ordinem. Sed in hoc casu Clericus potest opinari de affirmativa speculativè, & practicè de negativa: ergò intellectus motus ex ratione intrinseca potest opinari speculativè vnam partem contradictionis, & motus ab authoritate extrinseca aliam opinari practicè, licet sint eiusdem operis, attentis eisdem circunstantijs.

8 Sic videtur sentire P. Mercorus loco citato. Et indè ansam præbuit M. Ferre ad probandum contra ipsum posse intellectum simul existimare, & opinari vtramque partem contradictionis. Ipse tamen sufficienter se explicat dicens, quod intellectus, quandò opinatur speculativè de parte affirmativa, format iudicium præcisivum, scilicet attentis motivis, & rationibus intrinsecis ex parte obiecti. Cui ego addo, quod tale iudicium non est absolutum, sed conditionatum, quasi intellectus diceret: *Omittere matutinas ante celebrationem missæ, attentis præcisè motivis à ratione, videtur peccatum gravè, & si aliud non obstaret in contra, ità affirmarem absolute.* Quandò vero (prosequitur Merc.) intellectus considerat omnia motiva, tàm ab authoritate, quàm à ratione, & exemplo, tunc opinatur practicè, & absolute hic, & nunc non esse peccatum omittere matutinas ante celebrationem; quià ratio illa intrinseca levis est, & authoritas pro negativa est magni ponderis, & nimium præponderat, & inclinat intellectum, vt absolute opinetur contra vim rationis pro parte negativa: in quo casu iudicium particulare, & practicum absolutum non contradicit iudicio vniversali præcisivo, & conditionato; quià nulla est contradictio in eo quod attenta præcisè ratione intrinseca, videatur peccatum omittere matutinas ante celebrationem, & quod absolute, omnibus attentis motivis, tàm à ratione, quàm ab authoritate, non sit peccatum.

9 Vndè ad replicam factam distinguo antecedens: etiam si iudicium vniversale sit eiusdem subiecti, & sub eisdem circunstantijs, potest esse primum affirmativum, & secundum negativum eiusdem prædicati absolutè sumpti, nego antecedens: diversi prædicati absolutè sumpti, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis ex doctrina tradita dico, quod iudicium illud præcisivum, & conditionatum, quo intellectus

lectus motus à ratione intrinseca iudicat de omissione nocturnorum, non affirmat idem prædicatum absolutè sumptum, quod negat iudicium particulare: quia iudicium illud solum affirmat quod attenta ratione intrinseca illa omissio videtur peccatum; & quod, nisi aliud obstaret, affirmaret absolute esse peccatum; iudicium vero particulare, attentis omnibus, tàm à ratione, quàm ab authoritate, profert absolutè, ac negat illam omissionem esse peccatum: hoc autem prædicatum, quod negat secundum iudicium, valde distinctum est à prædicato affirmato per primum, ac proinde tollitur contradictio.

10 Denique replicabis: potest contingere quod vis rationis sit ità gravis, quod non superetur ab authoritate: ergò tunc sicut intellectus motus ab authoritate absolute negabit talem omissionem esse peccatum, ità motus à ratione absolute affirmabit esse peccatum: ergò simul propter authoritatem opinabitur absolute vnam partem contradictionis, & propter rationem intrinsecam opinabitur etiam absolute aliam partem contradictionis. Nego consequentiam: quià tunc, si iustè penderet vim authoritatis, & rationis, neutram partem contradictionis opinabitur absolutè; nec poterit absolutè affirmare, talem omissionem esse peccatum, nec absolute id negare, sed solum poterit dubitare inter vtramque partem, & manere in æquilibrio, vt statim dicam; quià tunc vis rationis, & vis authoritatis impedientur mutuo, ità vt neutra possit absolutè ad se inclinare intellectum.

QVÆSTIO. XXVI.

An intellectus, actu considerans rationes, & motiva probabilia pro vtraque parte contradictionis, possit pro libito assentire parti æque, vel minus probabili? Et an prudenter?

1 ACCEDIMVS iàm ad punctum controversiæ potissimum de sequela opinionis probabilis. Cùm enim huiusmodi controversia instituta sit ad rectè dirigendam, seu rectificandam voluntatem in suis actibus, & regimen voluntatis ab intellectus regimine dependeat, propterea pro regimine intellectus hanc quæstionem præmittimus.

2 Circa quàm duæ sunt sententiæ ex diametro adversæ, quarum prima est negativa, censetque neminem inter opiniones contradicentes æque, vel in æqualiter probabiles, esse immediate liberum vt cuilibet pro libito assentiatur, sed tantum posse assentiri ei, quæ magis apparuerit probabilis; licet sit liber remotè, quatenus potest variare considerationem motivorum, & exinde fieri quod appareat probabilior, quæ antea minus probabilis videbatur. Pro hac sententia citantur ex antiquis Arist. 3. de Anim. text. 153. Ricardus in 2. sentent. distinct. 38. art. 2. quæst. 4. Maior in 4. sentent. quæst. 2. prologi. Enrichus de Gandavo Quodlib. 14. quæst. 8. Holcot. in 1. quæst. 1. Conradus de contractibus tract. 7. quæst. 1. Adrianus Quodlib. 2. punct. 3. Corduba in Quæstionario lib. 2. de ignorantia quæst. 3. §. *Ex quibus*. Navarrus de Pœnitent. in cap. *si quis autem* distinct. 7. num. 101. & quantum ad prudentem assensum ibidem, & num. 51. Et plerique ex antiquis non tàm probant, quàm supponunt ad assentiendum vni parti contradictionis exigi quod illa appareat probabilior, eorum verba infra dabimus quæst. 29. art. 4. & nullus est qui oppositam sententiam, vel insinuet quidem. Citantur etiam ex posteris Bellarminus lib. 3. de Gratia, & libero arbitrio P. Molina tom. 5. de iustitia, & iure disput. 15. 16. & 17. potissimè ad finem M. Perez Benedictinus in Laurea Salmantina, certamine 10. dub. 2. cap. 3. num. 38. P. Dandinus 3. de Anima comentar. 44. in textum Philosophi præcitatum. Candidus Philaletus quæst. 2. de opinionum praxi, Mercorus in Basi Theologiæ Moralis part. 2. art. 3. & 4. Rubeus de morientium elemosynis art. 1. §. 32. Homen de conscientia cap. 2. num. 39. asserens oppositam sententiam esse contra ipsum lumen naturale rationis. P. Ludovicus Scildere de principijs conscientiæ rectæ formandæ tractat. 2. cap. 2. §. 1. & 4. quibus adiunge omnes qui negant vsum licitum opinionis minus, aut æque tantum probabilis; vti Contempson. Vincentius Baronius. Prosper Fagnanus. Gonet. Zela Dei. Iacobus à S. Dominico, & alij infra citandi. Necnon ex alijs Vazquez tom. 1. in 1. 2. disputat. 62. cap. 3. & disputat. 43. cap. 2. Lesius 1. 2. art. 6. dub. vnico. Layman lib. 1. tractat. 1. cap. 5. §. 2. Arriaga tom. 1. in 1. 2. disput. 24. sect. 5. subsect. 2. num. 29. Cardinalis Palavicinus in 1. 2. disputat. 8. quæst. 6. art. 4. à num. 9. P. Antonius Perez disputat 4. de iustitia, & iure cap. 5. §. *His positis*. P. Bretserus de conscientia lib. 3. cap. 2. n. 22. P. Ægidius Coninck. disputat. 34. de Matrimon. dub. 16. num. 82. quibus adiungendi sunt omnes, qui censent voluntatem non posse eligere ex duobus bonis propositis,

sitis, nisi illud quod proponitur vt melius: qui Authores plurimi sunt præsertim ex Thomistis, & nisi inconsequenter procedant, tenentur asserere, neque intellectum posse assentiri vni parti contradictionis, nisi ei proponatur vt probabilior opposita.

Secunda sententia est affirmativa, censetque, cuique esse immediatè liberũ inter opiniones probabiles contradicentes assentire cuilibet, etsi æquè tantum, vel minùs probabili in conspectu probabilioris. Pro qua, præter paucos Recentiores, vti sunt Terillus, Moya, Card. & M. Ferre, fere nullum invenio; nàm quanvis plures sint, qui asserant in incertis, & obscuris posse intellectum ex imperio voluntatis declinare in vnam partem contradictionis præ alia, intelligendum est quantum ad libertatẽ mediatam, & indirectam, quatenùs voluntas, habet libertatem, & dominium applicandi intellectum vt consideret potiùs motiva pro vna parte, quàm prò alia, & tunc potest apparere probabilior illa pars per non considerationem motivorum in contra, & sic illi assentire, prout infra explicabimus; non tamẽ ità vt actu cõsiderans motiva vtriusque partis possit immediatè assentiri parti minùs, aut æquè tantum probabili. Vndè Suarez, qui refertur prò oppósita sententia in lib. 2. tract. 2 disp. 1 sect. 10. vbi ait: *Dico quarto: quando intellectus non habet evidentiã de aliquo obiecto, potest moveri à voluntate ad speciem actus, ideſt, ad assentiendũ, vel dissentiendum.* Nihilominus tamèn explicans se ipsũ immediatè in probatione ait, quod sæpè obiectũ ità apparet verũ, quod non penitùs intellectũ convincat, eo quod adsint rationes aliquæ pro opposita parte. *Quo casu mihi* (inquit) *probabile est non posse moveri nisi in illud, quod verosimilius, & probabilius apparet.* Ex quo inferes quã nova sit hęc secũda opinio. Econtrà quam antiqua & communis prima. In cuius favorem sit.

§. I.

Prima conclusio statuitur.

3 DICO Primo: *Intellectus actu considerans motiva prò vtraque parte contradictionis nequit assentiri parti minùs, aut æquè probabili.* Probatur primo ex Div. Th. in casu, quo vtraque pars contradictionis appareat æquè probabilis, quãdo nimirũ sunt rationes æquales pro vtraque parte. Etenim, intellectus dubitans de vtraque parte contradictionis in sensu cõposito dubitationis non potest assentiri determinatè vni parti; dubium enim inter duas partes cõtradictionis est incompossibile cũ assensu determinato vnius; sed quando intellectus actu considerat rationes æquales prò vtrãque parte cõtradictionis, dubitat inter vtramque: ergò dũ actu considerat tales rationes in sensu cõposito nõ potest assentire determinate vni. Minor probatur ex Ang. P. qui q. 14. de verit. art. 1. sic ait: *Quãdoq; intellect⁹ nõ inclinatur magis ad vnũ, quàm ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in problematibus, de quibus rationes nõ habemus, vel propter apparentẽ æqualitatem eorum, quæ movent ad vtrãque partẽ; & ista est dispositio dubitantis, qui fluctuat inter duas partes contradictionis*: ergò cũ intellectus actu considerat rationes æquales prò vtraque parte contradictionis, actu dubitat inter vtrãque.

Confirmatur iuxta D. Th. in 3. metaph. c. 1. *Dubitatio de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonstrat: sicut enim ille qui habet pedes ligatos non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ità ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest in anteriora procedere secundũ viã speculationis.* Sed iuxta D. Th. qui actu cõsiderat rationes æquales prò vtraque parte cõtradictionis dubitat, seu habet dispositionẽ dubitantis: ergò ligatus est, & non potest ad anteriora procedere: ergò nec vlli parti contradictionis determinatè assentire, aliàs enim posset ad anteriora procedere via speculationis.

4 Posset etiam probari conclusio ex Arist. l. 2. de Anim. text. 153. vbi docet, imaginari esse in nobis, hoc est, nobis liberum: econtrà verò inquit: *Opinari non est in nobis, verũ enim aut falsũ dicere necesse.* Ac si apertè dicat inter opiniones oppositas non esse nobis liberũ immediate quãlibet eligere, sicut est nobis liberum imaginari quodlibet: sed intellectum tantummodo posse opinari id quod occurrit probabilius: ergò ex mente Philosophi intellectus non potest assentiri opinioni minùs, aut æquè probabilis in conspectu probabilioris.

5 Secundo probatur conclusio à ratione: quià, dũ intellectus actu considerat rationes æquales quales pro vtraque parte, æquali vi trahitur, & movetur ad vtrãque partem; sed implicat intellectum æquali vi trahi in vtramque partem, & determinatè assentiri vni alia relicta: ergò implicat intellectũ actu considerantem rationes æquales prò vtraque parte assentiri determinatè vni parti, relicta alia. Minor probatur, quià quotiescumque mobile movetur in partes oppositas à moventibus æqualis activitatis, & virtutis, in neutram partem declinare potest, sed immobile persistit anceps inter vtramque. Hoc enim evidentibus exemplis demonstratur; tùm in lapide, qui trahitur à diversis agentibus æqua-

æqualis virtutis, & activitatis, quorum vnum traheret verſus orientem, & aliud verſus Occidentem; tunc enim lapis minimè moveretur, ſed in medio maneret immotus. Tum in ſtatera actu ponderante æqualia pondera; tunc enim, quià æquali gravitate trahitur in partes oppoſitas, ad neutram actu inclinat, ſed manet in æquilibrio. Sed dùm intellectus actu conſiderat rationes, & motiva æqualia prò vtraque parte contradictionis, æquali activitate, & virtute trahitur in pates oppoſitas: ergò implicat quod declinet in vnam potiùs, quàm in aliam.

Reſpondent Probabiliſtæ ad hæc, & alia; ſolùm ex illis probari quod intellectus ex meritis obiecti, & ſecluſo imperio voluntatis, non poſsit, dùm actu conſiderat rationes æquales, determinatè aſſentiri vni parti contradictionis: veruntamen non probatur quod voluntas non poſsit ſuo imperio determinare intellectum ad aſſenſum partis affirmativæ, relicta parte negativa: & ſic ſemper ſalvari quod intellectus pro libito voluntatis poſsit aſſentiri cuilibet parti contradictionis. Exindeque inferunt diſparitatem ad exempla adducta: nàm in primo lapis phyſicè, & quoad efficaciam trahitur à duobus moventibus independentèr à libero arbitrio ipſius lapidis, cùm ſit corpus inanime. Et in ſecundo, ſtatera trahitur etiam quoad efficaciam à duobus ponderibus abſque libero arbitrio, & independentèr ab eius libera determinatione. Attamen in caſu quæſtionis intellectum non trahi ab obiecto, ſeu à rationibus æqualibus quoad efficaciam, ſed ſolùm quoad ſufficientiam; indigereque arbitrio, & imperio propriæ voluntatis, vt aſſentiatur actualiter vni motivo determinate: àc proinde, ſtantibus motivis æqualibus quoad ſufficientiã, poſſe voluntatẽ imperio ſuo determinare aſſenſum vnius partis potiùs, quàm alterius; àc proinde paritates adductas nõ eſſe ad rem.

6 Hæc ſolutio eſt totalis recurſus contrariorum, in quo penitùs fidunt. Illam autem ſic impugno primo: quià voluntas in quæſtione dubia non poteſt per ſe, & immediate determinare, quænam pars ſit vera, quænam falſa; ſed, ſi ſtantibus rationibus æqualibus prò vtraque parte contradictionis, voluntas immediatè imperaret aſſenſum partis affirmativæ, præ negativa, voluntas in quæſtione dubia immediatè, & per ſe decideret, & determinaret partem affirmativam eſſe veram, & negativã falſam: ergò implicat voluntatem, ſtantibus rationib⁹ æqualibus pro vtraque parte actu conſideratis ab intellectu, imperare immediatè aſſenſum partis affirmativæ, præ negativa. Maior patet, quià diiudicare intèr verum, & falſum, àc decidere dubia intellectualia, non eſt munus voluntatis, ſed ſolius intellectus. Vt enim inqnit Ariſt. 3. metph c. 1. *Solvere vinculum dubitationis nõ eſt ignorantis.* Voluntas autẽ de ſe cæca, & ignorans eſt: non ergò poteſt voluntas per ſe, & immediatè in quæſtione dubia decidere, àc determinare quænam pars vera ſit, & quænam falſa.

7 Minor vero probatur: quià in predicto caſu intellectus pr› priori ad imperium volũtatis eſſet in quęſtione dubia dubitans quęnam pars eſſet vera, & quęnam falſa, àc voluntas immediatè imperatet intellectui, vt aſſentiret parti affirmativę, tanquã verę, & diſſentiret negativę, tanquam falſę: ergò volũtas per ſe, & immediatè decideret dubium prò parte affirmativa, intellectuſque tantum modo ſequeretur deciſionem voluntatis. Confirmatur: vel voluntas imperaret intellectui, quod aſſentiret parti affirmativę, vt verę, vel quod aſſentiret illi, ſivè verę, ſivè falſę, non curãdo de veritate illius. Hoc ſecundum eſſet imperare intellectui aſſenſum chimericum, & impoſsibilem, quià implicat manifeſtè intellectum aſſentiri obiecto, niſi vt vero, & ſub ratione veri, chimericuſque eſt aſſenſus, quo aſſentiatur obiecto, ſivè vero, ſivè falſo: ergò imperaret intellectui quod aſſentiret parti affirmativæ, vt veræ. Tunc ſic interrogo: vndè habet voluntas, quod pars affirmativa potiùs eſt vera, quàm negativa? Non ſanè ab intellectu, ſiquidẽ intellectus ſupponitur dubius: ergò ex ſe ipſa, & per ſe ipſam attribuit veritatem potiùs parti affirmativæ, quàm negativæ, & pręfert affirmativã, vt veram, negativę, tanquam falſę: ergò voluntas eſt, quę diiudicat primo, & per ſe intèr partem veram, & partem falſam, & quæ ſolvit per ſe dubium intellectus, quod quis crẽdat?

8 Secundo impugnatur ſolutio: quià implicat intellectum ità aſſentire vni parti contradictionis, opinando eſſe verã, quod nullam rationem reddere poſsit, cùr illa eſt vera potiùs, quàm eius oppoſita, niſi *quià volo*: ſed ſi ſtantib⁹ motivis, ęqualibus prò vtraque parte, ex imperio volũtatis opinaretur partem affirmativã eſſe veram, nullã rationem reddere poſſet, cùr illa potiùs, quàm eius oppoſita, eſſet vera, niſi *quià volo*: ergò implicat talitèr aſſentiri ex imperio voluntatis. Maior patet: nã quis vnquã intellectus, aut quis homo, niſi per iocum, dum opinatur determinatè partem affirmativam, præ negativa, v. g. opus eſſe licitum præ illicito pingere in die feſto,

reſpondere audebit: non habeo aliam rationem cùr potiùs ſit licitum, quàm illicitum, niſi *quia volo*. Certe, ſi in ſchola, qui opinatur prò parte affirmativa ſic reſponderet, ab omnibus rideretur: ergò ridiculum eſt, àc perconſequens implicatorium, quod intellectus opinetur partem affirmativam eſſe veram, ità vt non poſsit aliam reddere rationem, cùr potius illa vera ſit, quàm eius oppoſita, niſi *quià volo*.

9 Minor vero etiam patet: nàm ſupponimus intellectum habere rationes æquales prò vtraque parte; ſed dùm rationes ſunt æquales prò vtraque parte, nulla eſt ratio, cùr potiùs ſit vera affirmativa, quàm negativa, quià iàm eſſet maior ratio, & non æqualis prò affirmativa, quàm prò negativa: ergò dùm intellectus habet rationes æquales, nullam poteſt reddere rationem, cùr potiùs ſit vera affirmativa, quàm negativa, niſi imperium voluntatis, ſcilicet, *quià volo*. Explicatur: ſupponamus aliquem opinari partem affirmativam eſſe veram, contra quem alius ſic arguit: Nulla eſt maior ratio, cùr ſit vera affirmativa, quàm vt ſit vera negativa; ſed per te negativa non eſt vera, quià iudicas illam falſam: ergò nec affirmativa. Certè, conceſſa maiori, evidenter concluſus maneret; ideòque nullus tali argumento impetitus concedit maiorem, ſed eam negat: ergò dùm exiſtimat, & conſiderat aliquis rationes pro vtraque parte eſſe æquales, nullamque eſſe maiorem rationem prò vna parte, quàm prò alia, minimè tenere poteſt partem affirmativam vt veram, relicta negativa, vt falſa. Et quidem, adhuc ex imperio voluntatis; nàm quis vnquam prædicto argumento reſpondere audebit: Fateor non eſſe maiorem rationem prò parte affirmativa, quàm prò negativa; ſed tamèn prò affirmativa eſt imperium voluntatis, ideoque teneo affirmativam, præ negativa, *quià volo*.

10 Tertio impugnatur ſolutio: quià voluntas non poteſt imperare intellectui, quod aſſentiatur parti affirmativæ potius, quàm negativæ irrationalitèr, & abſque omni ratione, & motivo aſſentiendi potius vni, quàm alteri; hoc enim eſſet ei imperare aſſenſum irrationalem eius naturæ repugnantem; ſed dùm intellectus actu conſiderat rationes prò vtraque parte eſſe æquales, nulla eſt ratio, aut motivum aſſentiendi potiùs vni, quàm alteri; ſed intellectus ex parte rationis moventis æqualitèr ſe habet ad vtrumque aſſenſum; ergò voluntas non poteſt imperare intellectui, quod, dùm conſiderat rationes æquales prò vtraque parte, aſſentiatur affirmativæ potius, quàm negativæ.

11 Ex qua doctrina inſtauratur paritas ſtateræ. Nàm licet ſtatera ipſa non habeat libertatem, ſed naturalitèr ponderet, & inclinetur, tamèn qui ſtatera vtitur habet libertatem eam inclinandi in hanc, vel illam partem. Sed qualitèr? Non ſanè ponderando ex parte vtriuſque lancis æqualia pondera, ſed prout ſibi libuerit, apponendo in vna lance pondus magis grave, quàm in alia. Tunc ſic, ſed intellectus etiam ex parte ſua non eſt liber, ſed tota libertas ſe tenet ex parte volvntatis, ſola enim voluntas libera eſt: ergò licet voluntas poſsit inclinare intellectum in vnam partem potiùs, quàm in aliam, non ſanè ponderando, & conſiderando ex vtraque parte contradictionis rationes, & motiva æqualis ponderis, ſed ſolùm faciendo quòd intellectus prò vna parte conſideret rationes magis graves, & pro alia minus: ergò exemplo ſtateræ rectè probatur intellectum actu ponderantem rationes æquales prò vtraque parte contradictionis, adhuc ex imperio voluntatis, non poſſe flecti in vnam partem potius, quàm in aliam.

12 Forſan dices: ſtateram actu ponderantem æqualia pondera poſſe ab extrinſeco, nimirùm tactu, & impulſu manus inclinari potiùs in vnam partem, quàm in aliam: ergò ſimilitèr intellectus actu ponderans æquales rationes prò vna parte, quàm prò alia poterit inclinari ab extrinſeco, id eſt, ab impulſu voluntatis in vnam partem, præ alia. Sed contra eſt, quià in tali caſu ſtatera deficeret à ſuo munere diiudicandi, & diſcernendi inter pondus, eique fieret violentia contra propriam naturam, & officium, vt ſic dicam. Vndè ſtatera in illo caſu illa inclinatione violenta, & ab extrinſeco non deſignaret quod pondus illius partis eſſet maius, nec diſcerneret inter pondus, & pondus: ergò paritèr, ſi intellectus conſiderans rationes æquales prò vna, & altera parte contradictionis, inclinaretur ab impulſu extrinſeco voluntatis in vnam partem præ alia, tunc intellectus deficeret proprio muneri iudicandi inter verùm, & falſum, eique fieret iniuria, & violentia, minimèque per talem inclinationem intellectus ſuum iudicium proferret, ſed mere paſsivè ſe haberet, ſolaque voluntas eſſet, quæ ibi antepone-

ret partem affirmativam negativæ. Tunc ſic, ſed voluntas nequit ità ſuo imperio movere intellectum, quod ei aufferat, ſibique vſurpet munus diiudicandi intèr ve- & falſum, nec poteſt violenter eum morùm vere, & contra eius naturam: ergò voluntas non poteſt movere ab extrinſeco intellectum actu conſiderantem æquales rationes prò vtraque parte contradictionis, eum inclinando in vnam partem potius, quàm in aliam.

13 Explicatur alio exemplo: etenim in homine ſe habent intellectus, & voluntas, ſicuti in Republica Dominus naturalis illius, & Iudex. Dominus quidem naturalis, v. g. Rex habet dominium in Iudicem, ità vt eum poſsit ſuſpendere ab exercitio iudicandi, & ei tale exercitium imperare; attamen, ſi ſtante æquali iure prò vtroque litigante, æqualique authoritate, & ratione, ei imperaret, vt ſententiam ferret prò Petro potius, quàm pro Paulo, in eo caſu ſanè vſurparet Rex ſibi munus iudicandi, àc diſcernendi inter iuſtum, & iniuſtum; Iudexque, quanvis ex imperio Regis talem proferret ſententiam, ipſe tamèn ex proprio munere non iudicaret, nec proprium dictamen, & iudicium proferret, ſed Rex eſſet, qui ibi primo, & per ſe iudicaret. Sed in homine voluntas eſt, quæ habet dominium, & intellectus eſt Iudex, cui incumbit munus iudicandi, præcipuè intèr verùm, & falſum: ergò ſi voluntas ei imperaret, vt, ſtantibus rationibus æqualibus pro vna, & altera parte, ſententiam ferret pro affirmativa, tunc voluntas ſibi vſurparet munus iudicandi, àc diſcernendi inter verùm, & falſum, intellectuſque tunc ex proprio munere non iudicaret, nec proprium iudicium proferret, ſed ad ſummum miniſterialiter proferret iudicium voluntatis, quæ tunc primo, & per ſe iudicaret. Tunc ſic, ſed hoc eſt penitùs impoſsibile inter intellectum, & voluntatem, quanvis ſit poſsibile inter Regem, & Iudicem: ergò implicat, quod voluntas imperet intellectui aſſenſum prò parte affirmativa præ negativa, dùm actu conſiderat rationes æquales prò vtraque parte contradictionis. Minor hæc ſubſunta probatur: quià ideo illud poteſt contingere inter Regem, & Iudicem, quià Iudex non habet ex natura ſua, ſed ex inſtituto Regis, munus, & officium iudicandi, àc proinde poteſt Rex illud ſibi vſurpare. Attamen intellectus ex natura ſua habet in homine munus iudicandi ita ſibi proprium, vt nec de potentia obſoluta poſsit voluntati convenire: ergò licèt primum ſit poſsibile inter Regem, & Iudicem, non tamen ſecundum inter intellectum, & voluntatem.

14 Reſpondet denique quidam modernus ad exemplum ſtateræ, quod licèt opinio in mea ſtatera minus, vel æquè tantum ponderet cùm oppoſita; tamèn in ſtatera Patris Sanchez, v. g. ponderabit magis: ergò fidere potero illi ſtateræ, & aſſentiri tali opinioni. Sed contra eſt, quià caſus eſt ponendus, quod etiam in ſtatera alterius Authoris æqualis, vel maioris authoritatis, v. g. Patris Suarez oppoſita opinio ponderaverit magis; tunc vero neceſſum omninò eſt, quod alterius ſtatera falſo, ſeu infidelitèr ponderaverit opiniones illas contradicentes: àc proindè ego ſcio alterutram ſtateram eſſe falſam, & neutra mihi apparet ſecurior, nec fidelior, nec eſt qui iudicet vtriſque ſuperior; nec ego iudicare poſſum, qui non habeo maiorem rationem prò fidelitate vnius ſtateræ, quàm alterius: ergò non poſſum fidere magis ſtateræ Patris Sanchez, quàm ſtateræ Patris Suarez; ergò neceſſario maneo in dubio.

15 Confirmatur: quià dùm video opinionem affirmativam præponderare negativæ in ſtatera Patris Sanchez, & negativam affirmativæ in ſtatera Patris Suarez, neceſſum eſt mihi ponderare ſtateras illas, vt videam qualis ſit fidelis, & vera præ alia; ſed non eſt alia ſtatera, qua poſsim ponderare illas ſtateras diſconformiter ponderantes, niſi ſtatera mei intellectus: ergò debeo ponderare vtramque illam ſtateram in ſtatera mei intellectus. Tunc ſic, ſi ſtatera Patris Suarez in ſtatera mei intellectus plus ponderaverit, quàm ſtatera Patris Sanchez, quomodo aſſentire potero ſtateræ Patris Sanchez, contempta ſtatera Patris Suarez? Etſi vtraque æquè ponderaverit, cùm ſciam evidenter alteram falli, cùr vni, quàm oppoſitæ fidam? Nulla hic eſt ratio, nullum motivum: ergò tandem intellectus, nec parti minus probabili, nec æquè probabili aſſentiri poteſt, contempta, vel relicta probabiliori oppoſita. Ex quibus patet valde exceſiſſe Patrem Eſparça dùm artic. 132. appellare auſus eſt exemplum ſtateræ, *irrationabile, indiſciplinatum, & ex ſuperficialitate vulgi*; nàm hoc dicere de exemplo quo ſæpè vtuntur veri non vulgares, non in diſciplinati. Nec irrationales, potius videtur ex innopia ſolidæ ſolutionis recurrere ad iniurioſa verba,

ba, quàm ingenuè argumento ſatisfacere.

§. II.

Secunda ratio prò noſtra ſententia.

16 SECVNDO A ratione probatur concluſio: dùm intellectus conſiderat motiva æqualia prò vtraque parte contractionis, quælibet pars æquè apparet falſa, quàm vera; ſed nullus intellectus, ſaltèm prudenter, poteſt determinatè aſſentiri parti, quæ ſibi non minus apparet falſa, quàm vera: ergò, dùm intellectus conſiderat rationes æquales prò vtraque parte, ſivè motiva æqualia, non poteſt vni parti determinatè aſſentiri, altera relicta, ſaltèm aſſenſu prudenti. Maior probatur: quià rationes prò parte affirmativa oſtendunt negativam eſſe falſam, & rationes prò negativa probant affirmativam eſſe falſam, ità, vt in eo ipſo gradu, in quo rationes probant veritatem vnius contradictoriæ, in eo ipſo gradu probabilitatis probant alteram eſſe falſam; ſed dùm intellectus conſiderat æqualia motiva, & rationes prò vtraque parte, vtraque pars æquè, & in gradu æquali probabilitatis apparet vera; ergò vtraque apparet æquè falſa, & in eodem gradu probabilitatis.

17 Reſpondet Magiſt. Ferre, quod ſi aliqua propoſitio appareat æquè falſa, ac vera ex motivis, quæ reddunt eam probabilem, non poteſt intellectus ei aſſentire vt veræ; ſi tamèn appareat vera ex motivis reddentibus eam probabilem, & æquè appareat falſa ex motivis non conducentibus ad eius probabilitatem, hoc non tollit, quod intellectus poſsit ei aſſentiri, opinando eam vt veram: neque enim quis opinativè aſſentitur alicui propoſitioni in particulari, quià iudicat eſſe æqualitèr probabilem ſua contradictoria, ſed quià ex vi rationum, & authoritatum, quibus probatur, ſibi appareat vera: ex his autem rationibus, & authoritatibus non apparet æquè falſa, ſed ſolum apparet vera.

18 Sed contra eſt primo: quià per te, ſi ex motivis illam reddentibus probabilem, aliqua propoſitio non minus appareat falſa, quàm vera, intellectus, attentis illis motivis, non poſſet ei aſſentiri vt veræ: ergò, ſi ex motivis omnibus actu concurrentibus in intellectu, adinvicem libratis, & collatis, æquè apparet falſa, ac vera, & ècontrà, non poterit intellectus, attentis omnibus motivis, tam pro ipſa, quàm contra ipſam, exiſtimare illam vt veram, nec illi vt veræ aſſentiri. Contra ſecundo; quià, ſi attentis omnibus motivis, tam pro ipſa, quàm contra ipſam, æquè apparet falſa, ac vera: ergò ex omnibus illis motivis ſimul conſideratis nequit intellectus probabilitèr deducere eam eſſe veram: ergò neque aſſentiri rationabilitèr illi vt veræ. Prima conſequentia probatur: quià ex motivis, quibus aliqua poſitio non minus apparet falſa, quàm vera, non poteſt probabilitèr inferri eam eſſe determinatè veram; hæc enim conſequentia omni probabilitate caret: *Dantur rationes, & motiva, quibus hæc propoſitio æquè apparet falſa, quàm vera: ergò hæc propoſitio eſt vera determinate*; ergò attentis omnibus motivis, tàm prò ipſa, quàm contra ipſam, nequit intellectus probabilitèr inferre talem propoſitionem eſſe determinate veram, nec ei vt veræ aſſentiri.

19 Dices, intellectum non deducere aſſenſum ex omnibus motivis tam prò ipſa, quàm contrà ipſam, ſed ſolùm ex motivis ſtantibus prò ipſa. Sed contrà: nàm, vel deducit aſſenſum ex motivis prò ipſa ſolitariè conſideratis, vel ex motivis prò ipſa, vt collatis cùm motivis contra ipſam. Si primum: ergò iàm non ſalvatur quod intellectus actu conſiderans motiva contrà ipſam, & prò ipſa, illi aſſentiatur vt veræ, quod nos negamus in concluſione; ſed ſolùm ſalvatur, quod intellectus ſolitariè, & vnicè conſiderans motiva pro ipſa, poſsit aſſentiri illi vt veræ, quod nos nunc non negamus. Si dicant ſecundum, reddit argumentum factum: nàm ex motivis prò ipſa vt ſimul conſideratis, & collatis cùm motivis contra ipſam, improbabilitèr tantum inferri poteſt ipſam eſſe veram potius, quàm falſam: ergò ex motivis prò ipſa, vt collatis cùm motivis contra ipſam, nequit intellectus probabilitèr aſſentiri illi vt veræ. Antecedens probatur, quià hæc conſequentia eſt improbabilis: *Dantur motiva pro ipſa, quæ collata cùm motivis contra ipſam, non magis ſuadent eius veritatem, quàm oppoſita eius falſitatem: ergò ipſa eſt determinate vera*: ergo intellectus deducens aſſenſum huius concluſionis ex illo antecedenti omninò improbabilitèr aſſentiret huic concluſioni.

20 Contra tertiò: quià iuxta prædictam ſolutionem intellectus non poteſt aſſentiri concluſioni probabili, quià eſt æquè probabilis, ac ſua contradictoria, vt fatetur ipſe Magiſt. Ferre; ſed habere motiva æquè probabilia, ac ſua contradictoria, eſt formaliſsime æquè

probabilem eſſe, àc ſua contradictoria: ergò non poteſt intellectus ei aſſentiri, quià habet motiva æquè probabilia àc ſua contradictoria: ergò, nec motiva æquè probabilia, nec æqualis probabilitas prò ipſa, quàm pro ſua oppoſita ſunt motivum ſufficiens vt intellectus ex illo moveatur ad aſſenſum ipſius. Dices, non eſſe motivum ſufficiens inquantum æqualitèr probabile, ſed inquantum ſunt motivum abſolutè probabile. Sed contra: quià dùm conſiderantur omnia motiva, tam prò concluſione, quàm contra ipſam, motiva pro ipſa non conſiderantur vt abſolutè probabilia, ſed vt æquè, & comparativè probabilia cùm motivis oppoſitis, nàm tunc illa motiva intèr ſe conferuntur, & illa conſiderat intellectus non abſolutè, & ſeorſim ab alijs, ſed comparativè cùm ipſis; ſed talia motiva, quià æqualitèr probabilia, per te non ſunt ſufficiens motivum intellectus: ergò talia motiva dùm actu conferuntur cùm alijs oppoſitis, & vt collata cùm ipſis, non ſufficiunt movere intellectum ad aſſenſum.

21 Contra quartò: quià licèt intellectus non moveatur ad aſſenſum concluſionis probabilis ex motivis oppoſitis cauſaliter attactis, hoc eſt, quià ex vi illorum concluſio apparet falſa, debet tamen moveri ex proprijs, alijs adverſative attactis, hoc eſt, *licet ex vi aliorum concluſio appareat falſa*; ſed intellectus non poteſt moueri ad aſſenſum concluſionis ex motivis pro ipſa, *licèt ex motivis contra ipſam æquè appareat falſa*: ergò intellectus, dùm actu conſiderat motiva omnia, tàm pro, quàm contra concluſionem omninò æqualia, nequit concluſioni aſſentiri. Maior patet; quià, dùm intellectus actu conſiderat motiva contra concluſionem, aliter illi aſſentiri non poteſt, niſi contemnendo motiva contraria, & mente dicendo: *Hoc ità eſt, hoc eſt verum, licèt ex motivis contrarijs appareat falſum.* Deindè probatur minor: quià nullus cordatus aſſerens aliquam concluſionem, dicere audet: *Hanc teneo vt veram propter hæc motiva, licèt ex motivis oppoſitis æquè mihi appareat falſa.* Quis enim vnquam ità ſerio pronuntiavit? Ergò intellectus, qui non poteſt, niſi ſerio, iudicare, nequit aſſentiri concluſioni vt veræ, *licèt ex motivis in contra æquè ſibi appareat falſa.*

22 Ex quibus patet, contrarios manifeſtè æquivocari, dùm non diſtingunt intèr hoc quod eſt intellectum aſſentiri concluſioni ex his motivis vnicè conſideratis per inconſiderationem aliorum, ſivè quià alia non conſiderat, quæ de ſe ſunt æquè probabilia; aliud valde diverſum aſſentiri concluſioni ex his motivis collatis cùm alijs contra ipſam æquè probabilibus, & licèt ex illis æquè ſibi appareat concluſio falſa. Primum enim verum eſſe poteſt, & illud vltro fatemur. Secundum autem negamus, & eſt quod deberent contrarij probare; ſed id non præſtabunt.

23 Confirmantur dicta; quotieſcumque adſunt duo principia de ſe inclinantia æqualitèr in partes oppoſitas, in illis, aut ex illis ſimul conſideratis, non poteſt determinatè cognoſci, adhuc opinativè, vna pars præ alia: ergò dùm adſunt eidem intellectui motiva æquè inclinantia, & ſuadentia vtramque partem contradictionis, nequit in illis ſimul conſideratis, nec ex illis determinate cognoſci, adhuc opinativè, vna pars præ alia. Antecedens probatur. Nàm dùm voluntas, v. g. duabus cognitionibus contrarijs in actu primo ſolicitatur, & excitatur ad actus contrarios, ità vt per vnam ex illis excitetur, & inclinetur ad amorem huius obiecti, & per aliam æquè excitetur, & inclinetur in odium eius; tunc nec probabilitèr licèt inferre determinate, quod amabit, nec probabilitèr cognoſci poteſt determinate, quod odio habebit; & tamen tunc concurrit in voluntate duplex principium, vnum inclinans in amorem, & aliud in odium æquali propenſione, & connexione: ergò quando adſunt duo principia de ſe inclinantia in partes oppoſitas, in illis, aut ex illis ſimul concurrentibus, & conſideratis, neutra pars determinatè præ alia cognoſci poteſt. Maior probatur, quià tunc voluntas eſt indifferens poſitivè, æquèque reſpiciens amorem, & odium, non magiſque inclinata in vnum, quàm in aliud; ſed iuxta Div. Thom. locis ſuprà citatis quæſt. 22. num. 3. in cauſa indifferenti, & non magis inclinata ad vnum, quàm ad aliud, neutrum cognoſci poteſt determinate, etiam coniecturaliter: ergò in prædicto caſu in voluntate vtrimque æqualitèr attracta ad amorem & odium, nec cognoſci poteſt determinatè, adhuc coniecturalitèr, quod odio habebit, nec determinatè, quod amabit.

24 Explicatur: ideò intellectus, adhuc coniecturalitèr, aut probabiliter, nequit de voluntate, attentis illis contrarijs cognitionibus, determinate affirmare, quod amabit, quià attentis illis ſimul, non magis propendet in amo-

rem

re m, quam in odium, nec maiorem connexionem dicit cùm vno, quàm cùm alio; sed concluſio, quæ probatur, & impugnatur, principijs æquè probabilibus, attentis principijs eam probantibus, & impugnantibus, non magis inclinat in veritatem, quàm in falſitatem, nec maiorem connexionem dicit cùm vna, quàm cùm alia: ergò, attentis vtriſque principijs, nequit intellectus, adhuc probabilitèr affirmare, imò, nec coniectare, quod ipſa potius erit vera, quàm falſa.

25 Secundò reſpondet M. Ferre principali probationi, quod in concurſu æqualium rationum prò vna, & altera parte contradictionis, pars affirmativa, v. g. non æquè apparet falſa, quàm vera, quià vera apparet directè ex rationibus illam probantibus: attamen falſa non apparet directè ex rationibus probantibus alteram partem contradictionis. Nàm rationes probantes alteram partem, ſcilicet negativam, directè quidem probant negativam eſſe veram, & ſolum arguitivè, & indirectè affirmativam eſſe falſam, quià videlicet arguitur rectè, quod ſi negativa eſt vera, affirmativa eſt falſa. Sed contra: quià in contradictorijs veritas negativæ eſt formaliſsimè falſitas affirmativæ: ergò ſi ex motivis probantibus negativam, negativa directè probatur, & apparet vera directè, etiam probatur, & apparet falſa affirmativa. Antecedens probatur in his contradictorijs: *Licitum eſt pingere in die feſto. non eſt licitum pingere in die feſto.* Etenim rogo, in quo conſiſtit formalitèr falſitas affirmativæ? Sanè non in alio, niſi in eo quod non ſit licitum pingere in die feſto; per hoc enim formaliſsimè falſificatur quod ſit licitum pingere in die feſto; ſed veritas negativæ formaliſsime conſiſtit in eo quod non ſit licitum pingere in die feſto, ſiquidem per hoc formaliſsime verificatur: ergò in contradictorijs veritas negativæ eſt formaliſsime falſitas affirmativæ. Vnde rationes, quæ directè probant negativam, non indirecte tantum, ſed directè, & formalitèr probant affirmativam eſſe falſam: nàm rationes, quæ probant directè non eſſe licitum pingere in die feſto, directiſsime probant eſſe falſum, ſeu non eſſe ità quod dicit affirmativa, ſcilicet, quod eſt licitum pingere in die feſto.

***

§. III.

Secunda concluſio, in confirmationem præcedentis, probatur.

26 DICO Secundo: *Intellectus, ſaltèm prudentèr, nequit aſſentiri parti minùs, aut æquè probabili, relicta probabiliori, vel æquè probabili contradicente.* Licet rationes adductæ prò concluſione præcedenti paritèr ſuadeant concluſionem iſtã; &ècontrà, quæ pro iſta afferentur debitè applicata ſuadeant, & conforment præcedentem. Nihilominus placuit in poſterum loqui ſpecialitèr de aſſenſu prudenti, qui ſolum ad noſtrum inſtitutum intereſt. Quid enim ad regendos mores prodeſſe poteſt aſſenſus imprudens? Iàm igitur tertio probo aſſumptum principale, & primo præſens concluſio. Nàm in quæſt. circa factum, quando prò vtraque parte contradictionis concurrunt teſtes æqualis numeri, & authoritatis, intellectus nequit aſſentiri prudentèr vni partidèterminatè: ergò in quæſtione iuris, vel alterius materiæ, quando concurrunt motiva, ſivè ab authoritate, ſivè à ratione omninò æqualia, nequit intellectus vni parti aſſentiri determinate potius quàm alteri. Conſeq. prob. ideo enim primum eſt verum, quià licèt duo teſtes pro vna parte de ſe faciant fidem, & ſufficientèr moveant ad aſſenſum, tamèn eorum authoritas impeditur per æqualem authoritatem aliorum duorum teſtium contradicentium; ſed quando æquales AA. numero, & authoritate ſunt pro vna, & altera parte contradictionis, authoritas eorum, qui ſunt pro vna parte, impeditur per authoritatem aliorum, qui ſunt prò altera parte; & ſimilitèr gravitas fundamentorum prò vna parte impeditur per æqualem gravitatem fundamentorum prò altera parte: ergò ſi in primo caſu nequit intellectus prudentèr credere vni parti, nec in ſecundo vni parti determinate aſſentiri.

27 Confirmatur: ſicuti decem Authores, v. g. de ſe faciunt partem, quàm affirmant, opinabilem, ità duo teſtes faciunt partem, quàm teſtantur, credibilem; & tamèn quando concurrunt alij duo teſtes æqualis authoritatis contradicentes, neutra pars contradictionis manet proximè, & prudentèr credibilis: ergò quando concurrunt alij decem Authores contradicentes æqualis authoritatis, neutra pars con-

traditionis manet prudenter opinabilis.

28 Tantam mihi vim facit huiuſmodi paritas, vt quæcumque diſparitas aſſignetur, ipſa repetita penitus evaneſcat. Dicunt primo, quod auditis duobus teſtibus pro vna parte, & alijs duobus pro alia oppoſita, intellectus debet manere dubius, quià nullam rationem invenit, vt his potius credat, quàm alijs, quià teſtimonium horum enervat vim teſtimonij aliorum. Attamen in quæſtione iuris ſtat Theologos prò vtraque parte rationabiliter diſcurrere; àc proinde diſcurſus vnius non enervabit diſcurſum alterius. Ità Carden. tract. 1. de prob. diſp. 15. num. 286. Sed contra eſt, quià ſtat etiam teſtes vtriuſque partis veracitèr ex parte ſua teſtificari, ſi nimirùm vt contingere poſſet circa ſubiectum, de quo erat quæſtio fefelliſſet eos ipſa oculorum ſpecies, aliquando enim contingere ſolet, vt ità aliquis credat ſe vidiſſe talem hominem, vt id quidem iurare poſsit, quin tamèn talis homo re ipſa fuerit, ſed alius ſimilis; ſæpè etiam ipſa memoria circa aliàs circunſtantias, temporis, loci, &c. ità invincibiliter fallere poteſt, vt quis invincibiliter iurare poſsit tali loco, vel tempore hominem aliquem vidiſſe, cùm tamèn id revera falſum ſit; & tamèn quanvis duo teſtes contradicentes veracitèr ex parte ſua teſtificarent, teſtimonium eorum enervaretur per teſtimonium aliorum: ergò quanvis Authores ex vtraque parte rationabiliter diſcurrerent, teſtimonium horum enervaretur per teſtimonium aliorum incontra.

29 Et ratio omnium eſt: quià ideò teſtimonium duorum teſtium enervatur per teſtimonium aliorum, quià cùm contradictoria dicant, neceſſum omninò, àc evidens eſt alterutros ex illis vel fallere, vel falli; & cùm nulla ſit ratio cùr iſti fallantur præ alijs, ideò neutris credere poſſumus, ſed prudentia dictat dubitandum eſſe, àc ſuſpendendum iudicium, vſquedùm veritas alia via probetur; ſed quando decem Authores ſtant prò vna parte contradictionis, & decem prò alia, dato gratis quod omnes diſcurrãt rationabiliter, evidens eſt alterutros ex illis, vel fallere, vel falli in ſua aſſertione, & concluſione; nullaque ratio adeſt, vt iſtos potius, quàm illos falli iudicemus: ergò non poſſumus prudenter credere his præ alijs, ſed prudentia dictat dubitandum eſſe, & iudicium ſuſpendendum, vſquedùm appareat aliqua maior ratio pro vna, quàm prò parte alia.

30 Et quidem quid ad rem, quod Authores rationabiliter prò vtraque parte diſcurrant, & teſtes prò altera parte mentiantur, v. g. ſi æquè evidens eſt Authores prò vna parte falſum aſſerere, & falſum concludere, quàm quod teſtes prò vna parte falſum teſtificantur? Sanè in ordine ad veritatem, quàm quiſque ſuo aſſenſu quærere debet, perinde dubius, & hæſitans manet in vno caſu, àc in alio. Nàm quid ad rem, quod ille, qui dicit falſum, dicat falſum ex malitia, vel ex ignorantia, ſi egò ſcio alterum ex duobus, ſive teſtibus, ſive Authoribus dicere falſum in rei veritate? Etenim ſi ego aſſenſurus forem probitati, & virtuti Authorum vel teſtium, fateor, quod melius poſſem aſſentiri probitati Authorum ad invicem contradicentium, quàm teſtium; quià cùm contradictione Authorum rectè componitur, quod in eis nulla ſit malitia, ſed pro vtraque parte rationabiliter ſe diſcurrere putent, licèt prò vna cùm ignorantia aliqua invincibili, ſinè qua non poſſent concludere falſum. In teſtibus verò mutuo ſe contradicentibus difficile ad modum componitur, quod ſinè malitia, oppoſita teſtentur, & ideò præſumitur malitia ex vna parte. Attamen in præſenti non eſt quæſtio de aſſenſu præſtando probitati, vel virtuti teſtium, vel Authorum, ſed de aſſenſu præſtando eorum teſtimonio, vt vero. Tunc ſic, ſed quantum ad hoc æquè verùm eſt, àc evidentiſsimum, Authores vnius partis dicere, àc concludere falſum, quàm eſt evidens teſtes vnius partis falſum teſtificari. Ergò intellectus æquè hæſitabundus debet manere in Authoribus, àc in teſtibus.

31 Reſpondent ſecundò: teſtes ſibi contradicentes amittere authoritatem, àc proindè neutrum manere fidedignum. Attamen Authores ſibi contradicentes nõ amittunt authoritatem ſuam, ſed vnuſquiſque facit ſuam opinionem probabilem. Quis enim dicat Div. Auguſt. & Div. Amb. in aliqua concluſione ſibi contradicentes amittere ſuam authoritatem, ità vt nilli aſſentiri prudenter valeamus, nullique in conſcientia tuto ſtare poſsimus? Quis hoc non horreat? Ità Moya in Appendend. ad tract de opin. probab. quæſt. 3. num 28.

32 Sed contra: quià magis horrendum eſt, quod cuilibet poſsimus in conſcientia tuto contradicere, & contra cuiuslibet dictamen tuto operari. Quis enim non horreat, quod tuto in conſcientia poſsimus contra dictamen D. Aug. aſſerentis, aliquid eſſe peccatum, illud patrare ſine ſcrupulo? Sed ſi dicamus cùm P. Moya, nos poſſe ad libitum tuto in conſcien-

cientia ſequi dictum D. Auguſt. ſivè dictum D. Amb. ipſo facto dicimus, nos poſſe tuto in conſcientia vtrique contradicere, & contra cuiuslibet dictamen operari: ergò ſi ſequamur Moyam, in caſum magis horrendum incidimus. Minor patet: quià ſi Aug. & Amb. ad invicem ſe contradicunt, non poſſum ſequi, aut ſentiri cùm Aug. niſi contradicendo Amb. nec poſſum ſentiri cùm Amb. niſi expreſſe contradicendo Aug. vt per ſe patet. Vtrimque igitur periculum imminet; ſed ego minimè horreſco, quod in prædicto caſu nullius dicto tuto in conſcientia determinate aſſentiri poſsimus, ſi nulla alia ſit ratio, quàm æqualis authoritas ex parte vtriuſque: imò id venerationi tantorum DD. maxime congruit. Si enim non poteſt aſſentiri vni, niſi contradicendo alteri; cùm in contradictione fiat aliqualis iniuria authoritati eius, cui contradicitur, ipſa veneratio debita Sanctis dictat in tali caſu nulli eſſe contradicendum, àc per conſequens nulli in concurſu alterius oppoſitum dicentis determinate ſtādum, ſed ſuſpendendū iudicium, forſan cogitando nullam revera in ipſis quoad ſenſum fuiſſe contradictionem, ſed tantum apparentem in verbis; ſicuti, ſi duo teſtes maximæ authoritatis ſibi invicem contradicerent, neutri fieret iniuria, ſuſpendendo iudicium: imò, ità magis attenderetur ad debitam venerationem vtriuſque; nàm ſi alicui determinate crederemus, ipſo facto iniuria fieret alteri.

33 Tertiò reſpondet Cardenas num. 293. eſſe diſparitatem, quià quæſtio facti conſiſtit in indiviſibili, ſecùs vero quæſtio iuris, quæ admittit maiorem latitudinem Si inſtes: ideò quæſtio facti conſiſtit in indiviſibili, quià vel factum ità eſt, vel ità non eſt, verſatur enim inter duo contradictoria; ſed quæſti iuris etiam verſatur inter duo contradictoria, nàm vna pars dicit: *Licitum eſt*, alia dicit: *Non eſt licitum*: ergò etiam conſiſtit in indiviſibili. Reſpondet, quæſtionem iuris conſiſtere in indiviſibili ſpeculativè, non in indiviſibili practicè. Sed contra: ergò in quæſtione iuris neutri parti poſſumus ſpeculativè aſſentiri, dùm adeſt æqualis authoritas pro vtraque, & æqualis ratio: quod nobis ſufficit, & ab adverſarijs non minus negatur. Conſeq. patet: ideò enim in quæſtione facti non poſſumus vlli parti determinate aſſentiri, quià conſiſtit in indiviſibili ſpeculativè; ſed quæſtio iuris etiam conſiſtit in indiviſibili ſpeculativè: ergò neutri parti poſſumus determinatè ſpeculativè aſſentiri. Secundò, quià etiam quæſtio iuris conſiſtit in indiviſibili practicè. Dum enim dubitatur, àn ſit licitum in praxi pingere in die feſto, reſolutio huius quæſtionis conſiſtit in vno ex duobus contradictorijs practicis, nimirum, vel in eo quod ſit practicè licitum, vel in eo quod non ſit practicè licitum: ergò conſiſtit in indiviſibili practicè.

34 Ait Cardenas talem quæſtionem conſiſterè in diviſibili practicè, quià admittit tanquam componibiles rationes humanæ menti proportionatas ad vtrumque contradictorium deducendum ad praxim, quin prædictæ rationes mutuo ſe deſtruant: quod non contingit in quæſtione facti, cùm ad aſſerendam vnam partem non ſufficiat teſtimonium vnius, æquali alterò contradicenti. Sed hæc purè ſunt verba, quæ relinquunt difficultatem intactam. Nàm etiam quæſtio facti admittit teſtimonia pro vtraque parte humanæ menti conformia, ſcilicet teſtimonia humana inter ſe compoſibilia, ſimulque teſtificantia vtramque partem. Dices, eſſe compoſibilia in ſe, ſed non quoad vim movendi ad aſſenſum: nàm vna enervat vim alterius. Sed cur pariter rationes illæ militantes in quæſtione iuris pro vtraque parte contradictionis, vna in movendo non enervat in actu ſecundò vim alterius, cùm pariter contradictoria ſuadeant? Hic tota difficultas ſiſtit, quæ à contrario minimè ſolvitur, ſed ſolum iterum, adque iterum repetitur, nulla omninò adducta ratione diſcriminis.

35 Dicere autem, quod illæ rationes ſunt proportionatæ ad vtrumque contradictorium deducendum ad praxim, eſt extra chorum ſaltare: nàm in præſenti non quærimus, àn vtraque opinio æquè probabilis ſit licite deducibilis ad praxim; id enim in poſterum eſt diſputandum ad regimen voluntatis; ſed ſolum quærimus, àn cuilibet ex contradicentibus poſsit intellectus aſſentiri; & hoc eſt prius decidendum, quàm illud: quià prius eſt quod intellectus aſſentiatur opinioni, quàm quod voluntas illam deducat ad praxim: ergò prius debemus ſcire, àn rationes æquales in ſtatu æqualitatis pro vtraque parte ſint proportionatæ, & accomodatæ, vt intellectus actu aſſentiatur vni parti vt veræ, quàm ſciamus, àn ſint proportionatæ ad vtrumque contradictorium deducendum ad praxim: ergò ad ſciendum illud primum, hoc ſecundum obtrudere, eſt omnia invertere, & intempeſtivè poſteriorem quæſtionem priori miſcere, vt nos confuſione vincant, quos ratione non poſſunt.

36 Quartò reſpondet Carden-

tom. 2. num. 816. quod in æqualitate testium adesse nequit modus deponendi dubium, quià deponi nequit per solutionem argumentorum in contra, ibi enim testes non probant argumentis, sed simplici dicto, & authoritate. Attamen in æqualitate opinionum potest quis solvere rationes oppositas. Sed contra est primò: ergò qui solum noverit famam Authorum, inter Authores contradicentes æqualis Authoritatis, solvere non poterit dubium: ergò cùm Confessores gregarij, omnesque Theologiæ ignari discernere nequeant inter opiniones æqualium Authorum, non poterunt assentiri vni præ altera, nec minus probabili, relicta probabiliori. Hoc autem nobis sufficiebat.

37 Secundò, quià vel solvit tantum rationes pro affirmativa, insolutis rationibus pro negativa, vel æquè solvit rationes pro vtraque. Si primum, impossibile est quod maneat æquè probabalis affirmativa cùm negativa, sed necessario erit magis probabilis negativa, cuius probationes insolutæ manent, quàm affirmativa, cuius probationes solvuntur. Si æquè solvuntur rationes pro vtraque: ergò tandem motiva manent æqualia in vi movendi, sicut erant ante æqualẽ solutionem vtrorumque, nàm æquale additum æquali bus, æqualia relinquit, & minimè facit inæqualia. Sed dummodo motiva maneant æqualia in vi movendi ad vtramque partem contradictionis, nulla est disparitas inter talia motiva & testes æquales, quià vtrobique motiva sunt æqualia, & vtrobique scimus evidenter alterutris motivis subesse falsum: ergò nulla assignatur disparitas.

38 Tandem respondet Carden. quod licet sibi non sit adeò explorata radix disparitatis, vel potius explicatu facilis, ab ipsa tamen experientia constare aliquam dari disparitatem. Nàm quotidie videmus Theologos, libratis motivis pro vtraque parte contradictionis, in quæst. iuris, pro vna resolverè; ècontrà in quæstione facti videmus iudicem, adductis testimonijs paris probabilitatis, hærere dubium, & pro neutra parte resolverè.

39 Sed contra, quià nec experientia, nec ratio suadet Theologorum prudentem, libratis pro vtraque parte rationibus, & inventis æqualibus, pro vna parte contradictionis iudicare, imò experientia testatur oppositum, quià nullus vnquam resolvens pro parte affirmativa determinatè, dixit se non habere maiorem rationem pro ipsa, quàm contra ipsam; imò, id si diceret, convinceretur non assentiri determinatè tali parti, nec eam iudicare veram præ eius opposita. Quæ igitur, aut vbi est ista experientia vndè evidenter probetur Theologos, libratis hinc indè rationibus pro vtraque parte, & inventis æqualibus, & æquè probabilibus, adhærere vni parti, & pro ea resolvere quæstionem?

40 Deindè dico, quod si forsan aliqui Theologi non habentes maiorem authoritatem, nec rationem pro vna parte, quàm pro alia, resolvunt faciliter dubia moralia pro parte, pro qua ipsis libet, huiusmodi resolutio non est prudens, nec rationalis, sed potius omninò voluntaria, & imprudens; quod evidentia ipsa restatur. Nàm quilibet Theologus, qui resolvit, v.g. pro parte affirmativa, erubesceret confiteri se non habere maiorem rationem pro ipsa, quàm pro negativa, sed pro mero suo libito parti affirmativæ favere: imò, cùm Theologo sic resolvente casus conscientiæ, nullus timoratæ conscientiæ sua dubia consuleret, nisi vellet cùm illo in foveam æternæ damnationis cadere, iuxta illud: *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt.* Quandò enim pœnitens dubitat, cæcus est; si vero Theologus non habet maiorem rationem, nec authoritatem pro vna parte, quàm pro alia, & sola voluntate resolvit dubium, cæco etiam modo resolvit, nàm voluntas de se cæca est: ergò tunc cæcus cæcum ducet: ergò ambo in foveam æternæ damnationis cadent, si cæcitas sit in materia peccati mortalis. Hunc igitur modum resolvendi dubia conscientiæ conamur ab omnibus Theologis procul pellere in hac quæstione, vt pernicioſum, & periculosum: &, si forsan in aliquibus invaluit, immerito nobis pro argumento opponitur, cùm contra ipsum præcedentes rationes procedant.

§. IV.

Denique probatur assumptum eo quod imprudens esset assensus opinionis æquè probabilis, si daretur.

41 VLTIMO Probatur conclusio: quià, admisso quod intellectus possit assentiri parti æquè probabili ex imperio voluntatis, imprudens foret talis assensus: ergò nequit prudenter assentiri æquè probabili. Antec. prob. quià imprudenter eligitur medium ad aliquem finem obtinendum, quandò tale medium non minus apparet contrarium, & oppositum fini, quàm vtile ad talem finem; sed intellectus, dùm opinatur, veritatem inquirit tanquàm proprium finem,

nem, & opinio æquè probabilis inconſpecto ſuæ contradictoriæ non minus probabilis, eſt medium non minus apparens contrarium veritati, quàm vtile ad veritatem inveniendam: ergò imprudenter eligitur opinio æquè probabilis. Minor patet quoad primam partem: nàm intellectus in quacumque quæſtione inquirit, ân res ità ſit, vel non ſit: ergò inquirit veritatem. Rurſus, quià intellectus in omni motu ſuo inquirit ſuum obiectum ſpecificativum; hoc eſt veritas: ergò inquirit veritatem. Quod ſecundam etiam patet: quià opinio æquè probabilis æquè apparet falſa ex motivis eam impugnantibus, quàm vera ex motivis ei faventibus: ergò non minus apparet oppoſita veritati, quàm vtilis ad ipſam veritatem inveniendam.

42 Maior autem prob. ab inductione: nàm qui contractum celebrat ad obtinendam veram pecuniam, ſi ei offerretur pecunia, quæ non minus apparet falſa, quàm vera, imprudenter illam acciperet pro contractu. Item, ſi ſanitatem inquireret aliquis, & ei offerretur cibus, de quo æquè probabile eſſet, quod eſſet venenum, quàm quod eſſet medicinalis, imprudenter eligeret talem cibum, & hoc non alia ratione, quàm quià lumen naturale dictat non eſſe eligendum ad finem, medium, quod æquè probabiliter apparet contrarium, & deſtructivum finis, quàm vtile ad finem: ergò.

43 Hanc rationem ſic vrget Mercorus: ſi occaſione alicuius contractus emptor tibi duas offerret monetas, vt alterutram eligeres pro pretio rei venditæ, tamen certo ſcires ipſarum alteram eſſe falſam, quanvis vtraque ex æquo appareret tibi iuſti valoris, malles potius contractum ſcindere, quàm ipſarum alteram acceptare pro pretio. Similiter in duabus navibus, quarum alteram prævideres naufragaturam infallibiliter, quanvis vtraque tibi appareret tuta, neutram ſane ad navigandum eligeres. Inſuper ſunt duo pocula in menſa appoſita, monituſque ſis à fide dignis, venenum alteri eſſe permixtum, tamen vtrumque tibi appareret innoxium, etiam ſi magna vrgereris ſiti, neutrius quidquam degustares. Tandem, ſi eſſes in bivio, ſcireſque alterutram viam à latronibus frequentari, vlterius non procederes, niſi de recto itinere fieres certus: &, ſi aliter faceres, imprudentiſsime in his caſibus procederes.

44 Applica ergò ad doctrinam præſentem, & conſidera naturam minus errare in conſequutione proprij finis, quàm humana ratio, erroremque, qui conſiſtit in opinando falſum, eſſe vulnus, venenum, adque intellectus naufragium. Sicut igitur prudentia dictat in prædictis caſibus abſtinendum ab electione operis ratione periculi, quod imminet, ità repugnat naturæ virtutis intellectivæ ſe determinare oppinando de altera parte contradictionis, quandò vtraque ex æquo apparet vera, ſeu probabilis, cùm hoc vnum ſit certum, contradictoriarum alteram eſſe veram, alteram falſam.

45 Huic argumento, quod, ſi in ſcholis dantur demonſtrationes, demonſtrativum eſt, reſpondet Terillus part. 1. quæſt. 8. num. 40. aſſenſum prædictum fore prudentem, quià in quamcumque partem intellectus à voluntate flectatur, ſemper flectitur in partem de cuius veritate attingenda magna, & præſens ſpes effulget. Sed hoc manifeſte eſt falſum, quià quandò non eſt maior ſpes attingendi veritatem, quàm inveniendi falſitatem, non eſt magna ſpes inveniendi veritatem, quod evidenter probatur in exemplis adductis; nàm vbi non eſt maior ſpes ſervandi vitam, quàm inveniendi mortem, non eſt magna ſpes ſervãdi vitam, & idem de alijs; ſed quandò vna, & altera pars contradictionis eſt æquè probabilis non eſt maior ſpes inveniendi veritatem, quàm inveniendi falſitatem in aſſenſu determinato vnius partis, quià ea pars æquè probabiliter eſt falſa, quàm vera, & æquè imminet falſitas, quàm veritas in illo aſſenſu: ergò falſo ſupponit Terillus in prædicto caſu eſſe magnam, & prudentem ſpem inveniendi veritatem.

46 Deinde reſpondet, prædicta exempla non eſſe ad rem: fatetur enim imprudentem eſſe cenſendum, qui abſque gravi neceſsitate alterum duorum ciborum ſumeret, de quibus certum eſſet alterum eorum eſſe venenatum, & de ſingulis probabile eſſet, quod nullus eorum venenum contineret. Verum lata, inquit, eſt diſparitas inter prædictos cibos, & opiniones probabiles. Cibus enim ſtulte eligeretur: *Quià per eam electionem homo ſe conijcit in periculum probabile mortis.* At homo flectens intellectum ad aſſenſum partis probabilis, per hoc melius ſe habet, quàm ſi omne iudicium ſuſpenderet. Si enim omne iudicium ſuſpenderet, hæreret inſtar ſtipitis, atque omni operatione perfecta intellectuali, &, vt ità dicam, propriè humana, orbatus, in denſiſsima ignorantiæ nocte iaceret, quod homini longe deterius eſt, quàm aliquandò per accidens errare, modo iudicium illud rationabili motivo ſubnixum ſit, ſiquidem hoc modo errare non eſt contra, ſed iuxta condi-

tio-

tionem hum anæ naturæ. Itaque in hoc caſu voluntas prudenter flectit intellectum in aſſenſum alterius partis, quià ex duobus malis, quibus intellectus neceſſario ſubiacet, quod minus eſt, eligit. Itaque dicere errorem eſſe vulnus, peſtem, venenum, & naufragium intellectus, eſt rethoricare ad pompam, non philoſophari ad veritatem, & proportionaliter ad exigentiam naturæ humanæ: nàm eſto hæc omnia vera ſint de errore temerè, & vincibiliter concepto, & multo magis de errore affectato, certum tamen eſt, quod vana ſint, & falſa, ſi loquamur de errore ſequuto ex aſſenſu præſtito opinioni probabili.

47 Ità Terillus, ſed quot verba profert, in tantis errat, & fallitur. In primis falſum eſt, quod prædicta exempla non ſint ad rem, cùm eadem ratio militet in exemplis, quàm in opinionibus eligendis. Quod ſic ex ipſo declaro: ideò enim, ait, ſtulte eligitur cibus in caſu poſito, quià homo ſe conijcit in periculum probabile mortis; ſed qui aſſentitur, & eligit partem contradictionis æquè probabilem, eadem ipſiſsima ratione ſe conijcit in periculum erroris, & falſitatis: ergò eadem ratio vtrobique militat.

48 Dicit ſecundò: intellectum melius ſe habere, aſſentiendo etiam cùm periculo prædicto errandi, quàm ſi omne iudicium ſuſpenderet; quià ſi omne iudicium ſuſpenderet, maneret inſtar ſtipitis. Sed hoc non minus eſt falſum: quià dubitare de vtraque parte contradictionis, quandò ſunt rationes æquales vtrimque, non eſt proprium ſtipitis, ſed eſt actus ſapientiæ, & prudentiæ; ſapientis enim, & prudentis eſt dubitare, vbi obiectum, omnibus penſatis, dubitabile manet: nunquam autem obiectum magis dubitabile manet, quàm cùm adſunt æquales rationes pro vtraque parte contradictionis. Hæc enim iuxta D. Thom. eſt propria diſpoſitio dubitantis: ergò tunc ſapientis, & prudentis, & non ſtipitis, eſt dubitare inter vtramque partem, & vtramque æquè ponderare, hoc enim eſt reſpicere vtramque partem iuxta merita cuiuſque, & ſecundum vniuſcuiuſque probabilitatem. Et quidem licet hæc actio non ſit conſummate perfecta, falſum eſt quod non ſit *proprie humana, & quod ſit denſiſsima ignorantiæ nox*, & hoc potius eſt rethoricare ad pompam: dubitare enim, quandò vtraque pars contradictionis æqualibus rationibus fulcitur, proprium eſt hominis, imò & hominis prudentis, & ſapientis, minimèque denſiſsima ignorantiæ nebula. Numquid dicemus Auguſtinum in pluribus dubijs nihil omninò reſolventem determinatè, ſed in dubio permanentem, & dicentem: *Quære alium ſapientiorem, ſed cave ne invenias præſumptiorem*, inſtar ſtipitis fuiſſe, omni operatione proprie humana orbatum, ac in denſiſsima ignorantiæ nocte? Quis hoc dicat? In nullo ſane magis enituit Aug. ſapientia, quàm in dubitationibus ſuis circa res difficiles. Præterea, licet circa illud obiectum maneat dubius, & ſuſpenſus, circa alia innumera poſſet iudicium exercere, ſicut in exemplo ciborum: licet circa illos cibos de veneno ſuſpectos maneret famelicus, poſſet tamen de alijs innumeris edere, & ideò melius eſſet illis relictis ad alia reſpicere: ergò melius erit intellectui ſuſpendere iudicium circa opiniones æquè probabiliter falſas, & ad alia obiecta diverti, quàm cùm tanto falſitatis periculo alterî illarum determinatè aſſentiri.

49 Dicit deinde, longe deterius eſſe prædicto modo hærere dubium, quàm per accidens errare, modo iudicium errans rationabili motivo ſubnixum ſit. Sed hoc etiam eſt falſum. Nàm dato caſu, quod dubitatio ſit actio imperfecta negativè, hoc eſt, non conſummatè perfecta, non tamen eſt imperfecta privativè, quià in ea intellectus non fallitur, nec errat, imò, nec in ea periculum errandi eſt, ſed ſecuritas ab errore. At errare, etiam per accidens, eſt actio privativè imperfecta, ſiquidem eſt malum intellectus; ſicuti enim bonum proprium intellectus eſt verita s, quàm naturaliter appetit tanquam proprium finem, ità malum eius eſt falſitas, quàm naturaliter fugit, tanquam ſuo fini contrariam; & ideò intellectus quotieſcumque errat, attenta propria natura, errat per accidens, & non per ſe, quià errat contra propriam inclinationem, & intentionem naturalem, quod falſum eſſet, niſi error eſſet malum intellectus, & conſequenter privativa imperfectio. Item fallitur Terillus ſupponens in caſu æqualis probabilitatis iudicium pro vna parte, altera relicta, eſſe innixum rationabili motivo; quià nullum eſt rationale motivum, vt cùm proximo periculo errandi aſſentiat intellectus vni parti potius, quàm alteri, ſed ratio dictat dubitandum eſſe, ſi enim nullum poteſt eſſe rationale motivum, vt homo quærens vitam, eligat cibum, de quo æquè probabile eſt venenatum eſſe, quàm ſalutare, cùr erit rationale motivum, vt intellectus naturaliter appetens veritatem, eligat opinionem, de qua æquè probabile eſt eſſe falſam, quàm veram?

50 Item falſum eſt, quod voluntas, dum depoſito dubio eligit parti æquè

pro-

probabili assentiri, ex duobus malis quod minus est eligit. Supponit enim Terillus, quod dubitare sit malum intellectus, & quod sit maius malum, quàm exponere se proximo periculo errandi, quod falsum esse iàm constat: nàm dubitare non est malum intellectus, sed solum actus nondùm consummatè perfectus; error autem, cuius periculo se exponit, est proprium, & speciale malum intellectus in sua linea. Vndè dùm intellectus assentitur parti æquè sibi probabiliter falsæ, àc veræ, eligit exponere se periculo proximo errandi, potius quàm manere in actu dubitandi, àc percòsequens eligit potius incurrere proprium malum, quàm manerè in actu imperfecto negativè circa proprium bonum, quod manifesta imprudentia est, quià ex duobus extremis, vno privativè sibi malo, & alio nondùm consummate bono, licet bono, eligit potius incurrere malum, quàm manere in bono imperfecto.

51 Deindè dicit, quod dicere, errorem esse pestem, vulnus, venenumque intellectus, est rethoricari ad pompam, & non philosophari ad veritatem. Et in hoc etiam maximè fallitur, quià nemo magis philosophatur ad veritatem, quàm ille, qui reputat errorem, & ab illo fugit tanquam â peste, vulnere, & veneno intellectus. Dicit item, hoc verum esse de errore temere, & vincibiliter concepto, non de errore concepto ex motivo probabili. Sed indè manifestè convincitur: nàm quandò quis voluntariè, & absque vrgenti necessitate conijcit se in proximo periculo errandi, si errat, vincibilitèr, & culpabilitèr errat, cùm potuerit vitare errorem, vitando periculum proximum: ergò si per te error vincibilitèr, & culpabilitèr conceptus est pestis, virus, & vulnus intellectus, & huic errori se exponit, qui assentitur opinioni sibi non minus probabiliter falsæ, quàm veræ, exponit se pesti, veneno, & vulneri intellectus.

52 Deinde, nàm si quis ex duobus cibis, relatis in exemplo, vnum assumeret, & indè incurreret mortem, mors illa non esset sibi inculpabilis, & involuntaria, quià voluntarie se exponit periculo proximo incurrendi mortem: & iuxta omnes qui voluntarie se exponit periculo proximo alicuius mali, si tale malum incurrat, non inculpabiliter, sed culpabiliter, & voluntariè illud incurrit; sed qui ex partibus contradictionis æquè sibi probabilibus vni determinatè assentiretur, exponeret se periculo proximo errandi, vt constat exparitate facta: ergò si erraret, erraret culpabilitèr, & voluntariè.

53 Secundò, quià falsum est quod ignorantia, seu error, invincibilis etiam, non sit vulnus intellectus. Etenim negari non potest intellectum per peccatum originale vulneratum fuisse. At, quo vulnere? Ignorantiæ, & erroris, respondent communiter Theologi. Sed vlterius inquiro: cuius ignorantiæ, & erroris? Numquid tantum vincibilis, & culpabilis? Minimè, nàm hæc non est vulnus, nec pœna peccati originalis, cùm sit voluntaria personalitèr; potissimè igitur vulneratus fuit intellectus ignorantia invincibili, & inculpabili personalitèr, vt fatetur ipse Terillus contra Ianſen. quæst. 16. num. 45. ergò ignorantia, & error invincibilis vulnus est intellectus nostri.

Tertiò, quià cæcitas non minus est vulnus oculorum, quandò contrahitur inculpabilitèr, & invincibilitèr, quàm dùm contrahitur vincibilitèr, & culpabilitèr, licet in secundò casu sit malum morale, & culpa voluntatis, in primò vero solum sit malum physicum oculorum absque culpa voluntatis: ergò error, seu ignorantia, quæ est quædam cæcitas intellectus, non minus est vulnus quandò incurritur invincibilitèr, & inculpabiliter, quàm dùm incurritur culpabilitèr, licet in hoc secundò casu sit malum morale, & culpa voluntatis; in primò vero solum sit malum physicum intellectus.

54 Quartò: nàm error, qui est contra naturalem inclinationem intellectus, est vulnus, & malum physicum intellectus; sed error quilibet, sivè vincibilis, sivè invincibilis, est contra naturalem inclinationem intellectus: ergò est vulnus, & physicum malum intellectus. Maior patet: quià quidquid est contra naturalem inclinationem alicuius rei, malum est illi rei, siquidem naturalitèr illud aborret, & natura nihil aborret, nisi proprium malum. Minor vero etiam patet: nàm intellectus, etiam dùm errat invincibilitèr, naturaliter quærit veritatem; sed error est contra veritatem: ergò error est obiectivè contra inclinationem naturalem intellectus, etiam dùm errat invincibilitèr. Confirmatur: nàm vnde oritur illa communis querela, dùm quis ab altero fallitur, sine culpa propria, & cùr hoc sibi omnes iniurioſum putant, & adversus fallentes, & decipientes irritantur, nisi quià omnes ægrè ferunt decipi, etiam inculpabilitèr, & invincibilitèr; sed hoc minimè ægrè ferrent, nisi deceptio, & error esset vulnus intellectus, àc per consequens malum illius: ergò dicere, errorem, etiam si invincibilem, & inculpabilem, esse vulnus, àc venenum intellectus,

ctus, non eſt frivolum, & falſum, ſed veriſſimum.

55 Fallitur denique manifeſte in eo quod ait, quod hoc modo errare eſt iuxta conditionem humanæ naturæ, ſi intelligat idem, àc iuxta inclinationem humanæ naturæ: nàm iàm vidimus eſſe directe contra ipſam. Si vero idem intelligat pro conditione humanæ naturæ, àc pro fragilitate eius, hoc eſt, iuxta conditionem fragilem humanæ naturæ, non negabimus; ſed etiam innumera ſunt peccata, quæ ſunt iuxta conditionem fragilem humanæ naturæ, nimirùm omnia ea quæ ex fragilitate, & non ex malitia eveniunt; & tamen non deſinunt eſſe propriè mala humanæ naturæ. Quod autem excedere videtur conditionem humanæ naturæ, eſt velle in omni dubio poſitivo, vbi rationes pro vtraque parte vrgent, facillimè, & pro libito, ſeu ad libitum reſolvere, iudicare, àc decidere: hoc enim, vel intellectum ſuperat Angelicum. Quis enim temeritatis notam evadere poterit, ſi vbicumque difficillimæ pro vtraque parte contradictionis rationes militant, quæ reddunt quæſtionem difficillimam, tàm facili negotio reſolutionem inveniat, vt pro libito ſententiam proferat pro parte, qua maluerit, eamque dicat veram, quàm maluerit, quaſi voluntas ſit arbitra veritatis.

Quibus adde Auguſt. in Enchirid. ad Laurent. cap. 19. dicentem: *Ipſe per ſe ipſum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, ſemper tamen malum eſt.* Item D. Thom. quæſt. 18. de verit. art. 6. in corp. dicit: *Falſitas non ſolum eſt carentia veritatis, ſed etiam ipſius corruptio. Vnde ſicut verum eſt bonum ipſius intellectus, ità falſum eſt malum ipſius. Vnde dicit Commentator, in 3. de Anima, quod falſa opinio ità ſe habet in cognoſcibilibus, ſicut monſtruum in natura corporali.* Idem aſſerit ex mente Philoſophi lib. 6. Æthicor. lect. 2. litera F. Ergò error eſt malum, corruptio, & monſtruoſitas contra bonum proprium intellectus: ergò eius naturæ contrarium.

56 Secundò reſpondet M. Ferre prædicto argumento tract. de prob. quæſt. 8. num. 184. nullius eſſe efficaciæ: quià ille, v.g. qui eligeret cibum, de quo æquè probabile eſſet, quod eſſet venenatum, quàm quod eſſet medicinale, per hoc quod ſequeretur opinionem probabilem in illa electione, ſi revera venenatus eſſet cibus, non liberaretur à morte, & à veneno. Attamen, qui opinionem probabilem certo probabilem eligit, per hoc à morte, & veneno peccati excuſatur, quanvis falſum in re eligat. Sed contra, nàm periculum de quo procedebat argumentum noſtrum, non eſt periculum peccandi, vel non peccandi, hoc enim propriè ſpectat ad voluntatem, de qua hucuſque mentionem non facimus; ſed eſt periculum errandi per iudicium intellectus, & inveniendi falſitatem loco veritatis. Sed intellectus, per hoc quod ſequatur opinionem probabilem, ſi illa revera eſt falſa, non liberatur ab errore, & falſitate, quæ ſunt proprium malum intellectus in propria linea, ſed revera errat, & fallitur: ergò ſicut in caſu ciborum per opinionem probabilem non liberaretur à malo mortis, & veneni; ità in electione opinionis æquè probabilis cùm ſua oppoſita non liberaretur à malo erroris, & falſitatis per ſequelam opinionis probabilis. Rurſus, quià nec liberaretur à morte, & malo morali peccati: quià qui ſe exponit voluntariè periculo proximo errandi, ſi erret, voluntarie, & culpabiliter erret, & ſi talis error eſt culpabilis non excuſat à culpa, nec liberat à morte peccati inde ſequuti, vt omnes Theologi fatentur. Sed qui ſequitur opinionem æquè probabilem ſua oppoſita, ſe exponit periculo proximo errandi, vt probatum manet: ergò, ſi erret, errat culpabiliter, & talis error, licet ex opinione probabili, non excuſat à culpa, nec liberat à morte peccati. En igitur qualiter ſit efficaciſſimum argumentum noſtrum, àc penitus inſolubile, & tamen ſolo eius contemptu iudicant contrarij eum ſolutum iri.

§. V.

Applicatur præcedens doctrina opinioni minus probabili.

57 EX Dictis conſequenter probatum manet, intellectum non poſſe prudenter aſſentiri opinioni minus probabili in conſpectu probabilioris. Facillimè enim præcedens doctrina ad hoc probandum applicari poteſt: nàm ſi intellectus æqualibus motivis, & rationibus tractus in vtramque partem contradictionis, non poteſt alteri determinatè aſſentiri, vt probavimus in prima probatione concluſionis, minus poterit aſſentiri vni parti, quandò maioribus rationibus, & motivis trahitur, & ſtimulatur in oppoſitam; ſed dùm aliqua opinio apparet intellectui minus probabilis, maioribus rationibus, & motivis trahitur intellectus in oppoſitam: ergò multo minus poterit intellectus illi aſſentiri.

58 Nec prodeſt imperium volun-

tatis.

tatis. Nàm voluntas non poteſt flectere intellectum, vt aſſentiatur parti æquè probabili, quià tunc non eſt maior ratio, vt aſſentiatur ipſi, quàm eius oppoſitæ, vt probatum manet in ſecunda ratione; ſed nulla etiam eſt potior ratio, vt aſſentiatur parti minus probabili, imò maior ratio eſt, vt aſſentiatur oppoſitæ probabiliori: ergò voluntas non poteſt flectere intellectum, vt aſſentiatur parti minus probabili in concurſu oppoſitæ probabilioris, vel adminus talis aſſenſus erit irrationalis, & imprudens.

59 Confirmatur ex P. Mercoro: aſſentiri vni parti opinativè eſt exiſtimare talem partem eſſe veram, & oppoſitam falſam; ſed implicat intellectum exiſtimare partem minus probabilem eſſe veram, & oppoſitam falſam: ergò implicat intellectum aſſentiri opinativè parti minus probabili in concurſu probabilioris. Minor probatur: nàm pars minus probabilis eſt quæ minus apparet vera, & magis apparet falſa; pars verò oppoſita magis probabilis eſt quæ magis apparet vera, & minus apparet falſa; ſed implicat aperte intellectum exiſtimare veram partem, quæ ſibi apparet magis falſa, & falſam partem, quæ ſibi apparet magis vera; ſtultus enim non ità iudicaret: ergò.

60 Reſp. M. Ferre, intellectum poſſe exiſtimare veram ſententiam quæ ſibi apparet magis falſa, & falſam quæ ſibi apparet magis vera exiſtimatione incerta, & formidoloſa; quià non eſt contra ius probabilioris, de qua neſcitur àn vera, vel falſa ſit, eam reputare falſam, & oppoſitam veram, ſed potius hoc eſt tractare probabilia iuxta merita ſua. Sed contra eſt, quià adhuc opinativè, & formidoloſe prorſus fatuum eſt reputare veram ſententiam, quę magis apparet falſa, & reputare falſam ſententiam, quæ magis apparet vera. Quis enim niſi irrationalitèr diceret: *Mihi omnibus conſideratis magis apparet verum eſſe illicitum hunc contractum, quàm eſſe licitum; & magis apparet falſum eſſe licitum, quàm eſſe illicitum: tamen abſolute opinor veram eſſe, quod eſt licitum, & falſum, quod eſt illicitum.* Certe hic modus opinandi fatuus eſt, & irrationalis. Nàm quà ratione quis opinari poteſt ex duobus oppoſitis, illud eſſe verum, quod omnibus inſpectis ſibi apparet magis falſum, & illud eſſe falſum, quod omnibus inſpectis ſibi apparet magis verum?

61 Contra ſecundò: nàm qui ſic exiſtimaret, non formidaret falſitatem, & errorem, ſed potius directè quæreret errorem: falsò ergò ſupponit ſolutio, quod aſſentiret formidoloſe, hoc eſt, cùm formidine falſitatis. Antec. prob. quià ille, qui adhæret parti, quæ ſibi apparet magis falſa, relicta ea, quæ minus apparet falſa, & magis vera, manifeſte quærit falſitatem, illamque videtur amare: ergò. Explicatur: ſi proponerentur duo cibi, quorum vnus magis appareret amarus, & minus dulcis, & alius magis dulcis, & minus amarus; & quis eligeret eum, qui ſibi appareret magis amarus, & minus dulcis, relicto eo, qui ſibi appareret magis dulcis, & minus amarus, manifeſte convinceretur magis quærere amarum, quàm dulce: ergò qui ex duabus ſententijs, quarum vna magis apparet vera, & minus falſa, & alia magis apparet falſa, & minus vera, ei adhæreret, quæ omnibus inſpectis magis apparet falſa relicta illa quæ magis apparet vera, manifeſte convincitur plus quærere falſitatem, quàm veritatem. Nec hic prodeſt recurſus ad imperium voluntatis. Nàm voluntas ſuo imperio non poteſt flectere intellectum, vt in ſuo aſſenſu magis quærat falſitatem, quàm veritatem; cùm hoc ſit contra eſſentiam, & naturam phyſicam, & metaphyſicam ipſius intellectus; ſed intellectum aſſentiri opinativè ſententiæ, quæ ſibi apparet magis falſa, & minus vera, relicta, quæ ſibi apparet magis vera, & minus falſa, eſt, intellectum ſuo aſſenſu quærere potius falſitatem, quàm veritatem: ergò voluntas non poteſt ſuo imperio flectere intellectum, vt aſſentiatur opinativè parti, quæ ſibi apparet magis falſa, & minus vera.

62 Reſpondebis cùm Teriſſo quæſt. 8. num. 24. intellectum non poſſe aſſentiri opinioni, quæ ſibi apparet magis falſa, & minus vera conſequenter ad affectum voluntatis, & ad proprium aſſenſum, bene tamen quæ ſibi apparet antecedenter ad affectum voluntatis, & proprium aſſenſum magis falſa, & minus vera. Diſtinguit enim hic Author duas apparientias veritatis, & falſitatis, quarum prima ſit antecedens ad imperium voluntatis. Secunda conſequens ad talem affectum, & aſſenſum ipſius intellectus; atque: quotieſcumque voluntas ſuo imperio flectit intellectum in partem minus probabilem, talem partem propriori quidem ad imperium, & aſſenſum apparere minus veram, magis falſam: àt ex vi ipſius imperij, & aſſenſus apparere conſequenter magis veram ſua oppoſita.

63 Sed contra eſt: quià intellectus, ſaltim prudenter, nequit aſſentiri parti, quæ ſibi antecedenter omnibus inſpectis apparet magis falſa, quàm vera: ergò ruit ſolutio. Antec. prob. quià ſola veritas antecedenter apparens poteſt eſſe ratio motiva intellectus ad aſſenſum, non autem veri-

veritas conſequenter apparens; quià motivum obiectivum ad aſſenſum debet præcedere ipſum aſſenſum, vtpote ratio à priori illius; ſed, ſi pars, cui aſſentitur, antecedenter appareat magis falſa, & minus vera, non datur antecedenter ad aſſenſum veritas apparens, quæ poſsit moverè intellectum ad aſſenſum illius partis præ oppoſita: ergò non poterit intellectus ei aſſentiri rationabilitèr, & conſequenter nec prudenter. Minor prob. quià antecedenter ad aſſenſum illa pars ſolum apparet minus vera, & magis falſa; ſed ad hoc vt intellectus aſſentiatur illi parti præ ſua oppoſita, non eſt motivum rationale: *Quià illa pars apparet magis falſa, & minus vera ſua oppoſita.* Quis enim niſi ſtultiſsime aſſentitur potius ſententiæ affirmativæ, quàm negativæ, quià affirmativa apparet minus vera, & magis falſa, quàm negativa? Ergò. Vnde ineptiſsime recurrit Terillus ad apparientiam conſequentem, quià quod conſequenter appareat magis vera, nequit eſſe motivum, aut ratio aſſentiendi, àc per conſeq. omnino impertinenter ſe habet ad hoc, vt ille aſſenſus ſit ex motivo rationali.

64 Vrgetur exemplo relato: ſi quis eligeret potum, qui antecedenter magis appareret frigidus, & minus calidus, convinceretur magis quærere frigidum quàm calidum; & hoc, quanvis conſequenter appareret per guſtum illius minus frigidus, & magis calidus: quià videlicet illa apparientia conſequens fuit per accidens ad movendum affectum voluntatis, & appetitum cibi, & ſola apparientia antecedens potuit movere: ergò pariter ſi quis eligeret opinionem, quæ ſibi antecedenter appareret magis falſa, & minus vera, convinceretur magis quærere falſum, quàm verum, & hoc quanvis conſequenter appareret magis vera.

65 Et ratio eſt evidens, quià nec voluntas, nec intellectus per proprios motus quærunt per ſe in obiecto, quod conſequenter ad tales motus apparet in obiecto, ſed tantum quærunt per ſe, & ex propria intentione, quod ipſis apparet antecedenter ad proprios motus in obiectis. Vnde ſi quis poſt motum in obiectum inveniat in obiecto hanc, vel illam conditionem, quæ ſibi non apparuit antequam moveretur in illud, illam conditionem invenit omninò per accidens, nec poteſt dici quod illam per ſe, & ex propria intentione quæſivit; ſed iuxta ſolutionem, tàm intellectus, quàm voluntas moventur in obiectum, quod ſibi antecedenter apparet magis falſum, & minus verum, relicto illo, quod ſibi antecedenter apparet magis verum, & minus falſum: ergò per proprios motus in illo caſu per ſe, & ex propria intentione magis quærunt falſum, quàm verum, licet per accidens inveniant quod ſibi poſtea apparet magis verum, & minus falſum.

66 Contra ſecundò, ſic impugno ſolutionem datam: implicat quod obiectum conſequenter ad affectum voluntatis, & ad aſſenſum intellectus, appareat rationalitèr magis verum, aut magis probabile, ſi antecedenter proxime apparebat minus probabile, & minus verum: ergò ruit ſolutio. Antec. prob. quià, dùm non apparet novum motivum, aut nova ratio pro obiecto, implicat quod obiectum appareat rationalitèr magis verum, & magis probabile, quàm antea, vt per ſe patet; ſed poſtquam voluntas afficitur erga obiectum, & intellectus ei aſſentitur, nulla nova ratio apparet pro obiecto: ergò implicat quod obiectum appareat conſequenter magis probabile, aut magis verum, quàm antea.

67 Reſpondet Terillus, apparere novam rationem pro obiecto, nimirum proprium iudicium aſſentientis ei, propriamque authoritatem, quæ ſunt nova motiva pro veroſimilitudine obiecti. Sed contra manifeſte, quià propria authoritas iudicantis, eiuſque iudicium, non poteſt dici, quod ſit ratio, aut motivum pro obiecto, augens probabilitatem obiecti. Quis enim niſi fatuè ità diceret: *Fateor, quod hæc opinio de ſe eſt minus probabilis, quàm oppoſita; tamen mihi eſt magis probabilis, quià pro illa ſtat mea authoritas, & meum iudicium. Et hæc ſunt rationes, & motiva vi cuius mihi eſt magis probabilis.* Vrgetur: rationes, & motiva, quibus rationaliter nequit probari concluſio, nequeunt facere illam concluſionem magis probabilem, aut magis apparere veram; ſed nemo, niſi fatue, probare poteſt ſuam concluſionem, quià pro illa ſtat propria authoritas, & proprium iudicium: ergò propria authoritas, & proprium iudicium non ſunt novæ rationes, aut motiva, vi quarum concluſio evadat magis probabilis, aut appareat magis vera. Rurſus, quià propria authoritas, aut aſſenſus non poſſunt movere ad aſſenſum. Nam antequam aſſenſum præſtes, non es author illius opinionis potius, quàm oppoſitæ, nec ſua authoritas favet vni potius, quàm alteri: ergò.

68 Dicit iterum Terillus, quod licet non appareant diverſa motiva conſequenter, àc antecedenter; eadem tamen, quæ antecedenter apparebant minus probabilia, conſequenter ad aſſenſum, & affectum

ctum apparent magis probabilia, quià apparent vt coniuncta cùm affectu, & aſſenſu abſolutè approbante illa. Sed contra eſt, quià affectus, & aſſenſus præſtitus motivis antecedentibus nullam omnino ſuperaddit probabilitatem illis motivis: ergò etiam ſi conſequentèr appareant illa motiva, vt coniuncta cùm aſſenſu, & affectu, per hoc præcisè non poſſunt apparere, ſaltèm prudentèr, magis probabilia. Antec. prob. quià id, vi cuius nequit vrgentius probari concluſio ex illis motivis, non facit ea motiva magis probabilia: nàm motiva eatenùs ſunt magis probabilia, quatenùs vrgētius ſuadēt concluſionem; ſed motiva præcedentia, eo quod illis ſuperaddatur aſſenſus, & affectus iudicantis, non probant vrgentius concluſionē: ergò talis affectus, & aſſenſus præſtitus motivis antecedentibus non addit probabilitatem eiſdem motivis, Minor prob. quià nemo ſic vnquàm dixit: *Vrgentius probatur concluſio: quià prædictis rationibus, & motivis ego affectum, & aſſenſum præſto. ergò concluſio ex illis illata tenet.* Et ſi ita diceret ab omnibus rideretur: ergò motiva præcedentia, eo præcisè quod illis ſuperaddatur aſſenſus, & affectus proprius, non probant vrgentius concluſionem.

69 Confirmatur: ſi authoritas, & iudicium opinantis præſtaret maiorē probabilitatem motivis præcedentibus, poſſet contingere quod motiva eſſent antecedētèr levia, & conſequentèr gravia; ſed hoc eſt impoſsibile: ergò. Sequela patet: quià ſi poſſent aſſenſus, & affectus præſtare maiorem probabilitatem motivis antecedentèr minus probabilibus, poſſent eis præſtare maius pondus, & maiorem vim; ſed eo ipſo poſſent motiva antecedentèr levia, contracto maiori pondere, fieri conſequentèr gravia: ergò. Abſurditas autem ſequelæ patet; quià rurſus ex illa ſequeretur, quod iudicans ex motivo levi, & temerè, conſequentèr poſſet idem iudicare prudentèr, ſeu ex motivo gravi, nulla ſuperveniente ratione prætèr affectum proprium, & iudicium ex motivo levi temerè conceptum; hoc autem nec ipſi contrarij admittere audebunt: ergò. Confirmatur ſecundo: quià authoritas, aut iudicium alicuius prò aliqua ſententia non facit illam ſententiam magis probabilem, ſi ſemel ſciamus, illum ſequi opinionem minùs probabilem; imò, ſi hoc ſciamus, potiùs facit opinionē illā arguitive minùs probabilē. Sicut ſi ſciremus aliquem eligere ſemper cibos minùs ſalubres, quanvis eligeret cibum *A*, non probaretur talem cibum ſalubriorem eſſe, ſed potius eſſe minùs ſalubrem; ſed in prędicto caſu voluntas per ſuum affectum eligit aſſentiri parti minùs probabili: ergò eius affectus, & aſſenſus non reddunt illam partem magis probabilem, ſed potiùs arguitive minùs probabilem

§. VI.

Solvuntur argumenta.

70 OBIJCIES Primò: intellectus poteſt aſſentiri cuicumque opinioni, quàm iudicat probabilem; ſed opinio probabilis in concurſu probabilioris, vel æquè probabilis, manet probabilis: ergò intellectus poteſt aſſentiri pro libito cuilibet opinioni probabili in concurſu probabilioris, vel æquè probabilis. Diſtinguo maiorem: quàm iudicat probabilem remote, ſecundum quid, aut conditionate, nego maiorem: quàm iudicat probabilem proximè, ſimplicitèr, & abſolutè, concedo maiorem. Vel alitèr: quàm iudicat attentis omnibus hic & nunc concurrentibus pro ipſa, & contra ipſam abſolutè, & ſimplicitèr probabilem, concedo maiorem: quàm iudicat probabilem attento præcisè vno motivo, & quantum eſt ex parte illius, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: ſed opinio probabilis in concurſu probabilioris, vel æquè probabilis manet probabilis proximè, & ſimplicitèr, hoc eſt, attentis omnibus concurrentibus pro ipſa, & contra ipſam, nego minorem: ſecundum quid, & attento præcisè vno motivo, tranſeat minor, & nego conſequentiam. Quæ ſolutio conſtat ex ſuprà dictis quæſtione 23.

71 Sed contra inſurges primo: quià talis opinio, omnibus attentis, non manet abſolutè, & ſimplicitèr improbabilis: ergò, omnibus attentis, manet abſolutè, & ſimplicitèr probabilis. Nego conſeq. quià datur medium, nimirùm abſolutè, & ſimplicitèr poſitive dubitabilis; & hoc pacto ſe habet tunc illa opinio, quando concurrit motivum æquè probabile contra illam, àc prò illa; quià tunc, vtroque motivo conſiderato, ſolùm eſt proximè dubitabilis, non autem proximè, & ſimplicitèr probabilis, nec improbabilis.

72 Inſurges ſecundò: quando concurrit cùm oppoſita notabilitèr magis probabili non manet dubitabilis proximè; quià tunc non adeſt æqualitas, ſed in æqualitas mativorum; ſed tunc non manet proximè, & ſimplicitèr improbabilis: ergò manet proximè, & ſimplicitèr probabilis. Patet conſeq. quià inter probabile, dubitabile, & improbabile non eſt medium. Diſtinguo minorem, improbabilitate, ſumpta prò nota & cenſura, concedo mi-

minorem ; improbabilitate ſumpta prò cõdignitate vt improbetur tanquam falſa, nego minorem: tùm, quià ea opinio, omnibus attentis, manet proximè negabilis, reijcibilis, reprobabilis, àc perconſequens improbabilis. Sicut enim proximè negabilis eſt opinio, quando intellectus, omnibus attentis, habet motivum ſufficiens, vt illam neget, & proximè reprobabilis, quando adeſt motivum ſufficiens, vt reprobetur, & reijciatur vt falſa ; ità tunc eſt proximè improbabilis, quando adeſt motivum ſufficiens, & prudens, vt improbetur tanquam falſa ; ſed quando eſt minus probabilis in conſpectu probabilioris, vtroque motivo inſpecto, adeſt intellectui ſufficiens motivum, àc prudens ad improbandam talem opininem vt falſam : ergò ei intellectui erit proximè, & ſimplicitèr improbabilis, prout improbabile dicit ex parte obiecti capacitatem, & digninatẽ, vt improbetur in actu ſecundo.

73 Tùm etiam: quià ea opinio, omnibus attentis prout hic & nunc, manet proximè indigna vt approbetur, proximè incapax, vt ei intellectus præſtet aſſenſum. Siquidem maior eſt ratio, vt ſit falſa, quàm vt ſit vera, & opinio talis condicionis indigna eſt proximè, & incapax, vt ei præſtetur aſſenſus, vt ex dictis patet : ergò ea opinio in concurſu oppoſitæ probabilioris manet proximè improbabilis, prout improbabile eſt idem, àc indignum, & incapax vt ei præſtetur aſſenſus, ſivè vt aprobetur ab intellectu.

74 Inſurges tertio: talis opinio, quantum eſt ex parte ſui motivi, manet probabilis, etiam in ſenſu compoſitò probabilitatis alterius : ergo habet pro ſe motivum ſufficiens, vt ei intellectus præſtet aſſenſum ; ſed intellectus poteſt aſſentiri opinioni habenti prò ſe motivum ſufficiens : ergò etiam in concurſu alterius æquè probabilis poteſt intellectus ei aſſentiri. Conceſſo antec. diſtinguo conſeq. ergò habet prò ſe motivum ſufficiens condtionatè, concedo conſeq. abſolutè hic & nunc ſufficiens, nego conſeq. & diſtincta minori ſubſumpta eodem modo, nego conſeq. Sicut enim in ſtatera ponderante duo æqualia pondera in lance dextera adeſt pondus ſufficiens ad inclinandam ſtateram in illam partem, ſufficiens, inquam, conditionatè, id eſt, ſi non impediatur prò parte oppoſita, ſed non abſolutè, & proximè, vt hic & nunc inclinet ſtateram in ſuam partem. Et ſicut partes litigantes habentes prò ſe iura æqualia, vel æquales teſtes, quælibet habet prò ſe ius, & probabilitatem ſufficientem ad inclinandum Iudicem in ſui fovorem, ſufficientem, inquam, conditionatè, id eſt, pro caſu, quo deeſſet æquale ius, & numerus teſtium prò oppoſita ; non tamèn ſufficiens abſolutè ad inclinandum hic & nunc Iudicem in ſui favorem. Sic ſimilitèr in partibus contradictionis æquè probabilibus, quælibet pars habet pro ſe motivum ſufficiens ad inclinandum intellectum in ſui aſſenſum, ſufficiens, inquam, conditionate, ſed non abſolutè ad inclinandum intellectum hic & nunc in ſui aſſenſum.

75 Obijcies ſecundo ex Terillo : intellectus in obſcuris naturalitèr ſubiacet imperio voluntatis, non ſolum quià ſinè eius imperio, nulli obiecto obſcurè propoſito aſſentiri poteſt, ſed quià eius imperio naturalitèr obedit, & neceſſariò, adque determinatè producit aſſenſum, quem voluntas imperat, quando adeſt ſufficiens motivum ad illum imperandum. Hæc apud omnes ſunt certa. Sed quando vtraque pars contradictionis eſt æquè probabilis, intellectus trahitur vtrimque, & habet vtrimque motivum verè magnum prò vtraque parte, quod etiam in alterius contradictione valde ſtimulat ad aſſenſum : ergò tunc intellectus verè ſubiacet voluntatis imperio, quià adeſt motivum ſufficiens ad aſſenſum vtriuslibet partis imperandum : ergò intellectus pro libito voluntatis poteſt aſſentiri cuilibet parti contradictionis, etiam quando vtraque apparet æquè probabilis. Reſpondeo, maiorẽ eſſe falſam vniverſalitèr ſumptam, quià quanvis voluntas habeat motivum ſufficiens ad imperandum aſſenſum alicuius obiecti, & illum de facto imperet, ſi tamèn intellectus non habuerit ex parte ſuà vllum motivum, aut rationem aſſentiendi, ſanè tunc non obediet voluntati, nec præſtabit aſſenſum imperatum. Duo enim motiva requiruntur vt intellectus obediat voluntati neceſſario, & naturalitèr. Primum præſuppoſitive vt voluntas imperet talẽ aſſenſum; quià voluntas, vtpote potentia rationalis, nihil vult, niſi proptèr aliquã rationẽ, aut motivum. Secundũ formalitèr ex parte intellectus, vt talem præſtet aſſenſum. Nàm intellectus etiam eſt potentià eſſentialitèr rationalis, & nequit aſſentiri obiecto, niſi protèr aliquã rationẽ, vel motivum. Vndè quanvis ego nunc vellẽ credere ſtelas eſſe pares, & quanvis ad hoc volẽdum quis me incitaret offerendo magnum lucrum, ſi id crederem, ego quidem id vellem credere, ſed intellectus meus naturalitèr non obediret, quià nullum habet motivum ad hoc credendum. Nõ ergò illa maior apud omnes certa eſt, vt ſupponit Terillus, ſolum ergò apud omnes certũ eſt, quod, dũ adeſt in intellectu motivum abſolutè ſufficiens

ad

ad assensum, & voluntas imperat talem assensum, intellectus necessario, & naturaliter obedit, ac præstat assensum. Et hoc forsàn dicere voluit Terillus, quanvis equivocatus, motivum, quod debuit exigere ex parte intellectus ad assensum, posluerit ex parte voluntatis ad imperandum.

76 Ideoque aliter, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: quià in minori debuit ponere medium maioris ad rectè inferendum, nimirùm dicendo: *Sed intellectus, quando vtraque pars contradictionis est æquè probabilis, habet motivum absolutè sufficiens*, quod tamèn non dicit, sed solùm quod habet motivum verè magnum, quod valdè stimulat intellectum: quod quidem non est habere motivum hic, & nunc absolutè sufficiens. Nàm testimonium duorum testium, v. g est motivum verè magnum ad extorquendam sententiam Iudicis, quod valdè stimulat ipsum Iudicem ad iudicandum prò parte illorum testium; & tamèn si prò contraria concurrunt alij duo testes, primum testimonium, licèt magnum, non est motivum absolutè sufficiens ad extorquendam sententiam Iudicis. Sic igitur, dùm vtraque pars est simul probabilis, fateor, quod quælibet habet pro se motivum verè magnum, sed quià prò opposita concurrit motivum æquè magnum, ideò tale motivum non est hic & nunc absolutè sufficiens ad assensum præstandum illi parti; ac perconsequens quanvis prò vtraque parte sit motivum verè magnum, prò neutra est motivum absolutè sufficiens ad flectendum intellectum.

77 Sed replicabis ex ipso: quando voluntas allicitur motivis æqualibus, & dissimilibus, quodlibet ex illis est absolutè sufficiens, vt ex illo moveatur voluntas: ergò dùm in intellectu concurrunt duo motiva æqualia, & dissimilia, v.g. vnum à ratione, & aliud ab authoritate, vel duæ rationes dissimiles æquales, quælibet est motivum sufficiens, vt intellectus ex illa moveatur ad assensum. Respondeo primo, negando antecedens: nàm ex principijs Div. Thom. & omnium Thomistarum, quos sequitur Vazquez in 1. 2. quæst. 13. art. 6. ad 3. constat voluntatem ab æquè moventibus non moveri, sed necessum esse, quod vnum eorum emineat supra alterum, vt illud voluntas eligere possit. Respondeo secundo, dato antecedenti falso, negando consequentiam: nàm ideò voluntas potest eligere alterum ex duobus obiectis propositis cùm æquali bonitate, quià rectè componitur quod vtrumque sit bonum absque vlla contradictione, & nullum est periculum eligendi malum, sed quodcumque eligat, bonum erit. At motiva æqualia in intellectu sunt prò partibus contradictionis, de quibus intellectus evidenter scit alteram earum revera esse falsam; ac proinde est manifestum, ac evidens periculum inveniendi falsum, si pro libito cuilibet parti assensum præstet: ergò manifesta disparitas.

78 Vnde claritatis gratia, distinguo antecedens: quando voluntas alicitur motivis æqualibus, & dissimilibus, quodlibet est absolutè sufficiens, si alterum sit evidenter malum, & contrarium voluntati, nego antecedens: si credatur vtrumque simul esse bonum, concedo antecedens, & nego conseq. quià vt paritas fiat ex voluntate ad intellectum debet servari in extremis proportio; ità vt si motiva æqualia, quæ proponuntur voluntati, sint simul bona, sivè proponantur, vt simul bona, & pro obiectis simul bonis; ità motiva æqualia, quæ proponuntur intellectui sint simul vera, vel proponantur vt simul vera, & pro partibus simul veris; & tunc fatebimur intellectum posse ex imperio voluntatis cuilibet assentiri. V. g. si intellectui proponantur duæ opiniones probabiles, quæ nullam dicant in veritate repugnantiam, & oppositionem, transeat quod possit intellectus cuilibet assentiri prò imperio voluntatis, quià nec probabilitas vnius impedit absolutam probabilitatem alterius, nec veritas vnius impedit veritatem alterius. Si tamèn velis probare intellectum ex partibus contradictionis æquè probabilibus posse assentiri cuilibet, scias oportet, quod intellectui evidenter proponitur, quod ex partibus contradictionis altera necessariò est falsa; & sic, si paritas desumenda est à voluntate, debet poni voluntas inter duo eligibilia, de quibus constet evidenter alterum eorum necessariò esse malum, quanvis æquè appareat bonum, v. g. inter duos cibos dissimiles, sed æquales, de quibus constet evidenter alterum eorum esse venenatum; & tunc si voluntas possit prudenter eligere quodlibet, fatebimur intellectum posse eligere quamlibet partem contradictionis; sed primum non potest dici: ergò nec secundum.

79 Arguit tertio Terillus ex Spinula: vbicumque datur naturalis inclinatio ad aliquem terminum, terminus ille est possibilis, quià naturalis inclinatio nec frustra est, nec tendit ad impossibilia; sed intellectus, stante motivo

tivo probabili prò vna parte, ex vi motivi oppoſiti æqualis vrgetur, trahitur, & inclinatur prò parte oppoſita: ergò aſſenſus illius partis eſt poſsibilis, ſtante motivo æquali prò oppoſita. Maiorem ait eſſe per ſe notam, & minorem evidentem per communem omnium experientiam. Repetitque pro vtriuſque probatione paritatem voluntatis.

80 Sed in primis diſtinguo conſequens: ergò aſſenſus ille eſt poſsibilis, etiam ſtante motivo pro oppoſita, ità vt ſimul componatur poſsibilitas talis aſſenſus cùm motivo prò oppoſita, concedo conſequentiam: nàm vltro fatemur rectè componi poſsibilitatem ad aſſentiendum vni motivo cùm exiſtentia, & concurſu motivi oppoſiti. Ità vt poſsit componi talis aſſenſus exercitus cùm motivo æquali prò oppoſito, nego conſequentiam; quià nunquam poſſunt ſimul coniungi aſſenſus huic motivo æquè probabili, & motivum æquale vrgens prò oppoſito aſſenſu; ſed ſi voluntas velit aſſentiri huic motivo, vel debet de altero non cogitare, nec ei attendere, vel debet huic aliam rationem, qua emineat, ſuperaddere, vt ſtatim dicam. Vndè datur ſimultas poſsibilitatis vnius aſſenſus cùm motivo vrgenti æqualitèr prò oppoſito; ſed non datur poſsibilitas ſimultatis vnius aſſenſus cùm motivo equali prò oppoſito.

81 Et quidem ipſe Terillus fatetur, quod licèt intellectus, dùm actu aſſentitur vni motivo, ſentiat ſe trahi, & ſtimulari ab oppoſito, non tamèn poſſe intellectum aſſentiri vni motivo in ſenſu compoſito aſſenſus oppoſiti: quià licèt detur, inquit, ſimultas potentiæ, non datur potentia ſimultatis. Cùr igitur nos ſimilitèr non poſſumus dicere, quod ſtante motivo prò parte negativa intellectus ſentit ſe trahi, & moveri ad aſſenſum affirmativæ: non tamèn poſſe intellectum ſimul aſſentiri parti affirmativæ, coniungendo aſſenſum cùm motivo æquali prò negativa: quià licèt detur ſimultas potentiæ cùm motivo prò negativa, non tamèn datur potentia ſimultatis aſſenſus affirmativæ cùm motivo æqualitèr vrgente prò negativa. Ait inſuper Terillus, neminem vnquam ſentiri ſe impelli ad coniungendum aſſenſum cùm diſſenſu, ſed ſolum ad aſſenſum in ſenſu diviſo à diſſenſu. Id ipſum nos dicimus, ſcilicet neminem ſentiri ſe ipſum impelli ad coniungendum aſſenſum cùm motivo æqualitèr vrgente prò diſſenſu, ſed ſolum impellitur ad aſſenſum ponendum in ſenſu diviſo motivi validioris, vel æqualis pro oppoſito. Et hoc quidem certiſsimum eſt: nàm dùm vnum motivum ſolicitat intellectum vt aſſentiatur, non ſolicitat quod aſſentiatur contra motivum æquale prò diſſenſu; quià hoc eſſet ſolicitare intellectum, vt ſe exponeret proximo, & evidenti periculo errandi, & vt aſſentiret non habens maiorem rationem aſſentiendi, quàm diſſentiendi; hoc autem eſſet ſolicitare intellectum ad chimeram.

82 Ex quibus alitèr reſpondeo, diſtinguendo præmiſſas argumenti: vbicumque datur naturalis inclinatio alicuius potentiæ ad aliquem terminum, terminus ille poſsibilis eſt, ſi talis inclinatio ſit ſoluta, & vndequaque expedita, concedo maiorem: ſi ſit impedita, & ligata ab extrinſeco, ſub diſtinguo: terminus ille poſsibilis eſt in ſenſu compoſito impedimenti, nego: in ſenſu diviſo, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem: intellect°, ſtante motivo probabili prò vna parte, trahitur, & inclinatur ad aſſenſum præſtandum parti oppoſitæ inclinatione ligata, & impedita ab extrinſeco per aliud motivum, concedo: inclinatione vndequaque expedita, nego minorem. Et diſtinguo conſequens: ergò aſſenſus illius partis eſt poſsibilis, adhuc ſtante motivo oppoſito, eſt, inquam, poſsibilis in ſenſu compoſito oppoſiti motivi, nego: in ſenſu diviſo, concedo conſequentiam, quæ ſolutio evidens eſt. Pone enim ferrum æquali vi in partes directè contrarias naturalitèr trahi à duobus magnetibus: ſanè tunc ferrum immobile ſtabit, habebit tamèn impulſum, & inclinationem naturalem, tùm in partem dexteram, tùm in partem ſiniſtram ad vtrumque magnetem. Nunquid inclinatio illa fruſtranea eſt, aut ad terminum impoſsibilem? Minime. Cùr igitur de facto non trahitur, nec inclinatur in alteram partem, imò nec poteſt? Sanè, quià impeditur vna inclinatio per alteram; quià inclinatio in vnum magnetem eſt impedita, ligata, & quaſi detenta per virtutem alterius magnetis, vt autem ea inclinatio non ſit fruſtranea, nec ad impoſsibile, ſufficit quod poſsit tendere ad terminum dependenter à carentia impedimenti, ſivè in ſenſu diviſio alterius magnetis. Id ipſum dicimus in præſenti. Imò, quis neget lapis manu derentus inclinat naturalitèr ad centrum? Et tamèn, durante manutentione non poteſt ad centrum tendere in ſenſu compoſito, quià eius inclinatio impedita eſt, & ligata: ergò ſimilitèr, quando intel-

intellectus ligatus est per æqualitatem motivorum, & veluti vinculo detentus, in sensu composito talis vinculi declinare non potest in vnam partem, nisi tale vinculum solvatur, & tale impedimentum auferatur.

83 Sed instat Terillus: nàm duplex est impedimentum, nimirùm impedimentum impossibilitans, & impedimentum difficultans; sed licèt motivum vrgens prò parte negativa sit impedimentum difficultans, non tamèn impossibilitat assensum affirmativæ: ergò licèt non possit intellectus tunc faciliter, potest tamèn absolutè, licèt difficilitèr, ex imperio voluntatis assentiri parti affirmativæ. Minorem probat, quià in voluntate, quando concurrunt motiva opposita, quorum vnum retrahit ab amore obiecti, & aliud impellit ad ipsum, motivum retrahens est impedimentum difficultans, superabileque à voluntate; non tamèn impossibilitans ad amorem, nec insuperabile: ergò paritèr in intellectu.

84 Respondeo negando minorem: ad eius probationem omisso antecedenti falso, nego consequentiam, quià tunc solùm voluntas nostra movetur vno motivo ad amorem obiecti, & alio retrahitur à tali amore, quando in obiecto repræsentatur ratio aliqua boni, & ratio aliqua mali, sivè quando obiectum sub vna ratione proponitur vt bonum, & sub alia vt malum, v. g. vt bonum delectabile, & vt malum inhonestum, & quià rectè componitur, quod idem obiectum revera sit bonum delectabile, & sit malum turpe; ideò voluntas proximè potest sequi quodlibet motivum, quià non habet periculum proximum, & evidens frustrandi suum affectum, imò sivè amet obiectum, in eo verè inveniet bonitatem, quàm amat, sivè illum aversetur, verè liberabitur à malitia, quàm aversatur, & non habet periculum proximum inveniendi malum oppositum bono amato, nec inveniendi bonum oppositum malo aversato. Attamen in intellectu oppositum oppositâ ratione contingit, quià intellectus evidentèr scit quod si pars affirmativa est vera, negativa necessario est falsa: àc proindè evidentèr illi constat in alterutra parte latere falsitatem sibi exosam, & sibi contrariam: cùm ergò ignoret in qua parte, constitutus manet in proximo, & evidenti periculo inveniendi falsum loco veri, cui præstat assensum; vel aversandi verum loco falsi, cui dissentitur. Cùm hoc autem periculo proximo impossibile est intellectum assentiri determinatè; aliàs enim assentiret hoc modo tendendi: *Credo hoc, sivè sit verum, sivè sit falsum.*

85 Explicatur hæc disparitas, ex cuius inconsideratione tota contrariorum æquivocatio originatur. Etenim eadem opinio non potest esse falsa & vera simul, si est vnica, & simplex propositio, adhuc ex diversis rationibus, & motivis; cùm enim veritas propositionis consistat in indivisibili; sicut vna propositio nequit esse verior altera, ità vna propositio nequit esse partim vera, & partim falsa, nec ex vna ratione vera, & ex alia falsa, sed si semel sit falsa, ex quacumque ratione sit falsa, ex nulla alia ratione potest esse vera. Hocque constat evidentèr lumine naturali. Attamen bonum non consistit in indivisibili, sed in quadam integritate ex pluribus. Vndè datur in quocumque genere vnum bonum magis bonum, quàm aliud, & vna bonitas maior alia; indeque nascitur, quod possit dari aliquod obiectum, quod sit inadæquatè bonum, & inadæquatè malum, sub vna ratione bonum, & sub alia malum, & hoc absque vlla contradictione; quià nulla est contradictio in eo quod fornicatio sit bonum delectabile, & malum turpe. Hinc rursus deducitur, quod dùm voluntas attracta ad fornicationem, ratione boni delectabilis in ea propositi, & retracta ab illa ratione mali turpis in ea repræsentati, dato casu quod fornicationem eligat ex illo motivo, nullo exponitur periculo frustrandi suum amorem obiecto, aut bono amato, quià non est in dubio àn sit, vel non sit bonum delectabile, quod per se amat; sed est determinatè certum, absque vlla ratione contradicente, quod fornicatio sit bonum delectabile. Vndè voluntas non tendit tunc per suum amorem hoc modo: *Volo delectationem, sivè sit bonum, sivè malum delectabile*, sed secure tendit in ilum, vt in bonum delectabile. Attamen dùm intellectus assentitur opinioni æquè probabili credendo illam esse veram, exponit se manifesto periculo non inveniendi veritatem, quàm credit, sed potius falsitatem contradictorie oppositam; àc proindè alitèr assentiri non potest, nisi hoc modo tendendi: *Credo hoc esse verum, sivè in rei veritate sit verum, sivè falsum.* En disparitatem luce clariorem.

86 Vrgetur: quià enim in casu paritatis, dum voluntas amat obiectum, simul retrahitur cognitione contra-

ria proponente obiectum vt malum turpe, voluntas in eo caſu nequit amare obiectum, niſi hoc modo tendendi: *Volo fornicare, licet hoc ſit malum turpe*; ſed per te etiam voluntas aſſentitur opinioni propoſitæ vt veræ, non obſtante motivo ſimul eam perſuadente eſſe falſam: ergò nequit aſſentiri, niſi hoc modo tendendi: *Credo hoc obiectum, licèt ſit falſum*; ſed hic modus tendendi in intellectu penitus repugnat, ille autem non repugnat in voluntate: ergò eſt manifeſta diſparitas ex vno ad alium.

87 Explicatur alitèr præcedens diſparitas: nàm vbi conſtat evidentèr veritatem, quàm intellectus quærit, tantum latere in vna parte, & in alia falſitatem ſibi contrariam, nequit intellectus determinatè aſſentiri vni parti, niſi priùs facta inquiſitione aliqua veritatis, & inventa ratione aliqua cùr potiùs ſit in vna parte, quàm in alia, aliàs enim non magis quæreret veritatem, quàm falſitatem. At propoſitis duobus bonis voluntati, etſi illa intèr ſe ſint contraria, non conſtat evidentèr voluntati bonitatem, quàm quærit, tantum latere in vno bono, & in alio malitiam oppoſitam, ſed potiùs certa eſt in vtroque reperiri bonitatem; àc proindè non eget neceſſariò inquiſitione, aut conſilio inquirente vbi ſit bonitas, ſed ſecurè, & abſque periculo poteſt quodlibet aſſumere, quià in vtrolibet invenit bonum optatum: ergò eſt manifeſta diſparitas. Vndè ſi paritas rectè ponenda eſt, conſtituenda eſt voluntas intèr duo motiva, quorum vnum illi perſuadeat obiectum eſſe delectabile, & aliud eſſe oppoſitum delectationi, & ſupponendum, quod voluntas quærit delectationem, & averſatur oppoſitum; & tunc ſi voluntas poſſet illud obiectum amplecti, rectè probaretur idem de intellectu; ſed illud nec in voluntate admitti poteſt.

88 Sed inſtat primo Terillus pluribus alijs exemplis. Primum eſt, ſi Medico ignoranti certam morbi qualitatem, & cauſas, duo media ſe exhibeant ſibi contraria, ex intentione ſalutis procurandæ poteſt quodlibet eligere, etſi illi conſtet quod ſi vnum ſit proficuum, alterum ſit aliquantullum nocivum. Si enim neceſsitas alterius adminiſtrandi incumbat, eo quod homo certo tendat ad interitum, prudentèr eligi poterit alterutra medicina, etſi æquè probabilitèr iudicetur aut remedium affectura, aut parem, ſed non magnam noxam; ſed in hoc eſt plena paritas intèr intellectum, & voluntatem: ergò. Secundum eſt: ſi proponeretur eligenda vna ex duabus capſis, in quarum altera gemma prætioſa, in altera ficta tantum conſervaretur. Si nulla eſſet ratio apparens, quod vera gemma in vna potius, quàm in altera lateret, eligi poſſet quævis ex capſis; & tamèn exponeret ſe periculo aſſumendi gemmam fictam loco veræ ergò.

89 In primis ad hoc ſecundum reſpondeo, quod eligens vnam capſam, quæreret per ſortem, & fortunam gemmam veram: intellectus autem, dum aſſentitur opinioni affirmativæ, v. g. non quærit verum per ſortem, & fortunam, ſed per ſe, & ex propria natura. Vndè exemplum potius in contrarium retorquetur: nàm eligens vnam capſam præ alia, fortunæ, & ſorti committeret inventionem veræ gemmæ, abſque maiori ſpe inveniendi veram, quàm fictam, ſicut qui taxillis ludit; ſed ſi intellectus præberet aſſenſum parti æquè probabili, vel minùs probabili, eodem modo quæreret veritatem, quàm altèr gemmam: ergò intellectus quæreret veritatem per ſortem, & fortunam, ſortique caſuali committeret veritatis attingentiam. Quo nihil abſurdius excogitari poteſt, nec magis contrarium naturæ. Natura enim nunquam tendit ad terminum ſuæ naturalis inclinationis per ſortem, & fortunam: nec hoc vllus vnquam excogitavit.

90 Rurſus eligens vnam capſam non exponeretur periculo detrimenti, aut mali proprij; licèt enim, vt poſſet, inveniret gemmam fictam & non veram, nullum malum inveniret ſibi nocivum, aut contrarium, ſed tantum careret bono per fortunam, & ſortem quæſito: at intellectus aſſentiens parti æquè, vel minùs probabili exponeret ſe periculo inveniendi falſum loco veri, ſivè inveniendi falſitatem, & deceptionem. Falſitas autem, & error, deceptioque ſunt malum totalitèr contrarium intellectui, quod natura ſua averſatur, & totale malum illius in propria linea: nulla ergò eſt paritas in vtroque caſu. Explicatur: qui in prædicto caſu eligeret capſam, virtualitèr, vel expreſſe diceret: volo hanc capſam, ſivè in ea ſit vera, ſivè ficta gemma; & hoc dicere non eſſet imprudentia, quià poſſet invenire veram, & caſu quo non inveniret, veram, nihil damni ei imminebat. At qui eligeret opinionem minùs, aut æquè probabilem, virtualitèr, aut expreſſè ex modo tendendi diceret: credo hanc eſſe veram, ſivè ſit in ea veritas, ſivè falſitas; & hoc dicere eſſet manifeſta imprudentia, & vlterius repugnat naturæ intellectus: ergò.

Ad

91 Ad primum exemplum dico, etiam in eo non seruari paritatem. Primo, quià ponitur casus necessitatis, in quo, nisi adhibeatur medium illud dubium & periculosum, infirmus certo tendit ad interitum. In casu verò duarum opinionum probabilium nulla est necessitas intellectui assentiendi vni, nec vllum detrimentum ei imminet si certo dubitet prudentèr intèr vtramque partem, & in dubio maneat, vsque dùm veritas potiùs appareat in vna parte, quàm in alia, quià hoc dubium non est malum intellectus, nec detrimentum eius, sed solùm actus minus perfectus, seu negativè imperfectus. Secundo, quià ponitur casus, in quo ex illis duobus alterum sit proficuum, alterum, nocivum, sed non æquè nocivum, àc aliud proficuum. In nostro verò casu scitur evidentèr alteram opinionem æquè esse fallam, àc perconsequentia æquè nocivam intellectui, àc alteram veram, & proficuam: non igitur seruatur paritas. Solùm ergò seruaretur, si poneretur casus, in quo nullum grave damnum immineret infirmo, si nullum medicamentum ei daretur; & æquè probabile esset de aliquo medicamento, quod foret nocivum infirmo, quàm quod foret proficuum in æquali gradu: sed in hoc casu manifesta esset imprudentia tale medicamentum eligere. Et nemo prudentèr eligeret Medicum, qui sic curaret.

92 Sed replicat Terillus, quod intellectui magis malum imminet, si neutri opinioni adhæreat, nimirùm quià maneret mortuus, & ad modum stipitis. Sed hoc iàm suprà impugnatum relinquimus. Et vlterius addo, quod si ad hoc malum vitandum liceret exponere se periculo errandi, liceret etiam de quibuslibet, etiam abditissimis, & prorsus ignotis iudicare, v. g. quod stellæ omnes sunt pares, quod Angeli sunt impares, quod nunc Angelus Michael est in Babilonia, & alia de quibus nullam rationem habemus, quià maius damnum est, iuxta solutionem, intellectum suspendere iudicium, quià maneret instar stipitis, quàm exponere se periculo errandi. Et sic, ne intellectus maneret instar stipitis, relate ad illa obiecta, prudentèr exponeret se periculo errandi, forsàm enim diceret veritatem.

93 Sed vlterius replicabis ex Terillo, & ex Magist. Ferre. Nàm intellectus æquè benè se habet, sivè assentiatur parti veræ, sivè falsæ in re; sed si assentiatur parti veræ in re nullum experitur damnum; ergò nec si assentiatur parti falsæ in re; non ergò exponitur detrimento, aut periculo damni. Maiorem probant, quià æquè assequitur veritatem, & ea fruitur, sivè assentiat parti falsæ, sivè veræ: ergò æquè benè se habet. Antecedens probatur, quià si assentiat parti veræ, non fruitur veritate ipsa secundum quod est in se, sed solùm fruitur spe rationali inveniendi veritatem, sivè fruitur probabilitate veritatis; sed quanvis assentiat parti falsæ, etiam fruitur spe veritatis, & eius probabilitate; ergò æquè fruitur veritate.

94 Explicatur: sivè assentiat parti re ipsa veræ, sivè parti re ipsa falsæ, æquè assequitur optimum hic, & nunc sibi possibile: ergò æquè benè se habet. Antecedens probatur, quià optimum possibile intellectui hic, & nunc non est veritas ipsa in re, sed tantum probabilitas veritatis: intellectus enim de rebus obscuris, nequit veritatem invenire, sed tantum probabilitatem; sed quanvis assentiatur parti falsæ, æquè assequitur probabilitatem, àc si assentiret parti veræ: ergò.

95 Hæc replica tangit vltimum, in quo fallitur contrariorum mens, & ex quo, & ad quod tota eius doctrina vltimo reducitur. Adeòque, si æquivocationem, & falsitatem probabero, tota series discursus contrariorum corruet, siquidem ab hoc vltimo pendet. Dico igitur primo: circà res obscuras, intellectus nequit evidentèr, aut per evidentiam invenire veritatem, aut illa frui. Id fatentur contrarij. Dico secundo: circa res obscuras revelatas à Deo potest intellectus invenire veritatem per certitudinem metaphisicam. Id etiam fatentur contrarij. Dico tertio: circà obscura non revelata à Deo potest intellectus invenire veritatem per opinionem, aut fidem humanã; quo in casu nõ solum invenit probabilitatem, aut credibilitatẽ, sed veritatem ipsam. Id negant cõtrarij. Sed facile probatur: nã adhuc suppositâ probabilitate vtriusque partis contradictionis, intellectus inquirit, quænàm pars vera sit: ergò inquirit veritatem ipsam, & non solam probabilitatem, quàm iàm supponit. Rogo nunc: vel potest invenire, quod inquirit, vel non? Dicere quod non, est dicere, intellectum frustra laborare, frustraque conari in omni studio scholastico circa quæstiones vtrimque probabiles, inquirendo quænam pars vera sit; nam quærit, quod certum est invenire non posse; hoc autem dicere est contra ipsum lumen naturale: dicendum igitur est, quod potest invenire veritatem ipsam, quàm quærit. Tunc sic, sed nequit eam invenire per evidentiam, aut omnimodam certitudinem: ergò potest

illam invenire per fidem, aut opinionem.

96 Confirmatur: dùm sunt contrariæ opiniones circa aliquid, de quo posteà per evidentiam detegitur veritas affirmativæ, v.g. dicimus affirmantem attigisse veritatem, assequutum fuisse veritatem in sua opinione, illeque maxime lætatur se invenisse veritatem præ alijs, qui decepti fuerunt, & erraverunt: ergò per fidem, aut opinionem invenitur veritas, & non sola probabilitas. Vrgetur: dùm aliquis opinatur affirmativam esse veram, non opinatur probabilitatem, nàm probabilitas supponitur certa, sed veritatem ipsam: ergò si in rei veritate talis opinio continet veritatem, assequitur veritatem ipsam in re, siquidem opinatur verum in re; etenim qui opinatur, quod revera est falsum, invenit revera falsitatem: ergò qui opinatur id, quod revera est verum, invenit revera veritatem.

97 Sed detegamus iàm æquivocationem contrariorum. Respondeo ergò negando maiorem. Ad probationem, nego antecedens: ad probationem distinguo maiorem quoad primam partem: non fruitur veritate ipsa, fruitione perfecta, seu per evidentiam, concedo maiorem: non fruitur fruitione imperfecta, seu per opinionem, nego maiorem, & secundam partem illius, omissaque minori, nego consequentiam; quià ante assensum iàm fruebatur probabilitate veritatis, & spe rationali inveniendi veritatem: per assensum autem partis veræ alio fruitur, & aliquid amplius assequitur, aliàs frustraneus esset assensus: assequitur ergò veritatem ipsam, quàm quærit, & ea fruitur; non quidem perfecta fruitione, & assequutione per visionem illius, prout est in se, sed assequutione obscura imperfecta, & per fidem, vel opinionem. Si tamèn assentiretur parti falsæ, nec possessione, aut fruitione obscura, vel opinativè frueretur veritate, sed potiùs frustraretur eius conatus, & falleretur, & loco veritatis amplecteretur falsitatem. Sicuti, dùm Iacob obscure fruebatur ea, quàm putabat Rachelem, adhuc obscure non fruebatur Rachele, sed fallebatur, & frustrabatur totus eius labor, & conatus. Quod tamèn non ità foret, si fuisset in rei veritate ipsa, quàm putabat, quià tunc, licèt obscure, frueretur ipsa vera Rachele. Et sicuti falsum est quod Iacob æquè benè se habebat cùm Rachele falsa, quàm se haberet cùm vera, ità falsum est, quod intellectus æquè benè se habet cùm opinione falsa, quàm cùm opinione vera.

98 Ex quo ad explicationem, nego antecedens, ad probationem distinguo maiorem: optimum possibile intellectui assequibile per evidentiam, concedo maiorem: optimum assequibile per opinionem, nego maiorem, & consequentiam quià valdè distinctum est assequi probabilitatem veritatis, & assequi probabilitèr veritatem. Dicimus ergò, intellectum evidentèr, aut cùm omnimoda certitudine solùm posse assequi, frui, & possidere probabilitatem opinionum in casu quæstionis. At vlterius potest frui, assequi, & tenere opinativè, aut probabiliter ex parte modi fruendi, assequendi, & tenendi, non probabilitatem veritatis, sed veritatem ipsam: si ergò opinio sit re ipsa vera, fruitur opinativè, & probabilitèr veritate ipsa, eamque tali modo, licèt imperfecto, assequitur, & invenit. Si autem est falsa, tunc non fruitur adhuc obscure, & probabilitèr veritate ipsa, sed amplexatur falsitatem loco veritatis, licèt hoc damnum prò tunc ignoret. Ceterum, sicut Iacob post agnitam deceptionem, magnum detrimentum, & iniuriam putabat se passum, & vere putabat, ità intellectus, si forsàn posteà agnoscat suam deceptionem, inveniet se passum fuisse, vel incurrisse damnum, non leve, deceptionis, & falsitatis inamplexando falsitatem sibi exosam loco veritatis sibi dilectæ, & multo labore, àc studio quæsitæ.

99 Sed insistes: qui adhæret opinioni revera falsæ fruitur etiam probabilitèr veritate ipsa: ergò æquè benè se habet, àc qui sequitur partem veram. Antecedens probatur primo: quià assequi probabilitèr veritatem ipsam, aliud non videtur, quàm assequi probabilitatem veritatis, sicut assequi evidentèr veritatem, aliud non est, quàm assequi evidentiam veritatis; & assequi intuitive veritatem aliud non est, quàm assequi intuitionem veritatis; sed qui adhæret opinioni falsæ assequitur probabilitatem veritatis: ergò. Secundo, quià frui probabilitèr veritate ipsa, aliud non est, quàm probabilitèr existimare se invenisse veritatem ipsam; sed qui adhæret opinioni falsæ, probabilitèr existimat se invenisse veritatem ipsam: ergò fruitur probabilitèr veritate ipsa.

100 Nego antecedens ad primam probationem, nego maiorem. Et ad exempla, quibus probatur, dico, quod evidentia, & intuitio veritatis infallibilitèr connectitur cùm ipsa veritate, àc proindè perindè est invenire evidentiam, vel intuitionem veritatis, àc inveni-

venire evidentèr ipſam veritatem. At probabilitas veritatis non connectitur cùm ipſa veritate infallibiliter, & infruſtrabiliter, quà propter poteſt aliquis invenire, & tenere probabilitatem veritatis, quin proinde teneat, aut inveniat probabilitèr veritatem ipſam, ſi nimirum probabilitas fallatur, & fruſtretur. Ad ſecundam probationem, vel nego maiorem, vel illam diſtinguo: frui verè, & in rei veritate probabilitèr veritate ipſa nihil aliud eſt, quàm probabilitèr exiſtimare ſe inveniſſe veritatem, nego maiorem: frui falſo, & in exiſtimatione falſa probabilitèr, tranſeat maior. Et diſtinguo conſeq. eodem modo. Quià tunc ſolum quis verè, & in rei veritate fruitur opinativè, ſeu probabilitèr veritatè ipſa, quandò id, quod opinatur, & exiſtimat, ità eſt, ſicut exiſtimat: quandò vero ità non eſt, ſed oppoſitum, tunc ſane exiſtimat ſe probabiliter frui veritate ipſa, & illam inveniſſe; ſed hæc exiſtimatio eſt falſa, & conſequenter fruitio, & in quàm contra propriam intentionem incurrit intellectus, àc proindè in ea intellectus non invenit bonum, quod optat, ſed potius malum, quod natura ſua refugit, licet contra propriam inclinationem.

101 Valde enim notandum eſt, quod dùm opinio alicuius vera eſt in re, ille fruitur, licet modo opinativo, & probabili, verè tamen, & in re veritate ipſa, & non ſolum in ſua exiſtimatione falſa. At dùm eius opinio falſa eſt, exiſtimat quidem opinans ſe tenere veritatem, & ea frui, ſed fallitur in ſua exiſtimatione; & ideò exiſtimativè falſo fruitur veritate, quod eſt idem, àc in rei veritatè ea non frui. Quod patet in exemplo Iacob fruentis Rachele exiſtimata.

102 Denique replicabis: nàm ex eo quod intellectus loco veri opinetur falſum intrinſecè nullum detrimentum patitur: ergò æquè bene ſe habet. Antec. prob. nàm actus intellectus opinantis idem intrinſecè eſt, ſivè obiectum ſit verum in rei veritate, ſivè ſolum exiſtimativè: hoc enim eſt quid extrinſecum actui, & intellectui: ergò intellectus nullum detrimentum intrinſecè habet, nec patitur. Vrgetur, quod obiectum probabilitèr exiſtimatum ità ſe habeat in rei veritate, vel non, eſt omninò per accidens reſpectu opinantis: ergò æquè bene ſe habet, ſivè obiectum ſit verum in re, ſivè in re falſum.

103 Repondeo negando antec. Ad probationem conceſſo antec. nego conſeq. quià finis intellectus eſt duplex, formalis, & obiectivus. Formalis eſt actus eius, quo aſſequitur veritatem. Obiectivus eſt ipſa veritas, quàm conatur aſſequi. Non ſolum autem eſt detrimentum intellectus quandò patitur defectum in fine formali, ſivè in actu eius, ſed etiam quandò fruſtratur fine obiectivo, ſcilicet veritate quæſita; quæ quidem licet ſit extrinſeca intellectui, quatenus ipſi intrinſece non inhæret, eſt tamen bonum eius optimum, cuius contrarium, nimirum falſitas, eſt eius malum peſsimum; àc proinde licet intellectus æquè bene ſe habeat intrinſece, & formaliter, ſivè obiectum ſit revera falſum, ſivè verum, non tamen æquè bene ſe habet obiectivè, ſivè quantum ad finem, & bonnm eius obiectivum.

104 Ad confirm. nego antec. quià quod obiectum in rei veritate ità ſe habeat, ſicut exiſtimatur ab opinante, eſt omninò per ſe intentum ab intellectu; minimè vero per accidens. Quod vero obiectum ità non ſe habeat eſt per accidens reſpectu intellectus, non quaſi præter inclinationem eius, ſed quaſi contra illam; non impertinenter, ſed repugnanter: quià repugnat inclinationi intellectus, vti malum eius obiectivum. Confirmari poteſt hæc doctrina ex D. Thom. 1. ad Timoth. 6. vbi ad illa verba: *Hæc doce & exortare*, ſic ait: *Sciendum quod ſicut in corpore ſanitas eſt quædam æqualitas humorum, ità veritas eſt quædam æqualitas in intellectu, quià veritas eſt quædam adæquatio rei & intellectus.* Sicut ergò intellectus ex fine intrinſeco conatur ad veritatem ità conatur ad adæquandum ſuum actum & iudicium cùm obiecto. Ergò cùm obiectum ità ſe habet erit perfectio intrinſeca intellectus ſe adæquare cùm illo: imperfectio autem intrinſeca per ſuum actum ab illo diſcordare. Nàm licet obiectum ità ſe habere, vel aliter, non ſit quid intrinſecum intellectui formaliter, tamen ſuppoſito, quod obiectum ità ſe habeat, v.g. vt prohibitum in re, eſt perfectio intrinſeca, & formalis intellectus ità illud repræſentare, & ei adæquari, & ècontrà eſt imperfectio intrinſeca aliter illud repræſentare, & ab eo diſsidere. Ergò cùm obiectum aliter repræſentat, orbatur perfectione intrinſeca & formali, quam ſecundum ſuam naturam appetit.

§. VII.

Reliqua ſolvuntur argumenta.

105 OBIJCIES Quartò: intellectus aſſentiri poteſt motivo probabiliori, ſivè opinioni magis probabili: ergò & æquè probabili. Conſeq.

ſeq. prob. quiâ diſtantia inter æquè probabile, & probabilius poteſt eſſe adeò parva, vt fere ſit eadem diſpoſitio intellectus in vtroque caſu; ſed diſpoſitio, in quâ vna opinio eſt paulò magis probabilis, quàm alia, eſt ſufficiens vt intellectus illi aſſentiatur: ergò diſpoſitio, in quâ vna opinio eſt æquè probabilis cùm alia, ſufficit vt intellectus illi aſſentiatur.

106 Reſp. hoc argumentum plurimas inſtantias habere. Nàm in primis motivum leviſsimum parum excedit nullum; ſed motivum leviſsimum iuxta contrarios, ſufficit vt intellectus illi aſſentiatur, ſaltim iudicio temerario: ergò nullum motivum etiam ſufficiet, ſivè abſque omni prorſus motivo poterit intellectus aſſentire. Sane hæc conſequentia falſa eſt. Item motivum grave in infimo gradu motivi gravis, parum excedit motivum leve in ſupremo gradu motivi levis. Nàm infimum ſupremi proxime attingit ſupremum infimi; ſed motivum leve in ſupremo gradu motivi levis non ſufficit ad aſſenſum verè probabilem, & prudentem: ergò neque motivum grave in infimo gradu motivi gravis. Hæc ſane eſt falſa conſeq. igitur diſtinguo antec. intellectus aſſentiri poteſt motivo, vel opinioni probabiliori, notabili exceſſu probabiliori, concedo antec. levi exceſſu probabiliori, ſub diſtinguo: poteſt aſſentiri per ſuſpicionem, concedo antec. per opinionem perfectam, nego antec. & conſeq. Ad eius probationem patet ex diſtinctione antecedentis: nàm ſi exceſſus probabilitatis in vna parte ſit tantum levis, non poteſt reſolutorie, ſivè iudicio abſoluto intellectus inclinare in illam partem; quiâ hoc eſt ſupra exigentiam motivi ad hoc non ſufficientis: ſolum ergò poteſt intellectus inclinare in illam partem ſuſpicione quadam, & præſumptione iuxta quantitatem motivi; quæ quidem ſuſpicio, & præſumptio eſt quædam opinio imperfecta. Attamen, ſi exceſſus probabilitatis pro vna parte ſit notabilis, & gravis, tunc ſufficit vt intellectus inclinetur in illam partem iudicio abſoluto, & reſolutorio, ſivè opinione perfecta, quæ tanto magis intra lineam opinionis firmabit intellectum, quanto exceſſus probabilitatis fuerit magis notabilis pro illa parte. Si denique exceſſus probabilitatis fuerit nullus, intellectus, neque perfectè, neque imperfectè, in illam partem inclinabit magis, quàm in aliam, ſed manebit in æquilibrio. Quod totum patet in exemplo ſtateræ ſupra expoſito.

107 Obijcies quinto: plures, quibus myſteria fidei proponuntur, vt æquè, vel magis credibilia, quàm errores oppoſiti, adhærent potius ſuis erroribus, quàm myſterijs fidei: ergò intellectus poteſt aſſentiri determinatè obiecto æquè, vel minus credibili, relicto credibiliori oppoſito: ergò & obiecto minus probabili, relicto probabiliori oppoſito. Antec. probat Terillus ex Actib. Apoſt. cap. 17. in fine vbi refertur Paulo prędicante intimata, & propoſita fuiſſe Areopagitis myſteria fidei, vt credibilia ſufficienter. Sic enim dicitur: *Cùm audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt.* Ecce vbi aliqui auditorum diſſentiebant myſterio reſurrectionis irridentes Paulo, ac per conſeq. poſitivè adhærebant errori oppoſito. Alij mere ſuſpendebant iudicium, & manebant in dubio, eoque dicebant: *Audiemus te de hoc iterum.* Alij denique dictis Pauli aſſenſum præbebant. Quo ſuppoſito, rogo: àn myſteria fidei fuerunt propoſita Athenienſibus, vt magis credibilia, vel vt æquè credibilia, vel minus credibilia, quàm errores oppoſiti? Si vt minus credibilia: & tamen aliqui ex eis crediderunt, & aſſenſum præbuerunt myſterijs fidei, relictis proprijs erroribus: ergò poteſt intellectus aſſentiri parti minus credibili, relicta credibiliori oppoſita. Si vt æquè vel magis credibilia; & tamen aliqui eorum diſſentiebant myſterijs fidei, aſſentientibus erroribus oppoſitis; ergò plures, quibus myſteria fidei propoſita fuerunt vt magis credibilia, adhæſerunt ſuis erroribus minus credibilibus.

108 Confirmatur primò: quiâ fides non ſolum eſt libera libertate contradictionis, ſed etiam libertate contrarietatis, non ſolum libertate quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, id eſt, libertate, non ſolum ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum motivis fidei, ſed ad aſſentiendum motivis fidei, vel ad aſſentiendum motivis oppoſitis, diſſentiendo motivis fidei: ergò propoſitis fidei myſterijs, vt credibilibus, homo poteſt illis aſſentiri, vel diſſentiri, vel aſſentiri etiam motivis oppoſitis, quandò proponuntur, vt æquè, vel minus credibilia: ergò etiam intellectus poterit aſſentiri cuilibet ex motivis oppoſitis æquè, vel inæqualiter credibilibus pro libito voluntatis.

109 Confirmatur ſecundò: qui in conflictu motivorum retrahentium à fide credit myſterium, ità credit, quod poteſt credere oppoſitum: ergò ex motivis æquè, vel inæqualiter probabilibus poteſt intellectus pro libito cuilibet aſſentiri, & credere. Antec. prob. quiâ in illo conflictu

poteſt

poteſt intellectus ſuſpendere iudicium fidei: ergò poteſt formare oppoſitum iudicium credendo oppoſitum. Prob. conſeq. quià intellectus per ſe magis abhorret à ſuſpenſione iudicij, quàm ab aſſenſu vnius ex partibus contradictionis: ergò ſi poteſt ſuſpendere iudicium, melius poterit aſſentiri parti neganti fidem, ſivè credere oppoſitum fidei. Antec. probatur; quià vt ſuſpendatur iudicium intellectus, detineri debet violenter, ne amplectatur vllum eorum obiectorum, ad quorum aſſenſum ſtimulatur, àc per conſeq. duplicem patitur violentiam. Si tamen aſſentiret errori oppoſito fidei, vnam tantum pateretur violentiam, quià nimirum ſolum orbaretur vno aſſenſu; ſed intellectus magis abhorret à duabus violentijs, quàm ab vna illarum: ergò ſi voluntas poteſt ſuſpendere omnem aſſenſum, multo magis poterit flectere intellectum, vt cuilibet parti credat. Conſidera, inquit Terillus, hoc argumentum in voluntate ad duo bona oppoſita ſolicitata, etſi violenter detenta ab vtriuſque proſequutione, & genuinam eius vim intelliges.

110 Antequam reſpondeam, noto primò, fidem divinam eſſe liberam in nobis. Sunt innumera teſtimonia Sacræ Scripturæ, & SS. PP. id probantia, & ratio ipſa id ſuadet, quià eſt meritoria: ergò libera, ità quod verum ſit quod credimus, quià volumus, & quod ſi nolimus, non credemus. Noto ſecundò, eſſe liberam primò quoad exercitium, ſecundò quoad ſpecificationem. Eſt libera quoad exercitium, ſeu libertate contradictionis, quià poſitis motivis credendi, poſſumus credere, vel non credere. Id etiam fatentur omnes. Eſt denique libera quoad ſpecificationem, ſeu libertate contrarietatis, quià poſſumus credere myſteria fidei, vel credere oppoſitos errores. Id etiam fatentur communiter Theologi; & nos nunc admittimus.

111 Veruntamen diſſidium eſt, qualis ſit hæc libertas contrarietatis, pro quo noto vltimo, quod actus fidei non eſt liber libertate immediata contrarietatis, ſed mediate tantum. Eſt dicere: non eſt ità liber, vt ſtante conſideratione actuali motivorum noſtræ fidei, poſsit intellectus proxime credere, aut aſſentiri illis, & illis diſſentiri, credendo oppoſitos errores, ſed ſolum poteſt diſſentire per inconſiderationem motivorum noſtræ fidei. Patet: quià motiva noſtræ fidei actualiter, & debite conſiderata ſunt multo credibiliora, & probabiliora, & evidenter credibiliora motivis aliorum errorum oppoſitorum; ſed intellectus actu conſiderans motiva credibiliora vt talia, nequit in conſpectu illorum aſſentiri motivo minus probabili, & minus credibili pro oppoſita parte: ergò. Minor prob. quià intellectus in prædicto caſu nequit maturè, circunſpectè, & conſideratè credere oppoſitos errores, aliàs poſſet illos credere prudenter, & negare fidem, quod horrent aures. Sed ſi intellectus actu conſiderans motiva noſtræ fidei, vt credibiliora, cùm hac actuali conſideratione, & circunſpectione, hoc eſt, omnibus attentis, & circunſpectis motivis pro fide, & contra fidem, crederet oppoſitum errorem, crederet conſideratè, circunſpectè, & maturè: ergò intellectus actu conſiderans motiva noſtræ fidei, vt probabiliora, nequit credere oppoſitum errorem.

112 Ex qua doctrina ad argumentum diſtinguo maiorem: adhæſerunt ſuis erroribus per non conſiderationem motivorum fidei, concedo antec. cùm actuali conſideratione motivorum fidei, vt magis credibilium, nego antecedens. Ad cuius probationem, ſuppoſito textu, ad interrogationem factam, dico, quod ab Apoſt. ex parte ſua myſteria fidei fuerunt propoſita vt magis credibilia, quàm errores oppoſiti, ſed ab ipſis Athenienſibus non fuerunt æquè conſiderata, & percepta. Nàm aliqui per excæcationem, & obdurationem clauſerunt oculos mentis ne viderent, & aures ne audirent, & perciperent motiva, & rationes, quæ à Paulo dicebantur; & hoc forſan in odium fidei, quàm ipſe evangelizabat, & iſti irridebant eum, àc ſpernebant. Alij mente, & auditu cordis perceperunt, quæ à Paulo dicebantur, & illa maturè conſiderarunt, ex quibus aliqui ex vi motivorum ità credibilium in dubium acti, & perplexi dixerunt: *Audiemus te de hoc iterum*: vel quià nondum penetraverant debitè maiorem credibilitatem in motivis fidei, vel quià, etſi illam agnoviſſent, nondum ſe determinabant ad exercitium credendi, propter aliquos affectus detinentes eos, aut quià iudicarunt in re tanti momenti maiorem exigi diligentiam, & inquiſitionem veritatis. Aliqui denique clare perſpexerunt motiva, quæ pro doctrina Pauli erant, eſſe credibiliora, multo magis, quàm motiva ſuæ ſectæ. Et adiuti divina gratia omnes humanos affectus vicerunt, & generoſa reſolutione crediderunt adhærentes Paulo.

113 Ex quo patet: in eo caſu nullum fuiſſe, qui diſſentiret fidei ſibi apparenti magis credibili, ſeu credibiliori. Nàm illis, qui fidem irridebant, non appa-

rebat

rebat fides, vt credibilior ſuis erroribus; ſed potius vt ridicula. Nec obeſt, quod Paulus eam proponebat, vt multo magis credibilem, & ex vi motivorum, quæ Paulus afferebat, revera erat magis credibilis. Nàm illi excæcati nollebant ea motiva conſiderare, nec ſerio audire; & ſic non præbuerunt locum, vt ex vi talium motivorum eis credibilior appareret, & hoc ſua culpa, vel ex ſuperbia, vel ambitione, vel alio vitio.

114 Ad primam confirmationem, conceſſo antec. diſtinguo conſeq. ergò propoſitis motivis fidei vt credibilibus, homo poteſt eis diſſentiri per inconſiderationem eorum, concedo conſeq. præmiſſa debita conſideratione eorum motivorum, nego conſeq. Quià nos non negamus intellectum poſſe aſſentire parti minus probabili, & diſſentire parti probabiliori, ſi actu non conſideret motiva ex vi quorum apparet probabilior, quià tunc non apparet intellectui probabilior, ſed minus probabilis, & oppoſita probabilior. Vnde nihil mirum quod ei poſsit diſſentire, & oppoſitæ aſſentiri. Solum negamus quod intellectus actu àc prævià conſiderans motiva fidei vt credibiliora motivis oppoſitis; poſsit ei diſſentire, & aſſentire oppoſitis immediate, hoc eſt nulla interpoſita inconſideratione.

115 Ad ſecundam confirmationem eodem modo diſtinguo maiorem: ità credit, quod poteſt credere oppoſitum per inconſiderationem motivorum fidei, concedo, nulla mediante inconſideratione, ſed immediate, nego antecedens. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam in ſenſu dicto. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens: intellectus magis abhorret ſuſpenſionem iudicij, quàm aſſenſum vnius ex partibus contradictionis ſine proximo & evidenti periculo errandi, concedo: cùm tali periculo, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego ſupoſitum, quod ſcilicet in ſuſpenſione iudicij intellectus patiatur violentiam. Nàm intellectus non eſt neceſsitatus naturaliter quoad exercitium aſſentiendi in obſcuris, & probabilibus, nec naturali impetu fertur ad talem aſſenſum, ſed cùm indifferentia contradictionis, & quoad exercitium; principio autem indifferenti quoad exercitium nulla fit violentia, ſi à tali exercitio ſuſpendatur, potiſsimè ſi circa alia exerceatur. Quod patet in voluntate ipſa, quæ, ſi ponatur indifferens ad obiecta oppoſita, abſque vlla violentia poteſt neutrum velle, & ad alia tendere vel reſpicere, potiſsimè ſi in illis duobus bonis oppoſitis lateat periculum alicuius mali ſibi exoſi. Quod quidem evidentius explicatur in famelico, cui ſi apponantur duo cibi æquè boni apparentes cùm certitudine de eo quod vnus eſt venenatus, ſi alios cibos facile quærere poſsit, nullam patietur violentiam, abſtinendo ab vtroque illo cibo periculoſo, ſtultiſsimeque ageret, ſi aliquod eligeret ex illis duobus. Sic ergò, intellectus hæſitans inter duas partes contradictionis, ſub quarum vna evidenter ſcit latere falſum, & errorem, & deceptionem, nullam omninò patietur violentiam, ſi ſuſpendat iudicium circa illa duo: imò hoc convenit naturæ eius, vt ſæpè probatum manet, potiſsime cùm poſsit facillime circa alia ſuam vim iudicativam exercere, abſque tali periculo inveniendi falſum.

116 Sed dices intellectus naturaliter quærit veritatem Si ſuſpendit iudicium, certum eſt quod veritatem non inveniet: àt ſi alteri parti, etſi minus probabili, aſſenſum præſtet, eam invenire poterit: ergò melius eſt illi aſſentire parti minus probabili cùm ſpe inveniendi veritatem, quàm ſuſpendere aſſenſum abſque tali ſpe. Diſtinguo maiorem: naturaliter quærit veritatem fortuito, & per ſortem, nego maiorem: rationaliter, & per ſe, concedo maiorem. Et dico quod, ſi aſſentiatur parti minus probabili, poteſt invenire fortuito, & per accidens veritatem, ſed non rationaliter, & per ſe; quià nulla ratio dictat prudenter veritatem latere potius in parte minus probabili, quàm in magis probabili; ſed hoc ſolum contingere poteſt fortuito. Vel aliter dico, quod intellectus quærit naturaliter veritatem, ſed etiam naturaliter horret falſitatem. Si ſuſpendat iudicium, certus eſt quod non inveniet veritatem, ſed etiam eſt ſecurus quod non incurret errorem, deceptionem, aut falſitatem; àt, ſi aſſentiatur parti minus probabili, probabilius eſt quod inveniet falſitatem, deceptionem, & errorem, quàm veritatem; hoc autem peius eſt, & multo peius.

117 Sed contra doctrinam traditam ſic inſurges ex Terillo. Cùm hæreticus diſſentitur myſterijs noſtræ fidei, hic aſſenſus debet fieri in ſenſu compoſito rationum prævalentium pro myſterijs fidei, & dùm actu conſiderat eas rationes: ſed eo ipſo hæreticus diſſentitur myſterijs noſtræ fidei, quanvis ſibi appareant, & dùm apparent magis probabilia: ergò poteſt quis diſſentire opinioni magis probabili, dùm apparet magis probabilis. Maiorem probat, quià aliàs non imprudenter diſſentirent fidei, nec imprudenter aſſentirent

ſuis erroribus : quià nemo imprudenter diſſentitur alicui aſſertioni, quandò illa ſibi apparet minus probabilis, nec imprudenter oppoſitæ, quandò oppoſita apparet magis probabilis: ſed ſi diſſentiret noſtræ fidei, quandò actu non conſiderat rationes prævalentes pro ipſa, & inſenſu diviſo earum, pro tunc noſtra fides appareret minus probabilis, & errores oppoſiti magis probabiles: ergò hæreticus pro tunc non diſſentiret imprudenter noſtræ fidei, nec aſſentiret imprudenter oppoſitæ. Maior patet in hæretico materiali, quià inculpabiliter diſſentitur myſterijs fidei, eo quod ſibi apparent minus credibilia, & probabilia.

118 Reſpondeo facile, negando maiorem, ad cuius probationem nego ſequelam, ad cuius probationem diſtinguo maiorem; nemo imprudenter diſſentitur alicui aſſertioni, quandò talis aſſertio apparet minus probabilis facta debita conſideratione motivorum. Concedo maiorem: ſi appareat minus probabilis propter inconſiderationem affectatam, & culpabilem; nego maiorem. Ad cuius probationem ex hæretico materiali, reſpondeo eum intantum eſſe hæreticum materialem, inquantum ex ignorantia, vel ex inconſideratione inculpabili non agnoſcit myſteria noſtræ fidei eſſe magis credibilia; attamen hæreticus formalis, ſi id non agnoſcit, eo eſt, quià non vult conſiderare debite, & ſine paſsione myſteria noſtræ fidei, nec vult ſincerè quærere veritatem, ſed potius in odium eius avertit conſiderationem à motivis illam ſuadentibus, & ſolum aplicat conſiderationem ad motiva illam impugnantia. Vnde hæreticus materialis excuſatur ab imprudentia, ſeu à culpa, ſed hæricus formalis non excuſatur, quanvis myſteria noſtræ fidei ſibi appareant minus credibilia, quià ità ſibi apparent ſua culpa.

119 Sed contra inſurgit Terillus; quià nolle attendere motivis fidei non eſt peccatum hæreſis, ſed ſolum infidelitatis: ergò peccatum hæreſis non provenit ex defectu attentionis, & conſiderationis motivorum fidei, ſed quià licet magis appareant probabilia, eis diſſentitur. Diſtinguo antecedens, non eſt formaliter peccatum hæreſis, concedo, vel omitto antecedens: non eſt cauſaliter, nego antecedens. Fateor enim quod nolle attendere ad motiva fidei non eſt peccatum hæreſis formaliter, eſt tamen cauſaliter proxime; quià indè immediatè provenit quod ſui errores ei appareant magis probabiles, & illis aſſentiatur, & hic aſſenſus erroneus eſt formaliter peccatum hæreſis voluntarium in cauſa immediata; quià ſcilicet provenit ex eo quod noluit attendere ad motiva fidei, forſan ex amore ad proprios errores.

120 Inſurgit ſecundò, quià quandiù aliquis habet apparientiam maiorem pro errore, non tenetur motivis contrarijs attendere: ergò non erit culpabilis in non attendendo. Antecedens probatur, quià non poteſt habere obligationem attendendi, quin habeat motiva probantia, quod teneatur illis attendere; ſed hæc motiva indiviſibiliter ſuadent myſteria fidei eſſe vera, & errores oppoſitos eſſe falſos, ac per conſequens ex vi illorum motivorum iàm redduntur myſteria magis credibilia: ergò quandiù aliquis habet apparentiam maiorem pro errore, non tenetur attendere ad motiva oppoſita. Confirmat: hæreticus materialis non tenetur attendere dicenti illum eſſe in errore, niſi afferantur motiva ſufficientia ad illum perſuadendum, vel reddendum omninò dubium, & perplexum in fide priſtina. At talia motiva ſuadent fidem priorem fuiſſe erroneam, & oppoſita myſteria fuiſſe à Deo revelata: ergò iàm non habet motiva potiora pro errore quàm pro fide, ſed potius maiora pro fide. Sed hoc non obſtante, tunc poteſt obſtinatè adhærere errori; alioquin nunquàm poſſet peccare peccato formali hæreſis: ergò

121 Reſpondeo negando maiorem ad cuius probationem dico. Quod motiva probantia quod teneatur attendere motivis oppoſitis non ſunt eadem cùm eis motivis, quæ ſuadent oppoſitum; aliàs enim nunquàm daretur caſus in quò antequàm aliquis attenderet, & conſideraret motiva fidei, vt credibiliora oppoſitis, teneretur ad ea conſideranda. Motiva ergò ſuadentia aliquem teneri ad conſideranda motiva fidei, ſunt regulæ generales, & evidentes ſyndereſis, quæ dictant ex oppoſitis doctrinis neutri eſſe credendum determinate, niſi prius mature diligenter, & abſque omni paſsione perpenſis, conſideratis, & ad invicem collatis motivis credibilitatis vtriuſque doctrinæ; huiuſmodi autem regulæ non probant, nec reddunt magis credibilem vnam doctrinam quàm aliam, ſed potius pro illo priori, in quo fundant prædictam obligationem præſcinditur omninò à maiori vel minori credibilitate vtriuſque doctrinæ, & vtrorumque motivorum, & tantum obligatur animus ad examinandam, & conferendam credibilitatem illorum.

122 Ad confirmationem, nego maiorem, quià illa motiva non poſſunt hære-

hæreticum materialem reddere dubium de fide pristina, nisi posquam illis attenderit, & ea considerarit; obligatio autem attendendi debet esse pro priori ad talem considerationem, & attentionem, ac proinde non potest esse orta ex eisdem motivis, sed ex alijs prioribus; nimirum ex regulis generalibus, & principijs synderesis per se notis, vt clare probabimus tract. de fide.

123 Sed dices: ergò Catholicus ad assentiendum motivis fidei tenetur attendere ad motiva contraria hęreticorum; hoc autem videtur absurdum, nàm Ecclesia Catholica potius prohibet fidelibus attentionem, & considerationem ad motiva hæreticorum; dùm prohibet legere eorum libros.

124 Respondeo Catholicos in genere sivè Ecclesiam Catholicam, antequàm aliquod mysterium, vel articulum credat de fide divina, & illud proponat suis filijs ità credendum, teneri attendere, considerare, & conferre motiva talis doctrinæ cùm motivis oppositæ, examinareque quænam ex illis sint credibiliora, & vi huius obligationis, quæ maxima est & magni momenti, Ecclesia catholica sæpè congregavit Concilia vniversalia, convocando ad illa omnes hæreticos, vt sua motiva exponerent, & cùm motivis contrarijs conferrentur, diligentissimoque examine liberaretur, quænam motiva essent credibiliora, & magis probabilia; & inventum est motiva nostræ fidei esse longe probabiliora, & credibiliora maximo excessu ad motiva hæreticorum. Ideòque in præsenti nullus Catholicus in particulari tenetur ad examinanda motiva hæreticorum, nec ad ea consideranda, & conferenda cùm motivis nostræ fidei: quià hanc considerationem, & conferentiam, supponit factam ab vniversali Ecclesia in Concilijs generalibus, multo cùm maiori diligentia, doctrina, & ingenio, quàm quilibet particularis illam facere possit. Ideòque Ecclesia catholica iustissimè prohibet suis filijs lectionem librorum hæreticorum, & examen motivorum contra fidem, quià ipsa securissima quod præmisserit sufficientem, & exactissimam conferentiam, superfluam, imò & nocivam iudicat considerationem, & conferentiam particularem cuiuslibet Catholici.

Econtrà vero hæretici, quibus constat in illa vniversali, & exactissima conferentia motivorum facta ab vniversali Ecclesia sua motiva apparuisse multo minus credibilia, quàm nostra, tenentur, vel illis non credere, vel maiorem conferentiam, & considerationem præmittere. Cùm igitur suis erroribus adhæreant, eaque credibiliora iudicent, hac non præmissa conferentia, & consideratione, nec à se, nec ab alijs doctioribus, inde est quod inconsideratè, temere, & contra regulas prudentiæ suis erroribus adhærent, & nostram fidem negant pertinaciter; ac per consequens peccant formaliter peccato hæresis.

125 Sed dices: rustici & simplices, tàm in Ecclesia catholica, quàm in sectis hæreticorum nihil sciunt de examine facto in Concilijs, nec quænam pars in illis apparuit credibilior: ergò respectu horum tenebit absurdum illatum, quod scilicet tenebuntur ad novam conferentiam motivorum. Quod vrgeri potest, nàm illitterati viventes in sectis hæreticorum, per nos tenentur ad novam conferentiam, & examen: sed Catholici illitterati, nihil magis audiunt, nec sciunt de Concilijs, quod non audiant illitterati hæreticorum: ergò etiam Catholici tenebuntur.

Respondeo, omisso antecedenti, negando consequentiam. Nàm solum infertur Catholicos simplices, teneri ad conferrendam credibilitatem Ecclesiæ, cui credunt, cùm credibilitate aliarum sectarum; & ratio est, nàm crediturus non tenetur examinare motiva articulorum, & rerum credendarum, hoc enim pertinet ad scientem, vel opinantem, sed solum tenetur examinare authoritatem, & credibilitatem illius, cui credit. Cùm ergò Deus per Ecclesiam, vel Ecclesia vt organum Dei visibile sit, cui credit Catholicus, tantum tenetur Catholicus crediturus examinare authoritatem, & credibilitatem Ecclesiæ, conferendo illam cùm alijs sectis. Quod facilimè præstare potest quilibet Catholicus etiam illitteratus, quià Ecclesia est civitas supra montem posita, & facile eminet vniversis sectis, & cuique consideranti sic apparet evidenter; ac proindè securissimè quilibet fidem suam committit Ecclesiæ, absque examine articulorum, & mysteriorum credendorum, postquam evidenter agnoscit Ecclesiam eminere in authoritate, & credibilitatè præ alijs sectis.

Ex quo ad confirmationem distinguo maiorem: per nos tenentur ad novam conferentiam, & examen articulorum, nego maiorem: credibilitatis, & authoritatis sectarum, vel authorum quibus fidunt, concedo maiorem: & omissa minori, quanvis falsa, distinguo consequens in eodem sensu, de Catholico crediturо, nàm vt dixi Catholicus crediturus tenetur conferre authoritatem Ecclesiæ, cui fidit cùm sectis hæreticorum. Diferentia autem stat,

in

in eo quod cuique debitè conſideranti Eccleſia apparet credibilior præ omnibus ſectis, vt autem aliæ ſectæ appareant credibiliores neceſſaria eſt omninò inconſideratio, vel indebita conſideratio, nàm alitèr nulla ſecta apparere poteſt credibilior præ Eccleſia. Sed de hoc, tractatu de fide.

126 Denique dices: vel hæreticus formalis habet ſufficiens motivum, & ſufficientem credibilitatem myſteriorum fidei, vel non? Si non: ergò non peccat negando fidem. Si habet ſufficiens motivum: ergò ei proponuntur, & apparent myſteria fidei, vt credibiliora ſuis erroribus. Probatur hæc conſequentia: myſteria fidei non proponuntur cùm ſufficienti motivo vt credantur, niſi proponantur vt credibiliora alijs erroribus oppoſitis; ſed per nos hæretico formali neganti fidem proponuntur myſteria noſtræ fidei cùm motivo ſufficienti vt credantur: ergò, Maior patet, quià per nos motivum minus credibile vel æquè tantum credibile non eſt motivum ſufficiens vt aliquid credatur.

127 Reſpondeo, quod hæreticus formalis, dùm actu negat fidem, habet motivum ſufficiens, condicionate, & remote, quod culpa & vitio ipſius hæretici non fit ſufficiens proximè, & abſolutè; quià nimirũ hæretici non volunt ſine odio Eccleſię, & ſine certis paſsionibus, quibus, rebus temporalibus adhærent, nec cùm ſerio deſiderio inveniendi veritatem motiva noſtra cùm ſuis conferre, ſed obturant aures ne audiant, & claudunt oculos mentis ne videant, ne ſcilicet temporalia amittant, & ſic perdunt æterna.

128 Deinde obijcit Terillus argumento deſumpto ex iudicio temerario. Maritus enim zelotypus ſæpè temerè iudicat de vxore ob minimum defectum aliquem in ea notatum, nec deponit illud iudicium, quanvis ei viri graves oſtendant inſufficientiam motivi, cui nititur, & ipſa vxor maximæ probitatis argumenta præbeat. Rurſus, qui graves cùm alio inimicitias gerit ſæpè aduci non poteſt, quin credat ſuum inimicum animo ficto amicitiam petere, vt ipſum circumveniat, quanvis motiva longè probabiliora incontrarium afferantur; & ratio eſt, quià non vult iudicium, & affectum vni parti ligatum deponere; inde enim fit conſequenter ad tale iudicium, vt vehementèr ſtimuletur ad aſſentiendum vni parti præ alia: quo tamen non obſtante, manifeſtum eſt rationes, pro priori ad omnem affectum, vel iudicium, ſæpè eſſe potentiores pro parte, quàm temerè iudicans reſpuit, iudicat tamen: ergò adhæret motivo verè minori, potiore contempto, quod eſt intentum.

129 Reſpondeo ad hæc, & ſimilia exempla, iudicium in his caſibus ideò eſſe temerarium, ſivè quià non vult maturè, ſerio, & ſine paſsione, & cùm deſiderio ſciendi veritatem motiva conſiderare, & ad invicem conferre, ideòque paſsione zeli, invidiæ, vel odij excæcatus claudit oculos mentis, & obturat aures cordis, ne percipiat motiva graviora; àc proinde quanvis revera ſint maiora, & oppoſita, quibus aſſentitur, leviſsima; tamen, quià de iſtis nimium cogitat, alia vero vix attendit, ideò quæ leviſsima ſunt in re, ipſi apparent evidentia, & graviſsima, quæ vero graviſsima, ſibi apparent levia, vel nullius momenti. Vnde concedo vltimam conſequentiam, quàm infert Terillus, quod ſcilicet adhæret motivo verè minori, potiore contempto. Et ſi hoc tantum intendit, nulla erit inter nos, & ipſum diſcordia, cæterum alia eſt eius mens, & intentio, quià vult àc iudicat non ſolum poſſe intellectum adhærere motivo verè minori, quandò apparet maius, ſed etiam quandò apparet minoris momenti pro priori immediato ad aſſenſum. Hoc autem eſt quod nos negamus, & oppoſitum Terillus nequit probare; nàm ipſi, qui temere iudicant, exiſtimant ſe maioribus motivis, & graviſsimis rationibus moveri, imò & tanta vivacitate ipſis repræſentantur, & magnificantur tales rationes, vt vix aſſenſum ſuſpendere poſsint: quæ apparientia maior, non eſt præcisè pro poſteriori ad aſſenſum, ſed etiam pro priori ad aſſenſum, alias enim non inſtigaret intellectum ad ſic iudicandum. Temeritas ergò in illo iudicio conſiſtit in defectu conſiderationis debitæ motivorum, vt dictum eſt, non vero in eo quod contra motiva apparientia actu graviora iudicet.

130 Sed contra inſurgit Terillus; quià homines ſæpè audiunt rationes in contrarium, ſæpè illis veniunt in mentem nolentibus, quin hoc ab ipſis impediri poſſit, & tamen intellectus perſiſtit in ſuo iudicio: ergò tunc iudicat contra rationes actu credibiliores.

Secundò, quià, ſi ità iudicaret homo, quià non conſideret oppoſita motiva, hoc iudicium non eſſet intrinſicè temerarium, ſed ſolum extrinſicè: ergò iudicium intrinſicè temerariũ debet ſupponere motiva oppoſita conſiderata vt probabiliora. Antecedens probatur, quià præcipi poteſt alicui quod ante aliquod iudicium conſideret aliquod motivum, quod non ſit ſimpliciter requiſitum ad formandum iudicium prudens, quo caſu, ſi formaretur iudicium

cium ſine conſideratione illius motivi, iudicium illud non eſſet intrinſicè imprudens: ergò defectus conſiderationis debitæ non facit iudicium intrinſicè imprudens aut temerarium.

131 Reſpondeo quod non eſt, idem audire rationes, de ſe graviores, eas in mentem venire, imò & de illis actu cogitare, àc eas cogitanti apparere graviores, ſed prius ſæpiſsimè ſalbatur ſine ſecundo. Frequentèr enim contingit, quod homines ſæpè cogitant rationes de ſe graviores, & veniunt illis in mentem, ſed propter pravam eorum diſpoſitionem, non apparent vt ſunt, ſed multo leviores oppoſitis; quià non maturè, & abſque omni paſsione, nec cùm debito deſsiderio ſciendi veritatem ponderantur.

132 Denique obijcit Terillus ex Divo Thoma, qui 1. 2. quæſt. 17. art. 6. in corpore ſic ait: *Sunt quædam aprehenſa quæ non adeò convincunt intellectum, quin poſsit aſſentire vel diſſentire, aſſenſum, vel diſſenſum ſuſpendere propter aliquam cauſam, & in talibus aſſenſus vel diſſenſus ipſe, eſt in poteſtate noſtra, & ſub imperio cadit.* Tunc ſic, ſed quandò eſt in voluntatis poteſtate aſſentire, vel diſſentire alicui obiecto apræhenſo, ſupponi debent rationes vrgentes pro vtraque parte: ergò cùm ſupponuntur rationes vrgentes pro vtraque parte, eſt in poteſtate voluntatis flectere intellectum vt cuilibet aſſentiatur. Rurſus Divus Thomas quæſt. 14. de veritate artic. 1. ſic ait: *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ elegit aſſentire vni parti determinatè, & expresè propter aliquid quod ſufficiens eſt ad movendam voluntatē, non ad movendum intellectum, vtpote quod videtur bonum, & conveniens vni parti aſſentire.* Vbi (inquit Terillus) expresè ſupponit Divus Thomas voluntatem poſſe flectere intellectum ad alterutram ex oppinionibus probabilibus propter motivum proprium voluntatis: ergò & ad aſſenſum prębendum parti minus probabili, quandò id voluntati expediret. Itàque cùm multum expediat voluntati, intellectum credere quod aliquid ſit licitum, & ſi probabilius ſit illud eſſe illicitum; ſic enim iudicando, liberatur à graviſsimo conſcientiæ onere, quo gravatur, ſi ſuſpendat omne iudicium, aut flectat intellectum ad aſſentiendum parti probabiliori, poterit voluntas, vt liberetur à tali onere, flectere intellectum vt aſſentiatur parti minus probabili: ergò aſſenſus inter motiva probabilia eſt liber libertate contrarietatis.

133 Reſpondeo ad primam, concedendo quod etiam, quandò ſupponuntur rationes vrgentes pro vtraque parte, eſt in poteſtate voluntatis aſſentiri cui voluerit, & cui voluerit diſſentiri, quià poteſt ſuſpendere aut impedire conſiderationem harum, vel illarum rationum. V g. ſi vult aſſentire affirmativæ, poteſt conſiderare in ſolidum rationes pro affirmativa, omittendo conſiderationem rationum pro negativa, & conferentiam vtrarumque inter ſe, & hoc pacto aſſentietur affirmativæ. Aliter autem non poteſt; nàm ſi actu conſideret, & conferat rationes affirmativæ cùm rationibus pro negativa, illæ magis inclinabunt intellectum, quæ magis ponderant & gravant, vt patet in ſtatera, quam quiſque pro ſua libertate poteſt facere quod inclinetur in dexteram, vel in ſiniſtram, & hoc etiam habet quilibet in ſua poteſtate, dùm vtrimque pendent æqualia pondera, quià poteſt ab vna lance auferre pondus totum, vel partem, & ſic inclinabitur in oppoſitum, vel poteſt oppoſitæ addere maius pondus, & ſic etiam in hanc partem inclinabitur. His ergò duobus modis poteſt intellectus, etiam dùm vrgetur rationibus oppoſitis, determinari à voluntate in partem affirmativam, ſi vellit, nimirum, vel non conſiderando rationes pro negativa totaliter, vel minus eas conſiderando, vel conſiderando, & addendo alias pro affirmativa, ſi occurrant, vt poſſunt occurrere; actu autem conſiderando rationes æquales, vt æquales, vel in æquales, non poteſt ad partem æquè vel minus probabilem inclinari, durante tali conſideratione, etiam ſi voluntas id imperet, & velit.

134 Ad ſecundam eodem modo reſpondeo, quod rectè ait Divus Thomas intellectum determinari à voluntate propter aliquod, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, & non admovendum intellectum, quià, vt ſupra vidimus, duplex motivum neceſſarium eſt vt intellectus aſſentiatur cuilibet opinioni, vnum quod moveat voluntatem vt imperet aſſenſum, & hoc non eſt veritas nec verum aliquod, imò nec probabilitas, aut probabile, ſed eſt bonum aliquod ſub ratione boni, quod quidem non eſt ſufficiens admovendum intellectum; quià intellectus non movetur ex bono, ſed ex vero, vel apparenti vero; vnde veriſsimum eſt quod tunc voluntas quià ſibi videtur bonum huic parti potius quàm alteri aſſentire, eligit illi parti aſſentire, & ad illam determinat intellectum. Ceterum, vel voluntas in illo ſuo imperio ſupponit factam exactam inquiſitionem veritatis, & maiorem credibilitatem in illa parte, cui vult aſſentire, vel non

ſup-

supponit exactam inquisitionem veritatis, aut, si hanc supponit, non supponit maiorem credibilitatem in parte, cui vult assentire. Si primum voluntas prudenter imperat, quia non imperat contemnendo veritatem, sed curando etiam de illa præsuppositivè. Si secundum, imprudenter imperat, quia imperat non curando de veritate, sed solùm de proprio commodo & vtilitate, exponendoque intellectum manifesto periculo falsitatis, maxima autem imprudentia est, comtempta veritate, quærere magis commoditatem & propriam conuenientiam, ac libertatem.

Ad casum prò exemplo appositum, dico illum modum formandi conscientiam periculosissimum esse; nàm si solum, quia expedit nobis, & quia volo liberari, & solvi ab onere legis, & conscientiæ, eligo assentire parti minus probabili, in qua maius periculum, imò evidentissimum periculum est falsitatis, planè, comtempta veritate, quæro meam libertatem & commoditatem; hoc autem, quis non videat periculosissimum esse? Nàm, vt ait Contempson, non probabilitatis minoris commoditas, sed veritas, inquit Salvator, ab inferno liberabit nos. Si autem veritatem spernimus, commoditas quid nobis proderit.

135 Sed dices; ex prædicta doctrina tantum sequitur quod, dùm adsunt rationes pro vtraque parte, habeat homo libertatem mediatam ad assentiendum parti cui voluerit pro instanti sequenti; quatenùs potest mutare considerationem motivorum, vel illam suspendere; quod quidem non potest facere pro eodem instanti, in quo supponitur actualis consideratio motivorum: hoc autem videtur absurdum, nàm in eodem instanti, in quo quis assentitur potest dissentire, & pro eodem instanti; aliàs enim non esset propriè liber actus fidei, vel opinionis.

136 Respondeo in primis, quod quanvis intellectus in instanti, quo vrgetur motivis æqualibus, non possit assentiri pro eodem instanti vlli ex partibus contradictionis, sed tantum possit in illo instanti velle assentire cuilibet pro sequenti, per hoc præcisè sufficientissimè salvatur libertas fidei & opinionis; nàm vt aliquis actus sit liber, non requiritur, quod in eodem & pro eodem instanti, in quo est potestas, possit existere actus, si sit actus imperatus; nàm qui sedet, dùm sedet, habet libertatem veram & proximam adsurgendum; & tamèn non potest in eodem instanti, & pro eodem surgere, sed solùm immediatè post: solùm ergò requiritur quod in eodem instanti possit velle surgere, ex quo velle pro vltimo instanti terminativo sessionis, sequitur immediatè post, motus surgendi. Ità igitur, vt sit liberum homini credere huic vel illi parti, etiam dùm actu considerat motiva prò vtraque, non requiritur quod possit assentire affirmativæ pro eodem instanti, in quo considerat motiva contraria vt validiora; sed sufficit quod possit velle pro eodem instanti illi assentire, & ex hoc velle sequatur immediatè post suspensio considerationis pro negativa, & consequentèr ad defectum considerationis, assensus affirmativæ.

137 Deinde dico, quod etiam contingere potest, quod in eodem instanti, in quo considerat motiva vrgentiora pro negativa, possit assentire affimativæ, in eodem inquam & pro eodem, non in sensu composito talis considerationis, & potestate consequenti, sed potestate antecedenti, & in sensu diviso, si nimirùm illa consideratio sit libera consideranti, vt plerumque contingit. Nàm si est libera, iuxta regulas arguentis debet supponere in eodem instanti potestatem illam suspendendi; ergò ità considerat motiva vrgentiora pro parte negativa quod in eodem instanti habet potestatem antecedentem ea non considerandi in illo eodem instanti: Ergò potest etiam potestate antecedenti, mediantè tali inconsideratione, dissentire negativæ, & assentire affirmativæ pro eodem instanti. Semper tamèn supponendum est libertatem hominis ad assentiendum motivo minus probabili esse ad illi assentiendum, non immediatè consequentèr ad cõsiderationem motivi minus probabilis, & in sensu composito illius, sed tantum in sensu diviso talis considerationis & dependentèr ab alia consideratione premissa: vti, dùm voluntas est libera ad eligenda duo media incompossibilia ex diversis motivis, & finibus, quorum quilibet finis de se movet ad suum medium, libera est voluntas ad quodlibet medium eligendum, sed non ità immediatè, vt cùm amore æquali vtriusque motivi, & finis, & in sensu composito illius æqualitatis eligat potius hoc medium, quàm illud, nec ità vt amando magis finem *A*, eligat potius medium aptum ad finem *B*, minus amatum; sed ità vt possit eligere medium *A* præmitendo maiorem amorem finis *A* & non aliter. Sic similitèr: sicut enim in voluntate ad electionem medij debet necessariò præcedere amor motivi, & finis ita in

intellectu ad electionem opinionis debet præcedere consideratio motivi.

138 Objiciunt vltimo contrarij argumento desumpto ex opinionibus contrarijs circa Immaculatam Conceptionē Beatæ Virginis; nàm Dominicanis, inquiunt, est minus probabilis opinio affirmans Beatam Virginem fuisse sinè macula conceptam: & tamèn prudentèr possunt assentire huic opinioni: ergò quisque licitè potest prudentèr assentiri opinioni sibi minus probabili. Minorem probant, quià Dominicani licite, & prudentèr possunt, imò & debent celebrare festum Conceptionis Beatissimę Virginis: sed hoc non possunt, nisi prudentèr assentiendo & credendo Beatissimam Virginem fuisse sine macula originali conceptam: ergò possunt assentire prædictę opinioni. Minorem probant, quià nemo potest licitè celebrare conceptionem, quàm sanctam esse non credit: Conceptio enim non sancta, sed peccato originali maculata, indigna est omni cultu, & nec prudentèr, nec licite celebrari, aut coli potest: ergò non possunt licitè, & prudentèr celebrare festum conceptionis, nisi assentiendo opinioni affirmanti illam fuisse immaculatam.

139 Respondeo hoc argumentum quod Terillus, & Moya magni faciunt, & latè prosequuntur contra Dominicanos, plus virulentiæ adversus ipsos, quàm efficaciæ contra nostram sententiam continere. Indirectè enim & quasi latentèr Dominicanos provocat ad itterandum certamen de Immaculata Conceptione; cùm tamèn Sacro Sancta Mater Ecclesia eis silentium indixerit, nè partem, quàm olim tuebantur, publicè proferant. Quo silentio indicto, eis minimè licèt, nec asserere Beatissimam Virginem fuisse cùm macula originali conceptam, nec id esse probabilius opposito; & consequentèr nec ipsis licet asserere esse minus probabile Beatissimam Virginem fuisse sinè macula originali conceptam. Qui enim hodie defenderet esse minus probabilem opinionem affirmantem Conceptionem Immaculatam Beatissimæ Virginis, & magis probabilem oppositam negantem, absdubio contrairet Decreto Alexandri VII. id ipsum prohibente. Ac proinde Patres Dominicani, vti obsequentissimi Sacro Sanctę Romanę Ecclesiæ, nec asserunt, nec defendunt opinionem piam prò immaculata conceptione esse minus probabilem oppositam, nec id vnquam se ità existimare fatebuntur, durante in sua vi præcitato decreto. Vnde vel præsumendum est, ipsis iàm esse longe probabiliorem opinionem piam. Vel saltèm eos suspenso examine veritatis, & probabilitatis prædictarum opinionum, Conceptionem Beatissimæ Virginis celebrare in eo sensu, in quo illam colit Sacro Sancta Mater Ecclesia, abstrahendo ab opinionibus & à sensu determinato intèr authores controverso, vel controvertibili. Licèt enim non sit de fide sensus ille determinatus prædicti cultus, quem præscribit opinio pia; quià adhuc non est de fide Conceptionem fuisse immaculatam in primo instanti infusionis animæ, àc proinde nec est de fide Conceptionem in eo instanti esse dignam cultu perduliæ; nihilominus tamèn de fide est Conceptionem Beatissimæ Virginis esse sanctam & dignam cultu perduliæ in eo sensu & pro instanti eo, pro quo & in quo eam colit vniversalitèr Ecclesia Catholica divino aflatu inspirata. Ac proinde securius, & certius in hoc sensu celebratur & colitur; quàm secundum hanc vel alteram opinionem.

140 Vndè ad argumentum in forma nego maiorem; quià licèt ante Decretum Alexandri VII. Patres Dominicani eam opinionem non solùm vt minus probabilem, verumetiam vt falsam & Sacræ Scripturæ repugnantem, rejicerent; incredibile tamèn mihi est, quod postquam Sancta Mater Ecclesia vniversalitèr seu Catholicè præcipit celebrari, & coli Conceptionem Beatissimæ Virginis Mariæ, & postquam prohibuit omnibus Christi fidelibus sivè directè, sivè indirectè, sivè quovis alio modo vel prætextu negare Beatissimam Virginem fuisse sinè macula originali Conceptam, aut oppositum asserere, incredibile mihi est quod adhuc Patribus Dominicanis minus probabilis videatur, aut sit opinio pia pro Immaculata Conceptione. Ipsi sanè hoc non asserunt post prædictum decretum. Vndè falso, & absque vllo porsus fundamento Pater Moya in appendice quæst. 2. num. 8. supponit, seu asserit quod *Dominicani adhuc sentiunt Beatissimam Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptam.* Nàm vndè obsecro prædictus author scire potuit Dominicanos adhuc ità sentire? Sanè cordis sensus, nisi per oris dictum, aut aliud signum externum ab alio quàm à Deo occulta cordium penetranti, dignosci nequit. Atqui Patres Dominicani post Decretum Alexandri VII. nunquam asseruerunt Beatissimàm Virginem Mariam fuisse in peccato originali conceptam: ergò perperam prædictus Author supponit, aut asserit eos ità sentire adhuc. Nec id colli-

gi

gi poteſt ex eo quod olim ità ſentiebant; nàm, variatis motivis, prudentis eſt variare ſententiam; conſtat autem validiora longe eſſe motiva prò Immaculata Conceptione, poſt prædictum decretum, & communem Eccleſiæ Catholicæ acceptationem, quàm erant olim: cùr igitur cenſebimus eos in antiqua perdurare ſententia? Sanè non capio, quo motivo aut fine id de eis dici poſsit. Nec maiori ſolutione iudico dignum prædictum argumentum, cùm potius à principio reſpondere potuiſſem, negando ſuppoſitum, quod ſcilicet liceat de his diſputare, vt infrà dicam.

QVÆSTIO XXVII.

An ex eo quod Iudex non poſsit iudicare ſecundum opinionem minùs aut æquè probabilem in foro iuſtitiæ, inferatur idem dicendum de intellectu in foro conſcientiæ?

1 HANC Quæſtionem inſtituo, ad examinandam vim & efficaciam prædictæ paritatis, in qua quidem partem affirmativam teneo, quàm non melius probandam exiſtimo, quàm ex paritate Iudicis ſuadendo intellectum in foro conſcientię non poſſe iudicare ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem. Sit ergò.

§. I.

Expenditur prima ratio contra Iudicem, & applicatur intellectui.

2 SIC Igitur argumentor primo. Iudex publicus in tribunali iuſtitiæ non poteſt prudentèr iudicare ſecundum opinionem minus aut æquè tantum probabilem: ergò nec intellectus in foro interno conſcientiæ poteſt iudicare prudentèr ſecundum opinionem minus aut æquè tantum probabilem. Conſequentia patet, quià ſicut Iudici publico ex proprio munere incumbit iudicare & decidere lites in æquitate, ità intellectui, veluti Iudici privato, ex proprio munere incumbit iudicare & decidere dubia conſcientiæ in veritate. Antecedens autem adeò certum eſt, vt Innocentius XI. hanc propoſitionem, ordine Secundã: *Probabilitèr exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxtà opinionem minus probabilem*, proſcripſerit, vt minimum, tanquam ſcandaloſam & temerariam. Et ipſe Terillus, quæſt 24. num. 38. hanc ſtatuit 3. aſſertionem. *Hæc propoſitio: Iudici in iudicando licet ſequi opinionem minus probabilem ab ipſo pro tali evidentèr cognitam, aut abſolutè creditam, vt talem, non eſt probabilis.* Et num. 55. hanc aliam aſſertionem ſtatuit: *Hæc propoſitio: Licet Iudici in iudicando ſequi quamlibet ex ſententijs, quæ ab ipſo, omnibus inſpectis, habentur æquè probabiles, meo iudicio non eſt intrinſicè probabilis.* Qualitèr igitur intellectui, qui Iudex naturalis eſt pro decidendis dubijs conſcientiæ, conceditur facultas iudicandi ſecundum opinionem minus, aut æquè tantũ probabilem, quãdo id concedere Iudici publico in foro iuſtitiæ, nec probabile eſt, imò quoad opinionem minus probabilem, ſcandaloſum & pernitioſum?

3 Reſpondent contrarij, hoc argumentum debile eſſe ex natura ſua, nàm ſolùm deſumitur à paritate rationis. Ità Terillus num. 38. & alij. Sed contra quià argumentum à paritate, tunc ſolùm eſt debile, quando ſumitur ſolum à paritate ſimilitudinis; quando autem ſumitur à paritate, vel potius identitate rationis, eſt demonſtrativum, vt patet in hoc ſyllogiſmo: *Ideò Petrus eſt riſibilis, quià eſt homo; ſed Chriſtus Dominus eſt homo, ſicut Petrus: ergò eſt riſibilis ſicut Petrus.* Nàm illa cauſalis: *Ideò Petrus eſt riſibilis, quià eſt homo* æquivalet huic vniverſali; vel illam immediatè infert; *omne quod eſt homo eſt riſibile*, ſub qua, ſubſumpta minori pręcedentis ſyllogiſmi, qui arguebat à paritate rationis, fit ſyllogiſmus demõſtrativus in *Darij*, quo probatur eadem concluſio, vt conſideranti patebit: ergò argumentum à paritate rationis, ſi ſervet paritatem rationis, non eſt debile ex natura ſua, ſed demonſtrativum.

Tunc ſic: ſed argumentum noſtrum ſtrictiſsime ſervat paritatem rationis, imò idẽtitatem: ergò demonſtativum eſt pro noſtra ſententia. Minorem non aliter melius probabimus, quàm excribendo rationes, quibus ipſe Terillus demonſtrat Iudicem non poſſe iudicare ſecundum opinionem minus aut æquè tantum probabilem, & examinando àn ipſæ rationes idem probent de intellectu in foro interno.

4 Primam rationem ſic proponit n. 9. Iudex ex officio ſubſtinet perſonam publicam vnicuique ius ſuum æqualitèr diſtribuentem iuxta rationũ momenta, quibus ſingulorum cauſæ librantur. Hoc adeò lumine naturæ notũ eſt, vt alio habitu non pingatur iuſtitia, quã oculis obvelatis, cũbillance in vna, & gladio in altera manu, quo ænigmate exponitur iudicantem nul-

lo affectu in alterum ex litigantibus debere inclinari, ſed ſententiam definitivam debere proferre pro parte, cuius rationes præponderant, conſiderando perſonas illas vt æquales, nulli potius quàm alteri favendo, perinde àc ſi nullum litigantium videret, aut cognoſceret: atqui ab hoc munere deficeret Iudex, ſi rationes minus validas validioribus præferret: ergò non licet Iudici iudicare ſecundum opinionem innixam rationibus minus validis, hoc eſt, ſecundum minus probabilem.

5 Tunc ſic, ſed intellectus ex natura ſua eſt Iudex intèr opiniones, qui tenetur ſingularum opinionum rationes librare, & nullo affectu in alteram partem inclinari, ſed ſola ratione duci, hoc eſt, quantum eſt ex parte affectus, & voluntatis indifferentèr & æqualitèr vtrãque partem reſpiciendo ante iudicium deciſivum: ergò intellectus ex natura ſua, ſicut Iudex publicus ex officio, tenetur iudicare ſecundum opinionem magis probabilem, hoc eſt, validioribus rationibus innixam. En argumentum ab identitate rationis, quod ſic facilime in demoſtrativum convertitur: omnis Iudex, qui tenetur aliquo titulo iudicare intèr partes, prius ſingularum partium rationes librando, nulloque affectu ante iudicium in alteram partem inclinando, ſed ſola ratione ductus, quantum eſt ex parte voluntatis & affectus vtramque æqualitèr reſpiciendo, tenetur ex eodem titulo iudicare ſecundum opinionem validioribus rationibus innixam, ſeu magis probabilem. Sed intellectus eſt Iudex, qui tenetur ex natura ſua iudicare intèr partes contradictionis, vtrimque rationes prædicto modo librando: ergò intellectus ex natura ſua tenetur iudicare ſecundum opinionem validioribus rationibus innixam. Syllogiſmus eſt in *Darij*. Maior eſt ipſa ratio Terilli.

6 Minorem autem à nemine negari poſſe ex eadem ratione Iudicis, probatur. Nàm in primis certiſsimum eſt intellectum natura ſua eſſe iudicem vniverſalem intèr partes contradictionis, inſtitutum ab Authore naturæ, vt rectè iudicet, quænam ſit vera, quænam falſa, & hoc non ſolum in ſpeculativis, ſed etiam, & multo potiori titulo, in moralibus & practicis. Secundo ex hoc naturali munere obligatur & tenetur ſingularum partium rationes librare; nàm hoc evidentèr eſt neceſſarium ad recte iudicandum. Tertio tenetur ante iudicium deciſivum, quantum eſt ex parte affectionis, & voluntatis, indifferentèr & æqualitèr vtramque partem attendere, & vtriuſque rationes, & allegationes audire, & examinare, ità vt ad iudicandum non ducatur affectu voluntatis, ſed ſola ratione: ſed hoc eſt quod præcipuè continet illa minor: ea igitur negari non poteſt.

7 Sanè non video quid contrarij huic argumento, mihi evidenti àc demonſtrativo, reſpondere poſsint. Reſpondebunt forsàn intellectum non teneri ex natura Iudicis intellectualis ad iudicandum ſolo ductu rationis, & non ex affectu voluntatis, quandoquidem prudentèr inclinari poteſt per affectum voluntatis vt aſſentiatur parti æquè vel minus probabili.

Sed contra eſt primo; quià intellectum duci immediatè ad iudicandum ex affectu voluntatis ſpecialitèr inclinante in vnam partem contradictionis præ alia eſt contra exigentiam naturalem intellectus. Ergò tenetur intellectus non ità duci ad iudicandum. Antecedens probatur: nàm contra exigentiam dirigentis & regulantis eſt immediatè duci, dirigi, & regulari ab eo quod ducere, dirigere, & regulare tenetur: ſed intellectus ex ſua natura eſt dux, dirigens, regulanſque voluntatem medio ſuo iudicio: ergò eſt contra eius exigentiam naturalem duci, dirigi, & regulari immediatè à voluntate ad iudicandum potius in favorem vnius partis contradictionis, præ alia.

Secundo nàm contra exigentiam naturalem potentiæ diſcretivæ intèr verum & falſum eſt duci immediatè ad ſententiam deciſivam à potentia cœca penitus neſcienti diſcernere intèr verum & falſum: ſed intellectus ex natura ſua eſt potentia inſtituta ad diſcernendum intèr verum, & falſum, & voluntas eſt potentia cœca neſciens diſcernere intèr verum & falſum: ergò contra exigentiam naturalem intellectus eſt duci ad iudicium, ſeu ſententiam deciſivam ab affectu voluntatis.

8 Tertio; nàm contra prudentiam ſaltim eſt intellectum exponi in rebus moralibus manifeſto & proximo periculo erroris & falſitatis, ſed ſic exponitur, ſi ducitur affectu voluntatis: ergò. Maiorem & minorem probare liceat aureo libriculo V. P. D. Laurentij Scupoli, cuius titulus eſt *Lucta ſpiritualis*, cuiuſque doctrina millies cõmendata à Sanctiſsimo Antiſtite & Tertiario noſtro D. Franc. Saleſio, magnam habet authoritatem ab inſignis, illuſtribuſque viris eam nunquam ſatis laudantibus. Ibi igitur, inſtruens intellectum ad rectam rerum cognitionem, capitu-

lo

lo octavo hanc regulam ſtatuit. *Vbi menti occurrerit quodlibet obiectum, converte verſus illum intellectus aciem, illudque maturè conſidera, antequam odium, ſi forsàn eſt de re noſtris inclinationibus naturalibus adverſa, vel amor, ſi eſt de re delectabili, moveat te ad volendum illud, vel averſandum. Nàm tunc*, ideſt, pro illo priori, *intellectus non præoccupatus paſsione manet liber & clarus, & poteſt veritatem agnoſcere, ac penetrare malum, quod latet ſub falſa delectatione, vel bonum, quod latet ſub apparientia mali. Ceterum, ſi voluntas prius inclinetur ad amandum, vel odio habendum obiectum, intellectus nequit illud recte cognoſcere, nàm illa affectio voluntatis interpoſita excæcat illum, adeò vt iudicet obiectum alitèr àc eſt, & ſic proponat illud voluntati, quæ tunc movetur maiori paſsione quàm antea ad volendum vel averſandum illud contra omnem ordinem, & legem rectæ rationis. Indè intellectus magis obſcuratus, ſub hac vmbra facit voluntati apparere obiectum magis amabile, vel averſabile, quàm antea. Qua propter niſi obſervetur regula ſuprà ſcripta, hæ duæ potentiæ intellectus & voluntas adeò nobiles, & excellentes, miſerabilitèr præcipitantur, & ruunt de obſcuritate in obſcuritatem, & ex vno in plures & maiores errores. Cave igitur omni diligentia ab affectione nimia cuiuſvis rei, quàm prius non examinaveris & cognoveris prout in rei veritate eſt luce ipſius intellectus, & per prius lumine divinæ gratiæ & orationis, ex conſilioque veſtri P. Spiritualis.* Hæc ſanè eſt regula potiſsima prudentiæ prò recta cognitione, rectoque iudicio formando de rebus, quæ niſi obſervetur, intellectus in plures abibit errores: ergò contra prudentiam eſt intellectum ſic exponere errori, & falſitati. Sed ſic exponitur, ſi ducitur affectu voluntatis ad formandum iudicium de rebus: ergo. Dices forsàn, prædictam regulam eſſe de conſilio, non de præcepto, àc proindè eſſe regulam conducentem ad maiorem perfectionem, non autem neceſſariam ad vitam ſimplicitèr chriſtianam, nec omnes obligantem.

Sed contra, quià purum conſilium ſemper eſt tale, quod, quanvis non ſervetur, non incurritur detrimentum, ſed ſolum decrementum maioris perfectionis: At qui talis eſt ea regula, quod, niſi ſervetur, intellectus & voluntas maximum incurrunt detrimentum, nàm prorruunt in plures & maiores errores; ergò non eſt tantum de conſilio, ſed etiam præceptum prudentiæ omnes obligans. Rurſus: ad vitam ſimplicitèr chriſtianam ſinè peccato, requiritur rectè iudicare & diſcernere intèr licitum & illicitum, intèr honeſtum & turpe: ſed ad hoc eſt ſimplicitèr neceſſaria illa regula: ergò non ſolum de conſilio eſt vtilis ad maiorem perfectionem, ſed obligatoria cunctis, qui pie volunt vivere in Chriſto, hoc eſt, qui volunt vivere chriſtianè.

10 Contra quarto: quià contra debitum, & obligationem Iudicis eſt duci ex affectu voluntatis ad iudicandum, eo præcisè quià affectus voluntatis excæcare ſolet, & obnubilare intellectum nè iudicet ſecundum rectam rationem, ſecundum æquitatem, & veritatem, nàm veritas intribunali iuſtitiæ ipſa æquitas eſt: ſed pariter in foro interiori affectus voluntatis ad vnam partem contradictionis, v. g. ad hoc quod ſit licita aliqua delectatio, ſolet excæcare intellectum, illumque obnubilare nè iudicet ſecundum rei veritatem: ergò contra exigentiam & obligationem intellectus eſt duci ex affectu voluntatis ad iudicandum de licito, & illicito. Minor patet, vel ipſa experientia; quanti enim inveniuntur, qui ex affectu cæco voluntatis iudicarunt vt ſibi licitas mille delectationes re ipſa inhoneſtas? Quanti ex affectu retinendi divitias iudicant ſe liberos ab obligatione reſtituendi, & dandi eleemoſynam, exiſtimantque ſibi licere multos contractus revera vſurarios, quinimò & ſimoniacos, eo nimirùm, quià licet intellectus eorum aliquam diligentiam exhibeat ad quærendam veritatem, affectu tamèn & cupiditate divitiarum præventus, & obſcuratus & obnubilatus, parum attendit rationes pro æquitate, nimium quæ favent cupiditati, timet conſulere viros ſe verioris vitæ, de quibus præſumit veritatem nudam prolaturos contra cupiditatem, & ſolum quærit eos, quos præſumit in favorem lucri dubia deciſuros. Et vnde tot laxarum opinionum pro libertate monſtra quotidie proſcripta à Sede Apoſtolica, & in poſterum pro ſcribenda, niſi ex affectu voluntatis ad propriam libertatem, & licentiam vivendi; ex eiuſque averſione ad iugum legis portandum; aut ex nimia indulgentia erga proximos tepidos, & laxos. Quià enim ex prædictis affectibus homines plerumque procedimus ad iudicandum in moralibus, propterea iuſtum iudicium non iudicamus, ſed in varios errores ruimus incauti: ergò negari non poteſt quod intellectus in tribuna-

li conſcientiæ ex affectu ad vnam partem contradictionis ſolet excæcari nè veritatem inveniat circa licitum, & illicitum.

11 Confirmatur: iuxta ipſum Terillum, opinio, quæ ante affectum voluntatis re ipſa erat, & apparebat minus probabilis, poſt affectum voluntatis apparet intellectui magis probabilis: ergò affectus voluntatis excæcat intellectum vt habeat pro magis probabili opinionem re ipſa minus probabilem. Explicatur. Si Iudex ante affectum propriæ voluntatis inveniret opinionem faventem Caio eſſe minus probabilem, & oppoſitam faventem Titio eſſe magis probabilem, & tunc affectu ſuæ voluntatis inclinaret intellectum ad aſſenſum opinionis pro Caio, & re ipſa tali opinioni aſſentiret interius, tunc ſanè illa opinio iàm appareret Iudici conſequentèr ad affectum, & aſſenſum magis probabilis, iuxta regulas P. Terilli, Cardenas & aliorum contrariorum. Tunc rogo: hic modus iudicandi in Iudice eſſet nè iudicare ſecundum rectam rationem, & ſecundum æquitatem, vel ſecundum affectionem, & paſſionem? Iudicaret nè tunc intellectus Iudicis excæcatus ab affectu voluntatis; vel ratione ductus? Certè lumine ipſo naturæ manifeſtum apparet, quod tunc iudicaret excæcatus à voluntate, ſecundum affectionem potius quàm ſecundum rectam rationem, ſecundum voluntatem propriam, potius quàm ſecundum æquitatem debitam. Supponamus item intellectum conſtitutum inter duas opiniones, quarum vna, eaque pro lege Dei, ante affectum voluntatis erga ipſam re ipſa eſt, & apparet magis probabilis, ſecunda, eaque pro libertate contra legem, etiam ante affectum voluntatis erga ipſam, re ipſa eſt, & apparet minus probabilis. Supponamus item quod voluntas afficitur erga propriam libertatem, & quod ex hoc affectu iàm opinio, quæ favet propriæ libertati, apparet ſibi magis probabilis, contraria autem minus. Rogo igitur, erit hoc iudicare ſecundùm rectam rationem? Secundum æquitatem & veritatem? Secundum prudentiam? Minimè: ergò iudicare ſecundum affectionem ad propriam libertatem, magis quàm ad legem Dei, erit iudicare intellectum paſsione vel amore proprio ductum, erit iudicare excæcatum ab amore propriæ libertatis.

§. II.

Aliæ rationes contra Iudicem expenduntur, & noſtro applicantur inſtituto.

12 SECVNDAM Rationem ſic proponit Terillus num. 10. Officium Iudicis eſt ſuam de iure litigantium ſententiam proferre: ſed ſuam ſententiam profere eſt dicere quod verius, & veroſimilius apparet: ergò officium Iudicis eſt iudicare ſecundum opinionem magis probabilem.

Vnde infert Terillus, quod ſi Iudex iudicaret ſecundum opinionem minus probabilem, iudicium externum nõn conformaret interno, & mentiretur: quià, dando ſententiam pro Caio, ipſa ſententia diceret opinionem pro ipſo ſibi apparere veriſimiliorem, cùm tamèn interius ità non eſſet, ſiquidem ea opinio eſſet minus probabilis; àc perconſequens infert non eſſe licitum Iudici ſic iudicare, ſicut non ei licet mentiri in iudicio.

13 Sed contra eſt, quià vel Iudex internè poteſt per imperium ſuæ voluntatis, & affectum circa vnam partem inclinari ad aſſenſum, & revera aſſentiri opinioni antecedentèr ad affectum minus probabili, vel hoc ei non licet. Si primum; ſanè conſequentèr ad affectum & aſſenſum, talis opinionio & pars ſibi videretur probabilior, & veroſimilior; quià, vt ſepiſsimè ait Terillus, vnicuique ſuum opinatum eſt probabilius: ergò, etſi profferet ſententiam externam prò illa parte, re ipſa diceret quod ſibi probabilius apparebat, & non mentiretur, adimpleretque munus proprium Iudicis, dicendo quod ſibi probabilius apparet.

14 Dices, non licere Iudici talem modum iudicandi internè ex affectu voluntatis, nec poſſe licite iuxta illum modum iudicandi profferre ſententiam, ſed teneri ad dicendum quod ſibi probabilius apparet independentèr ab affectu ſpeciali circa vnam partem præ alia, & ad hoc eſſe munus Iudicis.

Rectiſsimè quidem. Ergò tota ratio iſta Terilli in hac propoſitione fundatur: Iudex ex munere recti Iudicis tenetur dicere quod ſibi videtur pro priori ad affectum ſpecialem erga vnam partem præ alia, hoc eſt, quod ſibi videtur ſecundum rectam rationem, & non ſecundum paſsionem aut affectionem: ſed intellectus ex natura ſua eſt Iudex conſti-

ſtitutus inter partes contradictionis, vel, ſi mavis, inter legem Dei & propriam libertatem: ergò ex munere recti Iudicis, ſeu rectè iudicantis, tenetur iudicare & dicere id quod ſibi videtur pro priori ad affectum voluntatis erga vnam partem præ alia, erga libertatem præ lege: igitur nequit iudicare vt probabilius conſequentèr ad affectum voluntaris, quod ànte talem affectum minus probabile erat, & ſibi tale videbatur.

Et quidem, ſi Iudex ſic iudicaret externè, vt diceret quod ſibi probabilius apparet conſequentèr ad affectum & aſſenſum proprium, contra id quod ſibi apparebat antecedentèr, alijs mentiretur, alios falleret iuxta Terillum: ergò ſi intellectus ſuo iudicio deciſivo intèr legem & libertatem iudicaret contra id quod ſibi apparebat verius ante affectum voluntatis, ſibi ipſi mentiretur, ſe ipſum deciperet in iudicio de moribus, implere turque illud: *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Quàm malum autem hoc ſit, declarat Vir ille, mihi magnus, Euſebius Nyerembergius. *De adoratione Dei in ſpiritu, & veritate*, lib. 1. cap. 1. his verbis: *Grave ducimus ab alio decipi, etiam in rebus exiguis, & à nobis in ipſo noſtri precio libentiſsime volumus ſeduci. Audire vel dicere mendacium nolumus, & tamèn volumus ipſum mendaciũ eſſe, & vivere. O miſeri! Quià & decepti, & deceptores nobis ſumus. Si nefas iudicas decipere amicum tuum, & ſummam iniuriam putas decipi ab amico tuo, quod ius, & fas erit, vt te decipias & à temet decipiaris, qui fidelior, & charior debes eſſe tibi? Si aliquis falleret avarum in bonis fortunæ, ægrè ferret: cur falli à nobis in bonis virtutis, & gratiæ non ſolum ſubſtinemus, ſed etiam affectamus*: Et paulò poſt. *Pleni omnes ſumus fallacijs, quià referti amore proprio* (tu dic, amore propriæ libertatis) *Hinc inveteratum eſt damnum, ipſo vſu, & veluti præſcriptione mentiendi, vt quod vitium eſt, non modo defendant homines prudentèr factum, ſed iuxta Evangelium; & quod eſt contra rationem, ex doctrina Chriſti interdùm ſanctificant. Sufficeret miſeriæ humanæ ignorantia, qua laborat, quin opus eſſet ſuperaddi deceptionem. Miſeria ignorantium levis, eſt & facilis, vt quæ cedat diſciplinæ ſimul ac docentur; at eorum, qui decepti ſunt, dura & pertinax, & quæ reſiſtat doctrinæ. O vtinam ſolum ignorantes eſſemus, & non ſeducti. Hæc ſtultitia & impoſtura hominum in mundo ferè in omnes graſatur. Quantumvis ſapientiſsimos ſe putent, & ſint Primarij Doctores & Profeſſores Vniverſitatis, inſipientes ſunt & ſeducti, niſi probi, & ſancti.*

15 Vide igitur, quantum intèrſit hominem in iudicio de moribus, & virtutibus, & de vita humana peragenda non decipi. At, qui ſi intellectus amore proprio, ſeu affectu propriæ libertatis inclinetur ad iudicandum intèr opiniones probabiles prò libertate propria, maius periculum eſt errandi, mentiendi ſibi, decipiendi que ſe, quantum ad mores, & ad bonum virtutis, quàm in iudice ſic iudicante, quantum ad bona temporalia: ergò ſi Iudici, ex proprio munere Iudicis, ad vitandam deceptionem circa bona temporalia indicitur obligatio iudicandi ſecundum id quod ſibi probabilius apparet ante affectum voluntatis erga vnam partem præ alia, potiori titulo intellectui practico circa mores incumbit talis obligatio, nè decipiatur circa bona virtutis.

16 Quarto probat Terillus prædictam obligationem Iudicis ex inconvenientibus; nàm ſi Iudici ſemel concedatur facultas iudicandi pro libito quidquid intra terminos probabilitatis continetur, male proviſum eſſet pauperibus, quià pauperes, viduæ, pupili, & miſerabiles omnes, quanvis rationes meliores haberent, aut ſemper, aut ferè ſemper caderent in iudicio, & ſoli divites adque potentes vel amici Iudicis prævalerent.

Rectiſsimè quidem. Sed ſic argumentor: ipſiſsima inconvenientia, & maiora ſequentur, ſi intellectui practico concedatur facultas iudicandi pro libito quidquid intra terminos probabilitatis continetur: ergò naturalis obligatio prohibet intellectum ità iudicare. Minor probatur; nàm exinde confeſſores in tribunali conſcientiæ plerumque iudicarent in favorem divitis, in favorem amici, & affecti, exindeque quanvis famuli, mercenarij, & pauperes haberent maiores rationes vt ſibi ſalarium daretur, vt debitum ſtatim ſolveretur, confeſſarius, aut ſemper, aut ferè ſemper ſententiam ferret in favorem divitis, & amici, contra famulum pauperem. *Incredibile enim eſt* (vt verbis vtar Terilli) *Iudicem* (ego dico) Confeſſorem: *Nolle potentes ſibi devincire, & amicis gratificari, neglecto paupere & ignoto, aut etiam aliquando inviſo & inimico, modo id ſibi eſſet licitum.* Ergo cũ iſta dubia inter potentes & pauperes, intèr dominos & ſervos, &c. plerumque accedant ad tribunal conſcientiæ, quàm ad tribunal iuſtitiæ, male proviſum eſſet pauperibus, & famu-

lis, & ſervis, ſi in tribunali conſcientiæ licet, ret confeſſori, quod iudici in tribunali iuſtitiæ non licet, imò peius. Item, ſi liceret intellectui practico prò affectu voluntatis iudicare quidquid intra terminos probabilitatis continetur, male proviſum eſſet legi Dei, quià incredibile eſt hominem ſic licenciatum non velle ſe ipſum in poſſeſſione ſuæ libertatis ſervare, potius quàm ſibi iugum legis imponere; àc proindè intra terminos probabilitatis, qui iàm ampliſimi ſunt, nunquam homines iudicarent prò lege Dei, ſed ſemper prò propria libertate; hoc autem quis non videat cedere in magnum detrimentum divinæ legis, & contemptum ipſius.

15 Quinto probat Terillus, quià nullus Iudex audet publicè profiteri ſe aut tulliſſe, aut velle proferre ſententiam in favorē partis minùs probabilis, contra maiorem partis adverſæ probabilitatem; quià hoc ipſo totius Reipublicæ odium in ſe concitaret, nec quiſquam, niſi forte amicus, ab eo iudicari vellet, idquè quià non ritè fungeretur ſuo officio: è contrà, ſi conſtaret Iudicem aliquem in omnibus probabiliora ſectari, ex hoc ipſo omnium in ſe amorem, tanquam in incorruptum Iudicem, qui ritè ſuo fungeretur officio, conciliaret. Hinc patet laudabile eſſe Iudicem ſententiam ferre ſecundum id quod probabilius ſibi apparet; vituperabile autem, & inhoneſtum, relictis probabilioribus, ſecundum minùs probabilia iudicium ferre.

18 Nunc rogo; an Theologus aliquis audebit ſeriò profiteri, ſe in tribunali conſcientiæ velle iudicare ſecundum opinionem minùs probabilem contra partis adverſæ maiorem probabilitatem, ſeque in doctrina morali, & theologica hunc ſervare modum iudicandi, & decidendi dubia? Si hoc non auderet profiteri: ergò ità iudicare, & decidere dubia moralia vituperabile eſt, & inhoneſtum, eadē ipſiſima ratione, qua in Iudice. Si audeat profiteri ſe ità iudicare in decidendis quæſtionibus theologicis, & moralibus, ſanè nullam talis Theologus ſuis deciſionibus authoritatē tribuit, imò arguitive eas reddit minùs probabiles. Deindè ab omnibus Theologis irridebitur, & contemnetur, imò & non benè audiet inter Theologos ſiquidem in magnum contemptum Theologorum cedit dicere quod eis licet circa divina, circa legem Dei, ſecundum minùs probabilia iudicare, quod legiſtis non licèt circa iura purè humana, circa bona temporalia. Nunquid Theologia minùs veritatem amat, quàm Iuriſprudentia æquitatem? Nunquid Theologi minùs de ſervando iure divino, divinaque lege, quàm iudices ſeculares de ſervando iure humano, & regijs àc imperatorijs legibus curant? Nunquid cauſa conſcientiæ, & divinæ legis eſt minoris momenti, quàm cauſa fori? Nunquid minùs interſt rectè ſentire de Deo, de eius lege, de bonis virtutis, de malo vitiorum, de ceteriſque, quæ deciduntur à Theologis, quàm rectè populum gubernare, Rempublicam adminiſtrare, ius humanum ſervare illæſum? Vt hæc quidem, quæ ad regnum terrenum gubernandum ordinantur, non liceat iudicare ſecundum minùs, aut æquè probabilia; illa vero quæ ad Dei regnum, quod intra nos eſt, pertinent, iudicare liceat ſecundum æquè, aut etiam ſecundum minùs probabilia? Hoc ſanè dicent Theologi? Dicet Terillus? Non credam. Igitur ſicuti non audebit Iudex fateri ſe decidere lites ſecundum opinionem minus probabilem, ità nec Theologus reſolutiones morales, imò nec Chriſtianus dubia ſuæ conſcientiæ.

19 Cardenas tract. 1. diſput. 15. cap. 15. artic. 2. num. 616. ſic probat obligationem Iudicis: qui iurat vel promittit facere, quantum poteſt, prò aliquo munere implendo, obligatur ad eligendam eam opinionem, quàm niſi eligat, non operatur, quantum poteſt, prò tali munere exercendo. Sed vt verificetur quod Iudex facit, quantum poteſt, prò munere iudicandi exercendo, neceſſum eſt quod iudicet ſecundum ius probabilius, quià ità poteſt, & hoc eſt melius ad implendum munus iudicis: ergò Iudex, qui iurat vel promittit adimplere, munùs Iudicis meliori modo, quo poſsit, tenetur ſemper in iudicio eligere probabilius, & non poteſt licitè eligere minùs probabile, quià ità non iudicaret meliori modo quo poſſet. Rectiſsimè quidem, ſed rogo etiam à prædicto Authore, àn intellectus practicus, quatenùs eſt Iudex à Deo naturaliter conſtitutus ad iudicandum inter licitum & illicitum, inter propriam libertatem & divinam legem, teneatur hoc munus ſibi naturaliter inditum exercere meliori modo quo poſsit? Si tenetur, ſic argumentor; ſed iudicare ſecundum partem magis probabilem eſt melius exercere munus iudicis, quàm iudicare ſecundum partem minus probabilem; & hoc facilimè poteſt intellectus, quando verſatur inter opiniones inæqualiter probabiles, ſiquidem tunc caſus magis alicitur, & trahitur intellectus ex parte obiecti ad opinionem magis probabilem, quæ pro ſe ha-

habet validiores rationes magis pulſantes, & trahentes intellectum, ità vt non ſine difficultate intellectus poſsit trahi in partem contrariam, vt ſuprà vidimus ex ipſo Terillo: ergò intellectus practicus, quatenus Iudex à Deo conſtitutus inter licitum, & illicitum, inter legem Dei & propriam libertatem, tenetur ex propio munere ad iudicandum ſecundum opinionem magis probabilem, relicta minus probabili.

20 Explicatur: evidentiſsimum eſt quod melius iudicat intellectus, & magis rectè decidit dubia intellectualia, quandò iudicat ſecundum partem, pro qua ſunt validiores rationes, & maioris momenti, quàm ſi iudicaret pro parte, quæ minoris momenti, & valoris rationibus innititur, quià tunc iudicat magis ſecundum rationem, & quantum eſt de ſe magis appropinquat veritati. Item evidens eſt, quod intellectus facilius poteſt ità iudicare, ſiquidem ad ità iudicandum alicitur validioribus motivis. Sed aliunde intellectus titulo Iudicis à Deo naturalitèr conſtituti intèr dubia intellectualia, intèr partes contradictionis, intèr licitum, & illicitum, intèr legem Dei, & libertatem à lege, tenetur tale munus adimplere meliori modo, quo commodè poſsit: ergò tenetur iudicare ſecundum partem magis probabilem, relicta minus probabili.

21 Inquit P. Terillus quæſt. 24. num. 55. nos confundere officium Iudicis publici cùm officio Iudicis privati. Iudex enim publicus inſtitutus eſt vt lites ritè terminet in foro externo, ideòque tenetur iudicare ſecundum quod ſibi probabilius apparet. Omnes enim hoc ab ipſo poſtulant, adque ipſe iuramento ad hoc obſtringitur. At Iudex privatus non eſt inſtitutus ad terminandas lites, & ius dubium declarandum, ſed ſolum ad rationabilitèr formandam ſuam conſcientiam, & ideò poteſt iudicare ſecundum partem minus probabilem ſibi faventem. Attende ſane lector, & conſidera ſine paſsione, àn hæc ſit iuxta diſparitas, vt Terillus dicat nos confundere officium vtriuſque iudicis. Etenim negari non poteſt, quod ſicut in foro externo exoriuntur plura dubia, & lites circa iuſtum & iniuſtum, ſivè circa ius humanum, ità in foro conſcientiæ experimur innumera dubia inter partes contradictionis, intèr licitum, & illicitum, intèr libertatem, & legem Dei. Deinde nequit negari Deum, vt naturæ authorem, providiſſe pro ſuo foro interiori Iudicem naturalem, cuius munus ſit decidere dubia prædicta, ſicut Reſpublica providet pro foro externo, Iudices, quorum munus ſit decidere lites, & dubia publica civium, alias enim Deus minus providus fuiſſet erga hominem pro foro interiori, quàm erga regimen, & forum provida eſt Reſpublica. Preter quàm, quod ipſum lumen principiorum nobis divinitus inditum, ipſum ſyndereſis, ipſa vis diſcurſiva, & inquiſitiva veritatis, ipſa facultas collativa rationum, & ponderativa motivorum, ipſa vis circunſpiciendi omnes rationes in pro & contra, reſidens interius in nobis, evidentiſsimè teſtantur eſſe intus in nobis Iudicem naturalem, cui præfata omnia providit Deus, vt in æquitate, & veritatè poſſet decidere dubia, nimirum prima principia, tanquàm leges in concuſſæ, vim diſcurſivam, quæ vicem gereret advocati, quærendo rationes, & inveſtigando motiva pro vtraque parte; & vim iudicativam, quæ vtriuſque partis rationes libraret, & tandem decideret conformiter ad intus allegata & probata. Rogo igitur, iſte Iudex internus ſic à Deo inſtitutus pro foro conſcientiæ, eſt ne alius quàm intellectus practicus? Sane non alius; illum enim D. Baſilius apud D. Thom. quæſt. 17. de veritate. Artic 1. ad quintum, appellavit: *Naturale iudicatorium*; ergò negari non poteſt intellectum eſſe Iudicem privatum, cui incumbit ex inſtituto ſuæ naturæ decidere dubia moralia in foro conſcientiæ, ſicut Iudici publico ex inſtituto Reipublicæ incumbit dirimere lites in foro externo: ergò ex hac parte nulla eſt omninò diſparitas aſsignata à Terillo, nullaque confuſio, quàm nobis imponit.

22 Ait, quod munus Iudicis privati tantum eſt ad rationabilitèr formandam ſuam conſcientiam. Sed inquiro, quid eſt rationabilitèr formare conſcientiam? Sane aliud non eſt, quàm iudicare rationabilitèr quid ſit licitum, quid illicitum; hoc pacto formant homines ſuam conſcientiam: ſed hoc eſt formaliſsimè decidere & determinare dubia moralia; ergò ex ipſo Terillo munus Iudicis privati, ſcilicet intellectus, eſt decidere dubia moralia interna, ſicut munus Iudicis publici eſt decidere dubia publica iuris. Vbi igitur eſt diſparitas?

23 Si vero dicat Cardenas intellectum non teneri ad exercendum munus Iudicis privati meliori modo quo poſsit, quià ad id non ſe obligavit iuramento aut promiſione, ſicut Iudex publicus. Contra eſt, quià, vt rectè probat Terillus, Iudex, non ſolum ex vi promiſionis, aut iuramenti ſuperadditi, ſed independentèr à tali promiſione, & iuramento, ex inſtituto Reipublicæ, & ex fine intrinſeco ſui inſtituti tenetur exercere ſuum munus meliori modo

do quo possit, & iudicare secundum probabilius: sed paritèr intellectus, non à Republica, sed à Deo institutus est Iudex internus pro decidendis dubijs moralibus: ergò eadem obligatione præmitur, àc Iudex publicus, adimplendi suum munus meliori modo quo possit, & iudicandi secundum probabilius.

24 Contra secundò, quià, dùm Iudex iurat, & promittit adimplere suum munus meliori modo quo possit, non se obligat ad aliquid novum, sed præcisè ad illud, ad quod tenetur ex propio instituto, & obligatione, novo tamen, & strictiori titulo iuramenti: ergò vel ex proprio instituto tenetur Iudicare secundum probabilius, vel non tenetur ex iuramento. Antecedens probatur; nàm Iudex melius administraret iustitiam, si litigantibus nihil pro subscriptionibus deferret, si parti in lite cadenti de suis redditibus succurreret, si nullam supplicam, nec faborem pro litigantibus audiret, si nullum obsequium, adhuc post latam sententiam, acciperet; & similitèr si alia plura præstaret, quæ licet non requirantur simpliciter ad rectum Iudicem constituendum, conducerent tamen ad melius: sed hoc non obstante, contrarij non obligabunt Iudicem ad hæc omnia, quanvis iuret adimplere munus Iudicis meliori modo quo possit: ergò signum evidens est, quod ex vi talis iuramenti non obligatur ad omnia quę conducere possunt ad melius administrandam iustitiam, sed solum ad ea, ad quæ ex instituto recti Iudicis obligatur. Confirmatur, quià iuramentum illud ex formula asueta, tantum est: *De faciendo quantum in se fuerit pro suo munere obeundo.* Quid autem intelligunt pro suo munere? Sane non aliud, quàm suam obligationem: ergò solum iurant facere quantum possint pro adimplenda propria obligatione: ergò solum iurant facere id, ad quod iàm obligabantur ex instituto, ante iuramentum.

25 Dices iterum cùm Terillo; obligari ex instituto Reipublicæ, quià instituitur à Republica eo fine vt iudicet secundum probabilius, & ità præsumendum esse de Republica, scilicet, quod hoc intendat, quià si Iudex iudicaret pro libito secundum quodcumque probabile, Rempublicam offenderet, & eius odium in se concitaret. Sed contra: nàm pariter præsumendum est de Deo, qui ipsa veritas est, & amicissimus veritatis, plusquam libertatis nostræ, eo fine instituisse intellectum in Iudicem internum, vt iudicaret secundum rei veritatem, vel quandò hæc evidenter aut infallibiliter non appareret, secundum proximius veritati, hoc est, secundum probabilius, & non secundum minus probabile. Quis enim præsumat Deum minus amare veritatem in iudicio interno, quàm Respublica in iudicio publico æquitatem? Aut minorem curam habere de veritate in iuditio de moribus, quàm Respublica de æquitate in iudicio de bonis temporalibus? Aut minus providisse de recto regimine secundum suas æternas leges, quàm Respublica de regimine Regni temporalis secundum leges humanas?

26 Et quidem, si Respublica indignaretur Iudici iudicanti, secundum quodlibet probabile, quis secure sibi promittat Deum non offendi, nec indignari ei qui in tribunali conscientiæ iudicat de moribus secundum quodcùmque probabile suæ libertati favens, potius quàm Dei legi? Respublica non sustinet quod Iudex à se institutus proferat sententiam minus probabilem in favorem amici contra inimicum, omissa probabiliori pro legibus ab ipsa Republica institutis, & Deus conplacebit in eo quod Iudex à se institutus pro foro conscientiæ proferat sententiam pro libertate propria minus probabilem, omissa probaliori pro lege sua æterna? Quis hoc nisi absurdissimè præsumat de Deo? En igitur, qualiter contrarij vndique suis solutionibus sepiuntur.

§. III.

Alia via idem prosequitur, & suadetur assumptum.

27 APPLICAVIMVS Hucusque rationes, quibus ipsi contrarij negant Iudici licentiam iudicandi secundum quodcumque probabile, intellectui; & vidimus eisdem similimè, vel identidem probari, nec intellectum talem licentiam habere pro foro conscientiæ. Nunc è converso rationem potissimam, qua contrarij suadere conantur intellectum talem habere licentiam pro foro conscientiæ, applicabimus Iudici, vt videamus àn idem probet in Iudice. Quod si hoc invenerimus, convicti manebunt contrarij, tum de eo, quod sunt rationes fortissimæ, & convincentes contra licentiam intellectus pro foro conscientiæ, sicut contra licentiam Iudicis; tum quod ratio potissima pro licentia intellectus est nulla, sicuti est nulla pro licentia Iudicis.

28 Sic igitur ajunt; quotiescumque intellectus habet grave motivum, & magni ponderis fundamentum pro aliqua opinione, potest prudentèr, & licitè ei assen-

ſentiri, & ſecundum illam iudicare in foro conſcientiæ, quià ſi iudicet ſecundum illam, non temerè, nec imprudenter iudicabit, ſiquidem non ducitur levi, ſed gravi motivo. Sed opinio minus probabilis, dùmmodo ſit verè probabilis, eſt talis quod pro illa ſtat grave motivum, & magni ponderis fundamentum: ergò intellectus licitè, & prudenter poteſt ei aſſentiri, & ſecundum illam iudicare in foro conſcientiæ, ſiquidem non temerè, ſed prudenter, & rationabiliter iudicabit.

29 En igitur idem ipſiſsimus modus arguendi in favorem Iudicis: Quotieſcumque Iudex habet grave motivum, & magni ponderis fundamentum pro aliqua opinione, poteſt licitè, & prudenter ei aſſentiri, & iudicare ſecundum illam in foro iuſtitiæ, quià ſic non iudicabit temerè, nec imprudenter, cùm non ducatur levi, ſed gravi motivo: ſed opinio minus probabilis, ſi eſt verè probabilis, eſt illa pro qua ſtat grave motivum, & magni ponderis fundamentum: ergò Iudex licitè, & prudenter poteſt iudicare ſecundum opinionem minus probabilem, ſiquidem non temerè, ſed prudenter, & rationabiliter iudicabit. Sane ſi hoc argumentum pro foro iuſtitiæ eſt inefficax, & nullum, omninò voluntariè pro foro conſcientiæ iudicatur efficax.

30 Sed audiamus Terillum, & Cardenas, dicentes nos in huiuſmodi argumento confundere probabilitatem practicam, & ſpeculativam. Quàm noſtram confuſionem, vt detegant, varia dicunt haud parum obſcura, quæ tamen ad hæc reducuntur. Supponunt primò in Iudice diſtinguendas eſſe duas opiniones. Vnam directam, & aliam reflexam; directa dicat, *Prædium de iure pertinet ad Caium*, quàm ſupponamus eſſe minus probabilem eius oppoſita dicente pertinere ad Titium. Reflexa dicat: *Licitum eſt Iudici iudicare ſecundum opinionem illam directam, quanvis minus probabilem.* Supponunt ſecundò, quod, vt Iudex poſſet licitè iudicarè ſecundum illam directam, regulandus erat in conſcientia per hanc reflexam. Supponunt tertiò, illam directam minus probabilem ſolum eſſe probabilem ſpeculativè, non practicè. Reflexam vero non eſſe probabilem, ſed improbabilem, & evidenter falſam, vt declarant rationes adductę contra ipſam. Si igitur Iudex iudicaret ſecundum illam directam, etſi minus probabilem, iudicaret quidem ſecundum opinionem directam ſolum ſpeculativè probabilem, ductus, & regulatus per reflexam evidenter falſam, & improbabilem.

31 Econtrà autem in tribunali conſcientiæ pariter diſtinguendas eſſe duas opiniones, directam, & reflexam: directa quæ dicat: *Pœnitens licitè poteſt omittere reſtitutionem*, & hæc ſit minus probabilis. Reflexa dicat: *Licitum eſt pœnitenti vel Theologo operari*, (pro præſenti quæſtione dicamus) *Iudicare ſecundum opinionem illam directam, etſi minus probabilem.* Illam primam, etſi minus probabilem, dicunt eſſe practicè probabilem. Secundam vero reflexam eſſe, non ſolum probabilem, non ſolum magis probabilem, ſed certiſsimam, & evidentem; ex quo inferunt, quod ſi Theologus ductus, & directus per hanc reflexam iudicaret, vel operaretur ſecundum illam directam, iudicaret quidem ſecundum opinionem probabilem practicè, etſi minus probabilem, ductus per reflexam certam, & evidentem. Cùm igitur licitum ſit operari, aut iudicare ſecundum opinionem directam practicè probabilem, regulante reflexa certa, & evidenti; illicitum autem iudicare ſecundum directam ſolum ſpeculativè probabilem, regulante reflexa falſa, & improbabili; ex vnoque ad aliud nulla poſsit fieri paritas, cùm toto cœlo diſtent caſus, inde eſt argumentum Iudicis diſpar omninò eſſe, nihilque favere nobis. Fallor, ſi clariori ſtillo non explicavi mentem contrariorum, quàm ipſe Terillus, & Cardenas.

32 Veruntamen, vt videas prædictam diſparitatem puram eſſe, & manifeſtam petitionem principij, incipiamus ab illis directis. Etenim directa illa de foro conſcientiæ: *Pœnitens licitè poteſt omittere reſtitutionem*, licet ſit minus probabilis, eſt tamen practicè probabilis per vos: cùr ergò altera directa de foro iuſtitiæ, nimirum: *Prædium de iure pertinet ad Caium*, licet minus probabilis, non erit etiam practicè probabilis? Cùr nanque minor probabilitas pro licito eſt probabilitas practica, & minor probabilitas pro iuſto, aut pro iure non poterit ſimiliter eſſe probabilitas practica?

33 Vrgetur: non minus practica eſt Iuriſprudentia circa iuſtum, vel iniuſtum, quàm Theologia moralis circa licitum, vel illicitum; nàm ſicut iſta per ſe habet dirigere mores, ità illa per ſe habet dirigere iudicia publica fori; nec hoc indiget vlteriori probatione, cùm omnes fateantur Iuriſprudentiam eſſe ſimpliciter practicam in ordine ad iuſtum, vel iniuſtum, non minus quàm Theologia moralis in ordine ad licitum, vel illicitum: ergò ſicut opiniones probabiles Theologiæ moralis circa licitum, vel illicitum, etſi minus probabiles, ſunt tamen verè probabi-

les

les practicè, paritèr opiniones probabiles Iuriſprudentiæ, etſi minus probabiles, poſſunt eſſe probabiles practicè.

34 Amplius: ideò illa directa: *Pœnitenti eſt licitum omittere reſtitutionem*, eſt practicè probabilis, quià, ſi eſt verè probabilis, innititur gravi, & ſolido fundamento, & item, quià eius probabilitas dirigit ad opus, nimirum ad omittendam licitè reſtitutionem; nec alia ratio aſsignari valet: ſed etiam directa minus probabilis de Iudice, ſi eſt verè probabilis, innititur gravi, & ſolido fundamento, & alias eſt directiva Iudicis ad ſuum opus, nimirum ad iudicium publicum proferendum: ergò ſi prima dicitur probabilis practicè, cùr non ſecunda?

35 Dices primò: quià prima eſt de licito, vel illicito, ſecunda vero de iuſto. Sed contra, quià reſpectu Iudicis non eſt minus practica probabilitas de iuſto, quàm reſpectu Theologi probabilitas de licito, nàm ſicut praxis à Theologo morali inſpecta, eſt operatio, vel omiſsio licita, ità praxis à Iudice inſpecta eſt ſententia iuſta: ergò nulla aſsignatur diſparitas, ſed potius paritas augetur per hoc quod ſit vna de licito, alia de iuſto. Contra ſecundò, quià negari nequit plures eſſe in Iuriſprudentia opiniones practicè probabiles; id enim nemo negat; & tamen omnes ſunt de iuſto, vel iniuſto, nulla de licito, vel illicito, quià licitum, vel illicitum ſolum eſt obiectum Theologiæ moralis, & iuſtum vel iniuſtum obiectum Iuriſprudentiæ: ergò quod opinio minus probabilis Iuriſprudentiæ ſit de iuſto, & non de licito, minimè probat eam non eſſe practicè probabilem.

36 Dices ſecundò, eam non eſſe practicè probabilem, quià idem eſt eſſe practicè probabilem, àc eſſe licitè deducibilem ad praxim, opinio autem directè minus probabilis pro iure Caij non eſt licitè deducibilis ad praxim: ſecus vero opinio minus probabilis pro licentia non reſtituendi, hæc enim eſt licitè deducibilis ad praxim, & ideò practicè probabilis.

37 En evidentiſsimam petitionem principij. Nàm ſane nihil aliud inquirimus à contrarijs in hac quæſtione, niſi cùr non liceat iudicare in foro iuſtitiæ ſecundum opinionem directam minus probabilem, & liceat iudicare in foro conſcientiæ de moribus ſecundum opinionem directam minus probabilem, ſeu quod idem eſt, cùr opinio de iure Caij, ſi eſt minus probabilis, non poſsit deduci ad praxim iudicandi ſecundum illam, opinio vero pro licentia omittendi reſtitutionem, etſi minus probabilis, poſsit licitè deduci ad praxim? Huic autem argumento reſpondere: *Quià opinio de iure Caij non eſt licitè deducibilis ad praxim, opinio vero pro licentia non reſtituendi eſt licitè deducibilis ad praxim*, evidentiſsimè eſt reſpondere idem per idem, nullam omninò diſparitatem rationis aſsignando, & manifeſtè petere principium. Cùr enim, inquirimus, & vrgemus, eſt licitè deducibilis ad praxim iudicandi in foro conſcientiæ ſecundum illam opinio pro licito, & non eſt licitè deducibilis ad praxim iudicandi in foro iuſtitiæ ſecundum illam opinio pro iure Caij, quandòquidem vtraque eſt minus probabilis ſua oppoſita, vtraque æqualibus innixa motivis, & fundamentis?

38 Dicunt tertiò, quod directa de moribus eſt innixa fundamento gravi probante eam eſſe licitè deducibilem ad praxim, etſi minus probabilem: directa vero de iure Caij, ſolum nititur motivo gravi probante prædium eſſe Caij, non vero probante eam, etſi minus probabilem, eſſe licitè deducibilem ad praxim: & ideò primam eſſe practicè probabilem, non vero ſecundam.

39 Sed contra, quià directa, ſivè de moribus, ſivè de iure non poteſt inniti fundamento, aut motivo probante eam, quanvis probabilem, eſſe vel non eſſe licitè deducibilem ad praxim, directa enim vt directa ſolum innititur fundamentis, aut motivis directè probantibus de obiecto eſſe, vel non eſſe licitum; fundamenta autem, aut motiva probantia opinionem directam, etſi minus probabilem, eſſe vel non eſſe licitè deducibilem ad praxim, non ſunt motiva pro opinione directa, nec fundamenta quibus ipſa directa nititur ad aſſertionem directam ſui obiecti, ſed ſunt motiva, & fundamenta, quibus ſuadetur reflexa aſſerens directam eſſe licitè deducibilem ad praxim, vt per ſe cuicumque rectè diſtinguenti inter directam, & reflexam conſtare poteſt: ergò æquè impoſsibile eſt, quod fundamenta, & motiva, quibus nititur directa de moribus, probant eam eſſe licitè deducibilem ad praxim, àc eſt impoſsibile quod fundamenta, quibus nititur directa de iure probent eam eſſe, vel non eſſe licitè deducibilem ad praxim. Non ergò ex hac parte vlla aſsignatur diſparitas.

40 Vrgetur, ſupponendo primò, quod Theologia moralis, ſaltem quoad actus, diſtinguenda eſt in directam, & reflexam. Dicitur directa, inquantum directè diſputat de obiectis, & operibus moralibus, àn ſint licita, vel illicita, honeſta, vel turpia. Dicitur reflexa, inquantum reflexè

diſpu-

diſputat de opinionibus moralibus directis, de earum probabilitate, aut de earum ſequela. Supponendo ſecundò, quod ad Theologiam moralem directam non ſpectat probare reflexè de opinione morali directa quod ſit, vel quod non ſit licitè deducibilis ad praxim, quià hoc eſt proprium Theologiæ moralis, vt reflexæ.

41 Quo ſuppoſito, ſic argumentor: ideò opinio Iuriſprudentiæ de iure Caij non nititur motivo probante eam opinionem eſſe licitè deducibilem ad praxim, quià hoc probare non pertinet ad Iuriſprudentiam, ſed ad Theologiam reflectentem ſuprà opiniones Iuriſprudentiæ; ſed etiam Theologiæ morali, vt directæ non attinet probare, nec diſputare de opinione morali directa de licito, àn ſit vel non ſit licitè deducibilis ad praxim, ſed hoc vnice ſpectat ad Theologiam moralem, vt reflexam: ergò pariter opinio directa de moribus non nititur per ſe motivis, aut fundamentis probantibus eam eſſe licitè deducibilem ad praxim iudicandi de moribus ſecundum illam. Ergò quantum ad opiniones directas, tàm Iuriſprudentiæ, quàm Theologiæ moralis, præciſa reflexione ſuprà illas, quàm facit Theologia moralis reflexa, nulla omninò appareat diſparitas, cùr vna prę altera dicatur practicè probabilis, quoad munus præſertim iudicandi vnaquæque in foro ſuo, cùm ſupponamus vtranque æqualiter probari fundamentis directis æquè gravibus, & magni momenti in linea directa.

42 Dices, plane iàm convictus, hoc ità eſſe, & inter directas nullam eſſe diſparitatem; ſed eſſe maximam, & infinitam diſparitatem penès principia reflexa, nàm pro Theologo in foro conſcientiæ ſtat illud principium reflexum: *Licitum eſt in foro conſcientiæ iudicare, & operari ſecundum opinionem verè probabilem, etſi minus probabilem.* Contra Iudicem vero ſtat principium reflexum oppoſitum, ſcilicet: *Non licet Iudici iudicare in tribunali iuſtitiæ ſecundum opinionem minus probabilem.*

43 En iàm cogimur examinare diſparitatem ſuprà aſsignatam, quantum ad reflexas. Et pro claritate noto primò, in præſenti nihil aliud nos ſuſcepiſſe examinandum, quàm illa duo principia reflexa, cùr videlicet: *Licitum ſit in foro conſcientiæ iudicare, & operari ſecundum opinionem moralem directè minus probabilem, & non ſit licitum Iudici iudicare in foro iuſtitiæ ſecundum opinionem de iure directè minus probabilem*? Noto ſecundò huic quæſtioni ineptiſsimè reſponderi ſupponendo vtramque iſtam reflexam tanquam duo principia, & per illa reſpondendo ad obiecta. Nàm hoc eſt evidentiſsimè reſpondere cùm concluſione, & reddere pro ratione id ipſum, cuius rationem examinamus.

44 Hoc igitur ſuppoſito, interrogo à contrarijs, quo iure, & qua lege diſputationis, nobis inquirentibus cùr liceat Theologo operari, & iudicare in foro conſcientiæ ſecundum opinionem directè minus probabilem de moribus, & cùr non liceat paritèr Iudici iudicare in foro iuſtitiæ ſecundum opinionem directè minus probabilem de iure, vltimo reſpondent eſſe maximam diſparitatem in reflexis, quià pro Theologo ſtat illa reflexa: *Theologo licet, &c.* Et contra Iudicem ſtat oppoſita reflexa: *Iudici non licet, &c.* Quià reflexa pro Theologo eſt evidens, certa, vel adminus magis probabilis, reflexa vero pro Iudice eſt evidenter falſa, & improbabilis? Nunquid hoc eſt ſupponendum, vel id ipſum quod ſuſcepimus examinandum? Ergò dùm aliam rationem non reddiderint contrarij; attenta hac præciſa ratione de probabilitate practica, & ſpeculativa directa, & reflexa, reſpondent idem per idem, & convincuntur omninò voluntariè negare Iudici, quod Theologo concedunt.

45 Cùr nàmque opinionibus directis Theologiæ moralis, etſi minus directè probabilibus, dant probabilitatem practicam, & reflexam, & illam negant opinionibus Iuriſprudentiæ in æquali gradu minus probabilibus? Cùr Theologis reflexè concedunt facultatem iudicandi in foro conſcientiæ ſecundum opinionem directè minus probabilem, quàm negant Iuriſperitis in foro iuſtitiæ? Nunquid Theologia alijs facultatibus eſt auſtera, invida, rigida, ſibi, Theologiſque benigna, laxa, licentioſa? Nunquid Iuriſperitis, Medicis, aliorumque facultatum profeſſoribus eſt inimica, quippe quæ illis prohibeat iudicare ſequique minus probabilia; ſuis autem profeſſoribus amica, atque adeò illis indulgens licentiam operandi, & ſequendi in iudicio conſcientiæ, & opere ipſo minus probabilia de moribus? Sane hoc non bene audiet, ſi dicatur de Sacra Theologia.

46 Dices, negari non poſſe opinionem reflexam pro Iudice eſſe improbabilem: itemque reflexam pro Theologo ad minus eſſe magis probilem: ergò negari non poteſt diſparitas inter vtramque. Sed contra, quià ego pariter contendo meis rationibus reddere reflexam de Theologo improbabilem, ſeu non probabilem probabilitate conſcientiæ: ergò reſpondere ſupponendo illam eſſe probabilem, & magis pro-

probabilem, eſt intempeſtivè ſupponere quod diſputatio oſtendere debet.

47 Et, vt videas contrarios manifeſtè violare terminos, & leges diſputationis. Noto, in diſputatione, vbi inquiritur, & examinatur à Theologis veritas alicuius opinionis, nulli ex diſputantibus licere ſupponere ſuam partem, vt evidenter veram, nec vt magis probabilem, imò nec vt probabilem. Quoad primam partem patet, quià ſi hoc liceret vni diſputanti, pariter idem liceret contradicenti, cùm nullum privilegium ſaveat vni, potius, quoad hanc partē, quàm alteri: ergò quilibet ſupponeret ſuam partem, vt evidenter veram, certam, & magis probabilem; ſed ridiculum hoc foret omninò, vt per ſe patet, imò ex hac ſuppoſitione omninò impedirentur, & procedere non poſſent ad examen veritatis, vt per ſe patet: ergò.

Secundò, nàm ex partibus contradictionis illa eſt magis probabilis, quæ vocata ad examen Theologicum vincit aliam rationibus, & authoritatibus; ſed dùm examinatur veritas alicuius opinionis à Theologis diſputantibus, ineptiſsimè quis ante finem diſputationis ſupponeret ſuam partem viciſſe alteram rationibus, & authoritatibus; nàm ſtultum eſt, durante bello, ſupponere victoriam, dùm actu pugnatur pro illa: ergò, cùm opinio Theologica vocatur ad examen in diſputatione, non poteſt ſupponi affirmantem, v.g. eſſe magis probabilem ſua contradicente.

48 Tertiò, nàm rectus ordo diſputationis, exigit vt prius diſputetur de veritate opinionis, quàm de eius probabilitate, & ratio eſt manifeſta, nàm probabilitas formaliſsimè conſequitur ad examen veritatis, illa enim opinio dicitur, eſtque probabilis, quæ in examine veritatis invenitur habere pro ſui veritate rationes, & & authoritates gravis momenti, & illa magis probabilis ſua contradicente, quæ vincit illam rationibus, & authoritatibus probativis veritatis. Quod vt evidenter caleas, à te rogo. Auderes ne ſic fateri. Concedo quod mea opinio in examine ſuæ veritatis vincitur à contraria rationibus, & authoritatibus, quià veritas contrarię rationibus, & authoritatibus maioris momenti probatur, quàm veritas meæ opinionis; verumtamen in examine probabilitatis invenio meam eſſe magis probabilem? Sane credo quod ità dicere non auderes. Cùr? Certe quià evidens eſt quod examen probabilitatis ſupponit examen veritatis, & in illo fundatur, & ſola pars poteſt dici magis probabilis, quæ in examine veritatis ſuperat contradicentem. Hoc ſane lumine naturæ notum eſt Ergò in quæſtione, in quà vocatur ad examen veritas opinionis, non licet ſupponere illam eſſe magis probabilem ſua contradictoria, & per eius maiorem probabilitatem velle ſolvere argumenta, quæ impugnant eius veritatem.

Tum ſic, ſed in præſenti vocatur ad examen veritatis, illa reflexa: *Licitum eſt Theologo iudicare in foro conſcientiæ ſecundum opinionem minus probabilem pro licito*: ergò ſupponere talem opinionem eſſe magis probabilem, & per eius maiorem probabilitatem, velle ſolvere argumenta, quæ impugnant eius veritatem, eſt violare omnes leges diſputationis ſeriæ, ſupponendo probandum, & armis probabilitatis pugnando in diſputatione veritatis. Etenim arma probabilitatis, vt oſtenſum eſt, haberi non poſſunt ante conſummatum examen veritatis: ergò velle in examine veritatis vſurpare arma probabilitatis, eſt velle vſurpare arma nondùm habita, in pugna præſentialiter vrgenti, & illis ſe defendere. Hoc autem quis non videat eſſe impoſsibile, aut ſaltim ineptiſsimum modum diſputandi, aut ſolvendi argumentum, quo potiſsimè, & efficaciſsimè impugnamus eius veritatem, & probamus eius falſitatem. Et quod mireris, hoc vnicum eis eſt confugium, vt ex dictis patet, & amplius infrà patebit.

49 Dices forſan, quod licet maior probabilitas ſententiæ reflexæ non poſsit deſervire ad probandam eius veritatem, poteſt tamen deſervire pro ſolutione argumentorum illam impugnantium. Sed contra eſt, quià probabilitas alicuius ſententiæ non ſolum reſultat ex probationibus pro eius veritate, ſed etiam ex ſolutione argumentorum in contra, & inde reſultat aliquam opinionem eſſe magis probabilem, quià melius probat ſuam partem, & melius ſolvit argumenta oppoſitæ: ſed probabilitas, quæ neceſſario debet conſequi ad probationem veritatis, non poteſt deſervire ad veritatem probandam: ergò quià neceſſario debet conſequi ad ſolutionem argumentorum, non poteſt deſervire ad illa ſolvenda. Ineptiſsimè igitur contrarij in præſenti, dùm inquirimus veritatem illius reflexæ, & contra illam arguimus, recurrunt, vt noſtrum argumentum ſolvant, ad eius probabilitatem maiorem, vel maximam.

50 Denique, vltimo effugio dices, negari non poſſe eſſe maximam diſparitatem inter reflexam de Iudice, & reflexam de foro conſcientiæ; quià reflexa de Iudice damnata eſt ab Eccleſia, vt probabilis, & ſcandaloſa, reflexa tamen de foro

conſ-

conſcientiæ non eſt damnata. Sed contra eſt, quià quod aliqua propoſitio non ſit damnata ab Eccleſia nullo pacto probat eius veritatem, aut maiorem probabilitatem, imò nec probabilitatem ipſius. Tunc quià reflexa de Iudice viginti ab hinc annis damnata non erat, & tamen nec erat vera nec probabilis probabilitate conſcientiæ, vt aliqui ex contrarijs fatebantur: ergò ex eo quod non ſit damnata reflexa de conſcientia, non probatur eſſe veram, nec probabilem probabilitate conſcientiæ, præ alia de Iudice. Tum quià Summus Pontifex, dùm damnat reflexam de Iudice, expreſsè advertit ſe non intendere alias propoſitiones in ipſo decreto non expreſas vllatenus approbare: ergò ex eo quod non damnaverit reflexam de conſcientia, non ſequitur, nec implicitè, illam approbaſſe; nõ igitur inde ſequitur eam eſſe veram, aut magis probabilem, imò nec probabilem probabilitate conſcientiæ; licet inferatur eam eſſe probabilem probabilitate fori exterioris ſumptam pro immunitate à cenſura eccleſiaſtica, quæ ad probabilitatem conſcientiæ, minimè ſufficit, vt omnibus notum eſt.

51 Tertiò, quià opinio de Iudice non ideò præcisè eſt improbabilis improbabilitate conſcientiæ, quià Summus Pontifex eam damnavit, ſed potius illam damnavit, quià erat improbabilis improbabilitate conſcientiæ, cùr igitur illa erat improbabilis improbabilitate conſcientiæ? Sane quià in examine veritatis ipſius, tot fundamentis, abſurdis, & rationibus opugnabatur, tam facile erat ſolvere argumenta pro ipſa, quod nulla ei prudens probabilitas remanebat: atqui, nos hucuſque, omnes rationes, & fundamenta, quibus impugnabatur reflexa pro Iudice, æquè valide intorſimus adverſus reflexam pro Theologo in foro conſcientiæ, & pari facilitate, ac ſolvitur fundamentum pro reflexa de Iudice, ſolutum relinquimus idem fundamentũ, quo nititur reflexa pro Theologo: ergò inepte reſpondent contrarij illam eſſe improbabilem, hanc probabilem, probabilitate conſcientiæ; cùm potius quantum ex vi huius rationis inferatur nec illam eſſe probabilem probabilitate conſcientiæ.

52 Sed rogabis. Cùr ſi tanta eſt paritas, ſeu potius identitas rationis inter reflexam de Iudice, & de Theologo, Summus Pontifex illam præ iſta damnavit? Reſpondeo, multas potuiſſe habere rationes, vel quià illa delata fuit, non iſta, vel quià illa ſufficienter examinata erat à Theologis, & in ſtatu competenti damnationis, non iſta; vel quià illa non tot habebat Patronos, quot iſta; vel alijs ob cauſis, altiſsimo conſilio Sedis Apoſtolicæ reſervatis, à nobiſque minimè examinandis. Veruntamen, ſicut reflexa de Iudice prius non fuit damnata, habuitque in ſui favorem AA. *Numero plurimos*, vt ait Terillus quæſt. 22. num. 16. & pluſquam 40. graves, & ferè omnes claſsicos: pro ea citat Diana tom. 8. tract. 1. Reſol. 20. & 21. & 22. num. 7. quibus ipſe ſubſcribit multis in locis; & M. Ferre pro eadem refert 20. quibus etiam ipſe ſubſcribit in præſenti tractatu num. 484. & quorum non pauci illam appellant communem Theologorum, & Caſuiſtarum: & Terillus loco citato addit plures alios; & nihilominus tamen rectè perpenſa, damnata fuit ac proſcripta, cùr ſimilitèr contingere non poterit, quod reflexa de Theologo in tribunali conſcientiæ, etſi multos habeat AA. bene tamen examinata ab Eccleſia proſcribatur? Hoc quidem ſecurè non promitto: ſed nec contrarium.

§. IV.

Aliquæ aliæ diſparitates examinantur, & obiectio quædam ſolvitur.

53 VT Nullus ſcrupulus contrarijs maneat inſolutus, placet circa præcedentem rationem aliquas alias diſparitates adducere. Et vnam vel alteram obiectionem ſolvere, prima diſparitas, inquit Terillus quæſt. 24. num. 53. eſt, quià bona fides Iudicis non tollit, quo minus ius partis probabilioris irremediabilitèr lædatur, caſu quo ius illi faveat, ſicut probabilius favere ſupponitur, Iudex autem præcavere tenetur, quantũ poſsit, periculum huius damni. At Deus eſt incapax omnis damni, & ſolum dehonorari poteſt per offenſam, omnis autem offenſa per bonam fidem operantis rationabilitèr conſtitutam, manifeſtè vitatur, atquè adeò homo, quandò lex diuina eſt probabilior quàm noſtra libertas à lege, non tenetur iudicare in favorem Dei, licet Iudex teneatur iudicare pro parte probabiliori. Sic ipſe ad litteram.

54 A quo interrogo, àn teneamur omnes ad ſervandam re ipſa diuinam legem quantum poſsimus, & ad præcavendam violationem realem illius pro poſſe, ſicut Iudex tenetur ad ſervandum vnicuique ius ſuum in rei veritate, quantum poſsit? Et ſane hoc negari non poteſt, niſi pluris faciamus ius litigantis ad bonum temporale,

porale, quàm ius divinæ legis ad ſui obedientiam, & obſervantiam. Et rurſus, nàm quis ſibi perſuadeat, Deum magis velle, & magis iudicem obligare ad ſervandum ius litigantis, quàm nos obliget omnes ad ſervandam ſuam legem, ità vt pluris faciat ius litigantis, quàm ius ſuæ divinæ legis? Et plus velit illud illibatum ſervari, quàm ſuam legem impleri? Certè hoc dici aut præſumi non poteſt: ergò ſicuti lex Dei reflexa ſuprà iudicem, illum obligat, vt quantum poſsit, ſervet re ipſa, & non ſolum exiſtimative, intactum ius litigantis, ità nos omnes obligat reflexè, vt eius legem ſervemus, non ſolum exiſtimative, ſed re ipſa, quantum poſsimus inviolatam: ergò tenemur, & obligamur ad vitandum pro poſſe periculum violandi realitèr divinam legem, non minus, quàm Iudex obligatur ad vitandum pro poſſe ius, & damnum litigantis: ergò ſicut Iudex propter hanc obligationem tenetur iudicare ſecundum opinionem magis probabilem, ità & nos iudicare & operari. Vbi igitur eſt diſparitas.

55 Rurſus interrogo àn Iudex, ſi iudicaret ſecundum opinionem directam minus probabilem, iudicaret bona fide, & bona conſcientia? Si ità, quid interſt ad peccatum vel non peccatum Iudicis quod ſequatur damnum proximi re ipſa, & violatio realis iuris eius? Nàm certiſsimum eſt quod, quando Iudex bona conſcientia & bona fide profert ſententiam re ipſa falſam, quàm tamèn invincibilitèr iudicat veram, aliàs non iudicaret bona fide, nec bona conſcientia, certiſsimum inquam eſt in hoc caſu non peccare Iudicem, & hoc quanvis tunc ob ignorantiam invincibilem Iudicis ſequeretur damnũ proximi: ergò bona fides & bona conſcientia æquè excuſat iudicem, ſi forsàm realitèr violetur ius litigantis, & incurrat damnum temporale, àc excuſat in foro conſcientiæ quemlibet operantem bona fide, & bona conſcientia, ſi inde ſequatur violatio realis iuris divini, vel eius legis: vbi rogo eſt diſparitas ex hac parte?

56 Tertio nàm licèt Deus non poſsit pati damnum in bonis intrinſecis abſque dubio poteſt damnificari in bonis extrinſecis honoris & gloriæ, in lucro animarum, in extenſione ſuæ fidei, in prædicatione Evangelij, & ſuper omnia in obſervatione reali ſuæ legis, quam plus debemus deſiderare quàm omnia bona temporalia, in his omnibus poteſt Deus pati detrimentum reale extrinſecum, & re ipſa hæc omnia detrimentum, & decrementum accipiunt propter libertatem iudicandi & operandi ſecundum quodcumque probabile: ſed magis tenemur omnes cavere detrimentum reale extrinſecum Dei, quantum ad prædicta bona extrinſeca Dei, & quantum ad obſervantiam realem divinæ legis, quàm tenetur Iudex cavere detrimentum litigantis in bonis temporalibus; omnes enim ſumus ſervi Dei, vnicè creati ad eius obſequium, & ſervitium: ergò.

57 Tertiam diſparitatem aſsignat Terillus num. 54. quià Iudex non ideò peccat, quià violat ius quod probabilius reſidet in parte condemnata, ſed ſolum quià violat ius naturale reflexum certo exiſtens & obligans, vt ſententia in favorem iuris probabilioris feratur. At non dari ius nec legem reflexam obligantem in conſcientia ad ſequendum tantum quod probabilius eſt licitum. En vitium petendi principium ſuprà impugnatum. Et cùr inquirimus ſicut datur ius & lex reflexa naturalis certo exiſtens & obligans iudicem ad iudicandum ſecundum ius probabilius litigantis, non datur ſimilitèr ius & lex naturalis reflexa certo exiſtens & obligans ad iudicandum & ſequendum probabilius in conſcientia? Reſpondet, quod quando aliquid certo probabilitèr eſt licitum, eſt impoſsibile quod ius reflexum detur, quo certo conſtet eſſe illicitum illud ſequi; quià tale ius certum reflexum deſtrueret hypoteſim, in qua loquimur, ſcilicet, illud eſſe certo probabilitèr licitum.

58 Sed contra manifeſte, quià hypoteſis, in qua loquimur, eſt quod celebrare contractum, v. g. ſit certo minus probabilitèr licitum, ſed certo magis probabilitèr illicitum; vel ſi mavis, æquè probabilitèr licitum àc illicitum, & hoc quantum ad probabilitatem directam: ſed hæc hypoteſis non deſtruitur per hoc quod ratione legis reflexæ ſit certo illicitum illud ſequi: ergò ruit ſolutio, minor hæc patet evidentèr, quià dubium aut dubitatio directa de licito non deſtruitur per certitudinem reflexam de illicito, cùm enim dubitamus directe de licito, certum eſt reflexè quod illicitum eſt illud ſequi de quo dubitamus àn ſit licitum: ergò minor probabilitas directa de licito non deſtruitur per certitudinem reflexam de illicito, vi cuius certum ſit reflexè quod non liceat illud ſequi.

59 Secundo, quià iuſta Terillum ſtat optime quod omittere reſtitutionem ſit certo magis probabilitèr illicitum, & tamèn quod ſit certum reflexè

xè quod liceat illud ſequi: eſt autem admiratione dignum quod velint contrarij certitudinem reflexam de illicito non componi cùm minori probabilitate directa de licito, & tamèn quod certitudo reflexa de licito compatiatur optimè cùm maiori probabilitate de illicito; præcisè quià hoc conducit ad probandam, aut tuendam ſuam ſententiam, illud autem ad explicandam noſtram.

60 Tertio à prritate Iudicis, quià certitudo reflexa de eo quod non liceat Iudici ſequi opinionem minus probabilem directè de iuſto non tollit, nec deſtruit certam probabilitatem directam de iuſto, quod eſt obiectum talis opinionis: gò certitudo reflexa de eo quod non liceat mihi ſequi in praxi opinionem minus probabilem de licito non deſtruit hypoteſim de certa, licet minori, probabilitate directa de licito, quod eſt obiectum talis opinionis.

61 Sed incontra obijciunt contrarij: ſaltèm in caſu æqualis, imò & parum maioris probabilitatis pro iure Caij, & minoris vel æqualis pro Titio, ſi Titius poſſideat, habeatque in ſui favorem privilegium poſſeſſionis, poteſt Iudex ſententiam Ferre pro Titio, quià æqualis, vel paulo minor probabilitas pro ipſo iuncta cùm privilegio poſſeſſionis facit certum ſuum ius: ergò paritèr, quando ſunt opiniones vna pro licito æquè aut paulo minus probabilis, alia pro lege æquè aut paulo magis probabilis, poterit cuiuſque conſcientia iudicare & operari ſecundum minus vel æquè probabilem pro licito, quià ei favet privilegium poſſeſſionis, poſsidet enim libertatem ſuam, & in dubijs melior eſt condictio poſsidentis.

62 Sed contra, quià ſi litigium ſit de poſſeſsione in tribunali iuſtitiæ, nullo pacto licèt Iudici tunc ſequi opinionem minus, nec æquè probabilem, nec tunc valet privilegium poſſeſsionis: ſed litigium intèr opiniones de licito & illicito, de obligatione, vel non obligatione eſt de poſſeſsione ipſa libertatis, àn ſcilicet homo ſit liber à lege & obligatione, vel non: ergò tunc non valet privilegium poſſeſsionis.

QVÆSTIO XXVIII.

An liceat voluntati ſequi in praxi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, relicta probabiliori, vel æquè probabili pro lege?

1 QVÆSTIO Hæc ſcopus eſt totius noſtri laboris, in qua conamur voluntatem liberare à periculo proximo peccandi, illi prohibendo vſum opinionis cuiuslibet periculoſæ, ſicut in præcedentibus intellectum ab errore immunem in iudicando de moribus curavimus pro poſſe ſervare, illi prohibendo aſſenſum opinionis minus, aut æquè probabilis, quià de falſitate ſuſpectæ. Quià tamèn preſens quæſtio, præter votum, prolixa nimis evaſit, eam prætèr morem in varios articulos ſecare decrevi, vt claritati, & ordini recto conſulerem, quorum quilibet difficultatem diſtinctam examinabit, vt in controverſia omnium Theologicarum præſtantiſsima nihil relinquatur intactum. Igitur ante omnia noſtram ſententiam proferamus in medium.

NON LICET VOLVNTATI SEQVI IN PRAXI OPINIONEM MINVS, AVT ÆQVE PROBABILEM PRO LIBERTATE, RELICTA PROBABILIORI, VEL ÆQVE PROBABILI PRO LEGE.

VT prius noſtram mentem declaremus, à rationibus incipimus, quarum primam ſequens continet articulus, probationes autem ab authoritate in aliam ſequentem reſervamus quæſtionem.

ART. I.

An ſit æquè periculoſum ſequi in praxi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, àc operari cum conſcientia dubia

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

QVAM Non melius probabimus, quam exponendo primam, & potiſsimam rationem probativam noſtre principalis ſententiæ, quam iàm ſubijcimus.

§. I.

Prima probatio principalis ſententiæ; in qua oſtenditur inter opiniones æquè probabiles non poſſe formari conſcientiam, niſi dubiam de licito.

2 SIC Ergò formatur. *Voluntas conſtituta intèr duas opiniones probabiles contradicentes, ſi operetur iuxta minus, vel æquè probabilem pro libertate, relicta, oppoſita pro lege, æquali periculo exponitur peccandi, & violandi legem divinam, àc ſi operetur cùm conſcientia dubia*; ſed ſi operetur cùm conſcientia dubia certiſsimè peccat propter periculum, cui exponitur: ergò ſi conſtituta intèr prædictas opiniones ſequatur minus, aut æquè probabilem pro libertate, certiſsimè peccat propter idem periculum. Minor eſt communis omnium Theologorum, & à nobis ſuprà demonſtrata quæſt. 15.

3 Tota difficultas devolvitur ad maiorem, quam ſic probo. Primo: quià, voluntate ſic conſtituta, non poteſt intellectus prudentèr aliam formare conſcientiam, niſi dubiam; ſed quandiù intellectus nequit prudentèr aliam formare conſcientiam, niſi dubiam, voluntas æquali periculo exponitur, àc ſi operaretur cùm conſcientia dubia: ergò voluntas conſtituta intèr prædictas opiniones contradicentes, ſi ſequatur minus, vel æquè probabilem pro libertate, æquali periculo exponitur peccandi, & violandi legem divinam, àc ſi operetur cùm conſcientia dubia. Diſcurſus eſt legitimus; minor eſt evidens, & contrarijs ipſis nota. Maior ex ſuprà dictis efficaciſsimè probata, nè dicam demonſtrata manet. Nàm in primis ex quæſtionib. 18. 19. & ſequentibus conſtat, intellectum conſtitutum intèr opiniones contradicentes æquè probabiles, non poſſe, durante æqualitate, prudentèr ſolvere dubium. Item ex quæſt. 26. efficaciſsimè probatum manet, intellectum nõ poſſe prudentèr aſſentiri minus, aut æquè probabili in conſpectu contradicentis cùm maiori, vel æquali probabilitate. Patet autem quod niſi aſſentiendo tali opinioni, nequit formare conſcientiam determinatam, ſed neceſſario manet in dubio: ergò intellectus intèr prædictas opiniones contradicentes non poteſt prudentèr aliam formare conſcientiam, niſi dubiam.

4 Explicatur. Sit pictor conſtitutus in ambiguo ſuper *hoc vtrum*: àn liceat pingere in die feſto? Et ſit æque, vel magis probabile, quod non licet. Vndè poterit iſte formare conſcientiam determinatam, quod licet ſibi pingere in die feſto, & non potius conſcientiam dictantem, quod ſibi non licet? Ergò neceſſariò manet in dubio, ſeu cùm conſcientia dubia; &, ſi forsàn elegerit pingere, pinget cùm conſcientia dubia.

5 Reſpondet Magiſt. Ferrenum. 196. illum poſſe formare conſcientiam determinatam, & dicere, quod ſibi licet; quià licèt probabilius ſit quod non licet, tamèn eſt verè, & certo probabile quod licet; & cùm ille, qui ſequitur opinionem certo in praxi probabilem, non peccet, ſic dicere poteſt, quod minus probabilem eligens, ſinè peccato operabitur, & conſequentèr quod id ſibi licet.

6 Sed contra, quià ſicut ille, qui ſequitur opinionem certo in praxi probabilem, non peccat, ita qui operatur contra opinionem certò in praxi probabiliorem dicentem actum eſſe prohibitum, peccat; ſed pictor ſcit opinionem dicentem eſſe prohibitum pingere in die feſto eſſe magis probabilem, quam oppoſitam dicentem eſſe licitum: ergò potiori titulo dicere tenetur, mihi eſt prohibitum, quam mihi eſt licitum pingere in die feſto.

7 Explicatur: tu ità diſcurris: operans quod ſibi apparet certo probabilitèr licitum, licite, & honeſtè operatur; ſed pictor eligens pingere iuxta opinionem minus probabilem operatur quod ſibi apparet certo probabilitèr licitum: ergò licitè, & honeſtè operatur: ergò poteſt formare conſcientiam, quod ſibi licet ità operari, & quod ſi ità operetur, non peccabit. Sed contra, quià inde oppoſitum efficacius probatur hoc pacto: operans quod ſibi certò probabilius apparet prohibitum à Deo, illicite, & inhoneſtè operatur; ſed pictor eligens contra opinionem magis probabilem pingere in die feſto, operatur quod ſibi certo probabilius apparet prohibitum à Deo: ergò illicite, & inhoneſtè operatur.

8 Diſtinguit Magiſt. Ferrenum. 194. maiorem: operans quod ſibi certo probabilius apparet prohibitum, ſi ità appareat in vltimo dictamine conſcientiæ, concedit maiorem, quod ſcilicet, inhoneſtè operatur. Si ità appareat ſolum ſpeculativè, & in vniverſali præcisè, negat maiorem, & diſtinguit minorem eodem modo, negatque conſequentiam. Quià eligens opinionem minus probabilem, vt iuxta eam operetur, quanvis antecedentèr ad vltimum conſcientiæ dictamen in vniverſali, & ſpeculative iudicet probabilius, quod pingere eſt illicitum, &

pro-

prohibitum; tamen dùm venitur ad formandam conſcientiam, ſeu vltimum eius dictamen, non formatur ſecundum illam opinionem, ſed ſecundum aliam certò, & verè probabilem, licèt minus, quià cùm hæc ſit verè, & certo probabilis, poteſt iuxta illam formare conſcientiam, & vltimum dictamen quod ſibi licet pingere in die feſto. Nec obeſt, quod iuxta opinionem magis probabilem ſibi appareat probabilius eſſe illicitum, quià illa apparientia ſolum eſt ſpeculativa, & in vniverſali, & non deſcendit ad ſingulare dictamen conſcientiæ, quià ex illa non formatur conſcientia.

9 Sed contra eſt: quià iniquè formatur conſcientia ſecundùm opinionem minus probabilem pro libertate, contempta probabiliori, vel æquè probabili pro lege: ergò ruit ſolutio, quæ tali modo ſupponit rectè formari conſcientiam. Probo antecedens, quià quandò in vniverſali, & ſpeculativè apparet probabilius opus eſſe illicitum, potius quàm licitum, ſi nulla in ſingulari occurrat circunſtantia tale opus honeſtans, aut excuſans, iniquè formatur conſcientia in ſingulari dictans illud eſſe licitum, contra id quod probabilius apparet in vniverſali; ſed in caſu pictoris ſupponimus nullam advenire in ſingulari circunſtantiam neceſsitatis, vel aliam ſimilem excuſantem, vel honeſtantem opus, loquimur enim extra caſum neceſsitatis, & regulariter: ergò iniquè formaret conſcientiam pictor iuxta opinionem minus probabilem, dicendo quod ſibi licet, contempta opinione probabiliori dicente eſſe illicitum. Maior probatur ex eodem M. Ferre num. 58. ad finem, vbi expr eſsè concedit quod praxis debet gubernari per ſpeculationem, ſicut altare per cathedram, quandò ſpeculatio, & praxis ſunt circa idem obiectum; & re ipſa ità eſt, quià cùm conſcientia ſit applicatio ſcientiæ vniverſalis ad ſingulares caſus conſcientiæ, dictamen vltimum practicum debet formari penès notitiam vniverſalem, quàm intellectus habet de obiecto; ſed quandò in vniverſali, & ſpeculativè apparet probabilius opus eſſe illicitum, & nulla in ſingulari apparet circunſtantia excuſans, vel honeſtans opus, ſi conſcientia determinate dicat in ſingulari eſſe licitum, non gubernatur in praxi per ſpeculationem, nec in ſingulari per vniverſalem notitiam, ſed contra illam iudicando practicè, & in ſingulari, vt determinatè licitum opus idem, & abſque nova circunſtantia conſideratum quod ſibi in vniverſali, & ſpeculativè certo probabilius apparebat illicitum; ergò iniquè formatur conſcientia, & dictamen practicum.

10 Confirmatur: nemo licitè format conſcientiam, & vltimum dictamen practicum, vtendo ſolum aliqua ſcientia vniverſali de tali obiecto, & prætermiſsis alijs regulis vniverſalibus ſibi notis, ſed ad iuſtè, & prudenter formandam conſcientiam quiſque debet conſulere, & conferre totam ſcientiam vniverſalem de obiecto, & ſecundum totam illam formare conſcientiam; non enim formatur prudenter, niſi circunſpectè, nàm circunſpectio eſt potiſsima conditio prudentiæ; nec poteſt formari circunſpectè, niſi formetur circunſpiciendo omnia, quæ ſibi nota ſunt de tali obiecto, & ſecundum omnia illa collata inter ſe, formando dictamen: ergò qui verſatur ſimul inter duas opiniones vniverſales ſibi probabiles, ità vt per vnam ſibi videatur probabilius opus eſſe illicitum, & per aliam minus probabiliter licitum, non poteſt formare conſcientiam prudenter ex ſola ſecunda opinione minus probabili, ſed debet attendere, & conferre vtramque, & ſecundum vtramque formare conſcientiam.

11 Sane hic optarem contrarios maximè attentos, & veritatis inveniendæ cupidos. Nàm hic veriſsimè detegitur. Etenim cùm in intellectu ſint duæ opiniones vniverſales, vi quarum opus apparet ſub vna ratione probabilius illicitum, & ſub alia minus probabiliter licitum, ad formandam conſcientiam nolunt attendere ad opinionem pro lege, vi cuius opus apparet probabilius illicitum, nec cùm illa conſultationem facere, ſed illa inconſiderata, omiſſa, & contempta, ſolum conſulunt minus probabilem pro libertate, & inſiſtunt dicentes, quod illa eſt certo probabilis, & practicè, & applicant hos terminos *certo, & practicè probabilis* illi opinioni, & omittunt conſiderationem alterius, quæ etiam eſt certo, & practicè probabilis non minus, imò magis, quàm illa quæ eſt pro libertate: & ſic informanda conſcientia non attenditur lex Dei magis probabilis, quàm libertas, & ſolum attenditur libertas à lege minus probabilis. Hoc ſane eſt rectè, prudenter, conſiderate, maturè, & circunſpectè formare conſcientiam, & dictamen practicum?

12 Explicatur. Sup ponamus enim me habere duas rationes vniverſales in mente de mendacio officioſo: vna, quæ dicat, quod eſt verbum vtile ad virandum damnum proximi: alia, quæ dicat, quod eſt intrinſecè inordinatum, & prohibitum.

Rogo nunc poſſem prudentèr formare conſcientiam ex prima ratione vniverſali, omiſſa ſecunda, hoc pacto: *Cuique licitum eſt proferre verbum vtile ad vitandum damnum proximi; ſed mendacium officioſum hic & nunc eſt verbum vtile ad vitandum damnum proximi: ergò licitum eſt mihi hic & nunc proferre mendacium officioſum?* Dices, & rectè, non formari ſic prudentèr conſcientiam, quià omittitur, & non conſideratur malitia, & prohibitio mendacij; vnde talis ſyllogiſmus ſic ſolvitur per illius conſiderationem, diſtinguendo ſic maiorem: *Cuique licitum eſt proferre verbum vtile ad vitandum damnum proximi, ſi non ſit prohibitum*, concedo maiorem: *Si ſit prohibitum*, nego maiorem, & paritèr diſtincta minori, conſequentia non infertur. Etſi iterum, & millies replicarem, dicendo: *Quanvis mendatium officioſum aliàs ſit prohibitum, tamen certo, & verè eſt vtile ad vitandum damnum proximi; ſed cuique licitum eſt proferre verbum vtile ad vitandum damnum proximi: ergò & proferre mendatium officioſum, quanvis aliàs ſit prohibitum.* Iterum, & millies, rectiſsimeque mihi reſponderes diſtinguendo minorem: *Cuique licitum eſt proferre verbum vtile prohibitum*, negares; *ſi non ſit prohibitum*, concederes.

13 Nunc igitur ad caſum. Habes in mente duas opiniones, vel rationes probabiles vniverſales. Vna dicit: Probabile eſt eſſe licitum pingere in die feſto. Alia dicit: Æquè, vel magis probabile eſt eſſe illicitum. Tù, iſta ſecunda contempta, & prætermiſſa, formas ſic conſcientiam: *Certo probabile eſt eſſe licitum pingere in die feſto; ſed cuique eſt licitum ſequi, & operari quod ſibi certo probabilitèr eſt licitum: ergò mihi licitum eſt pingere in die feſto.* Dico igitur tibi, quod non formatur rectè, & prudentèr hoc pacto conſcientia, quià omittis in tali diſcurſu practico rationem aliam vniverſalem pro lege Dei magis probabilem, vnde per conſiderationem illius ſolvitur manifeſte talis diſcurſus, diſtinguendo maiorem: *Certo probabile eſt eſſe licitum pingere in die feſto, & certo probabilius eſſe illicitum*, concedo maiorem, *& non certo probabilius eſſe illicitum*, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: *Vnicuique eſt licitum ſequi, & operari quod ſibi certo probabilitèr apparet licitum, ſi non appareat ſibi certo probabilius eſſe illicitum*, concedo minorem: *Si appareat ſibi certo probabilius eſſe illicitum, & prohibitum*, nego minorem, & conſequentiam. Et, ſi iterum, âc millies mihi replices dicendo: *Quanvis pingere in die feſto ſit mihi probabilius illicitum; tamen certo, & vere probabilitèr eſt licitum; ſed cuique licitum eſt operari quod ſibi certo probabilitèr eſt licitum: ergò.* Nihil omninò proficies, quià, quantum tù ipſe conaris non conſiderare, nec memoriam facere in minori illa de maiori probabilitate illiciti, ego curabo illam tibi recordare, diſtinguendo illam minorem: *Cuique licitum eſt ſequi, & operari, quod ſibi apparet certo probabilitèr licitum, ſi æquè, vel magis probabilitèr ſit ſibi illicitum*, nego minorem: *ſi ſolum ſit ſibi certo probabilitèr licitum*, concedo minorem, & conſequentia non infertur. Igitur ſcito, & animadverte omnem rationem, & notitiam vniverſalem, quàm habemus de obiecto, debere applicari ad caſum ſingularem eligendi tale obiectum, & iuxta totam illam formandam eſſe conſcientiam, ſi prudentèr, maturè, & circunſpectè illam formare velis: ſi autem illam rationem vniverſalem omittas, quæ eſt pro lege, & ſine applicatione illius formes conſcientiam, erit conſcientia imprudens, in conſiderata, & in circunſpecta, & conſequenter iniqua, hoc eſt, ſine æquitate debita, quæ exigit vtramque rationem vniverſalem attendere, & conſiderare.

§. II.

Confirmatur præcedens doctrina exemplo aptiſsimo, & aliæ evaſiones præcluduntur.

14 EXEMPLVM Sic proponit M. Mercorus. Rex, inquit, in expeditione militari præcipit duci ſui exercitus, vt in gravioribus negotijs ſequatur conſilium ſeptem ſeniorum, quos eiſcollaterales nominatim conſtituit. Ocurrit hoſtis, conſuliturque àn acie ſit dimicandum? Ex his, qui ſunt à conſilijs, tres affirmant, reliqui negant. Si tunc Dux nihilominus vellet præliari, ageret manifeſte contra præceptum Regis, eumque offenderet. Nec excuſaretur, ſi vocatus ad reddam rationem, vellet ſic paralogizare. Rex præcepit mihi agere iuxta conſilium ſeniorum; ſed tres, iuxta quorum conſilium feci, ſunt ſeniores: ergò pugnando feci iuxta conſilium Regis. Nàm protinus Fiſcalis ipſum, tanquam deriſorem Regij mendati, redargueret ſimili ſyllogiſmo. Mandatum Regis erat, vt ſequaris conſilium ſeniorum; ſed quatuor, quorum conſilium non es ſequutus, erant ſeniores conſtituti à Rege pro conſilio: ergò

gò pugnando egiſti contrà mandatum Regis. Non ſecus apud Regem Regum ſe excuſant, qui illimitatè vtuntur ſententia minus probabili, concurrente probabiliori, dum illum ſyllogiſmum replicant. Deus ſolum à nobis exigit, vt ſequamur conſilium rationis; ſed dictamen iuxta opinionē minus probabilem, concurrente probabiliori, eſt conſilium rationis: ergò qui ſequitur opinionem minus probabilem, concurrente probabiliori, non agit contra Dei mandatum. Et non advertunt, quod ex adverſo redarguit ſyndereſis, quæ in interiori foro gerit vicem vigilantiſsimi Fiſcalis, hoc pacto. Si fateris eſſe opus licitum, quod ex conſilio rationis apparet honeſtum, fugere debes quod tibi apparet ex conſilio rationis inhoneſtum; ſed dum agis contra opinionem magis probabilem, agis quod ex conſilio rationis magis probabilis apparet inhoneſtum: ergò agis contra mandatum Dei.

15 Inſtantiæ huic ſatisfactum putat M. Ferre, abſque alia diligentia, quam dicendo, exemplum non eſſe ad caſum, quià in tribus ſenioribus, inquit, non eſt ſubſtantia conſilij, ſed in maiori parte votorum; àt in opinione minus probabili, etiam concurrente probabiliori oppoſita, eſt vera, & propria probabilitas, quam quis tenetur ſequi, & non tenetur ad maiorem. Sed exemplum re ipſa eſt aptiſsimum, àc efficaciſsimum; vndè eius vim declinat, & non ſolvit M. Ferre. Ideò enim in tribus ſenioribus non datur ſubſtantia conſilij à Rege præſcripti, quià tali conſilio à ſenioribus maiori ex parte contradicitur; ſed opinioni minus probabili contradicitur per rationem maiori ex parte, quià eſt maior, vel plures rationes contra illam, quam pro illa: ergò in opinione minus probabili non eſt ſubſtantia conſilij rationis nobis præſcripti à Deo tanquam regula operandi. Et quidem rationes ſuadentes honeſtatem, vel inhoneſtatem operis ſunt, à quibus homo tenetur ex mandato Dei accipere conſilium, & ideò dicitur conſilium rationis. ergò, ſi rationes maiori ex parte contradicant, dicendo, & ſuadendo opus eſſe inhoneſtum, licèt ex minori parte, hoc eſt, minori probabilitate, dicant opus eſſe licitum, in illa minori parte, & minori probabilitate non erit ſubſtantia conſilij rationis.

16 Ad hoc ſanè non reſpondet M. Ferre, nec video quid reſponderi poſsit. Nàm dicere, quod minor probabilitas eſt vere probabilitas, eſt idem àc ſi Dux ille diceret, quod tres ſeniores erant veri ſeniores. Et dicere, quod Deus non obligat ad ſequendam maiorem probabilitatem, ſed tantum ad ſequendum probabile, eſt idem àc ſi Dux diceret, Regem ſolum præcepiſſe agere iuxta conſilium ſeniorum, non iuxta maius conſilium ſeniorum: vndè ſicut ille Dux non excuſaretur dicendo, tres ſeniores erant prudentes, ſequutus ſum conſilium prudens, non tenebar ad magis prudens, nec ad prudentiſsimum, ſed tantum ad prudens; ità nec operans iuxta opionionem minus probabilem excuſabitur dicendo: minus probabilis eſt vere probabilis, & conſequenter verè prudens, ſequutus ſum dictamen verè prudens, non teneor ad magis probabile, quià non teneor ad magis prudens. Quià ſicut in caſu Ducis non eſſet prudentia, nec minor, nec maior ſequi conſilium Seniorum minori ex parte, contradicente maiori parte, ità non eſt prudentia, nec minor, nec maior ſequi conſilium probabilitatis, aut rationis minori ex parte, contradicente maiori probabilitate, & ratione, ſeu maiori ex parte. Quià ſicut Dux non ſequeretur ſimpliciter conſilium ſeniorum in illo caſu, ità in noſtro non ſequitur ſimpliciter conſilium rationis, qui maiori ex parte ei contradicit.

17 Ex quo iam infertur contra Mag. Ferre, quod ſtante in vniverſali opinione, vel magis, vel æquè probabili pro lege, non poteſt formari conſcientia, quæ eſt veluti conſilium rationis, penes aliam opinionem minus, vel æquè tantum probabilem pro libertate, quià hoc eſſet ſumere conſilium à minori parte rationis, maiori ex parte ipſa ratione contradicente.

18 Dices: opinionem probabilem pro lege, tunc eſſe, quià tunc ſolum aliqua opinio, vel ſcientia obligat, quando non deponitur; deponitur autem in prædicto modo formandi conſcientiam, quià manet intra cancellos meræ ſpeculationis, & non applicatur ad opus. Ità M. Ferre n. 195 citans in favorem huius ſolutionis D. Caiet. 1. 2. q. 19. art. 5. Sed contra eſt, quià doctrina illa Caiet. à nobis ſuprà impugnata manet q. 10. ſimulque probatū efficacitèr rationem vniverſalem errantem non deponi per non applicationem illius ad opus, ſed ſemper obligare ad formandam conſcientiam ex illa: quod idē potioti titulo probatur ex ibi dictis, de ratione vniverſali magis probabili, vel æquè probabili pro lege.

19 Quod planè confirmatur exemplo immediatè appoſito: quià dux ille tenetur ſumere conſilium ab omnibus ſeptem ſenioribus, omneſque illos audire, minimèque excuſaretur, ſi aliquos eorum

clausos haberet, & interdum ex dictis reliquorum formaret consilium; sed omnes rationes vniversales sunt veluti consiliarij, à quibus in casibus tenemur ex instituto naturæ consilium sumere, ex illisque dictamen formare: ergò si aliquam, vel aliquas rationes vniversales ad casum præsentem conducentes claudamus intra cancellos meræ speculationis, vt loquitur Ferre, & earum consilium, aut suasionem nolimus audire, nec ex eis formare dictamen, non excusabimur dicentes, quod in vltimo conscientiæ dictamine non apparuit opus illicitum, sed vnicè honestum; quià protinus redarguit syndéresis, hoc ideò fuisse, quià non admisisti ad vltimam consultationem pro casu particulari meliorem consiliarium, scilicet rationem probabiliorem pro lege, sed eam intra cancellos speculationis clausam retinuisti, nè tibi diceret suum consilium pro hoc casu particulari. Sicuti male se defenderet Dux ille dicens, in vltimo consilio visum est senioribus, nemine discrepante, signum pugnæ damnum esse, quià statim Fiscalis replicaret, hoc ideò fuisse quià noluit admittere ad illam vltimam consultationem meliores consiliarios, vel æquè sapientes, sed illos clausos retinuit tempore consultationis.

20 Ex quo item facile impugnatur aliud effugium Mag. Ferre, dicentis, quod tunc solum est formanda conscientia iuxta rationem vniversalem speculativam, quando in singulari non occurrit circunstantia excusans, vel honestans operationem. Attamen quando datur opinio æquè vel minus probabilis pro libertate; tunc ipsa opinio probabilis est circunstantia honestans operationem, ratione illius principij *Qui sequitur opinionem probabilem, non peccat.* Contra enim est primo, quia opiniones vniversales de obiecto, vt infrà probabo, non sunt circunstantiæ se tenentes ex parte obiecti, àc proinde non honestant ipsum obiectum in ratione obiecti. Semel autem quod non honestent obiectum in ratione obiecti, impossibile est, quod honestent, aut excusent ipsam operationem tendentem in tale obiectum: ergò.

21 Secundo, quià dato casu quod opinio probabilis de obiecto sit circunstantia ex parte obiecti considerandæ, debet considerari ad formandum vltimum conscientiæ dictamen, non solum opinio probabilis, quæ dicit actum esse licitum, sed etiam opinio æquè, vel magis probabilis, quæ dicit actum esse illicitum; sed si vtraque consideretur, operatio, non magis excusatur, quam accusatur, nec magis honestatur, quam inhonestatur. Nàm sicut excusatur, vel honestatur per opinionem probabilem dictantem opus esse licitum, ità accusatur, vel inhonestatur per opinionem æquè, vel magis probabilem dictantem opus esse illicitum: ergò si formetur vltimum conscientiæ dictamen prout formari debet, non potest magis dictare operationem esse honestam, quam inhonestam. Imò, si probabilior est opinio de illicito, maiori titulo dictare tenetur operationem evadere inhonestam. Maior patet, quià ad rectè formandum dictamen conscientiæ, debet formari consideratis omnibus circunstantijs, vel honestantibus, vel inhonestantibus actum, & non præcisè consideratis illis, quæ honestant, & excusant actum: id enim notum est omnibus, aliàs enim posset quis ad formandam conscientiam considerare quod dare eleemosinam honestum est, & non considerare, quod illam conferre ex motivo vanę glorię malum est. Posset quis considerare, quod comestio carnis ad sustentandam vitam honesta est, & non considerare, quod in die veneris, aut contra votum mala est, & sic in die veneris formare conscientiam de honestate talis comestionis. sed si opinio probabilis dicens, opus esse licitum, est circunstantia honestans actũ, vel illum excusans vi illius principij: *Qui sequitur opinionem probabilem, non peccat*, potiori, vel æquo iure opinio æquè, vel magis probabilis dicens opus esse illicitum, & prohibitũ, erit circunstantia inhonestans, vel accusans actum ex illo principio: *Qui operatur contra opinionem probabilem dicentem actum esse illicitum, peccat*: ergò vtraque debet considerari, & ex vtriusque consideratione formari conscientia.

22 Dices: non posse formari conscientiã ex vtraque opinione, aut ex vtriusque consideratione, sed eligendam esse vnam tantum, & secundum illam operandum: nàm si ex vtraque formaretur conscientia, formaretur conscientia simul dicens, actum esse licitum, & illicitum, quod implicat contradictionem; vnde non posset in illo casu formari conscientia, sed intellectus maneret perplexus, quod est absurdum. Sed contra est, quià si opinio asserens opus esse prohibitum, & illicitum notabiliter excedit in probabilitate alteram de licito, etiam si vtraque consideretur, & adinvicem conferatur ex vtriusque collatione potest oriri consilium, vel conscientia de illo opere non faciendo, eo quod ratio vniversalis, quæ est consiliatrix prudentiæ, & conscientiæ pro maiori parte id suadet, sicut ex septem consiliarijs.

Di-

diſſidentibus in duas partes, collatis eorum votis, prudentèr ſumitur conſilium maioris partis: ergò tunc caſus ex vtriuſque opinionis conſideratione, & collatione, ſivè ex vtraque opinione adinvicem collata, poteſt formari conſcientia de opere non faciendo; non autem niſi imprudentèr conſcientia de opere faciendo; cùm ratio vniverſalis conſiliatrix noſtra maiori ex parte contradicat dicendo eſſe prohibitum.

23 Contra ſecundò; quià ſi vtraque opinio ſit æquè probabilis, aut quaſi æquè, tunc formari poteſt conſcientia dubia, quæ nec determinatè dicat opus eſſe prohibitum, nec eſſe licitum, ſed quæ dubitet de opere hic, & nunc, àn ſit prohibitum, vel non; ſed hæc conſcientia non implicat contradictionem, vt vidimus quęſtione 14. num. 1. ergò ex conſideratione vtriuſque opinionis formari poteſt conſcientia non implicans contradictionem. Contra tertiò, quià præter illas duas opiniones contradicentes, quarum vna diceret actum eſſe licitum, alia eſſe illicitum, eſſet alia tertia dicens quod omittere illum actum eſſet licitum. Hæc autem eſſet certa, & ſecura, & eligi poſſet ad praxim, & ſecundum illam formari conſcientia determinatè dictans eſſe licitum, & honeſtum omittere picturam in die feſto: ergò non maneret intellectus perplexus.

§. III.

Maior primi ſillogiſmi ſecundò probatur, & explicatur periculum peccandi latens in opinione minus, aut æquè probabili pro libertate.

24 MAIOR Igitur principalis ſillogiſmi num. 2. poſiti, quæ eſt præſentis articuli ſcopus, probatur iterum: nàm ideò operans cum conſcientia dubia, peccati periculo proximo ſe exponit, quià cum in dubio poſitivo æqua ſit ratio, vt opus ſit legi Dei contrarium, quam vt ſit à lege permiſſum, ſi cum tali dubio conſcientiæ ſe determinat ad tale opus, ſe exponit ad illud, ſivè re ipſa ſit prohibitum, ſivè permiſſum; ſed quando voluntas eſt conſtituta inter duas opiniones æquè probabiles modo dicto, æqua ratio eſt vt opus ſit legi Dei contrarium, quam vt ſit à lege permiſſum; ſiquidem in hoc conſiſtit opiniones illas contrarias eſſe æquè probabiles: ergò ſi voluntas ſic conſtituta ſe determinet ad opus ſe exponit periculo proximo peccandi, ſiquidem ſe determinat ad tale opus, ſivè ſit prohibitum, pro quo rationes graves habet, ſivè ſit licitum, pro quo etiam rationes æquales habet, & non maioris momenti.

25 Reſpondet Terillus quæſt. 25. num. 20. quod ille, qui ſequitur opinionem minus, aut æquè tantùm probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege, non ſe exponit periculo peccati formalis, ſed ſolùm periculo peccati materialis: & item quod tale periculum non eſt proximum, quià periculum proximum eſt, quod nullam ſpem probabilem de non futuritione peccati imminentis relinquit; in prædicto autem caſu ſpes probabilis eſt quod nullum ibi latet peccatum materiale, ſiquidem probabile eſt, quod opus nulla lege prohibitum eſt.

26 Sed contra eſt primò, quià ille, qui operatur cum conſcientia dubia, non ſe exponit periculo peccati formalis, ſed tantùm periculo peccati materialis; & tamen quià voluntariè ſe exponit periculo peccati materialis peccat formalitèr: ergò ſi voluntas conſtituta inter prædictas duas opiniones ſe exponit voluntariè periculo peccati materialis, peccat formalitèr. Maior probatur, quià diſtinctum peccatum eſt illud, cuius periculo ſe committit, quam illud, quod certò, & indubitantèr committit, non enim eſt periculum de peccato certo, & indubitantèr commiſſo, ſed de peccato dubio; ſed qui operatur cum conſcientia dubia de inhoneſtate operis, peccat formalitèr peccato formali certò; ergò non ſe exponit periculo peccandi formalitèr; ſolùm ergò exponitur periculo peccati materialis.

27 Explicatur: peccatum illud, cuius periculo ſe committit, eſt peccatum, quod forsàn incurritur, forsàn non incurritur, non autem eſt peccatum, quod certò, & manifeſtè incurritur: periculum enim nunquàm eſt de re certa, & manifeſta, ſed de malo contingenti, quod poteſt eſſe, & poteſt non eſſe: vndè non dicitur eſſe in periculo ægritudinis, qui iam certò ægrotat, ſed ſolùm, qui habet diſpoſitionem, vi cuius valdè contingens eſt, & probabile, quod ægrotabit, licèt poſſit evadere ægritudinem; ſed ille, qui operatur cum conſcientia dubia, certiſsimè, & infallibilitèr peccat formalitèr, & hoc quià ſe exponit periculo peccati: ergò illud pec-

catum, cuius periculo ſe exponit, non eſt peccatum formale, ſed materiale.

28 Amplius explicatur: nàm illud peccatum, cuius periculo ſe exponit, qui operatur cùm conſcientia dubia, eſt peccatum, quod incurritur, ſi opus revera ſit prohibitum, & non incurritur, ſi opus revera non ſit prohibitum; ſed peccatum hoc non eſt peccatum formale, ſed materiale: ergo ſolum exponitur periculo materialis peccati. Minor probatur, quià operans cùm conſcientia dubia idem omnino peccatũ formale committit, ſi opus, de quo dubitat, re ipſa non ſit prohibitum, àc ſi re ipſa prohibitum ſit, & ſolum eſt differentia quod, ſi re ipſa opus ſit prohibitum, peccat materialitèr ex parte operis, hoc eſt, in opere contradicit re ipſa legi Dei: ſi non ſit prohibitum, non peccat materialitèr in opere, quià non contradicit in opere volito re ipſa legi Dei: ergò peccatum, quod incurritur, ſi opus ſit prohibitum, & non incurritur, ſi opus non ſit prohibitum, eſt peccatum materiale ex parte operis, non vero peccatum formale ex parte operantis.

29 Sed dices: ſi opus ſit re ipſa prohibitum, & illud quis operetur cùm conſcientia dubia, tunc tale opus non eſt purè materialitèr peccatum, ſed etiam formalitèr, & voluntarie: nàm qui ſe exponit periculo peccandi, ſi peccat, non materialitèr, & involuntariè, ſed formalitèr, & voluntariè peccat: ergò peccatum illud materiale, cuius periculo ſe committit, non eſt ſolum peccatum materiale, ſed formale, & voluntarium. Diſtinguo antecedens: tunc tale opus non eſt purè materialitèr peccatum, prout diſtinctum ab actu voluntatis, quo quis voluntariè ſe exponit periculo illius, nego antecedens: prout moralitèr informatum tali actu voluntatis, concedo antecedens; & diſtinguo conſequens eodem modo. Itàque illud peccatum materiale, & obiectivum ex parte operis voliti poteſt conſiderari, vel quatenus eſt terminus periculi, & obiectum voluntatis præciſive ſumptum ab actu voluntatis tendente ſub dubio in illud opus, vel quatenus moralitèr denominatur à tali actu voluntatis. Primo modo ſolùm obtinet, rationem peccati materialis, & obiectivi, præſcinditque à peccato formali & voluntario, quià præſcindit ab eo quod contrarietas, quàm habet tale opus ad legem, ſit voluntaria operanti, vel non. Ex ſuppoſitione autem quod voluntas voluntariè ſe exponat periculo incurrendi illud peccatum materiale obiectivè contrarium legi, iàm illud peccatum materiale denominatur voluntarium operanti, & ab actu interno voluntatis denominatur formalitèr, & voluntariè peccatum. Vbi diligenter eſt advertendum; quod terminus periculi, cui ſe exponit voluntas in electione talis operis dubij, non eſt peccatum materiale reduplicative, vt formalitèr voluntarium: aliàs, cùm denominetur formalitèr voluntarium ab electione interioti talis operis, per talem electionem exponeretur periculo ſui ipſius. Solum ergò terminus talis periculi eſt peccatum materiale ſpecificativè ſumptum, & diſtinctum terminative, ſeu ex parte obiecti ab actu voluntatis illud eligentis, & ab eius voluntarietate formali.

30 Ex quo infero, operantem cùm conſcientia dubia, ideò præcisè peccare formalitèr, quià ſe exponit voluntariè periculo peccandi materialitèr, ſeu contradicendi ex parte operis obiectivè divinæ legi, non autem quià ſe exponit periculo peccandi formalitèr per electionem talis operis. Primo, quià non ſe exponit periculo peccandi formalitèr, ſed re ipſa peccat formalitèr. Secundo, quià malum, aut peccatum, cuius periculo ſe exponit in electione talis operis, eſt peccatum adæquatè diſtinctum à tali electione; nàm terminus periculi debet eſſe adæquatè diſtinctus ab actu, quo quis ſe exponit tali periculo. Tertio, quià talitèr operans in electione operis non peccat formalitèr, quià ſe exponit periculo talis electionis; aliàs electio peccaret, quià ſe exponeret periculo ſui ipſius; vndè conſtat talem electionem ſolùm eſſe formalitèr peccaminoſam, quià ſe exponit periculo incurrendi peccatum materiale, & obiectivum ex parte operis.

31 Quo ſuppoſito reddit tota ſua vi argumentum factum. Nàm voluntas conſtituta inter prædictas opiniones, ſi eligit opus, de quo vna opinio, vel magis, vel æquè probabilitèr dicit eſſe re ipſa prohibitum, & lege Dei contrarium, æquè ſe exponit periculo peccati materialis, & obiectivi ex parte operis, àc ille qui operatur cùm conſcientia dubia: ergò æquè peccat formalitèr, & ex parte actus, àc ſi operetur cùm conſcienia dubia.

32 Inquit Terillus: non ſe exponere periculo proximo, ſed ſolum periculo remoto peccati materialis. Sed contra: nàm, qui operatur cùm conſcientia dubia, ſe exponit periculo proximo peccati materialis, aliàs non peccaret; ſed æquè proximum eſt periculum illius, qui operatur conſtitutus inter prædictas opiniones: ergò eſt

peri-

periculum proximum & non purè remotum. Probo minorem : nàm periculum operantis cùm conſcientia dubia, tale eſt, quod datur æqualis contingentia peccandi materialitèr, àc non peccandi materialitèr ; ſed periculum voluntatis conſtitutæ intèr prædictas opiniones, ſi eligat opus, de cuius honeſtate litigant opiniones, tale eſt, quod datur æqualis contingentia peccandi materialitèr, àc non peccandi materialitèr : imò, ſi opinio aſſerens opus eſſe prohibitum ſit magis probabilis, datur maior contingentia peccandi materialitèr, quàm evadendi tale peccatum : ergò æquale, vel maius periculum datur in caſu opinionis, àc in caſu conſcientiæ dubiæ.

33 Confirmatur ; ideò in caſu conſcientiæ dubiæ eſt periculum proximum peccandi materialitèr, quià quantum eſt ex diſpoſitione intellectus non eſt maior ratio, ſed æqualis, vt opus illud ſit peccatum materiale, quàm non; ſed quando intellectus eſt intèr prædictas opiniones æqualis ratio eſt, vt illud opus ſit peccatum materiale, quàm vt non ſit, imò maior ratio vt ſit, ſi opinio pro lege ſit magis probabilis ; ergò erit periculum æquè proximum, vel proximius, quàm in caſu conſcientiæ dubiæ.

34 Dices : totum hoc rectè probare, ſi voluntas conſtituta intèr illas opiniones poſitas intrepidè eligeret tale opus ante aſſenſum præſtitum opinioni dicenti tale opus eſſe revera licitum ; quià tunc periculosè ſe determinaret cùm periculo proximo, eo quod ex parte intellectus non eſſet maior determinatio ad licitum, quam ad peccatum. Secus vero, ſi intellectus per prius ex imperio voluntatis aſſenſum præſtiterit opinioni dicenti tale opus eſſe licitum. Tunc enim intellectus iàm non dubitat intèr opiniones, ſed determinate aſſentitur dicenti eſſe licitum, & judicat eſſe licitum, àc proinde ſi voluntas tunc illud eligat, non eliget periculosè.

35 Sed contra eſt primo, nàm hæc advertentia, quàm ſepiſsimè inculcat Terillus, nobis improperans quod ex non conſideratione illius eius ſententiam impugnamus, latenti fallatia laborat. Quàm vt detegam, rogò : cùr qui verſatur intèr duas opiniones æquè probabiles oppoſitas de opere, eligit potius aſſentiri opinioni dicenti opus eſſe licitum, quàm oppoſitæ æquali, vel maiori cùm probabilitate dicente opus illud eſſe prohibitum. M. Ferre num. 191. ingenuè ait, quod voluntas in tali caſu, *non eligit ſic opinari ex fine ſciendi veritatem, ſed vt operetur ; cumque ad finem operationis, quam eligit, magis conducat opinio minus probabilis, quàm probabilior, recte eligit, ſi illam eligat.* Et ponit exemplum hoc pacto : *Adſunt hic duæ opiniones oppoſitæ, de quibus certo, & evidenter conſtat eſſe vere probabiles. Altera dicit hunc contractum eſſe licitum. Altera negat ; & ſuppono quod negans ſit probabilior. Quid tunc voluntas ? Cùm ſciat vtrumque poſſe fieri ſinè peccato, vult efficere talem contractum; & ad efficiendum talem contractum vult opinari quod magis conducit : & cùm magis conducat opinio minus probabilis, eligit illam ad celebrandum talem contractum.* Verba ſunt prædicti Authoris, in quibus ingenuè fatetur voluntatem eligere aut velle aſſentiri potius opinioni minus probabili dicenti opus eſſe licitum, quàm opinioni contradicenti magis probabili, quià nimirum vult tale opus efficere.

36 Nec diffitentur ceteri probabiliſtæ, omnes enim dicunt, quod voluntas dùm eligit opinionem minus, aut æquè probabilem pro licito, illam eligit ad praxim, hoc eſt, ad practicandum illud opus, quod minus probabilitèr videtur licitum : ergò iuxta illos voluntas vnicè eligit aſſentiri illi opinioni præ oppoſita, quià intendit, & vult tale opus efficere ; nec ex alio finè præintento voluntas poteſt eligere aſſentiri potius illi opinioni, quàm oppoſitæ, vt rectè ſcrutanti, & meditanti patebit. Ergò voluntas, antequam eligat aſſentiri illi opinioni, & conſequentèr antequam intellectus illi aſſentiatur, iàm vult, & intendit tale opus elicere. Sed per te, ſi ante aſſenſum talis opinionis velit tale opus, ſeu illud eligat, peccat : ergò ante electionem talis opinionis, & ante aſſenſum illius, iàm in intentione peccavit. Quid igitur illi proderit in ſigno ſubſequenti ad exequendum illud opus iàm præintentum voluntariè eligere opinionem, quæ ſibi dicat illud eſſe licitum, & illi credere, contempta oppoſita ſibi contrarium maiori cùm probabilitate dicenti ? Hoc ſanè ad nihil deſervire poteſt, niſi ad ſe ipſum ſeducendum, Deum tamèn fallere non poteſt, qui ſcrutatur profunda cordis, & intuetur ex qua intentione oriatur electio illius opinionis, & quod illa intentio peccaminoſa eſt & prava, quià ſinè conſcientia determinata de honeſtate operis intenti, ſeu cùm ſolo dubio pro illo priori de honeſtate, vel inhoneſtate obiecti voliti concepta.

37 Explicatur : nàm qui ſubtilitèr ſcrutari velit illum ordinem procedendi intellectus, & voluntatis intèr oppoſitas opi-

opiniones probabiles, inveniet quidèm primo, intellectum inter illas indifferentem, de ſe non inclinantem potius in vnam, quam in aliam propter æqualitatem rationum. Secundo, voluntatem nondùm ſoluta indifferentia, & dubietate intellectus, affici ergà illud opus, in illudque propendere cum intentione illud eliciendi. Tertiò, quod ex tali affectu, & propenſione, vel intentione, eligit aſſentiri opinioni dicenti illud opus eſſe honeſtum, & licitum. Quartò, quod intellectus iam determinatè aſſentitur, & iudicat illud opus eſſe honeſtum, & licitum. Quintò, quod voluntas illud obiectum in executione proſequitur, vt honeſtum, conformitèr ad tale iudicium. Terillus igitur cum cæteris Probabiliſtis ſupponit voluntatem innocentem, & intellectum prudentem imprimis quatuor ſignis; & tunc tantummodo voluit nobiſcum diſputare de quinto, in quo ſibi gloriantur convincere manifeſtè, quod voluntas non peccat, quià ſequitur dictamen prudens intellectus.

38 Attamen rogo: iudicandus nè erit homo ante Chriſti tribunal, de ſolo illo quinto ſigno? Relinquetur iniudicatus homo in quatuor illis primis ſignis? Quis tale dicat? Certiſsimè ſcio, & negare non poſſunt contrarij, quod qui ſcrutabitur Ieruſalem in lucernis, rationem à nobis exiget cùr in ſecundo illo ſigno voluntas voluit illud opus ante quam crederet intellectus abſolutè illud eſſe honeſtum? Cur in tertio, ex prædicto affectu, & intentione elegit aſſentire opinioni minus probabili dicenti tale opus eſſe licitum, contempta oppoſita maiori cum probabilitate ſuadenti non eſſe licitum? Cùr in quarto intellectus abſolutè iudicavit, & credidit opus illud eſſe honeſtum, potiùs quàm inhoneſtum? Et cùr in quinto voluntas iterum proſequuta eſt illud obiectum abſolutè? Et ſi in hoc quinto ratione reddideris, dicens, quià in quarto abſolutè iudicavit opus illud eſſe honeſtum, per retrògreſſum interrogabit Iudex: Et cur potiùs iudicaſti opus illud eſſe honeſtum, quàm inhoneſtum? Si autem tunc reddideris rationem, ſicut nunc: Quià mea voluntas elegit aſſentire, & credere abſolutè illud præ iſto, cum vtrumque eſſet probabile: minimè diſtrictiſsimus Iudex hoc reſponſo ſatisfactus manebit. Nàm potiùs indè maius argumentum ſumet, hoc pacto: Et cùr, inquiet, cum vtrumque eſſet probabile, & magis probabile, quod opus erat à me prohibitum, quàm per me licitum, tua voluntas elegit potiùs abſolutè credere illud eſſe per me licitum, quàm illud eſſe per me prohibitum? En vbi iam angitur conſcientia, & ratio deficit. Quam igitur rationem huic interrogationi, & argumento (mihi ſanè terribili) exhibebis? Dices nè, vt nunc dicis, quià affectus eram ergà opus illud, quià volebam illud opus efficere, & ad illud honeſtandum elegi potiùs credere illud eſſe licitum, & honeſtum? Et cùr demùm, & vrgentiſsimè replicabit iudex, ante quàm abſolutè crederes illud opus eſſe honeſtũ, inclinaſti tuam voluntatem in illud, voluiſtique illud efficere? Sanè non quià honeſtum, non quià licitum, quià non dùm abſolutè credebas illud eſſe honeſtum, illud eſſe licitum: ergò nihil aliud reſpondere poteris niſi, *quià illud opus erat mihi delectabile, quià ille contractus erat mihi valdè quæſtuoſus*, ob hoc illud volui antequàm abſolutè crederem illud eſſe honeſtum, ob hoc elegi immediate aſſentiri opinioni dicenti illud eſſe licitum, relicta oppoſita maiori cum probabilitate ſuadenti eſſe illicitum, ob hoc abſolutè credidi illud eſſe licitum, ob hoc denique illud opus proſequutus ſum. Id ſanè velis, nolis, reſpondebit tua conſcientia reflexa, quando Deus impleverit, quod minatus eſt: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*

39 Forsàn, & vtinàm, recurres ad indeliberationem. Dices enim illam affectionem, & propenſionem voluntatis ergà opus ante iudicium determinatum de eius honeſtate, vel inhoneſtate, eſſe affectum, & motum quendam primo primum, & indeliberatum, àc proindè excuſabilem: ex illo autem affectu indeliberato mota voluntas indeliberatè etiam inclinat intellectum, vt iudicet in favorem ſui affectus, & aſſentiatur opinioni ſibi faventi. Dixi *vtinam* ad hoc recurrerent contrarij. Nàm licet nos nimis rigidos eſſe querantur, re ipſa tamen humani ſumus, quinimo & homines fragiles, àc infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt invicem anguſtias, àc proindè non diffitemur fragilitatem noſtræ naturæ, immò quantum ad me, fateor plerumque inadvertentèr, & inconſideratè in talem modum procedendi, & iudicandi incidiſſe. Cum enim voluntas pro hoc ſtatu mille ſic agitata paſsionibus, quæ plerumque ſolent prævenire motum, & iudicium rationis; millies contigit quòd voluntas ſimplici, & indeliberato affectu ante iudicium, aut motum rationis propendeat in obiectum delectabile, vel vtile, ſine attentione ad eius honeſtatem, vel inhoneſtatẽ: & vſque adeò ſolet illa indeliberata affectio procedere, vt intellectui faciat ap-

pare-

parere probabilius honeſtum, quod ante talem affectionem probabilius erat inhoneſtum, & ſic intellectus incautè fallitur, &, ſi totum hoc contingat ſine plena deliberatione, veniale erit, non tamen omnino excuſabitur à peccato.

40 Et ratio eſt, quià illa affectio voluntatis præveniens iudicium determinatum de honeſtate obiecti, intrinſecè inordinata eſt, quià præveniens iudicium rationis contra ordinem debitum, & exactum à creatura rationali, vt tali: & etiam ille modus iudicandi de honeſtate obiecti, ex affectione potius, quàm ex deliberatione rationis, etiam eſt intrinſece inordinatus. Nàm debitus ordo creaturæ rationalis, vt talis, exigit quod affectio reguletur, àc dirigatur per rationem, & non quod ratio reguletur per affectum, quod prius iudicet intellectus veritatem, & poſt voluntas proſequatur veram bonitatem; non quod prius voluntas propendeat ad bonitatem antequam intellectus iudicet de eius veritate: quod ex veritate decidatur bonitas appetenda, non quod ex bonitate prius appetita decidatur veritas iudicanda. Vnde lumine ipſo naturæ ens prius intelligitur verum, quàm bonum; quià bonum regulatur, & determinatur per verum, non tamen verum per bonum: vnde non dicimus: *Ens bonum, verum, &c.* Sed *ens verum, bonum, &c.* Nec dicimus: *Hoc eſt bonè verum*, dicimus tamen: *Hoc eſt vere bonum*: igitur modus ille anteponendi bonitatem veritati, voluptatem, vel vtilitatem honeſtati, ex affectu circa primam iudicando ſecundam, intrinſece perverſus eſt, & ordini debito creaturæ rationali contrarius. Vnde ſi contingat ſine plena deliberatione, vel ſit in materia levi, mortale non erit, ſed à veniali excuſari non poteſt, quià ad hoc ſufficit ſemiplena deliberatio, & imperfecta voluntarietas, quæ illi abeſſe nequit. Verumtamen apud Deum facile veniam obtinebit, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.

41 Ceterum contrarij non ità diſcurrunt, ſed contendunt tenaciſsime licitum eſſe poſitivè cuicumque homini, & abſque peccato, nedum læthali, ſed etiam veniali, iudicare de moribus ſecundum quamlibet opinionem probabilem ex contradicentibus ex affectu propriæ voluntatis circa obiectum, non ſolum ex affectu indeliberato, ſed etiam ex affectu, & imperio deliberato voluntatis: ob hoc enim confingunt regulas, & leges reflexas, quibus homines licentiant, vt iuxta quamlibet opinionem licite, honeſte, pariter àc laudabilitèr iudicare de moribus, & operari poſsint cùm plena deliberatione abſque vllo prorſus timore Deum offendendi in hoc modo iudicandi, & operandi. Hoc igitur eſt quod reijcimus, quod procul fugimus, quià, facta poſsibili diligentia, non invenimus qualitèr in iudicio divino excuſari poſsit, quià iàm non eſt locus indeliberationi, aut involuntarietati, cùm de propoſito à contrarijs ſtatuantur regulæ, & licentiæ vniverſales ad illum modum formandi conſcientiam, & iudicandi de moribus, non ex maiori ratione pro vna ſententia, quàm pro contradicente, ſed vnicè ex affectu, & imperio voluntatis: adeò vt nobis interrogantibus ab eo, qui ſic velit ſuam formare conſcientiam, cùr in tanta contradictione, & æqualitate rationum, & authoritatum credit abſolute obiectum eſſe honeſtum, potius quàm inhoneſtum? aliud reſpondere non poſsit, niſi quià voluntas ſuo affectu, & imperio ad vnum præ alio credendum determinat: quod, ſi rectè perpendas, aliud non eſt, quàm dicere: *Sic volo, ſic iubeo, redditur pro ratione voluntas.* Sed numquid Iudex dùm dixerit: *Redde rationem villicationis tuæ*, acceptabit pro ratione voluntatem? O quanto verius, & vtilius eſſet in tali modo formandi conſcientiam peccatum agnoſcere, & ad Dei miſericordiam confugere. Si enim: *Dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confiteamur peccata noſtra fidelis eſt, & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra.*

42 Explicatur, nàm ſi in illa contradictione, & æqualitate opinionum intellectus, non ex ratione ſuperveniente, ſed ex mero affectu voluntatis erga obiectum, & ex eius imperio, dicit abſolute obiectum eſſe honeſtum, hæc honeſtas non eſt vera honeſtas, ſed pure affectata, quià non eſt à ratione, ſed vnicè ab affectione: intellectus enim attentis omnibus rationibus, æquilibris eſt, & dubius, obiectumque, quantum eſt ex vi rationis, non apparet honeſtũ potius, quàm inhoneſtum, ſola affectio eſt quæ ibi ponit honeſtatem præ inhoneſtate; eſt igitur illa honeſtas affectata, & non vera: quià ſcilicet voluntas volens illud opus exercere, eius delectatione frui, vel vtilitate potiri, vt id ſine ſcrupulo, nec remorſu obtinere valeat, obiectum honeſtate affectat, honeſtatiſque velamine induit, vt in amplexu eius turpitudo non appareat, quàm maior, vel æqualis ratio oſtendebat, aut ſuadebat. Hæc ſane fallacia occulta eſt amoris proprij, àc verſuti, quam licet mille reflexionibus nobis latentem facere conemur; quid nobis proderit, ſi Iudici latere non poterit? *Nec enim*

enim, qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat, aiebat Apost. & item: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui enim iudicat me Dominus est.* Forsàn de se timebat aliquid huiusmodi, quod sibi amor proprius prædicta fallacia occultaret; sed fœlix ille, qui, quo magis timebat, longius aberat à simili seductione. Sed nunquid fœlix ille, qui dixerit, se ità securum esse ab omni peccato commisso in recitatione Divini Officij, etiam à veniali, vt quàmvis mille distractiones etiam voluntarias habuerit, nihilominus iurare audeat se non peccasse, nec venialiter quidem?

43 Exemplo rem amplius declaro. Cogitat Rex de imponendo novo tributo plebi, & antè quàm Consiliarios, aut Theologos audiat dicentes de iustificatione talis tributi, valdè afficitur ad impositionem eius. Cæterùm videt inhonestum fore id facere sinè consilio Iurisprudentum, & Theologorum, multoque magis, si procedat contra eorum iudicium, proindeque vocat certum numerũ Theologorum, & Iurisprudentum, eosque circa id consulit, dissentiunt illi, & in duas partes dividuntur, quarum æqualis, vel maior numero, & auctoritate, negat iustum, & licitum esse imponere tale tributum, reliqua pars affirmat. Interdum Rex videt hoc non sufficere ad honestè imponendum tributum, sed esse necessarium, vel quod integer Senatus, vel saltim maior pars conveniat in honestate, & iustitia tributi. Quid igitur Rex faciet, qui nimium iam supponitur affectus ad tributum imponendum? Supponamus suam voluntatem, & affectum modo quodam imperativo intimare Senatui, sciens Senatum Regiæ voluntati non ausurum resistere. Itemque supponamus, Senatum illum ad imperium Regis iam dictare maiori ex parte, vel nemine discrepante, tributi impositionem honestam esse, àc iustam, vlterius Rex procedat ad impositionem tributi.

44 Interrogo nunc: illa impositio tributi esset revera honesta, & iusta? Non sanè, sed solùm gauderet honestate, & iustitia affectata. At Rex se defenderet per reflexiones sic discurrens: *Quidquid Rex facit ex consilio, & iudicio Theologorum, & Iurisprudentum, evidentissimum, àc certissimum est ex principijs reflexis, quod illud honestè, & laudabiliter, àc iustè facit; sed ego Rex impono tributum ex consilio, & iudicio Theologorum, & Iurisprudentum: ergò honestè, & iustè impono tale tributum.* Maior, diceret Rex, est evidens. Minor experimentalis; nàm iam Senatus Theologorum, & Iurisprudentum, vel nemine discrepante, iudicat tributum esse honestum, & iustum.

Nec prævaleres contra ipsum dicens, Senatum illum maiori ex parte contradixisse tributo. Nàm Rex vteretur effugio, quo vtitur P. Terillus, & alij Probabilistæ pro tribunali conscientiæ, dicendo, verum est, quod Senatus dissidebat, & dubius erat ante affectum meæ voluntatis illis intimatum: àt post affectum meæ voluntatis, & post meum imperium, iam Senatus non dissidet, non dubitat, sed determinatè dictat tributum esse honestum.

45 His suppositis, rogo: quid prodesset Regi coram Deo talis defensio per vsum reflexionum? Sanè solùm prodesse posset, vt sibi, & hominibus occultaret fallaciam ibi latentem, vt impositio tributi affectaretur honestate, non vt re ipsa honesta, & iusta foret coràm Deo. Quarè? Quià Deum non latebat, imò nec ipsi Regi, si id considerare vellet, Senatum illum quantum ex propria sententia non iudicasse honestatem tributi, præ eius inhonestate, & quod independenter à voluntate Regis, Senatores dissidebant, & dubium erat inter ipsos, àc proindè quod iudicium illud, non tàm foit iudicium Senatus, quam voluntatis Regiæ, nec Rex in impositione tributi direxit suam voluntatem per consilium, & iudicium Senatus, sed potius per suam voluntatem Senatum obligavit, vt sententiam ferret pro honestate tributi; vndè non prodesset Regi recursus ad reflexiones. Quià tota hæc machina reflexionum fundatur veluti in primo lapide fundamentali, non in ratione, sed in affectione, non in iudicio sincero Senatus, sed in iudicio affectato, & extorto à voluntate Regis; & cùm hoc fundamentum fallax sit, & nullius firmitatis, tota machina reflexionis corruet coram Deo, licèt ærea, argentea, aut aurea sit in reliquum, quià habet pedes fictiles, idest, honestatis directæ confictæ ex solo affectu, & imperio voluntatis, non ex ratione; nàm quantum est ex parte rationis directæ, talis honestas solùm est dubia.

46 Vt exemplum facilè contrahas, nota, quod in interna hominis republica voluntas est Rex, intellectus est Senatus, in quo rationes, & auctoritates, sunt Senatores, & Consiliarij, tributum imponendum est opus externum, de quo dissident Senatores, idest rationes, & auctoritates, maiori, vel æquali ex parte suadentes

res illud eſſe inhoneſtum. Voluntas veluti Rex intimat ſuum affectum intellectui, eique imperat vt ſententiam ferat pro honeſtate, Conſequentèr ad hoc imperium, & affectum voluntatis, Senatus, ideſt, intellectus abſolutè iudicat opus eſſe honeſtum, & approbat honeſtatem, vt iam probabiliorem inhoneſtate. Indè ſurgit machina reflexionum hoc pacto: *Quidquid intellectus iudicat directè, vt determinatè honeſtum, ex principijs reflexis conſtat certiſsimè, & evidentèr illud voluntatem honeſtè proſequi poſſe; ſed intellectus iam iudicat determinatè directè opus eſſe honeſtum: ergò ex principijs reflexis conſtat certò, & evidentèr voluntatem illud honeſtè proſequi poſſe.* Ceterùm ſicut in caſu Regis, totus iſte diſcurſus corruit, ſic diſtinguendo: *Si Senatus ex propria ſententia, & non determinatus à voluntate, & imperio Regis, dicat tributũ eſſe honeſtum*, concedo: *Si id dicat, non tàm ex propria ſententia, quàm ſententia extorta ab imperio, & voluntate Regis*, nego. Sic ſimilitèr in noſtro caſu corruit talis diſcurſus, ſimilitèr diſtinguendo maiorem: *Si intellectus ex propria ſententia, & ex meritis rationum, independentèr ab imperio voluntatis, iudicet directè, & determinatè opus eſſe honeſtum*, concedo: *Si id tantùm dicat ex imperio voluntatis*, nego. Et adverte me non negare tanquàm neceſſarium imperium voluntatis intellectum determinans ad iudicandum in exercitio de obiecto, ſicut ſimiliter eſſet neceſſarium imperium Regis, vt Theologi, & Iuriſprudentes iudicarent de tributo. Ceterùm, ſicut ibi Rex per ſuum imperium licitè non poſſet imperare Senatoribus, vt iudicarent potius tributum eſſe honeſtum, quàm inhoneſtum, &, ſi id imperaret, inde ortum haberet culpabilitèr tota fallacia ſuæ honeſtatis affectatæ. Ità ſimilitèr dicimus, voluntatem non poſſe licitè intellectui diſſidenti, aut dubio ex rationibus, & Auctoribus imperare, vt determinatè, & directè iudicet pro honeſtate obiecti, & quod, ſi hoc ità imperet, ſe ipſam fallit, & iudicans honeſtè agere, in poſterùm ex falſo, vel affectato iudicio procedit, & conſequentèr cum honeſtate tantùm affectata.

47 Ex quo iam contra ſolutionem à Terillo datam num. 34. ſic argumentor ſecundò: Per te, ſi voluntas eligeret tale opus ante quàm intellectus aſſentiret determinatè, & abſolutè opinioni dicenti eſſe honeſtum, illud eligeret cum periculo proximo peccandi; ſed tale periculum proximum non vitatur per hoc quod intellectus iudicet illud opus determinatè eſſe honeſtum, ſi id iudicat determinatus à voluntate, non autem determinatus ex maiori pondere rationum: ergò adhuc poſtquam intellectus id iudicaverit ex imperio voluntatis, ſi vpluntas elegerit tale opus, illud eligit periculosè cum periculo ipſiſsimo peccandi. Minor probatur primò: nàm adhuc ſuppoſito iudicio, verũ manet non eſſe maiorem rationem ex parte intellectus, vt opus re ipſa ſit contrarium legi Dei, quam vt ſit ab ea permiſſum, licet pro hoc ſit maior affectus voluntatis, & aſſenſus pro libito ipſius; ſed, dùm non eſt maior ratio ex parte intellectus, vt obiectum ſit à Deo permiſſum, quam vt reverà ſit ab ipſo prohibitum, licet ſit maior affectus voluntatis, & aſſenſus intellectus pro mero libito voluntatis, æquale, vel ipſiſsimum periculum eſt peccandi materialitèr ex tali opere, àc ante talem affectum, & iudicium, ſiquidem nulla eſt differentia ex parte rationis, ſed tota ex parte affectus voluntatis: qui quidem affectus, nec levitèr aſſecurat conſcientiam de eo quod obiectum re ipſa non ſit prohibitum. Nàm quantumvis voluntas ſuo affectu intenſiſsimè velit, quod obiectum re ipſa non ſit prohibitum, cogatque intellectum ad ità iudicandum, hoc nihil omnino iubat, aut prodeſt, nec probat obiectum re ipſa prohibitum non eſſe: ergò ſi aliundè, quantum ad rationes, quæ habentur de honeſtate, & inhoneſtate obiecti, eſt proximum periculum peccandi, idem periculum manet poſt affectum voluntatis, & aſſenſum intellectus ex eius imperio.

48 Secundò; quià periculum proximum peccandi non vitatur, ſed potius augetur per iudicium imprudens, & periculoſum cum periculo proximo errandi circa honeſtatem, vel inhoneſtatem obiecti; ſed iudicium illud intellectus ex imperio voluntatis eſt cum periculo proximo errandi circa honeſtatem, vel inhoneſtatem obiecti: ergò per illud non vitatur, ſed potius augetur periculum voluntatis eligendi opus reverà inhoneſtum, & legi Dei contrarium. Maior patet: nàm iudicium periculoſum non liberat voluntatem à periculo, ſed illam potius in periculum ducit, ſicut cæcus, ſi cæco ducatum præſtet, non liberat illum à periculo incidendi in foveam, quià ipſe cæcus, qui ducit, ſimili periculo laborat. Deindè probatur minor primò ex dictis quæſt. 26. à num. 41. vbi latè probavimus intellectum non poſſe aſſentiri ex imperio voluntatis opinioni minus probabili, aut æquè, niſi cum proximo, & evidenti periculo errandi: Secundò, quià intellectus

ibi

ibi determinatur cum totali indifferentia ex parte obiecti, ſeu ex parte rationum ad veritatem, & falſitatem: ergò cum periculo proximo errandi. Tertiò, ex D. Thom. quodlib. 9. art. 5. dicente: *Omnis quæſtio, vbi agitur de peccato mortali, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur. Præcipuè autem periculoſum eſt, vbi veritas ambigua eſt: quod in hac quæſtione accidit* (nimirùm àn ſit licitum habere duas præbendas) *circa illam enim inveniuntur Theologi Theologis, & Iuriſtæ Iuriſtis contraria ſentire*: ergò intellectum ex imperio voluntatis inter opiniones probabiles æquè contradicentes circa licitum, vel illicitum, determinatè iudicare pro licito periculoſiſsimum eſt: ergò tale iudicium, vtpotè tam periculoſum, voluntatem à periculo violandi Dei legem non liberat.

49 Reſpondet M. Ferre n. 199. huic D. Thom. auctoritati, quod eo tempore non erat, cum iſta dicebat, ſatis exploratum, àn opinio aſſerens pro licito habere plures præbendas, eſſet verè probabilis in praxi, ſed ſolùm fuiſſe pro tunc probabiliter probabilem. Sed contra eſt manifeſtè; nàm tunc pro illa opinione ſtabant plures Theologi, & Iuriſtæ, ſicut pro oppoſita, vt ſupponit D. Thom. vel igitur hoc ſufficit ad probabilitatem in praxi, vel non. Si ſufficit: ergò verè erat probabilis in praxi. Si non ſufficit: ergò nulla ſaltim ex æquè, aut minus probabilibus erit in tota Theologia Morali, quæ ſit verè probabilis in praxi, vel aſsigna regulam illam agnoſcendi.

50 Præterea, nàm D. Th. ideò in illa quæſt. dixit eſſe maximè periculoſum determinare vnam partem, quià ibi veritas maximè ambigua erat, non dixit, quià ibi probabilitas ambigua erat; ſed inter opiniones contradictorias æquè probabiles neceſſariò veritas ambigua eſt; & quidem maximè ambigua, quandoquidem non apparet magis ex vna parte, quàm ex alia: ergò ſi illæ opiniones ſint de peccato, vel non peccato mortali, periculoſum eſt valdè intellectus iudicium ex imperio voluntatis affirmans obiectum eſſe licitum. Quod ſi hoc iudicium periculoſum eſt, ſeu conceptum cum periculo proximo errandi, profecto non liberat voluntatem à tali periculo, ſed potius illam inducit in periculum proximum peccandi materialiter, ſeu eligendi opus, quod re ipſa ſit legi Dei contrarium.

51 Vndè obiter infero falli manifeſtè Terillum, quæſt. 22. num. 73. vbi poſtquàm dixit, opinionem docentem pluralitatem beneficiorum eſſe licitam, non fuiſſe certò probabilem apud Gabrielem, & alios eius temporis Theologos, addit: *Patet ſecundo, quià Theologi illius temporis vnanimiter tenebant, talem pluralitatem eſſe illicitam, nec erant, niſi aliqui Canoniſtæ, qui tenebant oppoſitum. In re autem ſpectante ad ius naturæ, paucorum Canoniſtarum ſententia contra vnanimem Theologorum opinionem, non eſt probabilis.* Miror ſanè, quod Terillus, qui benè legerat D. Thomam dicentem eſſe circa prædictam quæſtionem Theologos Theologis, & Iuriſtas Iuriſtis contraria ſentientes, & ob hoc veritatem maximè ambiguam eſſe, tan certo ſibi perſuadeat Theologos vnanimiter ſenſiſſe talem pluralitatem beneficiorum eſſe illicitam, & nullum, præter paucos Canoniſtas, illam licitam reputaſſe, & ideò hanc ſententiam non fuiſſe probabilem. Sanè probabilis erat, ea probabilitate, qua nunc communiter gaudent opiniones probabiles, quandoquidem in quæſt. ſpectante, non ad ſolum ius naturæ, vt inquit Terillus, ſed etiam ad ius poſitivum, vt inquit D. Thom. erant Theologi Theologis, & Iuriſtæ Iuriſtis contraria ſentientes, & ob hoc reddentes veritatem maximè ambiguam. Si igitur non obſtante huiſmodi probabilitate exiſtimavit Angelicus P. maximè periculoſum eſſe ferre iudicium inter prædictas opiniones, cùr non ſemper erit periculoſum inter opiniones æquè probabiles contradicentes circà peccatum mortale, iudicium determinatum pro vna, contempta alia, abſque maiori probabilitate pro prima, quàm pro ſecunda, & qualiter voluntas tuta erit ſequendo in praxi iudicium adeò periculoſum?

ART. II.

An ex lege Charitatis teneamur vitare periculum proximum, aut probabile peccati materialis?

52 PATER Terillus, quæſt. 20. n. 11. poſtquàm docuerat, licitum eſſe ſequi in praxi opinionem probabiliorem pro libertate, relicta probabili pro lege, conſequenter ad hanc doctrinam hoc infert corollarium: *Non omne periculum probabile peccati materialis, etiam cognitum, inducit obligationem vitandi opus, quod probabiliter apparet eſſe prohibitum, & eſſe peccatum materiale.* Deindè num. 12. hanc ſtatuit regulam conſcientiæ: *Nulla eſt obligatio vitandi peccatum materiale probabiliter apparens, quando & certò probabilius eſt illud non eſſe*

pec-

peccatum, & absolutè creditur (intellige ex imperio, & affectu voluntatis) *illud obiectum nulla lege prohiberi.*

53 Deinde quæst. 21. tuetur licitum esse sequi in praxi opinionem æquè probabilem pro libertate, relicta æquè probabili pro lege. Consequenter ad quàm doctrinam tenebatur proportionaliter hoc inferre corollarium : *Non omne periculum probabile peccati materialis, etiam cognitum, inducit obligationem vitandi opus, quod æquè probabiliter apparet esse prohibitum, quàm esse licitum.* Et hanc proportionalem regulam statuere: *Nulla est obligatio vitandi peccatum materiale probabiliter apparens, quando æquè probabile est illud non esse peccatum, & absolutè creditur* (ex imperio, & affectu voluntatis) *illud nulla lege prohiberi.* Sed tamen nec illud intulit, nec hanc regulam constituit expressè, sed vtrumque suppressit : verumtamen n. 24. talem doctrinam eandem quoad substantiam consequenter tradit, licet non ità clare.

54 Ac denique quæst. 23. num. 6. hanc statuit conclusionem : *Vniversaliter, tàm in materia fidei, quàm morum, vnicuique licitum esse sequi quancumque opinionem directe minus probabilem, minusque tutam, etsi opposita sit, & credatur probabilior, ac tutior.* Consequenter ad quàm tenebatur proportionale corollarium inferre, quo diceret: *Nullum periculum probabile peccati materialis, etiam cognitum, inducit obligationem vitandi opus, quod magis probabiliter apparet esse prohibitum, & minus probabiliter licitum.* Et similem regulam statuere : *Nulla est obligatio vitandi peccatum materiale probabilius apparens, quando & certò minus probabile est illud non esse peccatum, & absolutè creditur* (pro imperio, & affectu voluntatis) *illud obiectum nulla lege prohiberi.* Sed similiter, & illud corollarium, & hanc regulam, licet consequentissimam ad eius doctrinam, suppressit. Nihilominus quod hæc sit eius mens, evidentissimè illum legenti patebit, potissimè quæst. 28. num. 5.

55 Quàm doctrinam hoc vltimo loco ità confirmat: nàm aliàs, inquit, quicumque ad liberiorem conversationem inter personas vtriusque sexus accederet, prævidens periculum errandi in voluntate, id est peccandi, ipso facto peccaret, quià exponeret se periculo quod vitare posset commodè. At certum est huiusmodi conversationes non esse peccata ex se, sicut peccatum non est omissis consilijs in sæculo vivere : ergò. Miratus sum, dùm legi. Nàm vel exemplum est ad rem, & iuxta debitam proportionem, vel non. Si non, vt quid importunè adducitur. Si est ad rem, & proportionale, debet intelligi de periculo, de quo ibi agitur, hoc est, ità vt qui ad liberiorem conversationem cùm fœmina accederet, prævideret periculum ità probabile peccandi, vt certò probabilius sibi esset peccaturum cùm illa, & certò minus probabile non peccaturum : hoc pacto exemplum est ad rem. Ceterum, erit ne absurdum dicere, iuvenem, vel hominem, qui prævisò tali periculo, accederet voluntariè ad liberiorem illam cùm fœmina conversationem, peccare ipso facto, si commodè tale periculum vitare posset? Aut si hoc dicatur, sicut nos firmitèr dicimus, erit à sæculo exeundum? Nunquid in sæculo vivere non possunt homines, nisi voluntariè se exponant similibus periculis, aut adeò periculosis conversationibus? Etiam cùm illas commodè cavere possint? Sanè si alitèr in sæculo vivere non possunt homines, fateor, quòd exeundum esset à sæculo; sed primum est aperte falsum, vt experientia demonstrat. Igitur.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

QVAM Non melius probabimus, quàm formando secundam rationem probativam pro nostra sententia principali, desumptam ex lege charitatis, in qua minor erit conclusio præsentis articuli, nunc probanda. Sit ergò.

§. I.

Secunda ratio pro principali sententia, in qua probatur conclusio præsentis articuli, quia periculum probabile est verè periculum proximum.

56 SECVNDO Igitur probo nostram principalem sententiam. Nàm sequi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege, est se exponere periculo probabili peccandi saltem materialiter; sed *Tenemur ex lege charitatis non exponi tali periculo, seu illud cavere* : ergò tenemur ex lege charitatis non sequi in praxi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, relicta probabiliori, aut æquè probabili pro lege. Discursus est legitimus, maior conceditur à Terillo, & à ceteris probabilistis. Minor est conclusio probanda in præsenti articulo, quàm sic ostendo primò. Quià periculum probabile peccati materialis est verè periculum proximum

mum peccati materialis: ſed tenemur ex lege charitatis vitare periculum proximum peccati materialis: ergò & periculum probabile. Minorem non audet negare Terillus, ſed nec illam planè concedit: quoties enim de illa cogitur ſermonem facere, anceps loquitur, & ſubobſcurè, in quo illum imitantur alij Probabiliſtę.

Maiorem tamen apertè negat pluribus in locis. Ait enim, non eſſe idem periculum probabile, ac periculum proximum. In qua doctrina imitatur Caramuelem, qui in Theologia regulari, diſp. 70. num. 1058. ait periculum probabile eſſe cum eſt probabilis futuritio mali imminentis, & ſimiliter eſt probabilis non futuri illius, v. g. ſi Titius decies acceſsit ad domum mulieris, & quinquies peccavit, quinquies non peccavit, ſi iterum velit accedere, inquit, ſolùm eſt periculum probabile peccandi, non periculum proximum, quia adhuc manet æquè probabile non peccaturum. Si item ſexies, vel ſepties peccavit, & ter, quatèrvè non peccavit, adhuc, inquit, ſolum eſt periculum probabile, non proximum; quia adhuc manet probabile, licèt minus probabile, non peccaturum; ſolùm igitur erit periculum proximum quando ita fuerit evidens phiſycè, aut moraliter peccaturum, vt non remaneat probabilitas de non peccato, v. g. ſi decies acceſſerit, & novies peccaverit, ſemelque tantum vitaverit peccatum. Et conformiter ad hanc doctrinam docet, Titium non teneri ad vitandum periculum probabile peccandi cum illa muliere, ſed tantùm ad illud vitandum quando fuerit proximum. Terillus ſimiliter ait, vt ſuprà vidimus, periculum proximum tantum eſſe, quando malum imminens ità certum eſt, vt nullam relinquat ſpem probabilem de oppoſito, ideſt, nullam probabilitatem. Quam diſtinctionem falſam eſſe, maximeque periculoſam iam oſtendo.

57 Probando maiorem vltimi ſyllogiſmi. Nàm tunc eſt periculum proximum peccati, quando proximè imminet peccatum, abſque vlla ſecuritate de non peccato; ſed quando eſt periculum probabile de eo, quod opus ſit peccatum materiale, proxime imminet peccatum materiale in tali opere, abſque vlla ſecuritate de non peccato materiali: ergò periculum probabile peccati materialis coincidit in idem cum periculo proximo talis peccati. Minor quoad ſecundam partem patet: nàm quando æquè probabile, vel magis probabile eſt quòd tale opus eſt peccatum materiale; quam ſecuritatem habebo de eo, quod ſi tale opus eliciam non incurram peccatum materiale? Quoad primam partem etiam patet: nàm ibi inter illud periculum probabile, & peccatum imminens nihil mediat, quod poſsit præſtare ſecuritatem de non peccato materiali in elicientia illius operis; ſi enim illud opus ſit peccatum materiale, vt eſt æquè, vel magis probabile, in elicientia illius operis, immediatè illud peccatum materiale committam abſque nova libertate, aut probabilitate ad illud vitandum: ergò in elicientia illius operis eſt periculum immediatiſsimum, & formaliſsimum peccati materialis.

58 Confirmatur primo; quia iuxtà Terillum, ſi quis dubitet inter duas opiniones probabiles, an opus ſit, vel non ſit prohibitum, &, non depoſito dubio, tale opus aggrediatur, exponitur periculo proximo peccandi materialiter, aliàs non peccaret formaliter; ſed in illo caſu non eſt pluſquàm probabile peccatum materiale in illo opere: ergò ſufficit probabilitas peccati materialis in opere, vt in eius elicientia ſit periculum proximum peccati.

Explicatur: ideò primum eſt verum in illo dubio, quia ibi conſideratur homo cum proxima indifferẽtia, & æquali contingentia, vt illud opus ſit peccatum; quàm vt non ſit peccatum; ſed quànvis intellectus pro affectu, & imperio voluntatis, abſque maiori ratione pro vno, quàm pro alio, velit iudicare ibi nullum eſſe peccatum, hoc iudicium, vtpotè affectatum, vtpotè periculoſiſsimum, nullam omnino ſecuritatem præſtat, & conſequentèr manet æqualis proxima indifferentia, contingentia, & imminentia peccati, ac antè tale iudicium: ergò etiàm ſi intercedat tale iudicium illud periculũ eſt proximũ, & non purè remotum. Nec recurres ad reflexiones, nàm actu facimus reflexionum ſuprà illud iudicium de honeſtate operis, invenimuſque, ac planè convincimus eſſe periculoſiſsimum.

59 Secundò, quia ſi quis alium provocans, vel ab alio provocatus procederet ad duelum, cum contrario æquè viribus, armis, & induſtria polenti, abs dubio exponeret ſe periculo proximo mortis, vel percuſionis ab adverſario inferendæ & hoc, quànvis pro ſuo nutu vellet iudicare ſe alium occiſurũ, abſque maiori ratione pro vno, quàm pro alio; & tamen illud periculum ſolum eſſet probabile de morte, vel percuſione ſubeunda à contrario: ergò periculum probabile eſt periculum proximum.

Ter-

60 Tertiò. Nàm si quis sumeret potum, de quo æquè probabile esset allaturum mortem, potius quam salutem, absdubio exponeret se periculo proximo, & non solum remoto mortis, & hoc, quanvis pro imperio voluntatis vellet iudicare allaturum salutem, & non mortem; & tamèn mors solum esset probabiliter imminens: ergò periculum de malo probabilitèr imminenti est periculum proximum.

61 Quartò. Nàm periculum probabile peccati formalis est periculum proximum peccati formalis; sed magis proximum est respectu peccati materialis periculum probabile peccati materialis: ergò potiori titulo periculum probabile peccati materialis est periculum proximum eiusdem peccati. Minor patet, quià intèr periculum probabile peccati formalis, & ipsum peccatum formale, cuius est periculum, mediat nova libertas. Si enim Titius ingrediendo domum mulieris exponat se periculo probabili peccati formalis, adhuc post talem ingressum habet novam indifferentiam, & novam libertatem ad peccandum, vel non peccandum formalitèr; & item mediat tempus, mediant verba vsque ad peccatum formale imminens. Attamen qui eligit opus probabilitèr periculosum de peccato materiali, iàm nihil mediat vsque ad peccatum materiale, si forsàn sit, non tempus, non nova libertas, non verba, non aliud: nàm post electionem operis immediate sequitur opus ipsum absque nova libertate, in quo quidem est forsàn, & irremediabilitèr peccatum materiale: ergò periculum probabile peccati materialis multo proximius est in electione talis operis, quam periculum probabile peccati formalis in ingressu ad mulierem.

62 Maior vero efficacitèr probatur, quià certissimum est nos non teneri advitanda pericula remota peccandi, alias in sæculo, imò nec in religione vivere possemus; nàm vbique circunscribimur mille periculis remotis peccandi, nec ab his liberari possumus, dùm sumus in hac vita: solum ergò tenemur vitare periculũ proximum peccandi; sed etiam est certissimum, nos teneri ad vitandum periculum probabile peccati formalis: ergò certissimum debet esse, quod periculum probabile peccandi formalitèr est periculum proximum peccandi formalitèr. Minor patet. Tùm, quià, prætèr Caramuelem loco citato, nullus Theologus, quem viderim, vnquã dixit esse licitum exponere se periculo probabili peccandi, licet hoc etiã videatur insinuare Teril. loco suprà citato. Verumtamèn ceteri omnes, quòt quòt quæstionem exagitant, id esse licitum negant, vt videre est apud Dianam Coord. tom. 8. tract. 6. resol. 10. & M. Ferre tract. de probab. n. 528. Tùm etiam, nàm licentiare homines, vt similibus periculis exponantur, & conscientias illorum in simili expositione assecurare de non peccato, est re ipsa ab illis Dei timorem procul pellere, illos audaces ad Dei legem violandam reddere, & viam sternere morum corruptioni, àc perversitati, vt cuique meditanti patebit. Si enim Iuvenis, qui experientia doctus de eo quod in accessu ad domũ mulieris totiès, vel pluries expertus est se peccasse, quam non peccasse, licentiatur, vt sinè scrupulo conscientiæ in similibus circunstantijs prædictæ mulieris domum accedere valeat. Vbi in illo timor Dei, eiusque offensæ formido, &c. Sanè, si periculũ probabile peccandi intèr pericula remota numeratur, nescio quodnam erit periculum cavendum ex obligatione.

63 Confirmatur denique: nàm quando est certum physicè, vel moralitèr peccatum futurum, ità vt nulla spes probabilis, aut nulla probabilitas maneat de non peccando, non tàm dici potest periculum, quam certitudo peccandi, vel securitas de peccato: ergò tunc propriè non est periculum proximum, nec proxima imminentia, sed potius proxima certitudo, & securitas peccandi: ergò periculum proximum quod propriè est periculum, distinctum à securitate, solum potest esse, quãdo peccatum imminens solum est probabile, non quando est certum physicè, aut moraliter; sed tunc est verè periculum probabile: ergò periculum probabile est proximum, & verum periculum proximum est periculum probabile.

64 Sed obijcit Terillus: non est periculum proximũ peccandi, quando manet spes probabilis de nõ peccato; sed quandiù manet æquè, vel minus probabile peccatũ non futurum, manet spes probabilis de non peccato: ergò non est periculum proximum. Respondeo primo distinguendo maiorem. si maneat imminentia æquè, vel magis probabilis peccati futuri, nego: si talis imminentia non maneat, transeat maior. Et distincta minori eodem modo; nego consequentiam. Vel secundo distinguo maiorem: spes probabilis per modum fortunæ, & sortis, nego: spes probabilis, prudentèr assecurans, & certificans operantẽ de vitando peccato, concedo maiorem. Et distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Quià in illo casu, in primis, si maneret spes probabilis de non peccato,

maneret imminentia æquè, vel magis probabilis peccati, què deberet extorquere æqualem, vel maiorem timorem peccandi, quam spem non peccandi. Bivium autem, vel anceps periculū, in quo malum immi nens incutit æqualem, vel maiorem timorē pecandi, quam sit spes non pecandi, periculum proximum est peccandi, quod vinci nequit, nisi excluso timore debito peccandi, sivè violandi divinam legem, & consequentèr, nisi excluso voluntariè timore Dei; hoc autem formalissime est actu peccare.

Deinde dico, quod illa spes, manens in illo periculo, esset fortuita, & casualis de nō peccato, sicut ille, qui in ludo intèr sortes æquales dicitur sperare bonā præ mala. Nàm sicut ille scit vnam èduabus futuram, & non habet maiorem rationem vt eveniat vna, quā alia, ità in casu opinionū, sivè in prædicto periculo, qui illi se exponit voluntariè, scit certò vnum èduobus futurum, vel peccatum, vel non peccatum, & non habet maiorem rationem, vt illud opus non sit peccatum: imò, maiorem rationem habet vt sit peccatum, si hoc sit magis probabile: ergò tantū potest habere spem fortuitam, seu per fortunam, & sortem de non peccato; hæc autem non tollit, quod illud periculum sit proximum, sicut in ludo fortuito periculum malæ sortis.

§. II.

Prosequitur assumpti probatio, suadendo ex lege charitatis quemque obligari ad vitandum periculum probabile seu proximum peccati materialis.

65 SVPPOSITO Quod periculum probabile peccati materialis est verè periculum proximū, restat iàm probanda minor suprà posita n. 56. nimirū quod ex lege charitatis teneamur vitare periculum sivè probabile, sivè proximum peccati materialis. Hoc autem sic suadetur: nàm peccatum materiale in præsenti nihil alliud est, quam opus re ipsa divina lege prohibitū, quod, si ponatur, revera est trasngresio legis Dei ex parte operis; sed ex lege charitatis quisque tenetur cavere periculum proximum eliciendi tale opus: ergò paritèr tenetur vitare periculum proximum peccati materialis. Minor probatur; nàm ex lege charitatis tenetur quisque non se exponere voluntariè tali periculo: ergò & cavere tale periculū. Antecedens probatur, quià ex lege charitatis tenetur quisque velle efficacitèr, quātum in ipso est, servare veram Dei legem: sed non vult efficacitèr servare veram Dei legem, quantum in se est, qui voluntariè se exponit periculo eliciendi opus re ipsa divina lege prohibitum: ergò ex lege charitatis tenetur quisque non se exponere voluntariè tali periculo. Minor per se patet, & amplius infrà cōstabit. Maior vero probatur: nàm lex charitatis de se obligat vt velimus serio, & efficacitèr Deo servire in veritate, & eius mandata veracitèr implere; sed hoc est formalissimè serio, & efficacitèr velle servare veram Dei legem: ergò ad hoc velle nos obligat lex charitatis. Qualitèr autem hanc legem implet, & non potius illam contemnit, qui voluntariè se exponit periculo proximo operandi re ipsa contra veram legem Dei?

66 Terillus respondet q. 28. n. 29. quod lex charitatis est lex prudens, ideoque non obligat, nisi ad implenda, præcepta certò obligantia: àt quando pars minus tuta est probabilitèr licita, nulla est lex certò prohibens eius electionem: ergò charitas non obligat ad eam non eligendam. Verba sunt ipsius.

67 Sed contra primo: nàm si lex charitatis non obligat, nisi ad præcepta certò obligantia: ergò per illam nobis licet, permittiturque omittere quod non est certò præceptum, & facere quod non est certò prohibitum: ergò sententia illa Caram. qua *noncertū* assignat pro tuta regula conscientiæ, quę vel ipsis Probabilistis improbabilis est, verum tenebit. Rursus, præceptum sub dubio propositū per conscientiam dubiam non certo obligat iuxta Teril. sed iuxta ipsum nō tenemur ex lege charitatis implere preceptum non certò obligans: ergo per legē charitatis non tenemur facere quod per conscientiam dubiam dubiè nobis proponitur vt præceptum, nec omittere, quod dubiè proponitur vt prohibitum, quod est contra omnes Theologos.

68 Dices cùm Teril. in casu conscientię dubię, licet non detur præceptū directū certò obligans, datur tamèn præceptū reflexum de non operando cùm conscientia dubia, & ideo legē charitatis tunc obligare, non ad observandū præceptum directè dubium, sed ad observandum præceptum reflexum certum. Sed contra, quià præceptum reflexum certū de non operando cū cōscientia dubia, est ipsa lex charitatis prohibens agere cùm periculo proximo peccandi, & violandi legem Dei, & non alia. Nunc vlterius inquiro; àn illa lex reflexa prohibens operari cùm conscientia dubia, prohibeat operari contra præceptū dubiū,

àn

àn præcisè prohibeat operari contra ſe ipſam. Si primum: ergò iàm lex charitatis prohibet operari contra præceptum dubium: ergò obligat ad ſervandum, & non violandum præceptum dubium: ergò falſum eſt quod lex charitatis, quià prudens eſt, non obligat, niſi ad implenda præcepta certò obligantia. Secundum autem dici nõ poteſt, quià lex ſolum, & vnicè prohibens agere contra ſe ipſam, ridicula eſt, vel potius nulla, quià nihil revera precipit.

69 Quod vt clarè percipias, ſuppone aliquem ſuperiorem tibi præcipere hac formulâ: *Præcipio tibi vt non contravenias huic præcepto.* Sanè ſtatim interrogares: & quid mihi præcipis hoc præcepto, vt illi contravenire non audeam? Si autem iterum reſponderet: *Solum præcipio quod huic ipſi præcepto obedias, & minimè contravenias.* Sanè ſi aliud tibi non præciperet, nihil omnino præciperet, ſed ſolum luderet verbis: ergò illa lex reflexa charitatis de non operando cùm conſcientia dubia, non prohibet præcisè agere contra ipſam legem, aut præceptum reflexum certum, aliàs vnicè prohiberet agere contra ſe ipſam; ſed potius præcipit non agere contra præceptum dubium, obligatque ad illud implendum.

70 Contra ſecundo, quià lex prudens debet cavere periculum proximum peccandi: ergò quià prudens eſt non poteſt permittere, aut licitum facere operari contra legem dubiam, vbi periculum proximum eſt peccandi materialitèr: ergò potius, quià prudens eſt, debet præcipere quod caveamus tale periculum, nunquam operando contra legem poſitivè dubiam. Mirum igitur videri debet, quod Terillus velit nobis obſtrudere, quod lex charitatis, quià prudens eſt, non vetat nobis periculum agendi contra legem dubiam, aut poſitivè probabilem; cùm potius oppoſitum omnis prudentia dictet. Hoc ſanè aliud non eſt, quam dicere, quod lex charitatis, quià prudens eſt, indulget nobis agere temerariè.

71 Contra tertiò, quià, quando conſcientia dubitat intèr duas opiniones de licito, & illicito proptèr æqualem probabilitatem earum, durante dubiò, lex reflexa charitatis iuxta Terillum obligat ad tale opus, de quo deſsident opiniones, non faciendum; & tamèn, durante dubio, pars minus tuta eſt verè probabilitèr licita, propterea enim dubitat, quià videt illam æquè probabilitèr eſſe licitam, & illicitam: ergò falſum eſt vniverſalitèr quod quando pars minus tuta eſt probabilitèr licita, ſi ſimul ſit æquè probabilitèr illicita, nulla eſt lex certò prohibens eius electionem.

72 Secundo reſpondet Terillus num. 30. legem charitatis non obligare ad obſervantiam mandatorum, de quibus prudentèr iudicamus non fuiſſe lata à Deo. At quando probabile eſt opus eſſe licitum, prudentèr iudicamus nullam legem latam fuiſſe à Deo contra tale opus. Sed contra eſt primo, quià quando æquè, vel magis probabile eſt talem legem adeſſe, prudentèr, vel prudentius iudicare poſſumus talem legem adeſſe, ſed quando prudentèr, vel prudentius iudicare poſſumus legem adeſſe prohibentem actum, lege charitatis prohibemur talem actum omittere, talemque legem violare: ergò. Secundo: nàm Terillus ſepiſſimè ſupponit probandum; fatemur enim quod ſiquis prudentèr iudicaret opus aliquod non eſſe prohibitum, quod poſſet ſinè culpa illud elicere, hoc enim etiam in noſtra ſententia verum eſt; ſed difficultas eſt, quomodo, quando eſt æquè, vel magis probabile quod opus eſt prohibitum, quam quod eſt licitum, ſit prudentia pro libito voluntatis eligere opinionem æquè probabilem pro licito, & ſecundum illam iudicare, cùm potius videatur maxima temeritas, vt mille capitibus probatum relinquimus.

§. III.

Suadetur ex lege charitatis quemque obligari ad non iudicandum practicè de moribus ſecundum opinionem minus aut æquè probabilem pro libertate.

73 CONFIRMATVR Primo: Ex lege charitatis quiſque obligatur vt velit ſerio, & efficacitèr iudicare de moribus ſecundum veram Dei legem; ſed qui eligit iudicare de moribus ſecundum opinionem, æquè, aut minus probabilem pro libertate, relicta oppoſita probabiliori pro lege, convincitur manifeſtè non velle ſerio, & efficacitèr iudicare de moribus ſecundum veram Dei legem: ergò qui eligit iudicare prædicto modo, convincitur in tali electione, & modo iudicandi violare ipſo facto legem charitatis. Maior patet: nàm quiſque ex legè charitatis obligatur, vt vellit ſerio, & efficacitèr operari ſecundum veram Dei legem; ſed nequit operari ſecundum veram Dei legem, niſi iudicando de moribus ſecundum veram Dei legem, vt per ſe patet: nàm ſi in

iudicando aberrat à vera Dei lege, in opere à tali iudicio regulato ſimiliter aberrabit: ergò quiſque ex lege charitatis obligatur, vt velit ſerio, & efficacitèr iudicare ſecundùm veram Dei legem. Deinde probatur min. nàm qui eligit iudicare de moribus ſecundùm opinionem minus probabilem, eligit iudicare de moribus cum periculo proximo aberrandi in tali iudicio à vera Dei lege; ſed qui eligit iudicare de moribus cum periculo proximo aberrandi in tali iudicio à vera Dei lege, convincitur manifeſtè ſe non velle ſerio, & efficacitèr iudicare de moribus ſecundùm veram Dei legem: ergò qui eligit iudicare ſecundùm opinionem minus probabilẽ, convincitur manifeſtè non velle iudicare ſecundùm veram Dei legem.

74 Confirmatur ſecundò: electio voluntatis incompatibilis cum amore Dei ſuper omnia, illumque excludens, violat formalitèr legem, & eſt peccatum mortale, ſed electio, qua voluntas eligit iudicare practicè in materia gravi (de qua ſemper loquor reſpectivè ad peccatum mortale) ſecundùm opinionem minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege, eſt incompatibilis cum amore Dei ſuper omnia, illumque excludit: ergò violat formalitèr legem charitatis, & eſt peccatum mortale. Maior eſt evidens. Minor probatur. Nàm electio voluntatis, quæ excludit voluntatem ſeriam, & efficacem iudicandi practicè pro poſſe ſuo de moribus ſecundùm veram Dei legem, excludit amorem Dei ſuper omnia: nàm amor Dei ſuper omnia eſſentialitèr affert ſecum voluntatem ſeriam, & efficacem inquirendi veram Dei legem, & non iudicandi practicè de moribus contra illam, ſed vnicè ſecundùm illam; ſed electio voluntatis, qua eligit iudicare practicè (nã de iudicio practico loquar ſemper) de moribus ſecundum opinionẽ minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege, excludit voluntatẽ ſeriam, & efficacem iudicandi pro poſſe de moribus ſecũdùm veram Dei legẽ, & non contra illam: ergò excludit amorem Dei ſuper omnia. Min. hæc patet: nàm quomodo quis vult ſerio, & efficacitèr iudicare de moribus ſecundùm veram Dei legem, & non contrà illam, quando eligit iudicare ſecundùm opinionem de qua eſt magis probabile, quod diſcordat à vera Dei lege, quam quod eſt iuxtà illam?

75 Confirmatur tertio, & charitatis gratia ſupponam⁹ te eligere ad praxim opinionem, quã appellas benignam: ideſt, iudicare ſemper de moribus ſecundũ opinionem minus, aut æquè tantum probabilem pro licito, relicta probabiliori pro lege. Quo ſuppoſito, ſic probo te non amare Deũ ſuper omnia. Qui ſerio non vult pro poſſe ſuo humano ſervare legem Dei ſuper omnia, & eius voluntatem præceptivam implere non amat Deum ſuper omnia, vt enim in Chateciſmo à pueritia docemur, ille vnicè Deum diligit ſuper omnia, qui pro poſſe ſuo eius mandata ſervat: & hæc eſt doctrina ipſius Salvatoris dicentis, Ioann. 14. *Qui diligit me ſermonem meum ſervabit.* Et eiuſdẽ Ioann. in Epiſt. 1. c. 2. *In hoc ſcimus quoniàm cognovimus Deum, ſi mandata eius obſervemus, qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt*; ſed tu ſerio non vis pro poſſe tuo humano ſervare veram Dei legem ſuper omnia: ergò. Minorem probo primo, quià te exponis voluntariè periculo proximo illam violandi ex parte operis, & exercendi opus, quod ſit contra veram legem Dei,

76 Secundo, quià non vis pro poſſe tuo humano iudicare de moribus ſecundum veram Dei legem, nec renuis iudicare contra illam; ſed qui non renuit pro poſſe ſuo humano iudicare de moribus contra legẽ Dei veram, non vult pro poſſe ſuo humano ſervare in opere verã eius legem: ergò tu non vis pro poſſe tuo humano obſervare veram Dei legẽ. Probo maiorem: tũ facile potes, & humanam poſsibilitatem habes non iudicandi de moribus cùm periculo proximo aberrandi à vera Dei lege; & tamèn non renuis, imò eligis iudicare de moribus cùm tali periculo proximo: ergò non renuis pro tuo poſſe humano iudicare contra veram Dei legem.

77 Vrgetur primo: dum es intèr prædictas opiniones, facillimè poteris, ſi velis, in illa æqualitate probabilitatis pro lege, & cõtra legem vitare periculum illud proximũ iudicãdi contra legẽ; nàm nullus eſt labor, nulla violentia in ſuſpendendo iudiciũ in re gravi circa legẽ, attentis motivis probabilibus vtrimque militantibus, adeò anceps: imo, ſi velis determinate iudicare legem nõ adeſſe, intellectui fit quodãmodo violentia, potiſsimè ſi ſit ei magis probabile legẽ adeſſe; nàm tunc etiã, iuxta ipſum Terillũ q. 9. n. 29. eſt multo difficilius iudicare pro parte negativa minus probabili: facillime igitur tunc caſus potes, ſi velis, non iudicare cùm tanto periculo errandi, legẽ non adeſſe, aut obiectum eſſe licitum. Sed qui facile poteſt vitare, ſi velit, periculum erandi circa veram Dei legem, & iudicandi contra illam de moribus, ſi tali periculo ſe exponit, convincitur evidentèr quod non renuit pro ſuo poſſe humano iudica-

dicare de moribus contra veram Dei legem: ergò convinceris evidenter, quod efficaciter pro tuo posse humano non renuis iudicare de moribus contra veram Dei legem.

78 Vrgetur secundo: qui non timet serio, & efficacitèr violare in opere veram Dei legem, non timet Deum super omnia, & consequentèr nec illum super omnia amat; sed tu non times super omnia violare, & transgredi in opere veram Dei legẽ: ergò non times Deum super omnia, nec illum super omnia amas. Probo minorem: tu benè scis, quod si iudices de moribus contra veram Dei legem, & opereris conformitèr ad tale iudicium legi Dei contrarium, re ipsa operaris contra legem Dei, ipsamque in opere violas; sed tu non times iudicare de moribus contra veram Dei legem, & agere secundum proprium iudicium: ergò non times super omnia violare, & transgredi in opere veram Dei legem. Probo minorem: tu es in bivio opinionum, in quo certissimum est vnam ex illis esse contra verã Dei legem, & non habes maiorem rationem, vt illa sit quæ legem affirmat, quàm quæ legem negat: imò, probabilius est tibi errare contra legem, quæ legem negat; & tamèn eligis iudicare secundum istam, illa contempta: ergò non times super omnia iudicare contra veram Dei legem, siquidem intrepidè eligis iudicare iudicio, de quo scis probabilius fore legi contrarium, quam legi conforme.

79 Vrgetur tertio: proptèr quid, à te rogo, eligis potius iudicare pro parte minus probabili in favorem tuæ libertatis, relicta probabiliori pro lege, potius quam tenere iudicium suspensum, vt facile posses, vel iudicare secundum partem probabiliorẽ? Sanè id non eligis proptèr Deum ipsum, aut ex amore eius. Nàm qualitèr ex amore Dei iudicabis cùm tanto periculo ab errandi ab eius lege, & contra illam iudicandi: ergò eligis sic iudicare proptèr aliquod bonum temporale, vel proptèr tuam libertatem, vel proptèr aliquod commodum, aut delectationem temporalem: non enim voluntas potest habere aliud motivum eligendi pro regula iudicandi opinionẽ minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege. Tunc sic argumentor: ergò vt securè potiaris illo bono temporali, eligis iudicare cùm periculo proximo errandi contra legẽ: ergò potius times amittere bonum temporale, quam iudicare errando contra veram Dei legem: & minus times veram Dei legem tuo iudicio negare, quam bonum temporale deserere. Tunc vlterius procedo: benè scis, quod errando in iudicio tuo contra veram Dei legem, illamque falso negando, violas in opere iudicato veram Dei legem, eiusque prohibitioni contradicis: si ergò minus times iudicare errando contra veram Dei legem, quàm amittere bonum temporale; ergò minus times violare in opere veram Dei legem, quam amittere bonum temporale: magis igitur amas bonum temporale, quam servare in opere, seu operari re ipsa iuxta veram Dei legem: ergò magis amas bonum temporale, quam in veritate Deo servire, & obedire: ergò magis quam Deum ipsum. Sanè tantam mihi vim facit hoc argumentum, vt nunquam credam vllum ex contrarijs advertentèr, & deliberate eligere, seu iudicare de moribus secundum opinionem sibi minus probabilem pro libertate.

80 Nàm ad huiusmodi electionem honestandam nullus est titulus, vel apparens quidem. In primis enim dicere non possunt, voluntatem eligere iudicare secundum illam opinionem, quià, licet ante affectum, & assensum sit minus, aut æquè tantum probabilis, tamen post assensum, & affectum illi præstitum, appareat sibi magis probabilis. Nàm hæc nostra ratio procedit de illa electione voluntatis, qua primo eligit assentiri opinioni minus, aut æquè tantum probabili pro libertate; sed ante illam electionem non præcedit nec affectus deliberatus voluntatis, nec assensus intellectus, vi cuius ipsa opinio appareat magis probabilis eligenti, cùm ipsa prima electio opinionis sit affectus deliberatus voluntatis, quo imperat assensum tali opinioni præstandum ab intellectu: ergò. Vrgetur: tota illa maior probabilitas apparet consequentèr ad electionem voluntatis, & ad iudicium intellectus secundum opinionem electam; sed circunstantia apparens consequentèr ad talem electionem, & iudicium non potest excusare illam, nec illam honestare: ergò.

81 Nec item excusari poteris per reflexam, qua dicas ex principijs reflexis constare certo, & evidentèr esse cuique licitum iudicare de moribus secundum opinionem probabilem, nàm sic iudicare est iudicare prudentèr. Nàm vel talem reflexam intelligis de opinione in solidum, aut magis probabili, vel de opinione minus, sivè æquè tantum probabili. Si primum, talis reflexa non est ad rem; nam illa solum probat prudentiam in iudicando secundum opinionem magis; vel in solidum probabilem, non autem in electione opinionis minus aut æquè tantum probabilis.

Si secundū, illā esse falsam actualitèr probamus, qualis enim prudentia est iudicare de moribus secundū opinionē magis falso similem, quam verosimilem: magis probabilitèr falsam, quam probabiliter veram: vbi maius periculum est iudicandi contra veram Dei legem, quam sit spes iudicandi secundum illam? Hoc sanè est evidentèr licitum, prudens, & honestum? Aut reflexa, quæ hoc asserit, supponenda est veluti principium innegabile?

82 Nec denique excusari potest talis modus iudicandi propter aliquam insuperabilem difficultatem iudicandi semper secundum opinionem probabiliorem Tùm, quià, vbi illa adest, facillimum est intellectui iudicare secundum illam, & multo facilius, vtpote connaturalius, quam assentiri minus probabili. Quando tamèn intèr opiniones oppositas non discernitur quænam sit magis probabilis, non obligamus tunc ad iudicandum magis probabilem, sed ad suspendendum iudicium, & manendum in dubio, vsque dum veritas aliqualitèr appareat in vna ex partibus contradictionis, præ aliā: prohibemusque in illo bivio probabilitatis intrepidè iudicare quodlibet, quasi per sortem, & fortunam veritatem quærendo in re adeò gravi, quales sunt quæstiones de moribus, præsertim vbi agitur de peccato, vel non peccato mortali. Hoc autem quis non videat facillimum esse: imò connaturalissimum intellectui. Nàm intellectus ex natura sua relictus intèr æquales oppositas rationes semper dubitat, tenetque suspensum assensum. Nec voluntati est difficile, si velit, in eo casu non eligere opinionem, imò facilius, quam illam eligere: nàm ad illam eligendam necessum est determinare intellectum cùm aliquali eius resistentia, ad illam autem non eligendam, sufficit intellectum non determinare, sed illum sibi relinquere. Et dato casu quod esset necessarius actus positivus voluntatis, quo vellet intellectui prohibere assensum illum adeò periculosum. Quid facilius voluntati, quam velle? Quomodo in hoc præcepto de non iudicando de moribus secundum minus, aut æquè tantum probabile, tam magnus fingitur labor, vt audeant contrarij improperare nobis, quod facimus iugum diuinæ legis importabile, & onus eius grauissimum; quod imponimus humeris hominum onera gravia, quæ vel digito mouere nolumus; quod, veluti Ianseniſtæ, obligamus ad impossibilia, inducimus homines in desperationem. Et his vocibus deterrent simplices, àc timidos, nè vel prologum nostrorum tractatuum legant.

83 Dices forsàn, te magnam invenire difficultatem. Nàm ex vna parte, inquies, volo celebrare hunc contractum, de quo sunt opiniones æquè probabiles, àn sit vsurarius, vel non: volo tacere circunstantias aggravantes in confessione, &c. ex alia parte id facere non possum licite, nisi prius iudicando secundum opinionem æque tantum, aut minus probabilem contractum illum esse licitum, me non teneri ad aperiendas circunstantias. Qualitèr autem non erit mihi difficile tenere suspensum iudicium, & manere in dubio? quandoquidem hoc pacto, durante dubio, obligor ad confitendas circunstantias aggravantes, ad non celebrandum contractum, ex quo non leve lucrum sperabam.

84 Sed contra, quià vel vis absolutè celebrare contractum, vel tantum sub cōditione, quod re ipsa non sit prohibitus. Si primum, iàm peccasti, & nihil tibi proderit, nec excusabit tè à culpa, quod in posterum velis iudicare prolibito contractum esse licitum. Quod iàm peccaveris, patet, quià antequam iudicares determinatè àn ille contractus esset licitus, vel prohibitus, voluisti iàm absolutè, & determinatè illum celebrare, sive esset re ipsa prohibitus, sivè non, quià pro illo priori neutrum sciebas, nec iudicabas. Si secundum: ergò ille affectus conditionatus non te inclinat, vt potius iudices illum contractum esse re ipsa licitum, quam prohibitum: ergò non reddit tibi difficilem suspensionem iudicij. Prima consequentia patet, quià affectus conditionatus sub aliqua conditione, si est purè conditionatus, non propendet magis in purificationem conditionis, quam in carentiam eius; nàm si vult etiam purificationē conditionis convincitur esse affectum absolutum: ergò affectus ille, quo vis celebrare contractum, si est purè conditionatus, sub conditione quod revera non sit prohibitus, non te inclinat, nec vrget ad iudicandū quod revera non sit prohibitus ille contractus, sed solum te cogit vt inquiras rei veritatem pro posse tuo humano, & quod, si facta diligentia non invenias maiorē rationem, sed minorē, vel solum æqualem vt sit licitus contractus, quam vt sit vsurarius, & prohibitus lege divina, illum celebrare non audeas.

85 Contra secundo, quià, propterea tibi difficile apparet suspendere iudicium, & non iudicare secundum opinionē minus, aut æquè probabilem pro honestare contractus, quià nimium affectus es ad lucrū. & quęstum, quod ex tali contractu speras.

Et

& cur, rogo, antequam ſcires, vel prudenter iudicares quæſtum illum licitum eſſe, illum concupiſti affectu tàm nimio? Ergò, ſi proinde tibi difficile eſt non iudicare pro libertate cùm periculo errandi contra legem Dei, tibi imputes, qui, quod de ſe facillimum erat, attenta natura intellectus, & voluntatis, tua cupiditate feciſti difficile. Nihil concupiſcas antequam illud tibi divina lege conceſſum iudices, & facile tibi erit ante concupiſcentiam, vel iudicare ſecundum probabilius, vel ſuſpendere iudicium, vbi adeſt periculum proximum iudicandi contra legem Dei veram. Si autem ante iudicium de licito quodlibet concupiſcas obiectum, vel quià vtile, vel quià cõmodum, vel quià delectabile; fateor inde tibi erit difficile vitare in iudicio de moribus periculum aberrandi à vera Dei lege. Sed quid mirum? ſi multo magis tibi difficile erit animo ſincero illam inquirere; timebis enim ne fortaſſe illam invenias tibi prohibentem, quod iàm concupiſcis: gaudebiſque ſi illam non inveneris, quià liberè iàm frui potes bono concupito: triſtaveris autem, ſi inveneris bonum concupitum eſſe tibi lege divina prohibitum. Facile credes, lætanterque aſſenſum præſtabis dicenti illud obiectum eſſe permiſſum, magnique facies authoritatem ſic opinantis: difficile credes, & non ſinè animi triſtitia, dicenti illud obiectum lege Dei prohiberi: & quantumvis ille vir probiſsimus, ac ſapientiſsimus ſit, forſan minus apud te valebit, quàm alter. Quod ſi vel nullum inveneris, qui quæſtum concupitum à peccato excuſet, ibi maior erit difficultas. Nàm ſi legem Dei ſervare vis, opus eſt quod vim maximam tibi facias, quod bellum agas contra cupiditatem incautè admiſſam, quàm, ſi radices miſerit, haud facile vinces. Ceterum, tota hæc difficultas omninò extrinſeca, & per accidens eſt legi Dei, ſepiſsimèque culpabilis homini. Vnde ſicut propter illam lex Dei dici nequit, iugum importabile, ità nec noſtra ſententia, quæ vnice iubet vitare periculum proximum, aut probabile iudicandi de moribus contra veram Dei legem.

86 Sed ad propoſitum redeundo, quarto ſic vrgeo: magis, & per prius tenemur ad non iudicandum practicè de moribus, contra veram Dei legem, quàm ad non operandum in moribus contra veram Dei legem; ſed ſi immediate poſt dubium de lege eligeres operari contra legem dubiam, peccares contra obligationem non operandi contra legem veram, propter periculum illam violandi: ergò pari ratione peccas contra obligationem non iudicandi adverſus legem Dei, ſi immediate poſt dubium eligas iudicare contra legem immediate ante dubiam. Sed, quandò eligis iudicare ſecundum opinionem æquè probabilem pro libertatè, immediatè ante talem electionem intellectus ſupponitur dubius, ſivè in diſpoſitione dubitantis propter æqualitatem motivorum pro lege, & contra legem: ergò ſi tunc eligas negare legem, peccas contra prædictam obligationem propter periculum errandi contra illam in iudicio de moribus. Cetera patent, & prima maior probatur primo; nàm quanto aliqua potentia eſt nobilior, tanto magis tenemur pro poſſe eam gubernare ad normam divinæ legis, & procurare, quod ei non contrarietur; ſed nobilior potentia eſt intellectus ceteris potentijs operativis in homine: ergò magis debemus procurarè, ne ipſe erret in iudicando de moribus contrà legem Dei, quàm ceteras potentias, ne operentur contra legem Dei.

87 Secundò: nàm per prius tenemur curare ne erret contra legem Dei potentia, quæ ceterarum eſt ductrix, & regimen, quàm quod ceteræ potentiæ non errent, aut operentur contra legem Dei; ſed intellectus in iudicando de moribus eſt potentia ceterarum ductrix, & rectrix: ergò per prius tenemur curare ne illa erret contra legem Dei, quàm de ceteris. Maior patet: nàm in diſcurſu ſpeculativo prius tenemur curare de vitando errore in cognitione principij, quàm de vitando errore in concluſionibus illatis. Quare? Quià error in principijs eſt cauſa plurium errorum in concluſionibus, & ex veritate in principijs pendet veritas in toto diſcurſu ſubſequenti. Sed ſi potentia ductrix, & rectrix ceterarum errat contra legem Dei, ceteræ pariter errabunt, & ex veritate intellectus in iudicando de lege Dei pendet rectitudo ceterarum in operando conformitèr ad legem Dei: ergò per prius debemus curare, ne intellectus erret circa legem Dei, quàm de ceteris potentijs, ne operentur contra illam.

88 Tunc ſic, ſed ſi voluntas, immediate poſt dubium de lege, vel non lege prohibente pingere in die feſto applicaret potentiam executivam ad actu pingere in die feſto, fatetur Terillus, & omnes Theologi quod peccaret, quià exponebat potentiam operaturam periculo operandi contra legem Dei: ergò, ſi immediate poſt dubiũ, abſque vlla nova ratione magis pro vna parte, quã pro alia, ſed cũm æqualibus

rationibus, & motivis pro lege, quam pro non lege, applicet voluntas intellectum ad iudicandum esse licitum, & non prohibitum pingere in die festo, eodem ipsissimo titulo peccat exponendo potentiam primariam & nobiliorem æquali, vel ipsissimo periculo iudicandi contra veram Dei legem. Consequentia patet, quia sicut antequam voluntas applicaret potentiam executivam ad pingendum, non habebat conscientiam, nisi dubiam de lege, vel non lege, ita antequam voluntas applicet intellectum suo imperio ad iudicandum, solum habet conscientiam dubiam de lege, vel non lege; quia tunc immediatè ante imperiū voluntatis supponitur intellectus hærens inter motiva vtrinque æqualia. Et sicut in primo casu est periculum proximum pingendi contra legem, ità in secundo iudicandi contra illam: nec video vllam quidem, vel apparentem disparitatem, nisi quod periculum errandi in intellectu est maioris damni, vtpote primus, & in potentia ductrice, in potentia vero executiva est minoris damni.

§. IV.

Recursus ad ignorantiam invincibilem præcluditur.

89 DICVNT Primo contrarij: periculum intellectus, in iudicando secundum opinionem minus probabilem, solum esse periculum erroris invincibilis, seu materialis, non autē erroris culpabilis, seu formalis; quia dato casu quod erret, errat ex ignorantia invincibili legis: supponimus enim factam esse exactam diligentiam pro veritate invenienda, & solum haberi probabilitatem pro lege, & pro non lege, & consequenter nos invincibiliter ignorare an sit lex, vel non. Error autem ex ignorantia invincibili materialis est, inculpabilis est, &c. Hoc effugio maximè fidunt contrarij, imò ex illo, vt in plurimum suam sententiam stabilire conantur, ex illo nimirum principio, quod ignorantia invincibilis excusat à culpa.

90 Sed contra est, quia superficialissisima æquivocatione laborant hic contrarij, confundentes errorem cùm ignorantia, cùm tamen toto zelo distent, positque ignorantia esse inculpabilis, & error esse peccatum. Audiant Div. Thom. quæst. 3. de malo art. 7. in corp. hanc doctrinam Angelica luce explicantem his verbis: *Error autem est approbare falsa pro veris, vnde addit actum quendam super ignorantiam; potest enim esse ignorantia, sine hoc quod aliquis de ignotis, sententiam ferat; & tunc est ignorans, & non errans. Sed quando iàm falsam sententiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare. Et quià peccatum in actu consistit, error manifestè habet rationem peccati, non enim est absque præsumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maxime in quibus periculum existit.*

91 Ex qua doctrina sic primo argumentor: licet ignorantia de veritate huius, vel illius opipionis æquè probabilis sit invincibilis, & in illa nullum sit peccatum, tamèn error, qui committitur iudicando secundum vnam opinionem præ alia, est culpabilis, & peccatum, eo quià ignorans invincibiliter quænam ex illis opinionibus sit vera, nihilominus sententiam, & iudicium fert pro vna præ alia, iudicando illam esse veram: ergò ineptissime inferunt contrarij ex ignorantia invincibili de veritate opinionum, errorem commissum in iudicio pro vna esse inculpabilem, & licitum: imò, prudentem dicere solent. Antecens est expressum D. Thom. & amplius ex illo confirmatur. Nàm error, qui non committitur, sinè præsumptione, culpabalis est, & peccatum iuxta Div. Thom. sed error, qui committitur iudicando pro opinione æquè aut minus probabili, non incurritur sinè præsumptione: ergò est culpabilis, & peccatum. Minor probatur ex eodem Div. Thom. & tua propria confessione. Nàm iuxta Div. Thom. non est sinè præsumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat; sed tu ipse fateris, & inde te excusas, quod inter illas opiniones æquè probabiles, ignoras invincibiliter quænam sit vera, & quænam falla: ergò non est sinè præsumptione, si iudicas determinatè pro vna, & pro illa sententiam ferre audes.

92 Secundo sic argumentor: nàm ideò in illo casu ignorantia est invincibilis, quià feciſti totam diligentiam pro illa vitanda, & non potuisti; sed si iudices secundum opinionem minus, aut æquè probabilem, non facis diligentiam pro errore vitando, sed cùm facilime posses, suspendendo iudicium, illum errorem non vitas: ergò etsi ignorantia sit inculpabilis, error tamèn est culpabilis, & voluntarius. Tertio: nàm qui voluntarie se exponit periculo probabili errandi, & errat, culpabiliter errat; sed tute exponis periculo probabili, vel probabilioti errandi: ergò si erres, culpabiliter erras.

Ref-

93 Respondet primo Terillus quæst. 28. num. 4. maiorem esse vniversaliter falsam, quià aliàs Thomistæ, & Scotistæ contraria opinantes, peccarent, quià se exponunt periculo errandi in re gravissima, v. g. in puncto Immaculatæ Conceptionis.

Sed contrà, quià certissimum est, quod si Thomista, vel Scotista, vel quilibet alius Theologus voluntariè se exponat periculo probabili errandi in re gravissima, peccabit. An autem Thomista, vel Scotista exponat se voluntariè periculo proximo, seu probabili errandi, est alia quæstio, in qua certè, tùm Thomistæ, tùm Scotistæ omnes negabunt. Et quidem interrogo à Terillo, an ipse dùm opinatur contra alios Theologos in hac quæstione voluntariè se exponat periculo probabili errandi? Sanè negabit, & si hoc nos ei imputaremus, ad iniuriam maximam duceret, & contumeliam sibi illatam putaret. Cùr igitur tam facile supponit de Thomistis, & Scotistis, illos voluntariè se exponere periculo probabili errandi in re gravissima.

94 Secundo respondet M. Ferre num. 200. distinguendo illam maiorem. Si erret, culpabiliter errat, *si error sit imputabilis ei, qui operatur*, concedit; *si ei non sit imputabilis*, negat. En manifestam petitionem principij. Sanè argumentum nostrum probat illum imputabiliter errare, quià se exponit periculo probabili errandi; distinguere autem dicendo, quod errat imputabiliter, si error est ei imputabilis; non, si non: est planè respondere idem per idem, conditionali quadam identica, seu potius ludere vocibus. Vndè non video quid ad illam maiorem respondere valeant, aut qua ratione illam negare possint. Sed, licet contrarijs nulla sit ratio illam negandi, nobis tamen non deficit ratio illam suadendi.

95 Primò: nàm qui voluntariè se exponit probabili periculo errandi, si erret, cuinam poterit imputare suum errorem? Nunquid alteri, quam sibi, qui sponte, & sine vlla necessitate se exponit errandi periculo? Hoc per se quidem notum est in omni periculo. Nàm qui voluntariè se conijceret in periculum probabile mortis, si mortem incurreret, nunquid alteri, quam sibi mortem imputare posset? Et qui se volũtariè conijcit in periculũ probabile incidẽdi in latrones, cuinã imputaret, si in latrones incidisset? Et idem de periculo probabili, & voluntario cuiuscumque mali: ergò evidens est ipso lumine naturæ, quod omnis, qui voluntariè se exponit periculo probabili errandi, si erret, culpabiliter errat, & sibi debet imputare quod errat.

96 Secundò: nàm qui errat ex ignorantia crassa, culpabiliter errat; sed hoc non alia ratione, nisi quià per negligentiam exponit se voluntariè periculo errandi: ergò omnis, qui tali periculo voluntariè se exponit, si erret, culpabiliter errat. Dices: errantem ex ignorantia crassa, non ideò culpabiliter errare, quià se conijcit in tale periculum, sed quià prævidens errorem imminentem, iudicat. Sed cõtrà, quià idem est formalissimè se conijcere voluntariè in periculum errandi, ac prævidendo errorem imminentem, iudicare: ergò culpabiliter errat, qui hoc secundo modo iudicat: ergò etiam qui voluntariè se exponit periculo errandi. Rursus, nàm magis prævidet errorem imminentem suo iudicio, qui iudicat secundùm opinionem minus probabilem contra magis probabilem, quam qui errat ex ignorantia crassa: ergò si hic secundus, quià prævidet errorem imminentem culpabiliter errat, si errat; potiori titulo erit culpabiliter errabit.

97 Respondet M. Ferre n. 200. errantem ex ignorantia crassa, non ideò peccare, quià prævidet errorem evẽturum, sed quià vult saltim virtualiter errare. Eligentem autem opinionem minus, aut æquè probabilem non velle adhuc virtualiter errare. Sed contra: ideò ille virtualiter, & interpretativè censetur velle errare, quià prævidens errorem imminentem illi iudicio, nihilominus iudicat; quià voluntariè iudicat cum periculo errandi; quià non renuit pro posse suo errare; sed qui eligit opinionem minus probabilem, & secundùm illam iudicat, potiori titulo prævidet errorem imminentem, non renuit pro posse suo errare, cum id facilitèr vitare posset, iudicatque cum periculo probabili errandi: ergò potiori titulo censetur interpretativè, & virtualiter velle errare.

98 Tertiò: nàm error iuxta D. Thom. manifestè habet rationem peccati; sed qui voluntariè se exponit periculo probabili peccandi, si peccat, culpabiliter peccat: ergò qui voluntariè se exponit probabili periculo errandi, si errat, culpabiliter errat.

99 Dices: cum Terillo supra citato: solùm peccare, qui se exponit periculo peccandi formaliter, non qui se exponit periculo peccandi materialiter; errorem autem contingentem in sequelã opinionis æquè, aut minus probabilis, solum

lùm ésse peccatum purè materiale, non formale. Sed contra: nàm error contingens ex præsumptione non est peccatum purè materiale; sed vt probatum manet ex D. Thom. error in iudicando secundùm opinionem æquè, aut minus probabilem, non est sine præsumptione: ergò non est peccatum materiale. Secundò, quià peccatum materiale voluntariè commissum non est purè materiale, sed iam fit formale: tunc enim peccatum materiale est purè materiale, quando excusatur à culpa propter involuntarietatem; quando autem voluntarium est, nec excusatur à culpa, nec est purè materiale: nihilque clarius in D. Th. totaque eius schola, quam errorem solùm excusare à culpa ob defectum voluntarij. Sed qui se exponit periculo peccandi materialitèr, si materialitèr erret, peccatum materiale est ei voluntarium, siquidem voluntariè se exponit periculo probabili illum committendi: ergò. Tertio, licet homicidium de se, præscindendo à voluntarietate, solùm sit peccatum materiale, tamen, si quis se exponat periculo probabili alium occidendi, v. g. si iaciat sagittam in signum, de quo probabile sibi est, quod sit homo, & re ipsa sit homo, tunc casus iam homicidium non est peccatum purè materiale, sed formale, quià iam est voluntarium, & ideò præcisè est voluntarium, quià voluntariè se exposuit periculo probabili occidendi hominem. Sed qui voluntariè se exponit periculo probabili errandi, voluntariè, per se, se exponit periculo probabili committendi peccatum materiale erroris: ergò iam facit illud peccatum, voluntarium sibi, & formale.

100 Dices, in casu homicidij illud esse voluntarium, & culpabile, quià quisque ex lege charitatis ergà proximum tenetur vitare homicidium. Sed contrà, quià paritèr ego respondere possem: tenetur vitare homicidium formale, concedo; purè materiale, nego. Dices, quod eo ipso quod se exponeret voluntariè periculo probabili occidēdi hominem, iam homicidium non esset involuntarium, & purè materiale, sed voluntarium, & formale. Rectè. Ergò hæc vniversalis est vera: *Quisquis voluntariè se exponit periculo probabili peccati materialis*, seu quod idem est, *committendi actum reverà prohibitum, & malum, si illum committat, illum facit sibi voluntarium, & peccatum formale.*

101 Contra secundò, quià etiam vnusquisque ex lege charitatis erga se ipsum tenetur se ipsum non seducere, nec fallere, præsertim in iudicio de moribus: ergò si voluntariè se exponet periculo probabili se ipsum seducendi in iudicio de moribus, peccat formalitèr contra legem charitatis ergà se ipsum; sed errare in iudicio de moribus, est seduci, & falli: ergò qui se exponit voluntariè periculo probabili errandi in iudicio de moribus, peccat contra legem charitatis ergà se ipsum. Relege verba Eusebij, q. 27. num. 14.

§. V.

Amplius confirmatur obligatio vitandi periculum probabile peccati materialis.

102 TERTIO, quià etiam peccat contra legem charitatis ergà Deum. Nàm qui voluntariè se exponit periculo probabili displicendi Deo, peccat contra legem charitatis ergà Deum; sed qui se exponit voluntariè periculo probabili peccādi materialitèr se exponit periculo probabili displicendi Deo: ergò peccat contra legem charitatis. Minorē probo: nàm peccatum materiale, & obiectivū ex parte operis displicet Deo, est enim actus reverà prohibitus lege divina, & voluntati divinæ contrarius; implicat autem Deo non displicere actum à se reverà prohibitum, & suæ voluntati re ipsa contrarium; sed qui se exponit volùtariè periculo probabili eliciendi actum re ipsa displicentem Deo, exponit se voluntariè periculo probabili displicendi Deo: ergò.

103 Quartò, quià per se, & iuxta veritatem, qui voluntariè se exponit periculo probabili peccandi formalitèr, ipso facto violat legem charitatis; sed prius tenetur quis ex lege charitatis vitare periculum peccati materialis, quàm periculum peccati formalis: ergò per priùs peccat, qui voluntariè se exponit periculo peccati materialis, quàm qui se exponit periculo peccati formalis. Minor probatur: nàm per prius quis tenetur ex lege charitatis vitare peccatum materiale, & obiectivum ex parte operis, quam vitare peccatum formale ex parte actus: ergò per prius tenetur vitare periculum illius, quam huius. Antecedens probatur: prius prohibet Deus illud, quàm istud; sed per prius tenemur vitare, quod per prius prohibet Deus, quià illud est, quod per prius Deo displicet; ergò per prius tenemur vitare peccatum materiale ex parte operis, quàm peccatum formale ex parte actus. Probo maiorem: per prius prohibet Deus obiectum peccati formalis, quā

ipsum

ipſum peccatum formale; ſed peccatum materiale iuxta contrarios, & iuxta omnes eſt obiectum peccati formalis prohibitum: ergò per prius prohibet illud, quàm iſtud. Probo maiorem: ideò prohibet Deus peccatum formale ex parte actus, quià voluntariè tendit in obiectum prohibitum: ergò cùm prohibet peccatum formale, ſupponit iàm prohibitum obiectum eius, quod eſt peccatum materiale.

Confirmatur: idem formaliſsime eſt Deum prohibere tibi ne pecces formaliter, àc prohibere tibi ne tendas voluntariè in obiectum prohibitum, quià in hoc formaliſsimè conſiſtit peccare formaliter; ſed implicat Deum prohibere tibi ne tendas voluntariè in obiectum prohibitum, quin per prius ſupponat obiectum prohibitum: ergò per prius prohibet Deus obiectum peccati formalis, quod eſt peccatum obiectivum, ſeu materiale, quàm ipſum peccatum formale.

104 Confirmatur ſecundò: peccatum formale ideò eſt malum, quià tendit in obiectum malum; accipit enim iuxta omnes ſuam malitiam ab obiecto: ergò ideò diſplicet Deo, quià tendit in obiectum diſplicens Deo: ergò per prius obiectum diſplicuit Deo, quàm tendentia voluntaria in illud: ergò peccatum obiectivum, ſeu materiale per prius diſplicet Deo, quàm peccatum formale; ſed per prius tenemur vitare quod per prius diſplicet Deo: ergò idem quod prius.

Confirmatur tertiò: ideò tenemur lege charitatis vitare peccatum formale, quià à Deo prohibitum, & quià diſplicens Deo; ſed peccatum obiectivum, & materiale per prius eſt prohibitum à Deo, & diſplicens Deo: ergò lege charitatis per prius tenemur illud vitare.

105 Vnde nunquam ſatis miror, quàm parvi faciant aliqui peccatum materiale, & obiectivum, cùm plane, qui non timet peccatum materiale, & obiectivum incurrere, convincatur manifeſtè non timere peccatum formale. Primò, quià peccatum formale nihil aliud eſt quàm tendentia voluntaria in peccatum materiale, ſivè in opus, & obiectum prohibitum, quanvis prohibitum; ſed ſi non times peccatum materiale, ſivè obiectum, aut opus prohibitum, quanvis prohibitum, convinceris non timere tendentiam voluntariam in illud: ergò convinceris non timere peccatum formale. Minor patet: nàm propterea timetur tendentia voluntaria in aliquod obiectum, quià timetur illud obiectum; propterea enim timemus velle potum venenoſum, quià timemus venenum: ergò qui non timet opus re ipſa prohibitum, cùr timebit velle, aut voluntariè tendere in opus prohibitum? Secundò: ſi quanvis peccatum materiale ſit opus à Deo prohibitum, divinæque legi, & voluntati adverſum, non times illud incurrere, quandoquidem voluntariè eligis opus cùm periculo proximo, & probabili, quod ſit prohibitum, & peccatum materiale; cùr, vel vnde mihi ſuadebis, te timere tendentiam voluntariam in illud opus? Sanè non illam times, quià prohibitam, aliàs pari, vel potiori titulo timeres exercere opus re ipſa prohibitum. Cùr igitur illam times? non capio.

§. VI.

Singularis, & miranda evaſio Terillæ reijcitur.

106 CONATVS Fuit P. Terillus vim vrgentiſsimam præcedentis rationis evacuare, &, vt illi obviam iret, quæſt. 20. num. 12. hoc ſtatuit corollarium: *Spectat ad divinam providentiam, aliquando, ſaltim per accidens, complacere in electione obiecti directè, & per ſe prohibiti, ſeu in electione peccati materialis, licet obiectum illud operanti probabilitèr appareat prohibitum.* Aſſertio plane miranda, ex qua videtur inferri, contra noſtram doctrinam præcedentem, Deo minimè diſplicere tendentiam voluntariam in obiectum prohibitum, licet cùm periculo probabili quod re ipſa ſit prohibitum.

107 Sed quàm abſurda ſit, ex eiſdem principijs ſic demonſtro primò, quià electio obiecti directè, & per ſe prohibiti, quod operanti probabilitèr apparet prohibitum, eſt formaliſsimè peccatum formale; ſed in nullo caſu, etiam per accidens contingenti, ſpectat ad divinam providentiam complacere in peccato formali; & hoc ſupperat omne abſurdum: ergò in nullo caſu, etiam per accidens contingenti, ſpectat ad divinam providentiam complacere in electione obiecti directè, & per ſe prohibiti, quod probabilitèr operanti apparet prohibitum. Maior probatur, quià peccatum formale nihil aliud eſt, quàm tendentia voluntaria in obiectum prohibitum, quanvis prohibitum; ſed electio obiecti directè, & per ſe prohibiti, quod probabilitèr operanti apparet prohibitum, eſt tendentia voluntaria in obiectum prohibitum quanvis prohibitum: ergò eſt peccatum formale. Minor probatur: nàm ille, cui obiectum probabilitèr apparet prohibitum, videt probabile eſſe, & valde contin-

tingens, quod obiectum re ipsa sit prohibitum, & non obstante hac præsumptione, & apparientia, voluntatiè tendit in obiectum per electionem deliberatam; sed hoc est formalissimè tendere in obiectum, quànvis sit prohibitum, vt sibi probabile, & verisimile est: ergò eligere obiectum directè, & per se prohibitum, quod probabiliter operanti apparet prohibitum est tendere voluntariè in obiectum prohibitum, quànvis prohibitum sit.

108 Confirmatur. Iuxta contrarios idem est probabile, ac prudens: ergò idem est obiectum apparere probabiliter prohibitum, ac apparere prudenter prohibitum; sed electio obiecti directè, & per se prohibiti, quod prudenter operanti apparet prohibitum, est formalissimè peccatum formale, siquidem est tendentia voluntaria in obiectum directè, & per se prohibitum, quànvis prudenter sibi appareat prohibitum: ergò talis electio est formalissimè peccatum formale.

109 Explicatur: hæc enim est differentia inter bonum honestum, & licitum ex vna parte, & malum inhonestum, & prohibitum ex alia, quod vt actus contrahat bonitatem, & honestatem formalem ex bono, & honesto obiectivo, requiritur quod bonum, & honestum sit operanti directè voluntarium, & quià tale, sivè quod tendat in obiectum bonum, & honestum, quià bonum, & honestum, & non sufficit, imò foret vituperabile, si tenderet in obiectum, quànvis bonum, & quànvis honestum. Attamen, vt actus contrahat malitiam ex obiecto malo, & prohibito, seu inhonesto, minimè requiritur, imò ferè nunquàm contingit, quod obiectum vt malum, vt inhonestum, & vt prohibitum, sit directè voluntarium operanti, nec quod motivè, & causaliter in illud tendat, hoc est, *quià prohibitum*, *quià malum*, seu *quià inhonestum*, sed sufficit quod indirectè sit voluntarium operanti, & quod adversativè in illud tendat, hoc est, *quànvis prohibitum*, *quànvis inhonestum*, *quànvis malum*. Ex qua differentia alia oritur, nimirùm, quod vt actus aliquis contrahat honestatem formalem ex obiecto requiritur, quod operans priùs certificetur de honestate obiecti, & firma sententia iudicet obiectum esse honestum, quià aliter tendere nequit directè in obiectum, motivè, & causaliter attingendo eius honestatem, hoc est, *quià honestum*; quomodo enim quis tendere poterit in obiectum, quià honestum, nisi priùs certificetur, & iudicet obiectum esse honestum? Attamen vt actus contrahat malitiam, & inhonestatem ex obiecto minimè requiritur quod priùs certificetur, aut firma sententia iudicet obiectum esse prohibitum, aut inhonestum, sed sufficit, quod vel prudenter dubitet, aut suspicetur illud esse inhonestum, vel ipsum obiectum attentis rationibus, & motivis prudentibus æquè appareat inhonestum, & prohibitum, quam honestum, & bonum, eo enim ipso, si voluntas per electionem tendat in tale obiectum, tendit in illud, *quànvis sit inhonestum*, *& prohibitum*; tendit enim cum periculo cognito probabili, & prudẽti de eo quod obiectum sit prohibitum: & hoc sufficit vt inhonestas, & malitia obiecti sit ei voluntaria indirectè, & interpretativè, & vt actus contrahat malitiam ex obiecto, vt patet evidenter in eligente obiectum cum conscientia dubia de honestate, vel inhonestate obiecti, qui firma, & absoluta sententia non iudicat obiectum esse inhonestum; & tamen contrahit malitiam, & inhonestatem formalem ex obiecto.

110 Ex quo iam sic argumentor: electio obiecti directè, & per se prohibiti, quod probabiliter operanti apparet prohibitum, est tendentia voluntaria in obiectum, *quànvis reverà sit prohibitum*: Hoc sufficit, vt contrahat malitiam formalem ex obiecto: ergò est electio formaliter mala: qualiter ergò poterit Deus in illa complacere. Maior probatur: nàm est tendentia circa obiectum, de quo scit operans, quod attentis rationibus est probabiliter sibi inhonestum, & quod est periculum probabile, de eo, quod sit re ipsa prohibitum; sed tendentia voluntaria in obiectum, de quo operans scit probabiliter esse inhonestum, & prohibitum, & quod est periculum prudens, & probabile, de eo quod re ipsa sit prohibitum, est tendentia voluntaria in obiectum, *sivè sit re ipsa prohibitum*, *& inhonestum*, *sivè non*, & consequenter, quànvis forsàn sit prohibitum: ergo,

111 Nec valet si dicas, quod non obstante illa probabilitate de eo quod obiectum sit prohibitum, & illo periculo probabili, firma, & absoluta tendentia iudicat illud esse honestum, & ideò illud eligit, *quià honestum*, non *quànvis inhonestum*.

Contra enim est, quià implicat quod intellectus firma, & absoluta sententia iudicet obiectum esse honestum; dùm in contra quatitur prudenti probabilitatè, & probabili periculo de eo quod sit prohibitum, vt per se patet. Secundò, quià in præsenti loquimur de illa electione, qua eligit

git voluntas iudicare ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem, in qua æquè vel magis probabile eſt eſſe errorem, & falſitatem, quàm veritatem; ſed ante talem electionem nullum præcedit iudicium, nec firma ſententia intellectus de eo quod tale iudicium, ſeu illa opinio, quàm eligit, ſit obiectivè honeſta, & non ſit prohibita directè, & per ſe: ergò ſolutio non eſt ad præſens propoſitum. Probo minorem, quià evidens eſt, quod ſi illa opinio eſt falſa, & erronea, eſt obiectivè prohibita, & obiectivè inhoneſta: error enim iuxta D. Th. manifeſtè habet rationem peccati, & conſequentèr eſt malum intrinſecè prohibitum; ſed ante electionem talis opinionis, ad iudicandum ſecundum illam, non præcedit iudicium, nec firma ſententia, quod illa opinio non eſt falſa, nec erronea, ſed ſolum præcedit æqualis, vel maior probabilitas de eo quod erronea, & falſa ſit, & periculum probabile erroris in iudicando ſecundum illam: ergò non præcedit iudicium abſolutum, nec firma ſententia intellectus de eo quod illa opinio, aut iudicium, quo eligit iudicare ſecundum illam, prohibitum non ſit, ſed potius præcedit æqualis, vel maior probabilitas, de eo quod tale iudicium ſit obiectivè prohibitum, ſicut de eo quod ſit erroneum.

112 Vnde hic ſanè nullum eſt contrarijs effugium, ſi enim aſſenſus præſtandus illi opinioni minus, aut æquè probabili re ipſa eſt erroneus, & falſus, re ipſa Deo diſplicet, legeque æterna prohibitus eſt; tùm quià error manifeſtè habet rationem peccati. Tùm quià error eſt contra veritatem, quàm Deus ſummè amat, & præcipit. Tùm denique, quià error contrariatur directè intellectui divino actu oppoſitum iudicanti. Implicat autem quod Deo non diſpliceat, & ab eo non prohibeatur iudicium, quod directè contrariatur ſuo iudicio, quod contrariatur veritati, quàm Deus ſummè amat, quod manifeſtè habet rationem peccati, quo quis ſe ipſum fallit circa mores: ſi igitur illud iudicium, vel aſſenſus eſt erroneus, neceſſario eſt à Deo prohibitus, ac Deo diſplicens. Sed antequam eligat iudicare, vel aſſentiri opinioni æquè, aut minus probabili, non iudicat abſoluto iudicio, aut firma ſententia talem aſſenſum, aut opinionem non eſſe erroneam, ſed ſolum præcedit æqualis, aut maior probabilitas pro eo quod ſit erronea, & falſa: ergò, ſi deliberatè illam eligat, illam eligit *Sivè ſit erronea, ſivè vera; ſivè ſit intrinſecè prohibita, ſivè honeſta; ſivè ſit contraria veritati, quàm Deus ſummè amat, ſivè ille conformis; ſivè ſit contra iudicium divinum, ſivè iuxta illud; ſivè ſe ipſum illi aſſentiendo fallat ac decipiat in materia moris, ſivè non.* Nàm ante talem electionem neutrum horum ſcit, de neutroque habet abſolutum iudicium nec firmam ſententiam, nec maiorem probabilitatem pro illa, quàm pro contradicente, ſed potius maiorem, vel æqualem pro contradicente. Ergò illa electio opinionis, quæ reſpicit ipſam opinionem, vel aſſenſum illi præſtandum pro obiecto, eſt tendentia voluntaria in obiectum, quod æquè, vel magis probabiliter apparet eligenti, contrarium veritati, diſplicens Deo, à Deoque conſequentèr prohibitum, quin talem electionem præcedat iudicium abſolutum, aut firma ſententia de eo, quod talis aſſenſus non ſit prohibitus, ſeu quod ſit honeſtus, & licitus. Eſt igitur talis electio peccatum formale, vel veniale, vel mortale iuxta qualitatem materiæ, vel periculi. Dicere autem quod peccatum formale, in aliquo caſu ſaltim per accidens, placet Deo, quis patientèr audiat.

113 Secundò ſic impugno prædictam doctrinam. Implicat quòd obiectum, ſit à Deo prohibitū, quin revera diſpliceat Deo, quià ſi revera eſt à Deo prohibitum, reuera eſt ab eo nolitum, revera eſt eius voluntati adverſum, & dictamini æterno ſui intellectus contrarium: implicat autem manifeſtè, quod Deo, qui ſummè amat ſuam voluntatem, & dictamen æternum ſui intellectus, non diſpliceat opus illi adverſum, & contrarium, vt per ſe evidentiſsimum eſt. Tunc ſic, ſed implicat quod Deo placeat electio voluntaria obiecti Deo diſplicentis: ergò implicat quod Deus complaceat in electione obiecti, directè, & per ſe prohibiti. Probo minorem: implicat quod placeat Deo, quod eligamus voluntariè ipſi in opere diſplicere; ſed eligere voluntariè obiectum Deo diſplicens, eſt eligere voluntariè Deo in opere diſplicerè: ergò implicat quod placeat Deo electio voluntaria obiecti Deo diſplicentis. Minor probatur: obiectum Deo diſplicens, de quo loquimur, eſt aliquod opus prohibitum, ac per conſequens Deo diſplicens; ſed eligere voluntariè aliquod opus Deo diſplicens eſt formaliſsimè eligere voluntariè Deo in opere diſplicerè: ergò eligere voluntariè obiectum Deo diſplicens, eſt eligere voluntariè Deo in opere diſplicerè.

114 Confirmatur: implicant in Deo duæ voluntates contrariæ, & inter ſe pugnantes; ſed ſi Deus complaceret in electione obiecti directè, & per ſe prohibiti, darentur in Deo duæ voluntates contrariæ, & inter ſe pugnantes; ergò repugnat

quod

quod Deus complaceat in electione obiecti per ſe, & directè prohibiti. Minor probatur, quià in primis haberet Deus voluntatem, quà nollet tale obiectum poni à parte rei, & vi cuius diſpliceret in eius poſitione reali, & hæc eſſet voluntas prohibens tale obiectum. Deinde haberet voluntatem ſibi complacentem in eo quod tale obiectum poneremus; ſed iſtæ voluntates ſunt contrariæ, & inter ſe pugnantes: ergò Deus haberet voluntates contrarias, & inter ſe pugnantes. Maior quoad ſecundam partem patet; nàm haberet voluntatem, quà ſibi complaceret in eo quod tale obiectum eligeremus; ſed implicat Deum complacere in eo quod eligamus ponere aliquod obiectum, quin ei placeat quod tale obiectum ponamus: ergò haberet Deus voluntatem, quà ſibi placeret quod tale obiectum poneremus. Vrgetur: nàm evidentèr opponuntur iſtæ duæ voluntates: *Prohibeo tibi, nolo, ſeu diſplicet mihi hic contractus: & placet mihi quod eligas talem contractum exercere*: has voluntates Deus haberet, ſi contractus eſſet prohibitus re ipſa ex parte obiecti, & rurſus complaceret in electione illius: ergò.

115 Dices, non repugnare in Deo duas voluntates contrarias, vnam per ſe, & aliam per accidens: ſicut non repugnant in Cœlo duo motus contrarij, vnus per ſe, & alius per accidens. Sed contra, quià ideo in Cœlis inferioribus non repugnant motus contrarij, quià vnus motus eſt naturalis, & ab intrinſeco, alius violentus, & ab extrinſeco; vnde in primò mobili aiunt Philoſophi repugnare contrarietatem motuum, quià non movetur ab alio: & in vniverſum omnes Philoſophi ſentiunt, quod in primo motore repugnat contrarietas motuum, quià repugnat in illo motus per accidens, eo quod motus per accidens ſemper eſt ab extrinſeco, & repugnat primo motori ab extrinſeco moveri; ſed Deus per ſuam voluntatem eſt primus motor: ergò implicat in eius voluntate omnis contrarietas, pariterque quod vnum velit per ſe, & contrarium per accidens, quià implicat Deum aliquid velle per accidens, ſicuti & illud velle ab extrinſeco. Vide ſupradicta quæſt. 6. à num. 42.

§. VII.

Alia ſtupenda, & mirabilis evaſio Terilli reijcitur.

116 VIDIT Hanc difficultatem Terillus, & conatus eſt illam enervare quæſt. 28. vbi iterum num. 12. diſtinguit in Deo legem directam, & reflexam. Sed cùm videret huiuſmodi leges inter ſe contrarias fore ſæpiſsimè, vt probat noſtrum argumentum, vt hoc inconveniens vitaret, vlterius addit num. 13. homines in ſuis legibus condendis vti notionibus vniverſalibus in communi aliquid prohibentes, quibus plura ſuis legibus comprehendere ſolent, quæ comprehendi nollent. At Deus, inquit, nullas in ſuis legibus confuſiones, aut præciſsiones admittit (vocat hic Author confuſionem, & præciſsionem, quam nos vniverſalitatem in præcipiendo appellamus,) Ponamus, inquit, Petrum ex errore invincibili exiſtimare ſe poſſe, aut etiam debere dimidiare confeſsionem ſuorum peccatorum: in hoc caſu Petrus dimidians confeſsionem nulli legi æternæ contrariatur, nec vllam vel materialitèr quidem tranſgreditur. Nulla enim datur lex æterna, quæ vniverſim dicat: *Nulli vnquam liceat confeſsionem dimidiare*, quià Deus habet aliam legem æternam dicentem: *Petro hic, & nunc liceat confeſsionem dimidiare*. Hæ autem leges ſunt contradictoriæ: ergò cùm certum ſit ſecundam exiſterè, certum eſt primam non dari.

117 Lex igitur æterna vetans hominibus dimidiare ſuam confeſsionem, non eſt vniverſalitèr vetans omnibus dimidiare ſuam confeſsionem, ſed reſtringitur ad hunc ſenſum: *Nolo quemquam ſuam confeſsionem dimidiare, cui hanc meam voluntatem ſufficienter ſignificavero*. Quæ voluntas æterna ſolum dicit: *Nolo illum, & illum, & reliquos, quibus hoc ipſum ſufficienter intimatum eſt, ſuas confeſsiones dimidiare*: ergò hæc lex æterna non afficit Petrum, nec in eum tendit, cui hæc Dei voluntas nunquam fuit intimata, vt ſuppono. Et tunc apponit ad marginem. *Qui bona fide ſequitur opinionem minus probabilem, etſi falſam, nullam violat legem æternam, nec materialitèr quidem*. Et poſtea proſequitur: Itàque lex æterna vetans dimidiare confeſsionem, non fertur niſi in has determinatas perſonas, & non in illas; vnde non fertur ad Petrum, nec illum obligat: ergò Petrus nullam legem æternam, nec materialitèr quidem violat. Ità ad litteram Terillus. Quam doctrinam repetit quæſt. 31. n. 5. vbi expreſsè tuetur pro concluſione, quod vſus opinionis minus probabilis, minuſque tutæ eſt ab omni materiali violatione legis remotiſsimus.

118 Sed hæc ſingulariſsima doctrina ſpecioſa quidem videtur, ſed re ipſa chimerica eſt. Vnde ſic contra illam argumentor primò, quià ſequitur manifeſtè conſ-

conſcientiam invincibiliter erroneam eſſe erroneam, & non erroneam, ſed rectam. Nàm in primis eſt erronea, vt ſupponitur, & item quià ipſa lex Dei, quàm adſtruis, ſupponit illam eſſe erroneam, dùm diſpenſat in obiecto prohibito ſub conditione quod per conſcientiam erroneam iudicetur non prohibitum. Deinde non eſſet erronea, ſed recta, quod ſic probo: nàm conſcientia vera non eſt erronea, ſed recta, vt omnibus notum eſt; ſed eſſet vera: ergò non erronea, ſed recta. Probo minorem, quià verum eſſet quod ipſa dictat: ergò ipſa vera eſſet. Probo antecedens: ipſa dictat: *Hic, & nunc mihi licitum eſt dimidiare confeſsionem*; hoc re ipſa ità eſt, quià per te Deus habet legem æternam dicentem: *Petro hic, & nunc liceat ſuam confeſsionem dimidiare*: ergò verum eſt re ipſa quod conſcientia erronea dictat: ergò non eſt erronea.

119 Nec dicas: conſcientiam reflexam, & vltimam eſſe rectam, directam vero, & non vltimam eſſe erroneam. Contra enim eſt, quià ipſa directa, quam dicis eſſe erroneam, etiam eſt recta. Quid enim dicit? Sanè hoc: *Dimidiare confeſsionem mihi non eſt prohibitum*; ſed hoc ita eſt re ipſa, quià per te in caſu huius conſcientiæ erroneæ lex directa prohibens dimidiare confeſsionem non comprehendit Petrum, nec illum reſpicit, imò inquis, quod Petrus dimidians ſuam confeſsionem nulli legi æternæ contrariatur, nec vllam vel materialiter tranſgreditur: ergò nec conſcientia directa, nec reflexa, quæ dictat Petro eſſe ſibi licitum, & non prohibitum dimidiare confeſsionem, eſt erronea, ſed veriſsima.

120 Ex quo rurſus infertur talem legem Dei eſſe chimericam, nàm diſpenſat in lege directa pro caſu conſcientiæ erroneæ dictantis obiectum ipſi Petro non eſſe prohibitum; ſed quandò conſcientia Petri erronea dictat obiectum ſibi non eſſe prohibitum, revera eſt illi prohibitum, aliàs conſcientia non erraret: ergò illa lex diſpenſat, vel excipit Petrum à prohibitione talis obiecti, pro caſu quo illi tale obiectum prohibitum ſit re ipſa. Quid autem magis chimericum quàm Deum ſic prohibere: *Prohibeo dimidiare confeſsionem, & hac lege non comprehendo Petrum, nec alios quoſcumque, quibus re ipſa prohibitum fuerit hac lege dimidiare confeſsionem?*

121 Tertiò: nàm ſequitur idem dicendum de actibus intrinſecè malis, eſi forsàn invincibiliter per errorem, vt poſsibile iudicant contrarij, cenſeantur liciti, & non prohibiti, v.g. mendacium. Tunc in hoc caſu per accidens contingenti dicendum erit iuxta Terillum ſpectare ad divinam providentiam complacere in electione mendacij illius, & vlterius illud re ipſa non eſſe vlla lege prohibitum Petro, vel alteri habenti ignorantiam invincibilem, aut opinionem probabilem in aliquo gradu probabilitatis de non prohibitione; Petrumque in illo caſu mentientem nullam Dei legem tranſgredi, aut ei contrariari, nec materialiter quidem. Hoc autem quis patienter audiat?

122 Quartò; quià vlterius ſequitur Patres & Paſtores poſſe filios, & ſubditos pro ſuo arbitratu excipere ab vniverſalitate divinæ legis, & facere quod Deus illos æterna ſua lege non comprehenderit. Hoc patet: nàm ſi Patres Filijs, & Paſtores ſubditis legem Dei non docuerint, eo ipſo ſubditi, & filij talem legem ignorabunt; ſed iuxta Terillum in caſu ignorantiæ non comprehenduntur lege ignorata, nec Deus ſuam legem ad illos dirigit: ergò in poteſtate Patrum eſt, & Paſtorum facere quod Deus æterna ſua lege non comprehenderit filios, & ſubditos, nec erga illos illam direxerit.

123 Rurſus, in poteſtate Theologorum erit omnes homines extra legem, aut exleges facere re ipſa. Nàm ſi Eccleſia permittat, abſdubio poſſunt contra pleraſque leges conſtituere probabilitatem, ſaltim in aliquo gradu probabilitatis; ſed iuxta Terillum, quandiu manet certa probabilitas contra legem in vllo gradu probabilitatis, tandiu irrefragabiliter manet quod lex non eſt ſufficienter intimata: ergò in poteſtate Theologorum eſt, niſi Eccleſia coerceat, quod pleræque leges ſufficienter intimatæ hominibus non ſint; ſed eo ipſo quod hominibus ſufficienter intimatæ non ſint, homines Deus per illas leges non comprehendit: ergò in poteſtate Theologorum erit, niſi Eccleſia coerceat, quod pleræque leges homines non comprehendant.

124 Inquit Terillus, quod datur alia lex æterna Paſtores, & Patres obligans, vt filijs, & ſubditis leges intiment. Sed contra, quid ſi illi noluerint huic legi obedire? Secundò: nàm quàm legem præcipit Deus Patribus, quod intiment Filijs? Illam ne, quæ Patres præciſsè, & non Filios comprehendit? Vel illam quæ etiam Filios comprehendit? Primum dici non poteſt, nàm Deus obligare non poteſt Patrem, vt Filijs intimet leges, quæ filios non comprehendunt, aliàs obligaret, vt filijs cælibatis intimarent leges matrimoniales reddendi debitum vxori, quod ridiculum eſt. Si autem ſolum obligat Patres,

tres, vt intiment filijs leges, quæ filios comprehendunt: ergò supponit Deus leges filios comprehendere antequam eis intimentur, & propterea obligat Patres ad illas leges filijs intimandas, quià tales illos comprehendunt: ergò quanvis Patres nolint filijs intimarè illas leges, nihilominus illæ leges in se, & ex parte Dei consideratæ filios comprehendunt contra Terillum. Vel, si illos non comprehendunt, iniustè obligat Deus Patres, Superiores, & Doctores, vt tales leges intimarè curent.

125 Quintò, quià apertissimam contradictionem involvit, quod *Aliquis bona fide sequatur opinionem minus probabilem, licet falsam, & quod nullam legem violet, nec materialitèr quidem*: ergò Terillus vnico dicto contradictoria docet. Antecedens probatur primò, quià si sequitur opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, voluntariè pro posse elongatur à veritate, & ab illa fugit, dùm relicta opinione, quæ veritati proximior, & vero similior est, voluntariè eligit credere. & assentiri opinioni, quæ falso similior, & falsitati proximior est. Fides autem, quà ità credit, est nè bona fides? Vel potius pessima? Ergò manifestam includit contradictionem ità credere, & credere bona fide, vt supponit Terillus. Rursus, quià iuxta D. Bernard. citatum supra quæst. 6. num. *Fides falsa, fides non est*: ergò multo minus fides falsa erit bona fides, potissimè cùm quis credit cùm periculo voluntario, & probabili se ipsum decipiendi. Sed qui credit opinioni minus probabili, licet falsæ, credit fide falsa, & cùm periculo probabiliori, & voluntario falsitatis, & deceptionis propriæ: implicat igitur manifestam contradictionem talem esse bonam fidem. Tertiò, quià si sequitur opinionem falsam dicentem opus esse licitum, & non prohibitum: ergò falsum est opus non esse prohibitum, & esse licitum, aliàs falsa non erit opinio, quæ hoc dicit: ergò re ipsa obiectum est prohibitum, & non licitum; sed implicat appertissimam contradictionem quod quis eligat obiectum, vel opus re ipsa prohibitum, & non licitum, & quod nullam legem, nec materialitèr quidem transgrediatur: ergò Terillus bis implicat contradictionē in vnico dicto simul.

126 Sextò, quià iuxta ipsum Terillum penè in toto tractatu, qui sequitur opinionem minus probabilem exponitur periculo probabili peccati materialis, & si opinio illa falsa sit, re ipsa peccat materialitèr; sed peccatum materiale est violatio materialis legis æternæ: ergò rursus implicat contradictionem Terillus, dùm primum concedens, ait vsum opinionis minus probabilis, & minus tutæ esse remotissimum ab omni materiali violatione legis æternæ. Inquit prædicta quæst. 31. num. 11. ad marginem, & in corp. *Quod certum est peccatum mere materiale non opponi vlli legi æternæ, si propriè loquamur*. Sed vnde, obsecro, hoc est certum? Sanè nisi hic Author cùm Caramuele, arte arte nova reflexionum velit ex incerto certum, ex probabili evidens, imò & ex falso verum facerè, non capio vnde illud certum sit, cùm potius verum sit, & commune apud Theologos oppositum. Tùm quià iuxta August. peccatum vniversalitèr definitur: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: ergò omne peccatum importat contrarietatem, & oppositionem ad legem æternam: peccatum quidem formale, contrarietatem formalem, & voluntariam: peccatum vero pure materiale contrarietatem materialem, & in voluntariam. Tùm quià peccatum materiale est opus revera prohibitum apud omnes, si enim non sit revera prohibitum, omninò irrationabilitèr appellatur peccatum materiale; sed opus revera prohibitum, revera est oppositum legi prohibenti, illamque re ipsa transgreditur, si ponatur in re: ergò peccatum materiale opponitur legi æternæ eamque materialitèr violat, & trāsgreditur.

127 Nec motivum Terilli ad assertum prędictum est vllius momenti. Movetur enim, quià si peccatum materiale contrariaretur legi æternæ prohibenti opus illud sub æterna pœna, qui peccaret materialitèr, efficeretur reus pœnæ æternæ. Hęc autem consequentia est falsissima, proceditque ex defectu distinctionis inter peccatum, & culpam, quàm expressè tradit D. Th. 1. 2. quæst. 21. art. 2 in corp. his verbis: *Dicendum, quod sicut malum ad plus se extendit quàm peccatum, ità peccatum ad plus se extendit quàm culpa: ex hoc enim dicitur actus culpabilis, vel laudabilis quod imputatur agenti. Nihil enim est aliud laudari, vel culpari, quàm imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus. Tunc autem actus imputatur agenti, quandò habet dominium sui actus, hoc autem est in omnibus actibus voluntarijs, &c.* Igitur peccatum materiale, quandò non est voluntarium, non est liberum, non est imputabile, non est culpa operantis, licet sit peccatum in opere ipso, & ità quanvis sit violatio, transgressio, & oppositio realis, & materialis cùm lege æterna, totum hoc nō est operanti voluntarium, nec imputabile, nec culpa, quià est præter eius scientiam, & intentionem, & ideò non fit reus pœnæ æternæ, nec demeretur pœnam

nam æternam, nec aliam, quià demeritum ſupponit, & fundatur non in qualibet violatione legis, ſed in violatione legis voluntaria, culpabili, & imputabili, qualis eſt dùm quis periculo probabili illam violandi ſe exponit.

128 Septimò; quià prædicta lex diſpenſativa, aut exceptiva in legibus directis, aut prædicta doctrina Terilli penitùs evertit legem charitatis. Nàm per talem modum condendi legem ex parte Dei cunctis hominibus conceditur licentia faciendi quidquid ſibi pro libito ſuæ voluntatis in aliquo gradu probabilitatis perſuaſerint eſſe licitum, nullo habito reſpectu ad Dei legem veram. Nàm eis conceditur vti quacumque opinione, etſi minus probabiliter, & falſo dicenti eſſe opus licitum: hoc autem planè eſt homines licentiare, vt ſuis probabilitatibus fidant, ſuiſque opinionibus, licet minus probabilibus, licet falſis, & legi Dei adverſis; in hoc enim conſiſtit falſitas opinionum moralium, nimirùm quod diſcordent, & contrarientur veræ Dei legi: ergò illis conceditur, quòd probabilitatem pro lege habeant, & veram Dei legem contemnant; ergò lex Dei reflexa, quæ hoc concedit, concedit hominibus vt ſuis probabilitatibus obtemperent, non Deo; ſuis obediant opinionibus, licèt falſis, licèt minus probabilibus, quidquid ſit de vera Dei lege: ergò deſtruit totaliter legem charitatis, quæ præcipit hominibus, vt Deum ament pluſquam ſe ipſos, vt ipſi ſerviant in veritate, & non in probabilitate tantùm, nec in falſitate; vt adorent Deum in ſpiritu veritatis, & non in ſpiritu probabilitatis de falſitate ſuſpectæ. Plura dicerem, ſi calamum non ſtringerem; nec calamum coercerem, niſi viderem cuique fore pervia mille, quæ per ſe pullulant, abſurda ex præcedenti doctrina, quam magis expugnandam ad ſequentem articulum mittimus.

ART. III.

An cum licentia ſequendi quamlibet opinionem probabilem de licito cohæreat divinam legem eſſe primam, & vniverſalem regulam moralitatis?

129 NOTA Igitur, certiſſimum eſſe, àc principium theologicum innegabile, divinam legem eſſe primam, & vniverſalem regulam totius moralitatis, non minus quam Deum eſſe primam cauſam totius entis, primum motorem, ſupremum Dominum, &c. Eſtque hoc principium expreſſum in Divo Thoma pluribus in locis; ſed præcipuè 1. 2. quæſt. 19. art. 4. per totum. Et quæſt. 21. art. 1. in corp. vbi hæc habet: *In his verò, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima eſt ratio humana, regula autem ſuprema eſt lex æterna: quandocumque ergò actus hominis procedit in finem ſecundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus eſt rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur, dicitur peccatum.* Nec diſſentiunt ab hoc principio expreſsis verbis Pobabiliſtæ; imò, illud expreſsè concedunt, vt videre eſt apud Terillum, quæſt. 11. & apud alios, licet re ipſa ſua doctrina illud evertant, vt iam videbimus. Quo ſuppoſito.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

130 QVAM. Vt probem, ſic quarto principalem ſententiam ſuadeo: *Si detur hominibus licentia ſequendi quamlibet opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, vel æquè probabili pro lege, auferetur à Deo, & ab eius æterna lege, quod ſit prima, & vniverſalis regula moralitatis.* Hoc eſt abſurdum intolerabile: ergò & illa ſententia Probabiliſtarum: ergò talis ſententia non eſt ſuſtinenda. Maior, in qua ſola eſt difficultas eſt concluſio in præſenti articulo probanda. Sit ergò

§. I.

Prima probatio pro concluſione.

131 ILLAM Igitur ſuadeo primo; quià, ſi prædicta licentia detur hominibus, eis erit licitū, rectum, & honeſtum operari, ſive contra, ſive iuxta Dei legem; ſed hoc ipſo, nec Deus, nec eius lex erit prima, & vniverſalis regula honeſti, & liciti, ſeu quod idē eſt, moralitatis: ergò ſi prædicta licentia detur hominibus, nec Deus, nec eius lex erit prima, & vniverſalis regula moralitatis. Minor patet: nàm de ratione primæ, & vniverſalis regulæ in aliquo genere, eſt quod nihil dicatur rectum in illo genere, niſi per conformitatem ad illam: ergò ſi ſemel dicatur homines rectè, & honeſtè operari, ſive operentur contra, ſive iuxta legem Dei, nec Deus, nec eius lex erit prima, & vniverſalis regula honeſtatis humanæ, ſeu moralitatis.

132 Tota difficultas devolvitur ad maiorem,

iorem, quã ſic probo: quià ſi prædicta licẽtia datur hominibus, erit eis licitũ, rectum, & honeſtum operari iuxtà opinionem probabilem, ſivè veram, ſivè falſam; ſed operari iuxtà opinionem probabilem veram eſt operari conformitèr ad legem Dei; operari iuxtà opinionem probabilem, & falſam eſt operari contra legem Dei: ergò ſi prædicta licentia detur hominibus, erit eis licitum, rectum, & honeſtum operari, ſivè contra, ſivè iuxtà legem Dei veram. Maior conceditur à contrarijs, qui planè fatentur nihil obeſſe, quod opinio ſit falſa, vt operatio evadat recta, & honeſta, dummodo enim ſit verè, & certò probabilis, inquiunt, quànvis minus probabilis ſua contradicente, qui iuxtà illam operatur, rectè, & honeſtè operatur: imò inquiunt, vt vidimus ſuprà quæſt. 3. conſcientia, quæ formatur iuxtà opinionem probabilem, licet falſam, recta eſt, & non erronea.

133 Rurſus: nàm opinio æquè probabilis cum ſua contradicente, æqualem contingentiam habet, vt ſit falſa, quam vt ſit vera: ergò ſi licet hominibus operari iuxta opinionem æquè probabilem cum ſua contradicente, eis erit licitum, rectum, & honeſtum operari iuxtà opinionem probabilem æquè contingentèr falſam, àc contingentèr veram: ergò iuxta illam ſivè veram, ſivè falſam. Antecedens patet: nàm inter opiniones probabiles Magiſtrorum inter ſe contradicentium, neceſſum eſt, quod altera ex illis ſit falſa, & altera vera, vt per ſe notum eſt, & expreſſum in D. Thom. quodlib. 8. art. 13. ergò cum eſt æqualis probabilitas pro vna, àc pro alia, æqualis eſt contingentia vt vna ſit falſa quam alia, quandoquidem neceſſum eſt quod vna ex illis ſit falſa, & non eſt maior ratio pro vna, quam pro alia.

134 Minor etiam patet: nàm cum opinio dicens, opus eſſe licitum, eſt vera, re ipſa eſt licitum, & conforme legi Dei, in hoc enim conſiſtit eius veritas. Si autem eſt falſa, opus re ipſa non eſt licitum, nec permiſſum à lege Dei, ſed potius ei contrarium; in hoc enim conſiſtit eius falſitas, ſicut enim veritas opinionis de licito cõſiſtit in eo quod eius obiectum ſit re ipſa licitum, & honeſtum, ſeu legi Dei conforme, ſicut illa enuntiat, ità eius falſitas conſiſtit in eo quod re ipſa non ſit licitum, & honeſtum ſicut illa enunciat, ſed potius prohibitum contra id, quod ipſa enunciat; ſed operari iuxta illam opinionem probabilem, nihil aliud eſt quam exercere illud opus, quod ipſa dictat eſſe honeſtum, & licitum: ergò operari iuxtà opinionem probabilem falſam, eſt operari opus re ipſa prohibitum, ſeu legi Dei contrarium, & operari iuxta opinionem probabilem veram eſt operari opus re ipſa licitum, ſeu legi Dei conforme: ergò primum eſt operari contra legem Dei, & ſecundum, iuxta illam: ergò ſi vtrumque eſt rectum, licitum, & honeſtum, erit rectum, licitum, & honeſtũ operari, ſivè iuxtà, ſivè contra legem Dei: ergò lex Dei non eſt prima regula huius honeſtatis, & rectitudinis; ergò nec vniverſalis regula moralitatis.

135 Confirmatur: iuxtà doctrinam contrariorum ſequitur, quod divina lex non ſit prima, & vniverſalis regula conſcientiæ; ſed eo ipſo nequit eſſe prima, & vniverſalis regula moralitatis: ergò idem quod priùs. Sequela probatur: nàm de eſſentia, & conceptu primæ, & vniverſalis regulæ alicuius regulabilis eſt quod illud regulabile non poſsit eſſe rectum, niſi per conformitatem ad ipſum; ſed ex contrariorum ſententia conſcientia poteſt eſſe recta abſque conformitate, imò cum contrarietate ad divinam legem: ergò ex cõtrariorum ſententia divina lex non erit prima regula conſcientiæ.

136 Minor probatur: nàm iuxtà contrarios conſcientia formata ſecundùm opinionem æquè, aut minus probabilem ſua contradicente, ſemper eſt conſcientia recta, ſive talis opinio, quam ſequitur, ſit falſa, vt eſt valdè contingens, ſive ſit vera; ſed ſi opinio illa, ſecundùm quam formatur conſcientia, eſt falſa, conſcientia illa formatur contra veram Dei legem: ergò erit recta, quànvis contrà veram Dei legem. Min. patet: nàm ſi opinio illa eſt falſa, ideò erit falſa, quià ipſa dicit obiectum eſſe licitum, illud tamen reverà eſt prohibitum: ſi enim obiectum non eſſet prohibitum, verum diceret opinio, quæ dicit eſſe licitum; ſed ſi obiectum re ipſa eſt prohibitũ, conſcientia, quę formatur iuxtà opinionem dicentem eſſe licitum, dicendo iuxtà ipſam eſſe licitum, eſt contra veram Dei legem; ergò formatur conſcientia contra veram Dei legem; & tamen iuxtà contrarios eſt recta: ergò eſt recta independentèr à conformitate cum vera Dei lege.

137 Reſpondet Terillus per ſuam diſtinctionem de lege reflexa, & directa: ſcilicet conſcientiam formatam ſecundùm opinionem probabilem re ipſa falſam, licet non ſit conformis legi directæ prohibenti opus, eſſe tamen conformem legi reflexæ per accidens exiſtẽti,

quæ

quæ permittit hominibus, eiſque pro licito indulget operari ſecundum quamlibet opinionem probabilem, quanvis contingat eſſe falſam, & ſic ſemper ſalvari, quod divina lex, ſivè directa, ſivè reflexa eſt prima regula, per cuius conformitatem rectificatur conſcientia.

138 Sed contra: nàm hæc ſolutio appertiſsimè demonſtrat veritatem aſſumpti præſentis. Etenim inquiro ab ipſo Terillo: Ad quid ponitur in Deo illa lex reflexa, & cùr dicitur per accidens exiſtere?

139 Reſpondet quæſtione 11. num. 11. & alibi ſæpè: poni in Deo, quià cùm mens humana deficere poſsit per ignorantiam, vel errorem in cognitione divinæ legis directæ, & per ſe exiſtentis, pro caſu quo erraret, providit aliam legem reflexam, quæ quidem præcipit faciendum quod conſcientia directa per errorem iudicat vt obligatorium: prohibet facere quod conſcientia directa iudicat per errorem vt prohibitum: permittit, ſeu indulget licentiam faciendi quod mens humana iudicaverit per errorem vt licitum, & permiſſum. Et hæc lex reflexa, inquit, exiſtit per accidens in Deo, quià exiſtit ex ſuppoſitione erroris, vel ignorantiæ humanæ: qui error eſt præter intentionem Dei. Hæc eſt doctrina Terilli, qua, veluti inexpugnabili ſcuto, cuncta ſibi videtur hoſtium tela confringere.

140 Sed ex illa ſic infero: ergò Deus, eiuſve lex in præcipiendo ſubordinatur, & regulatur iudicio noſtro, ſivè recto, ſivè erroneo. Probo hanc conſequentiam: nàm qui, conditis proprijs legibus, tandem concludit alia, & vltima lege reflexa ſe prohibere quidquid iudicium humanum, ſivè verum, ſivè falſum iudicaverit vt prohibitum, ſe præcipere quidquid iudicium humanum, ſivè verè, ſivè falsò iudicaverit vt præceptum, ſe concedere pro licito quidquid iudicium humanum, ſivè verè, ſivè falsò iudicaverit eſſe licitum, plane ſubordinat ſuam legem, illamque arregulat in præcipiendo iudicio humano, ſivè verò, ſivè falsò; ſed Deus iuxta Terillum, & cæteros Reflexiſtas, prædicto modo ſe gerit: ergò plane ſubordinat ſuam legem in præcipiendo, illamque arregulat iudicio humano, ſivè recto, ſivè erroneo.

141 Minor probatur, nàm ſi à Terillo inquiras; vi cuius legis obligat conſcientia humana directa, ſivè ſit recta, ſivè erronea, reſpondebit tibi, vt ſupra quæſt. 6. quod in vi legis reflexæ, quà Deus vltimo dictat eſſe faciendum quod conſcientia, vel iudicium humanum, ſivè rectum, ſivè erroneum, dictaverit, vt præceptum, & eſſe omittendum quidquid conſcientia, vel iudicium humanum, ſivè rectum, ſivè erroneum dictaverit, vt prohibitum, & eſſe habendum pro licito quidquid dictaverit vt licitum. Nàm lex reflexa, ſuppoſitis omnibus directis, tandem concludit: in omnibus eſſe ſequendam conſcientiam directam, ſivè rectam, ſivè erroneam, quaſi tandem diceret: & ſuper hoc fiet quod iudicium humanum, ſivè rectum, ſivè erroneum dictaverit eſſe faciendum.

142 Maiorem vero hoc exemplo declaro: conſuetudo eſt in mea Religione cunctis diebus Sabbatis cuiuſvis hæbdomadæ in communitate legere tabulam, vel indicem, in quo pro quolibet miniſterio communitatis implendo ſingularis Religioſus deputatur; & poſtquam ſingula miniſteria ſingulis Religioſis imponuntur implenda, tandem concludit index: *Et ſuper hoc fiet, quod P. Corrector iuſſerit.* Sanè per hanc vltimam clauſulam negari non poteſt, omnes illas ſingulares deputationes, quæ ſunt quaſi leges directæ, ſingulis ſingula miniſteria præcipientes, manere ſubordinatas, & regulandas per iuſsionem Prælati; ſed iuxta doctrinam Terilli Deus poſt conditas omnes leges directas, quibus ſingulis ſtatibus hominum, ſingula præcipit, tandem concludit alia lege reflexa: *Et ſuper hæc omnia ſequendum eſt dictamen conſcientiæ, ſivè rectum, ſivè erroneum*, quod plane eſt quaſi diceret: *Et ſuper hoc fiet quod iudicium humanum, ſivè rectum, ſivè erroneum; ſivè verum, ſivè falſum dictaverit*; ergò per hanc legem reflexam ſubordinat Deus omnes ſuas leges directas iudicio humano, ſivè recto, ſivè erroneo.

143 Confirmatur primò: nàm prædicta lex reflexa ponitur in Deo pro caſibus, in quibus intellectus humanus, vel per conſcientiam erroneam, vel per opinionem probabilem, licet falſam, iudicet contra legem directam, tenendo, v.g. pro licito, quod lex directa per ſe prohibet: ergò Deus directè, & per ſe prohibet talem contractum, attamen ſi iudicium humanum, opinione probabili deceptum, iudicaverit eſſe licitum, illum concedit vt licitum, & complacet ſibi quod celebretur talis contractus: ergò Deus in præcipiendo tandem accommodatur iudicio humano, licet erroneo, & falsò. Sed

hoc eſt formaliſsimè illi ſubordinari in præcipiendo: ergò Deus in præcipiendo tali iudicio ſubijcitur.

§. II.

Oſtenditur prædictam doctrinam, & legem reflexam eſſe penitus adverſam ſchole D. Thomæ.

144 DICES Forſan: aliud eſſe Deum attemperari, & accommodari in præcipiendo, prohibendo, aut permittendo iudicio probabili humano: aliud valde diſtinctum illi ſubordinari, aut ſubijci. Primum, verum eſſe. Secundum, falſum. Sicut aliud eſt omnipotentiam attemperari in concurrendo voluntati creatæ, aliud illi ſubijci, & ſubordinari. Primum enim concedunt Ieſuitæ, etiam poſtquam damnavit ſecundum Innocentius XI. Et quod lex divina debeat ſic attemperari, & accommodari iudicio humano forſan probabis, quià hoc maximè conducit ad ſuavitatem divinæ providentiæ: *Spectat enim ad divinam providentiam*, inquit Terillus, *complacere aliquando, ſaltim per accidens in electione obiecti directè, & per ſe prohibiti, quod operanti probabiliter apparet prohibitum.* Si nimirum ipſe ex contraria probabilitate ſeductus, pro imperio ſuæ voluntatis illud obiectum iudicaverit licitum.

Item, quià niſi lex divina ſic accommodetur, & attemperetur, væ nobis, peribit omnis libertas opinandi, & operandi, ſtandum ſemper erit in iudicio de moribus pro lege, nunquam pro libertate, iugum divinæ legis ferreum erit, & importabile, nos in miſeram captivitatem redigens, à nobiſque libertatem filiorum adimens, &c.

145 Sed hæc ſolutio, licet ad mentem Reflexiſtarum genuina, ipſaque doctrina eorum, qui ad talem legem reflexam efugium fecerunt, falſa tamen eſt, & contra D. Thom. omneſque eius Diſcipulos. Quos omnes enixè precor advertant, per probabiliſsimum, & potiſsimè per hanc legem reflexam novam ſcientiam mediam, novumvè vſum illius in ſcholis introduci paulatim, vel quod eſt conſiderabilius, in moribus regendis, & vita chriſtiana gubernanda: ac proinde, qui veluti fideliſsimi Angelici D. aſſeclę, pro nobili ſtemmate ab ipſo acceperunt primatum Dei in omni linea perfectionem dicente contra modernos ſtrenuè propugnare, & ſemper vincerè, ſicut in Theologia ſpeculativa primatum Dei in ratione cauſæ, motoris, Domini, liberique determinantis tuentur, ſic in Theologia morali, & practica, primatum divinæ legis in regulando mores humanos nulli præ ipſis æquali iure pro pugnandum incumbit.

146 Nàm eadem niſallor, vel fere eadem vtrobique cauſa eſt. Sicut enim illic ex ſcientia media, & ex decreto indifferenti primatum Dei in cauſando, prędeterminando, & movendo, vel tolli, vel minui videtur: ità per hanc doctrinam de lege reflexa licitâ faciente ſequelam cuiuſvis opinionis, ſivè minus, ſivè æquè, ſivè magis probabilis ſuæ cõtradicente, periculum imminet non levè, quod primatum Dei in eſſe legiſlatoris, & regulæ moralitatis, vel minuatur, vel penitùs evertatur. Et ſicut illic doctrina ſcientiæ mediæ ortum habuit eo quod eius Authores plus iuſto, vt putamus, noſtram libertatem extollere conati ſunt, vt oſtendi tract. de Providentia quæſt. 16. n. 108. ità hic, doctrina iſta Terilli inde ortum habet, quod conatur hominem à lege liberum, & immunem facere, pluſquam iuſtum eſt, vt autumnamus. Et ſicut ibi contrarij conantur Deum in concurrendo ad vnum potius, quàm ad oppoſitum noſtræ libertati ſubordinare, (iàm dicunt attemperare) ità hic Deum in præcipiendo, aut permittendo hoc potius, quàm oppoſitum ex probabilibus, noſtro libero iudicio ſubordinare videntur (ipſi dicent, attemperare).

147 Quod vt clarius pateat, pone intellectum, & voluntatem inter duas opiniones probabiles contradicentes circa contractum *A*, quarum vna dicat, eſſe licitum, alia, eſſe prohibitum. Dicunt igitur intellectum formare poſſe conſcientiam ſecundum quamlibet opinionem: vnde pro imperio voluntatis poteſt aſſentiri opinioni dicenti, contractum eſſe licitũ. vel, ſi etiam velit, pro imperio voluntatis poteſt aſſentiri alteri oppoſitæ dicenti, contractum eſſe illicitum. Si aſſentiatur primæ, dicunt, quod poteſt formare vltimum dictamen conſcientiæ, quo dicat contractum hic, & nunc omnibus inſpectis eſſe ſibi licitum; item, quod ſi intellectus conſtitutus inter prædictas opiniones iudicaverit contractum eſſe licitum, lex reflexa præſcribit, ſeu concedit pro licito illum exercere. Si tamen iudicaverit eſſe prohibitum, vti etiam poteſt, lex reflexa, ſuppoſito illo iudicio, prohibet celebrare illum contractum. Sed eſt in libera poteſtate hominis conſtituti inter illas duas opiniones probabiles, vel iudicare ſecundum primam contractum eſſe licitum, vel iudicare iuxtà

ſecun-

ſecundam illum eſſe prohibitum: ergò eſt in libera poteſtate hominis determinare legem reflexam, vt ſibi permittat, vel vt ſibi prohibeat illum contractum.

148 Explicatur ampliùs: iuxtà contrarios homo conſtitutus inter illas duas opiniones æquè probabiles, æquè prudenter poteſt iudicare ſecundùm vnam contractum eſſe prohibitum, àc iudicare ſecundum aliam contractum eſſe licitum, quià vnum præ altero iudicare conſtitutum eſt in eius libera poteſtate; ſed ſi iudicaverit primum, ſtatim lex reflexa prohibet hic, & nunc celebrare contractum: ſi iudicaverit ſecundum, ſtatim lex reflexa permittit hic, & nunc celebrare contractum: ergò conſtituitur in libera hominis poteſtate, quod lex reflexa hic, & nunc prohibeat celebrare contractum, vel quod permittat illum celebrare.

149 Confirmatur: vel Deus pro priori antequàm voluntas eligat aſſentiri vni opinioni præ alia, prohibet abſolutè, & inflexibilitèr celebrare contractum, vel ſolùm id prohibet conditionatè, ſub conditione ſcilicet, quod homo iudicaverit contractum eſſe prohibitum. Si primum: ergò quàmvis homo ſecundùm opinionem oppoſitam iudicaverit contractum eſſe licitum, Deus ſemper manet inflexibilitèr prohibens abſolutè celebrare contractum: ergò adhuc ſuppoſito tali iudicio non permittit lege reflexa celebrare contractum. Patet conſequentia, quià implicat Deum hic, & nunc abſolutè, & inflexibilitèr prohibere celebrationem contractus, & quod ſimul hic, & nunc abſolutè etiam permittat, & concedat pro licito celebrare contractum illum. Nec iſtæ leges contrariæ, & repugnantes inter ſe poſſunt admitti in Deo, vt per ſe patet. Si ſecundum: ergò Deus antequàm videat voluntatem eligentem opinionem, & intellectum ſecundùm illam iudicantem, nihil abſolutè, & inflexibilitèr præcipit, nec prohibet, ſed ſolùm ſub conditione, quod voluntas illud voluerit iudicare vt prohibitum, vel vt præceptum: ergò Deus in præcipiendo, vel prohibendo abſolutè obiectum ſubordinatur voluntati eligenti opinionem, & intellectui ſecundùm illam, quam maluerit voluntas, iudicanti.

150 Confirmatur ſecundò: per vos talis lex æterna reflexa non eſt in Deo per ſe, ſed per accidens, ideſt, ex ſuppoſitione erroris noſtri: ergò Deus, dùm præcipit, vel prohibet, vel permittit per illam legē reflexam illud, quod videt nos iudicare vt licitū, vt prohibitum, vel vt præceptū; non præcipit, nec prohibet, nec permittit ex propria determinatione, ſed vnicè determinatus ab electione voluntatis, qua eligit ſic iudicare, & à iudicio erroneo intellect⁹. Sed ſi Deus præcipit, prohibet, vel permittit determinatus ab electione voluntatis, & à iudicio intellectus, manifeſtè ſubordinatur in præcipiendo, prohibendo, aut permittēdo voluntati humanę eligenti opinionē, & intellectui humano iudicanti ſecundùm illam: ergò per illam legē reflexā ſubordinatur voluntati, & intellectui creato Deus. Maior patet: nàm ſi Deus per illā legem reflexam pręciperet, quod præcipit, aut prohiberet, quod prohibet, ex propria voluntate, ſeu ex propria determinatione, illud prohiberet per ſe, & nō per accidens. Nàm quod Deus prohibet ex propria determinatione, illud per ſe prohibet, & non per accidens, ſicut quod Deus cauſat ex propria determinatione, illud cauſat per ſe, & non per accidens: ergò ſi prædicta lex reflexa iuxtà contrarios non eſt per ſe, ſed per accidens, illa non præcipit, prohibet, nec permittit ex propria determinatione, ſed ex determinatione voluntatis, & intellectus creati.

151 Ex quo rurſus ſequitur, quod Deus cæco, & ignoranti modo præcipiat, prohibeat, aut permittat, quod prę-cipit, prohibet, aut permittit per talē legē reflexā. Nàm quod quiſque præcipit, v. g. ex determinatione alterius, electioneque, illud præcipit cæco, & ignorāti modo, quià præcipit neſciens quid abſolutè, & determinatè præcipiat vſquedum viderit determinationem alterius; ſed Deus pro priori ad electionem opinionis, & ad iudicium humanum, iuxtà contarios, nihil determinatè præcipit, prohibet, nec permittit per legē reflexā, ſolumque præcipit, quod voluntas elegerit iudicare vt præceptum, & ſolūm permittit, quod voluntas elegerit iudicare, vt ſibi licitum, & permiſſum: àc per conſequens ſolùm præcipit, prohibet, aut permittit ex determinatione volūtatis creatæ, neſciens proindè quid abſolutè, & determinatè tali lege prohibeat, aut permittat, vſquedū viderit quā opinionem elegerit voluntas: ergò ſolùm præcipit, prohibet, aut permittit cæco, & ignoranti modo.

152 Dices: Deum prævidere opinionem, quam eliget voluntas, & ſecundū quam iudicabit intellectus: & cū hac prævisione ſapientèr, & nō cæco modo prohibere celebrare contractū, ſi prævidet intellectū ex imperio voluntatis illud iudicaturum, vt prohibitum; vel ſi prævidet intellectum iudicaturū ex imperio vo-

luntatis illum contractum vt licitum, illum ſua lege reflexa ſapientiſsimè permittit, & non cæco modo.

153 Sed contra: nàm rogo à contrarijs, poſtquam Deus prævidet voluntatem eligentem opinionem pro licito, & intellectum iudicantem contractum eſſe licitum, eſt nè liber in permittendo illum pro licito ſua lege reflexa, vel non? Si primum, ſic infero: Primò: ergò talis lex reflexa non eſt peraccidens, ſed per ſe, ſiquidem per illam liberè, & ex propria determinatione præcipit, aut permittit, adhuc ſuppoſito errore intellectus. Secundò: ergò talis lex reflexa non eſt naturalis, ſed poſitiva, & libera, cuius oppoſitum docet Tertullus. Tertiò: ergò adhuc ſuppoſito errore intellectus iudicantis aliquid licitum, non eſt evidens illud nobis licere per legem reflexam, quandoquidem conſequentèr ad talem errorem eſt Deus liber vt illud lege reflexa non permittat, ſed prohibeat; ſi enim hoc ita eſt; vndè tibi conſtare poterit evidentèr, illud nobis licere per legem reflexam.

154 Si autem reſpondeant ſecundum, ſic infero: ergò neceſsitatur obiectivè Deus ab electione voluntatis, & iudicio intellectus prævio ad permittendam reflexè celebrationem contractus, vt hic, & nunc licitam. Conſequentia patet, quià iuxta contrarios non ideò voluntas eligit opinionem pro licito, nec ideò intellectus iudicat ſecundùm illam, quià Deus prævidet illam ſic electuram, & intellectum ſic iudicaturum, ſed potius Deus ideò prævidet talem electionem, & iudicium, quià voluntas ſic eliget, & intellectus ex imperio voluntatis ſic iudicabit: ergò voluntas, imperando, vel eligendo tale iudicium, determinat obiectivè Deum, vt videat illam ſic imperantem, ſeu eligentem, & intellectum ſic iudicantem; ſed per te ſuppoſita tali viſione Deus non poteſt non permittere lege reflexa pro licito celebrare talem contractum, & hoc quànvis lege directa illum, per ſe loquendo, prohibuerit: ergò voluntas obiectivè neceſsitat, & obligat Deum vt ſibi lege reflexa permittat pro licito celebrare talem contractum. Si autem hoc ità foret, eſſet nè Deus primus legiſlator, & prima regula? An potius voluntas, & iudicium humanum? Sanè voluntas, & iudicium humanum per prius obligarent Deum ad hoc vt lege reflexa permitteret, quod per directam per ſe prohibuerat: ergò voluntas, & iudicium humanum eſſet regula legis Dei, ſeu quaſi prima lex obligans ipſum legiſlatorem ad permittendum pro licito, quod ipſe ex ſe prohibuerat vt illicitum.

§. III.

Aliter probatur aſſumptum.

155 SECVNDO Probatur concluſio. Quià ſi eſt licitum iudicare, & operari ſecundùm quamlibet opinionem probabilem, & quamcumque acceptare pro regula moralitatis, nulla lex Dei, nimirum nec lex reflexa, nec lex directa poteſt eſſe prima regula moralitatis; ſed iuxtà contrarios non datur alia lex in Deo, quæ poſsit eſſe prima regula moralitatis: ergò manifeſtè ſequitur, quod lex Dei non ſit prima regula moralitatis. Maior quoad primam partem efficacitèr probata manet, & vlterius probatur: nàm lex reflexa de ſe eſt omnino indifferens, nihil in ſpecie determinatè præcipiens, prohibens, aut permittens; ſolùm enim permittit quadam vniverſalitate, & indifferentia quidquid ex probabilibus voluerit homo iudicare pro permiſſo, & licito, præcipit quidquid homo voluerit iudicare ſibi præceptum, prohibetque quidquid homo voluerit iudicare ſibi prohibitum: ſiquidem talis lex reflexa iuxtà contrarios præſcribit nobis pro regula in omnibus ſervanda quodlibet proprium iudicium conceptum ex opinione, ſive magis, ſive minus probabili. Et rurſus concedit nobis facultatem plenam iudicandi de moribus ſecundùm quamlibet opinionem certo probabilem, ſivè ſit magis, ſivè minus probabilis ſua contradicente: ergò prædicta lex reflexa, quantùm eſt ex parte Dei, nihil in ſpecie determinatè præcipit, ſed vniverſalitèr, & indifferentèr quidquid ex probabilibus voluerit homo iudicare ſibi præceptum, prohibitum, aut permiſſum; ſed lex hoc pacto indifferens implicat in terminis, quod conſtituat Deum primam regulam moralitatis: ergò. Minor hæc probatur, quià ſicuti per concurſum ad actiones cauſarum ſecundarum conſtituitur Deus in eſſe cauſæ primæ, ità per ſuam legem debet conſtitui in eſſe primæ regulæ moralitatis; ſed per concurſum indifferentẽ, aut per decretũ executivè indifferẽs, quo Deus velit cõcurrere indifferentèr, & vniverſalitèr ad quod noſtra volũtas voluerit, implicat Deum cõſtitui in ratione primę cauſę, imò ſubordinatur, & ſubijcitur omnipotẽtia nobis, vt probãt efficacitèr Thomiſtę, & nos

nos cùm illis tract. de Provid. quæſt. 6. per totam : ergò nec per legem prædicto modo indifferentem, & vniverſalem conſtitui poteſt Deus in eſſe primæ regulæ morum.

156 Secundò : nàm per talem legem reflexam abdicaret Deus à ſe munus primi legiſlatoris, & primæ regulæ morum : ergò per illam non conſtituitur prima regula moris. Probo antecedens, quià per decretum indifferens abdicaret Deus à ſe munus primi Domini, non alia ratione, niſi quià ſemel conceſſa voluntati plena poteſtate eligendi quod maluerit ex extremis ſuæ libertatis, ſtatueret concurrere ad quod illa vellet ; ſed per legem reflexam concedit homini plenam facultatem iudicandi ſecundum quamlibet opinionem certo probabilem, & præcipit faciendum, quod ille iudicaverit, vt ſibi præceptum ; prohibet faciendum, quod ille iudicaverit, vt ſibi prohibitum ; permittit agendum, quod ipſe pro arbitratu ſuo iudicaverit ſibi permiſſum : ergò tali lege abdicat Deus à ſe munus primi dictatoris, & legiſlatoris.

157 Quod evidenter demonſtratur exemplo Regis, qui alicui Miniſtro concederet plenam facultatem dictandi leges, & rurſus præſcriberet ſubditis tales leges habendas pro regula, etſi contradicerent legibus directis ab ipſo Rege latis. Hic ſanè Rex abdicaret à ſe rationem ſupremi legiſlatoris in ſuo regno : ergò ſi in regno probabilitatis, dummodo à finibus probabilitatis non exeatur, concedit Deus cuilibet homini facultatem iudicandi de moribus, & operandi ſecundum opinionem, quàm maluerit ; in illo regno, quod ampliſsimè iàm dilatavit terminos ſuos, non exercet munus primi legiſlatoris, & dictatoris ſupremi, ſed illud munus abdicat tali lege reflexa, & pro ſe ſubſtituit hominibus proprium, & pro arbitratu electum iudicium, dummodo à probabilitatis finibus non exeatur. Solum ergò extra regnum probabilitatis, & extra fines illius Deus obtinebit munus ſupremi legiſlatoris : àc proinde homines, quantò probabilitatis regnum plus ampliaverint, tanto magis limitabunt ſupremi legiſlatoris iuriſdictionem, ſibique adiudicabunt munus dictandi de moribus, veluti primi dictatores, vnuſquiſque ſibi. Quid ergò mirum ſi non defuerit, qui laudet in immenſum Modernos Caſuiſtas, quià probabilitatis regnum ampliarunt in immenſum.

158 Deinde probo quod nec lex directa ſit per quàm Deus conſtituitur ineſſe primæ regulæ moralitatis. Nàm iuxta Terillum, etſi opus, vel obiectum ſit directè, & per ſe prohibitum, ſi tamèn quis iudicaverit non eſſe prohibitum, ſed licitum, tunc electio talis obiecti eſt re ipſa licita, honeſta, & recta, & datur conſcientia recta illam electionem approbans ; ſed nec huius conſcientiæ rectæ, nec illius honeſtatis formalis poteſt eſſe regula lex directa, quæ prohibet obiectum illius electionis, vt per ſe patet, cùm illa conſcientia, nec illa electio conformentur cùm tali lege directa : ergò lex illa directa non eſt regula prima illius honeſtatis, & conſcientiæ.

159 Confirmatur, quià implicat eſſe ex parte Dei reſpectu electionis humanæ duas primas regulas moralitatis inter ſe oppoſitas ; ſed lex directa ſæpè opponitur legi reflexæ, & lex reflexa ſimiliter ſæpè opponitur legi directæ : ergò non poſſunt vtraque ſimul eſſe prima regula moralitatis. Deinde nec poteſt vna eſſe prima, & alia ſecunda, & illi ſubordinata, quià quæ inter ſe opponuntur non ſubordinantur : ergò nulla ex prædictis legibus poteſt eſſe prima regula moralitatis.

160 Dices : legem directam non opponi cùm reflexa, quià lex directa non comprehendit vniverſaliter omnes ſed illos, quibus fuerit ſufficienter promulgata : *Quandiù autem ſtat in contra probabilitas in aliquo gradu probabilitatis, quod obiectum non ſit prohibitum, tandiù irrefragabiliter manet, quod lex non ſit ſufficienter promulgata*, àc per conſequens Deus tali lege directa illum non comprehendit, qui talem probabilitatem habet, nec ſuam legem directam ad illum dirigit. Ità Terillus quæſt. 28. num. 12. & 20. Vnde licet lex reflexa illi permittat electionem talis obiecti, vt licitam, & honeſtam ; non contradicit legi directæ, quæ neutiquam illi homini prohibet obiectum, nec ad illum dirigitur.

161 Sed contra : nàm inde ſequitur primo, Deum ſua lege directa eſſe acceptatorem perſonarum, quandoquidem per illam non comprehendit vniverſaliter omnes, ſed tantum illos, qui non habuerint opinionem probabilem pro licito. Supponamus enim Petrum iudicare probabiliter contractum eſſe licitum, Paulum verò id non iudicare probabiliter, ſed oppoſitum : lex Dei directa, inquis, non comprehendit Petrum, quià illum invenit præmunitum iudicio, vel opinione probabili dicenti contractum eſſe li-

citum, comprehendit tamen Paulum, quiâ illum tali ſcuto probabilitatis non invenit præmunitum: ergò vel Deus eſt acceptator perſonarum in ſua lege directa, vel ad minus componit legem ad normam probabilitatis.

162 Explicatur: nàm vel Deus pro ſigno, pro quo concipit legem directam, prævidet iam quinam ſint habituri probabilitatem in contrà, vel non. Si non prævidet, cùr, inquiro, comprehendit hos, & non illos ſua lege directa? Sanè nullum eſt motivum, niſi ſit acceptio perſonarum apud Deum. Si pro illo ſigno iam prævidet Deus quinam habituri ſint probabilitatem in contrà, aut ignorantiam, vel errorem invincibilem: ergò ante quam Deus concipiat legem prohibentem aliquod opus, iam videt ex hominibus alios quidem errantes circà talem legem, alios illam ignorantes, alios de illa opinantes, vel in prò, vel in contrà, quod eſt planè ridiculum. Nondùm enim Deus legem condidit, & iam videt homines illam ignorantes, alios illam ſcientes, alios pro illa, alios contra illam opinantes.

163 Dicet forsàn Terillus, vel alius hoc facilè componi beneficio ſcientiæ mediæ. Nàm Deus ante quam legem abſolutè concipiat, per ſcientiam mediam prævidet, quod ſi talem legem condiderit, iſti habebunt opinionem directè probabilem contrà illam, alij iuxtà illam, &c. Et ratione huius ſcientiæ mediæ, poteſt Deus, dùm abſolutè condit legem directam, per illam tantummodo comprehendere illos, quos prævidet non habituros ignorantiam talis legis, nec probabilem opinionem in contrà.

Sed contrà: nàm rurſus interrogo: quandò Deus prævidet, quod ſi legem condiderit ab iſtis ignorabitur, & ab alijs ſcietur, & quod alij habebunt probabilitatem in contrà, &c. Vel id prævidet de lege eos comprehendente, vel de lege eos non comprehente? Si primum: ergò obiectum illius ſcientiæ mediæ talè eſt, *ſi condidero legem iſtos homines comprehendentem, ab iſtis ignorabitur.* At quomodo niſi cum manifeſta implicatione poterit Deus abſolutè condere talem legem eos comprehendentem, illos non comprehendendo? Si dicas ſecundum: ergò obiectum talis ſcientiæ mediæ eſt huiuſmodi: *Si condidero legem iſtos homines non comprehendentem, ab iſtis ignorabitur.* Ergò antequam ignoretur, vel non ignoretur, ſupponitur legem illos non comprehendere: ergò Deus erit acceptator perſonarum abſque vllo motivo hos comprehendens, & non alios in ſua lege directa.

164 Confirmatur: ſupponamus enim Deus ſua lege directa per ſe, & directè prohibuiſſe contractum *A*: Supponamus item Petrum conſtitutum inter duas opiniones æquè probabiles ſibi contradicentes circà contractum. Tunc ſanè iuxtà omnes Probabiliſtas liberum eſt tali homini pro ſuo arbitratu iudicare ſecundùm quam ſibi placuerit, ſi voluerit, poteſt iudicare ſecundùm vnam contractum eſſe prohibitum; ſi maluerit, poteſt iudicare ſecundùm aliam contractum eſſe licitum, & non prohibitum: & vtrumque iudicium erit prudens, quia vtrumque eſt ſecundùm opinionem certò probabilem. Nunc inquiro: ſi iudicaverit contractum eſſe prohibitum, tunc Deus comprehendit illum hominem ſua lege directa? Sanè id negari non poteſt, ideoque aſſerit Terillus, quod ſi ità iudicaverit obligatur à tali lege directa. Rogo item: ſi maluerit iudicare ſecundùm oppoſitam opinionem opus eſſe licitum, tunc comprehenditur à tali lege directa? Dicunt, quod non, quiâ potius eſt tunc oppoſita lex reflexa dicens, quod liceat tunc celebrare illum contractum. Rogo denique: cum Deus talem legem directam concipit, & dictat, prævidet àn ille homo iudicaturus ſit opus eſſe licitum, vel oppoſitum? Et reſpondent, quod id prævidet per ſcientiam mediam. Tunc ſic argumentor: ergò homo determinando obiectivè ſcientiam mediam, determinat divinam legem directam, vt ſe ipſum comprehendat, vel vt ſe ipſum ab vniverſalitate legis directæ excipiat.

165 Explicatur: homo, iudicando probabiliter contractum eſſe prohibitum, determinat obiectivè in Deo ſcientiam mediam, qua Deus prævidet ipſum ſic iudicaturum, & ea ſcientia media ſuppoſita, non poteſt illum non comprehendere lege directa prohibente. Item, iudicando probabiliter contractum eſſe licitum determinat obiectivè in Deo ſcientiam mediam, qua Deus prævidet ipſum ſic iudicaturum, & ea ſuppoſita Deus ſua lege directa prohibente contractum nequit talem hominem comprehendere; ſed homini conſtituto inter prædictas opiniones probabiles liberum eſt iudicare pro ſuo arbitratu ſecundùm quamlibet ex illis opinionibus, vel ſecundùm vnam, iudicando contractum eſſe prohibitum, vel ſecundùm aliam, iudicando eſſe licitum: ergò

gò ei liberum erit determinare in Deo ſcientiam mediam, vi cuius per legem directam non poſsit ipſum comprehendere, vel determinare oppoſitam ſcientiam mediam, vi cuius non poſsit ipſum à lege directa, ſeu ab eius vniverſalitate excipere: ergò tandem lex directa ad comprehendendum aliquem hominem ſua vniverſalitate pendet ab eo quod ipſe velit iudicare ſecundum opinionem probabilem dicentem obiectum eſſe prohibitum. Si enim ipſe noluerit ſic iudicare, ſed potius ſecundum oppoſitam opinetur obiectum eſſe licitum, tunc Deus neceſſario, & inevitabilitèr ex parte ſua prævidet per ſcientiam mediam ipſum iudicantem obiectum eſſe licitum, & nequit tunc illum comprehendere lege directè prohibente obiectum iuxta regulas Teril i: ergò tandem, lex directè prohibens obiectum, illos tantum comprehendit ſua vniverſalitate, qui voluerint iudicare obiectum eſſe prohibitum, non autem eos, qui maluerint iudicare obiectum eſſe licitum; ſed huiuſmodi lex minimè eſt, nec dici poteſt prima regula moralitatis, aut conſcientiæ, ſed potius ſubordinatiſsima humano iudicio voluntario de moribus: ergò tandem Probabiliſtę ſic diſcurrentes auferunt à lege, tàm reflexa, quam directa, rationem primæ regulæ moralitatis,

166 Confitmatur: iuxta Terillum, qui bona fide ſequitur opinionẽ probabilem dicentem opus eſſe licitum, licet falſam, nullam legem tranſgreditur, nec materialitèr quidem, quià lex directè, & per ſe prohibens tale opus illum non comprehendit, nec ad illum dirigitur: ſi autem credat opinioni dicenti opus eſſe prohibitum, tunc lex illum comprehendit, & talem legem tranſgreditur, ſi opus velit exercere; ſed iuxta Terillum eſt in libera poteſtate hominis cuilibet ex illis duabus opinionibus credere, & ſecundum quam maluerit iudicare: ergò eſt manifeſtè in eius poteſtate libera facere quod Deus illum lege directa non comprehendat, vel facere quod Deus illum comprehendat: ergò liberum iudicium cuiuſque intèr opiniones certò probabiles eſt regula ad cuius normam Deus conſtringit, vel extendit, limitat vel ampliat vniverſalitatem ſuæ legis directę: itàvt ſolum illam dirigat ad eos, qui voluerint iudicare opus eſſe prohibitum, illam autem non dirigat ad eos, qui noluerint iudicare opus eſſe prohibitum, ſed potius licitum: ergò tandem voluntas, & iudicium humanum eſt prima regula moralitatis, cui ſubordinatur, & arregulatur divina lex: non autem divina lex, nec directa, nec reflexa.

167 Ex quibus iam inferes, quam iuſtè, & fundatiſsimè dixit Sinnichius, lib. de Saule ex Rege, §. 466. citatus à M. Gonet in præſenti num. 159. Modernos caſuiſtas experimento edoctos, quam ægrè conformarentur mores humani legi divinæ, tentaſſe ex adverſo conformare legem divinam moribus humanis, quaſi lex divina foret *regula lesbia* ad ſui regulati normam, & ad quod quiſque ſentit, & vult accommodabilis. *Regula enim lesbia*, iuxtà Eraſmum in Addagijs, dicitur, *quoties præpoſterè, non factum ad rationem, ſed ratio ad factum accommodatur, & cum lex moribus applicatur, non mores ad legem emmendantur.* Sanè qui attentè perlegerit aliquos Probabiliſtas inveniet eo illorum conatum collimare, vt ſaltim intra terminos, & fines probabilitatis divinam legem accommodent ad quod quiſque vult, & ſentit, dummodo enim à probabilitatis finibus non exeatur, id cuique iuxta ipſos divina lex præſcribit, vt licitum, quod ipſi voluerint exiſtimare licitum, id tantùm prohibet vt illicitum, quod quiſque voluerit exiſtimare prohibitum, & illicitum: vndè contendunt legem divinam attemperandam eſſe opinioni probabili ſecundùm quam quiſque voluerit pro libito iudicare, & operari. Hoc ſanè apertiſsimè videtur facere divinam legem regulam lesbiam, ad quod quiſque vult, & ſentit accommodabilem, & attemperatam; ſeu potius velle divinam legem obtemperare noſtro iudicio pro arbitratu electo, non electionem noſtram, aut iudicium divinæ legi obtemperare.

168 Quod ſanè quis non videat eſſe manifeſtè auferre à divina lege rationem primæ regulæ moralitatis, & loco illius ſubſtituere noſtrum affectum, & iudicium, ad cuius normam divina lex reguletur? Quod quam præpoſterum ſit, per velle expreſsit Aug. conc. 1. in Pſalm. 48. dicens: *Hæc eſt in hominibus magna, & vſitata perverſitas, qua, cum debeant ipſi vivere ſecundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere ſecundum voluntatem ſuam: & cum ipſi nolint corrigi, illum volunt depravare, rectum non arbitrantes, quod ille vult, ſed quod ipſi volunt.* Aptiſsimè dixit eſſe hanc magnam, & vſitatam perverſitatem: eſt enim perverſitas, quià pervertitur ordo naturalitèr exactus inter divinam legem, & voluntatem Dei, & noſtram voluntatem, dictamenque noſtrum præpoſterè accommodando divinam legem

gem affectui, & iudicio noſtro, & non per prius accommodando iudicium, & affectum noſtrum divinæ legi. Eſt magna, quià in rebus magni momenti: quid enim maius, quam divina lex, & voluntas, & conſequentèr quænam maior perverſio, quam ordinem illi debitum pervertere. Eſt etiam vſitata, quià quid magis viſitatum intèr homines, quam legem Dei ad ſuas opiniones velle trahere, & vehementiſsime conari ad hoc vt per Deum ipſis liceat, quod ipſi ex affectione ſua voluerint iudicare vt licitum?

169 Hoc conſiderent, qui, vt licitam faciant hominibus ſequelam cuiuſvis opinionis minus, aut æquè probabilis pro libertate, conſtituunt in Deo legem reflexam, vi cuius per Deum liceat quamlibet ex dictis opinionibus, licet falſam, in praxi ſequi, ſivè, quæ licentiam hominibus indulgeat faciendi quidquid ex affectu, vel imperio ſuæ voluntatis voluerint iudicare vt ſibi licitum, dummodo ſimus intrà terminos, & fines probabilitatis, *quantumvis tenuis*, aiebat Tamburinus; iàm (cohibente Innocentio XI.) dicunt intrà terminos *certæ probabilitatis*, *veræ probabilitatis*, *practicæ probabilitatis*, licet tamèn maiori probabilitate, magis *certa*, *vera*, *& practica* contradicente, & ſuadente opus eſſe illicitum: nàm dummodo ſimus intrà fines talis probabilitatis, ſivè maioris ſivè minoris, *in quocunque gradu*, inquit Teril. licitum eſt cuique iudicare, etiamque operari ſecundum opinionem æquè, minuſvè probabilem, quam maluerit eligere operans, etſi falſa ſit: & hoc adeò licitum, vt nullam legem, nec materialitèr quidem hoc pacto tranſgrediamur: adeò tutum, vt remotiſsimum ſit ab omni violatione, etiam materiali, legis divinæ; quià videlicet lex reflexa intra regnum huiuſmodi probabilitatis ſe attemperat noſtro iudicio, concedit pro licito quidquid nos voluerimus iudicare pro licito, nihil interdicit, niſi quod quiſque voluerit iudicare interdictum, complacet in eo quod eligamus obiectum directe, & per ſe prohibitum, quod probabilitèr apparet ipſi eligenti prohibitum, imò quanvis magis probabilitèr appareat prohibitum ante affectum ſuæ voluntatis, dummodo ipſe velit iudicare pro arbitratu tale obiectum eſſe licitum. Sanè, ſi regnum probabilitatis tale eſt, in illo Deus non regnat, in illo Deus non eſt Supremus Legiſlator, non eſt prima regula morum, loco ipſius ſubſtituitur iudicium noſtrum pro libito noſtræ voluntatis formatum. O infelix Regnum, in quo Deus non regnat! Non permittat nos Deus vivere in tali Regno, in quo tradimur propriæ voluntati, & iudicio voluntario noſtro gubernandos. Sileo plura, quæ mens offert.

§. IV.

Solvuntur duo obiecta, quibus præcedens doctrina magis explicatur.

170 OBIJCIES: Non poteſt negari, quod divina lex attemperetur, & accommodetur iudicio noſtro, & noſtræ conſcientiæ: ergò male hoc inferimus pro abſurdo, vel ex hoc alia abſurda deducimus. Antecedens probatur, qui negari non poteſt Deum lege reflexa permittere plura, quæ directè prohibet, ſi nos bona fide, & invincibilitèr iudicaverimus eſſe licita: ergò datur lex reflexa, quæ accommodatur noſtræ conſcientiæ iudicio. Probatur antecedens, quià negari nequit eſſe licitum ſequi conſcientiam invincibilitèr erroneam, & etiam opinionem longe probabiliorem ſua contradicente, etiam quando eſt falſa; ſed tunc caſus ſequi conſcientiam erroneam, aut illam opinionem falſam eſt eligere obiectum, quod exiſtimatur licitum, re ipſa tamèn eſt directè, & per ſe prohibitum: ergò negari nequit tunc nobis eſſe licitum eligere obiectum directè, & per ſe prohibitum, dum à nobis exiſtimatur licitum; ſed implicat id nobis licere, niſi per legem, aut licentiam reflexam Dei: nàm per directam ſupponimus eſſe prohibitum: ergò neceſſum eſt ponere in Deo legem reflexam accommodatam noſtro iudicio, per quam liceat nobis eligere, & facere opus directè prohibitum, dummodo à nobis iudicetur licitum.

171 Reſpondeo primo, quod etiam ſi admitteremus legem reflexam permittentem, per quam nobis liceret ſequi conſcientiam invincibilitèr errantem, aut opinionem longè probabiliorem ſua contradicente, minus ſequeretur abſurdum, quàm ſi admittamus legem reflexam, per quam nobis liceat iudicare de moribus pro arbitratu noſtro ſecundum quamlibet opinionem æquè, aut munus probabilem ſua contradicente. Nàm per hanc ſecundam legem Deus in præcipiendo, & prohibendo ſubordinaretur, vel, ſi mavis dicere, attemperaretur, arbitrio noſtro, & voluntati, cui concederet facultatem iudicandi quodlibet, & ſecundum quodlibet operandi intrà latiſsimos fines probabilitatis: quod ſanè ſtupenda perverſio eſſet. Attamen per primam legem reflexam

reflexam ſemper maneret homo obligatus advitandum errorem pro poſſe in iudicio de moribus, ad iudicandum pro poſſe ſecundum veram Dei legem, ad iudicandum id, quod ſibi ante omnem affectum ſuæ voluntatis magis probabile, & magis rationi conſonum videretur, ad non eligendam opinionem pro arbitratu, pro imperio, aut ex affectu voluntatis, ſed vnicè illam, quàm ratio ipſa rectè perpenſa ante omnem voluntatis affectum deſignaret; àc proinde obiectum eſſe licitum, vel prohibitum operanti non conſtitueretur in electione, & arbitrio ipſius, nec divina lex in præcipiendo, aut prohibendo, aut permittendo hoc præ illo ſubordinaretur, nec attemperaretur arbitrio, & electioni voluntatis noſtræ, ſed ſolum ſubordinaretur, aut attemperaretur rationi determinanti opinionem probabiliorem ante omnem affectum noſtræ voluntatis; quod longe minus abſurdum eſt, quàm divinam legem ponere attemperatam arbitrio, & electioni noſtræ voluntatis: ità vt in regno probabilitatis id nobis per divinam legem liceat, quod voluerimus pro libito iudicare licitum: id non liceat, quod voluerimus iudicare illicitum, conſtituendo in arbitrio voluntatis quodlibet ex probabilibus contradicentibus iudicare.

172 Secundò reſpondeo negando antecedens ad probationem, nego item antecedens; ad probationem, diſtinguò maiorem: negari nequit eſſe licitum ſequi conſcientiam erroneam, & opinionem probabiliorem, etiam quandò eſt falſa, licitum, inquam, negativè, concedo maiorem: licitum poſitivè, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione conſequentis, paritèr diſtinguo minorem ſubſumptam, & nego vltimam conſequentiam. Ità que dicimus negativè licitum, quod non cadit ſub lege vlla Dei, nec permittente, nec prohibente, nec præcipiente. Huiuſmodi cenſemus eſſe ſequelam conſcientiæ invincibilitèr errantis: hanc enim Deus nulla lege præcipit, prohibet, nec permittit, & ratio eſt, quià leges Dei ſolum ſunt circa ea, quæ nobis ſunt, vel poſſunt eſſe voluntaria, non circa ea, quibus repugnat eſſe voluntaria. Huiuſmodi autem eſt ſequela conſcientiæ invincibilitèr errantis in eo, in quo errat; quià qui invincibilitèr errat, ſicut involuntarie omninò errat, ità involuntarie ſequitur errorem; eſt enim omninò contra ſuam intentionem errorem ſequi, cùm potius ipſe in ipſo actu, eo tendat vt ſequatur, & operetur iuxta veram, & rectam conſcientiam, & iuxta veram Dei legem. Sequitur ergò manifeſtè quod ſequela conſcientiæ errantis, vt errantis, non cadit ſub aliqua Dei lege, ſed, vtpote quid omninò involuntarium, eſt extra legem omnem, & ideò eſt licitum negativè. Non quidem per aliquam Dei legem, nec directam, nec reflexam, ſed potius quià incapax legis, ſeu quià nequit cadere ſub lege. Vide ſupra dicta quæſt. 6. num. 34. Item dicitur licitum negativè, non poſitivè, quià eſt excuſabile à culpa, non tamen poſitivè honeſtum, vt probatum manet quæſt. 5. & item dicitur etiam negativè licitum, quià licet ſit re ipſa lex prohibens opus illud, quod ex conſcientia erronea iudicamus licitum; illa tamen lex non obligat, tunc in conſcientia propter invincibilem eius ignorantiam, àc proinde talis lex tunc defectu cognitionis ipſius, & applicationis, licet non defectu prohibitionis, negativè permittit quod eligatur obiectum à ſe prohibitum. Et idem dicimus de opinione probabiliori ſua contradicente, quandò fundat conſcientiam invincibilitèr errantem.

173 Obijcies ſecundò: negari nequit legem Dei limitari in ſua vniverſalitate per noſtram ignorantiam, aut errorem invincibilem: ità, vt non comprehendat ſua vniverſalitate illos, qui eam ignoraverint, vel per errorem iudicaverint invincibilitèr illam non dari; ſed ſi hoc admittatur, nullum eſt abſurdum quod ſimilitèr limitetur per iudicium probabile de non exiſtentia legis: ergò iniuſte id pro abſurdo reputamus. Maiorem probabis, quià lex Dei, v.g. prohibens dimidiare confeſſionem non comprehendit ignorantes invincibilitèr talem legem: ergò limitatur in ſua vniverſalitate per noſtram ignorantiam. Antecedens probatur, quià chimerica eſſet lex prohibens dimidiare confeſſionem eis, qui talem legem ignoraverint; ſed talis lex non eſt chimerica: ergò non comprehendit eos, qui illam ignoraverint.

174 Reſpondeo, ſicut ad præcedentem obiectionem, primò dato, quod lex in vniverſalitate præcipiendi per noſtram ignorantiam, aut errorem invincibilem, limitetur, male inde inferri limitandam eſſe ſimilitèr per æqualem, vel minorem probabilitatem in contra, ſeu per iudicium arbitrarium probabile de non exiſtentia legis. Nàm hoc longe maius abſurdum eſt, quàm primum, cùm ſit tribuere facultatem, & licentiam hominibus intra probabilitatis latiſsimam ſphæram, vt pro ſuo arbitratu poſsint limitare divinam legem quantum ad vniverſalitatem præcipiendi, aut prohibendi, quod omni abſurdo intollerabilius eſt; quod tamen

non

non ſequitur ex primo modo limitandi legem, cùm ibi ſolum limitetur per ignorantiam invincibilem, aut invincibilem errorem, talem ante omnem affectum noſtræ voluntatis. Vndè non ſequitur legem in præcipiendo limitari pro arbitratu noſtro.

175 Secundo reſpondeo, negando maiorem: ad cuius probationem diſtinguo antecedens: non comprehendit in obligando formaliter eos, qui eam ignoraverint, concedo antecedens: non comprehendit in prohibendo, ſub diſtinguo: non comprehendit eos reduplicative vt ignorantes, cõcedo antecedens: non comprehendit eos ſpecificative, nego antecedens, & conſequentiam. Ex qua doctrina, ad probationem antecedentis dicimus: inqualibet lege præcipiente, vel prohibente duo eſſe diſtinguenda munera. Primum, dictandi, præcipiendi, aut prohibendi. Secundum obligandi. Primum munus exercet lex pro priori ad ſecundum, independenter etiam, & pro priori antequam cognoſcatur à ſubdito. Evidentiſsimum enim eſt quod antequam ſubditus cognoſcat ſuperiorem præcipere, aut prohibere aliquid, ſuperior ſua lege aut mandato illud prohibet, vel præcipit. Non enim ideò ſuperior aliquid præcipit, quià ſubditus cognoſcit, aut iudicat ſuperiorem illud præcipere; ſed ideò ſubditus verè cognoſcit, & iudicat ſupetiorem illud præcipere, quià ſuperior illud præcipit. Sequitur ergò manifeſtè legem in præcipiendo, aut prohibendo omnino priorem, & independentem eſſe à cognitione ſui per ſubditum. Econtrà autem ſe habet in obligando formaliter, non enim ideò quis cognoſcit ſuperiorem præcipere, quià eius præcepto obligatur formaliter, ſed potius eius præcepto obligatur formaliter, quià illud cognoſcit. Ad hoc enim vt præceptum actu, & formaliter obliget ſubditum, requiritur per modum eſſentialis conditionis, quod præceptum exiſtat intentionaliter in mente ſubditi, & ab eo cognoſcatur; & ideò obligat formaliter, quià cognoſcitur, *ly quià* dicente conditionem eſſentialem. Non tamen ideò præcipit formaliter, quià cognoſcitur, ſed omnino antequam cognoſcatur.

176 Ex qua doctrina, quam Moderni frequentèr confundunt, manifeſtè ſequitur legem ſuperioris limitari poſſe in obligando formaliter per ignorantiam, aut errorem ſubditi: quià eo ipſo quod penitus ignoretur, aut iudicetur per errorem eam non eſſe, non obligat formaliter errantem, aut ignorantem; ſed per errorem aut ignorantiam eximitur ab eius obligatione actuali, & formali. Attamen chimericum eſt quod lex ſuperioris limitetur in præcipiendo, aut prohibendo per ignorantiam, aut errorem ſubditi, quià ſuperiorem præcipere, aut prohibere aliquid ſubditis, eſt quid omnino prius, & independens à cognitione, vel nõ cognitione ſubditorum: impoſsibile autem eſt quod lex, quę preintelligitur, omnino ante cognitionem, vel non cognitionem ſubdictorũ, præcipiens, vel prohibens, limitetur in vniverſalitate præcipiendi, vel prohibendi per cognitionem, aut ignorantiam ſubditorum, cùm intelligatur ante talem cognitionem, vel ignorantiam omnibus vniverſalitèr præcipiens, ad quos ex propria intentione legiſlator dirigit legem, & præceptum. Quod ſi poſtea aliquis, vel aliqui ſubdicti talem legem invincibilitèr ignoraverint, efficietur quidem quod à tali lege non obligentur formaliter, aut actualitèr defectu applicationis, minimè tamèn efficietur quod legiſlator ad eos non direxerit ſuam legem, eis non præceperit, aut eos in vniverſalitate ſuæ legis non comprehenderit.

177 Et cùm vrges, quod tali lege non poteſt comprehendere ignorantes illam invincibilitèr, dico, quod eos non comprehendit reduplicative, vt ignorantes; quià lex impoſita ſubditis non reſpicit ex parte obiecti ſubditos, nec reduplicative, vt ignorantes legem, nec reduplicative vt illam ſcientes, & cognoſcentes, non enim imponitur lex eam ſcienti, & cognoſcenti, ſed antequam illam cognoſcat, vt poſtea illam cognoſcendo, ſecundũ illam iudicet de moribus, & operetur. Quod ſi ex aliquo accidenti eam non cognoverit poſtea, per hoc non aufertur quod re ipſa ipſi fuerit impoſita lex, & ad eum directa, non quidem ad eum reduplicative vt ignorantem, ſed ad eum ſpecificative, hoc eſt, ad eum, qui de facto legem ignorat, reduplicative vt ſubditum.

178 Ex quo vlterius ſequitur evidentèr contra Terillum, quod ſi ille exerceat opus directè prohibitum per legem à ſe ignoratam, materialitèr, & prætèr intentionem, re ipſa tamen, tranſgredietur obiectivè legem prohibentem, ſeu terminum ab ea præſcriptum, quandoquidem re ipſa exercet opus, quod re ipſa eſt ſibi prohibitum lege ipſum re ipſa comprehendente ſua vniverſalitate, licet per accidens defectu cognitionis ipſum non obligante. Infertur etiam qualitèr diuina lex ſit prima regula iudicandi de moribus, & operandi. Cùm enim de ratione primæ re-

regulæ in aliquo genere ſit intelligi fixam, firmam, & immobilem ante omne regulatum, vt ad normam illius cetera regulentur ſecure; indè eſt quod in noſtris principijs rectè intelligitur, qualitèr illa ſit prima, & vniverſalis regula iudicandi de moribus, formandi conſcientiam, & operandi: nàm ipſa ante omne iudicium noſtrum de moribus, ante noſtram conſcientiam, & operationem intelligitur præcipiens, quod præcipit, prohibens quod prohibet, conſulens quod conſulit, permittens quod permittit, & omnes reſpiciens, & comprehendens, quos re ipſa ex determinatione Dei comprehendit; & hoc adeò immoviliter, & inflexibiliter, vt quanvis mille opiniones probabiles inſurgant in mundo contra illam, quantumvis ingenia mille rationibus contra illam militent, ipſa tamèn immobilis ſemper perſeverat, eoſdem terminos inflexibiliter deſignans, & conſtituens humanis moribus. Nam vt rectè, & eleganter dixit Sinnichius citatus à Magiſt. Gonet. in præſenti num. 21. *Tàm non poteſt humana ſolertia ad ſemitam Cœli addere digitum vnum latitudinis, quam non poteſt ad ſtaturam hominum addere cubitum vnum longitudinis. Etenim, qui vitæ conſtituit terminos, qui præteriri non poterunt, ipſe conſtituit viæ Cœli terminos, qui dilatari non poterunt: ipſe quoque conſtituit viæ Tartari terminos, qui contrahi non poterunt. Atque adeò, & illa permanet arcta, prout ab ipſo conſtituta eſt, & iſta perſeverat ſpacioſa, prout ipſo conſtituta eſt.* Lex enim divina non eſt regula lesbia, quæ hominum opinionibus trahatur ad permittendum, quod ipſi opinentur vt licitum.

179 Indè ſequitur, quod ſi homines ipſam legem ignorent, ſi contra illam opinentur, & iudicent de moribus, & ſecundum tales opiniones formentur conſcientiam, & operentur, ipſæ opiniones falſæ erunt, conſcientia erit erronea, operatio re ipſa defectuoſa, quià omnia hæc tunc caſus contra regulam primam veritatis moralis, & practicæ procedunt, ſcilicet contra veram Dei legem, cui contrariantur, & à qua diſcordant. Et ſiquidem ab illa diſcordaverint culpabiliter, aut voluntariè, non excuſabuntur à culpa: excuſabuntur tamèn, ſi pro poſſe ſuo humano intendentes iudicare ſecundum veram Dei legem, & non contra illam, nihilominus erraverint; quià tunc caſus invincibiliter, & involuntariè, diſcedent à regula prima. Et hæc eſt noſtra Theologia, & non alia. At quo pacto conatur pro poſſe ſuo iudicare ſecundum veram Dei legem, qui pro arbitratu ſuo eligit iudicare ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem in favorem libertatis, contempta probabiliori pro lege?

180 Sed inquires: quænam Dei lex ſit prima regula morum? An directa ſolum, àn reflexa, àn vtraque ſimul? Reſpondeo, ſolam directam directe reſpicientem obiecta eligibilia à noſtra voluntate eſſe primam regulam morum. Nàm, ſi detur aliqua lex reflexa prohibens electionem obiecti directe, & per ſe prohibiti, ideò prohibet illam electionem, quià ipſa eſt mala moraliter, & contra legem directam; non autem illa electio eſt moraliter mala, quià prohibita reflexe, ſed quià eſt tendentia voluntaria in obiectum directe prohibitum. Vndè prima regula vndè ſumitur malitia illa moralis eſt lex directe prohibens obiectum, non ea, quæ reflexe prohibet electionem. Secundò, quià omnis lex reflexa neceſſario ſupponit directam, & non poteſt præcipere prohibere, aut permittere contra directam, ſed neceſſario illi ſe conformat, vt probatum manet; quià in Deo non poſſunt dari leges contrariæ, & diſcordes: ergò reflexa, ſi datur, arregulatur directæ: ergò directa eſt prima regula moralitatis, & non reflexa. Sed de his poſtea forsàn reddibit ſermo.

ARTIC. IV.

An opinio æquè, vel minus probabilis ſua contradicente ſit tuta regula conſcientiæ, vel morum.

181 NON Eſt dubium, àn ſit recta regula: nàm quod ſit recta regula pendet ex eo quod ſit conformis veræ legi Dei, quæ ſola eſt prima regula; de opinione autem minus, vel æquè probabili ſua contradicente ſciri non poteſt quod ſit re ipſa conformis legi Dei, ſicut nec ſciri poteſt illam eſſe re ipſa veram; vndè nec ſcire poſſumus quod ſit regula recta. Solum igitur dubitamus àn ſit regula tuta, & ſecura quoad nos, hoc eſt, ſecuritate morali, & humana?

CONCLVSIO EST NEGATIVA.

QVAM Non melius probabimus, quam formando quartam probationem pro principali ſententia, in cuius primo ſillogiſmo, minor ſit concluſio præſentis articuli; hoc pacto.

Præ-

§. I.

Probatur quarto principalis ſententia, & concluſio præſentis articuli.

182 QVARTO Igitur probatur aſſumptum principale, quià nemini licet operari ſecundum opinionem, quæ non eſt regula tuta honeſtatis, ſed valde dubia, & periculoſa; *ſed opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris, non eſt regula tuta, ſed valde periculoſa, & dubia honeſtatis*: ergò nemini licet operari ſecundum opinionem minus probabilem in conſpectu probabilioris, vel æquè probabilis. Minor probatur, quià opinio minus, aut æquè probabilis eſt indifferens vt ſit conformis, vel diſconformis cùm prima regula morum, id eſt, cùm divina lege; ſed huiuſmodi opinio ſic indifferens non eſt regula tuta honeſtatis humanæ: ergò. Maior probatur: nàm opinio minus probabilis, ſi eſt vera, eſt conformis cùm vera Dei lege, ſi eſt falſa, eſt diſconformis; ſed indifferens eſt vt ſit vera, vel falſa: imò, omnibus rationibus, & motivis pro ipſa, & contra ipſam libratis, magis inclinat in falſitatem, quam in veritatem: nàm potiora ſunt motiva, quæ probant ſuam contradictoriam eſſe veram, & ipſam falſam, quam quæ probant ipſam eſſe veram: ergo indifferens eſt, vel potius magis inclinat indiſconformitatem ad legem, quam in conformitatem,

183 Explicatur: motus cœleſtis eſt prima regula temporum, horologium ſecunda. Demus aliquod horologium, quod ex ſe ſit indifferens vt conformetur cùm motu cœleſti, vel ei contrarietur, quodque æquali contingentia, vel maiori poſsit deſignare horam contrariam horæ deſignatæ per motum Cœli, àc eandem, vel conformem. Nunquid tale horologium dici poſſet regula ſecura temporum? Aut quis prudentèr poſſet eo horologio vti ad ſuas actiones tempore determinato agendas? Nemo ſanè. Et quare? quià tale horologium æquè indifferentèr ſe haberet ad deſignandam horam falſam, quam horam veram. Tunc ſic, ſed opinio minus probabilis æquè indifferentèr ſe habet ad deſignandam legem falſam, quam legem veram, honeſtatem obiectivam falſam, & fictam, quam veram: æquè vel magis probabilitèr diſcordat à lege æterna prima regula morum, quam illi concordat: ergò opinione minus probabili vti non poſſumus ad honeſtè operandum.

184 Terillus primo reſpondit quæſt 28. num. 14 hoc ad ſummum probare regulam datam hominibus pro incertis debere eſſe plerumque ſaltèm connexam cùm veritate, quam cùm falſitate; hoc autem verum eſſe, nec ſibi contrarium: nàm ipſa probabilitas, etiàm minor, eſt apparientia veritatis, quæ ex vi ſuæ magnitudinis plerumque connectitur cùm veritate, vt à ſe oſtentum ſupponit quæſt. 2. num 11. Sed contra: nàm minor probabilitas vnius partis contradictionis collatæ, & librata cùm maiori probabilitate alterius partis cõtradictionis, impoſsibile, & chimericum eſt, quod plerumque connectatur cùm veritate ſuæ partis, quam cùm falſitate, niſi velis dicere ex contradictorijs inæqualitèr probabilibus pluries verificari partè, quæ minus veroſimilis, & minus probabilis eſt, quam quæ eſt magis veroſimilis, & magis probabilis: quod eſt contra ipſum lumen naturæ: ergò.

185 Si autem Terillus loquitur de minori probabilitate, non vt collata, & librata cùm probabilitate maiori partis oppoſitæ, ſed ſumpta ſecundum ſe, vt videtur loqui; non eſt ad rem. Nàm ad eligendam opinionem probabilem pro regula operandi, & iudicandi, debet librari eius probabilitas, cùm probabilitate partis oppoſitæ, eius motiva cùm motivis partis oppoſitæ, & ex tali collatione facta deliberatè eligi quæ magis veritati annexa videtur. Si enim liceret tantum, & vnicè conſiderare motiva, quæ ſtant pro vna parte, omnes hæretici & infideles in tuto eſſent, ſiquidem abſdubio in ſuis ſectis nituntur motivis, quæ in ſolidum conſideratis, & non collatis cùm motivis noſtræ fidei, magnam probabilitatem, & veriſimilitudinem haberent, licet facta collatione, & in ſtatera fideli libratis, motiva infidelium nulla ſint.

186 Reſpondet ſecundò Terillus, num. 19. quod quando dicitur opinio minus probabilis regula morum, non ſumitur opinio probabilis, aut eius motiva, vt purè apprehenſa apprehenſione prævia ad iudicium: nàm vt ſic, ſolum eſt regula remota, quatenus ſufficit vt intellectus ſuperaddat iudiciũ prudens dictans obiectum eſſe honeſtum. Et hoc iudicium eſt regula obiectiva morum quoad nos. Hæc autem regula, ſivè hoc iudicium non eſt indifferens, vt ſit, vel non ſit conformis legi æternæ, quià fundat iudicium reflexum evidens, quo intellectus certificatur, quod obiectum ſubſtans tali dictamini ſit hic & nunc conforme legi æternæ. Itaque Terillus primo, ſeu (vt clarè loquamur) in primo

mò ſigno conſiderat probabilitatem, ſeu motiva pro vtraque parte contradictionis, vt pure apprehenſa duplici apprehenſione, vna quæ proponit motiva pro parte affirmativa ſolicitando intellectum ad aſſentiendum; alia quæ proponit motiva pro parte negativa ſolicitando ſimilitèr intellectum ad aſſenſum ipſius. In ſecundò ſigno conſiderat intellectum ex imperio voluntatis actu aſſentientem parti minus, aut æquè probabili, & ſecundum illam iudicio prudenti directo iudicantem obiectum eſſe honeſtum, & licitum. In tertiò denique ſigno conſiderat intellectum reflectentem ſupra illud iudicium directum, & conſiderantem obiectum vt ſubſtans illi iudicio directo de eius honeſtate; & de illo ſic conſiderato evidenter affirmantem iudicio reflexo eſſe honeſtum, & conforme hic, & nunc legi æternæ. De probabilitate æquali, aut minori apprehenſa in primò ſigno affirmat ſolum eſſe regulam remotam obiectivam: de iudicio directo prudenti electo in ſecundò ſigno affirmat eſſe regulam obiectivam proximam. De iudicio reflexo evidenti in tertiò ſigno concepto affirmat eſſe regulam formalem.

187 Rurſus: de probabilitate apprehenſa in primò ſigno, vt comparativè collata, conſentit quod non magis connectatur cùm parte affirmativa, quàm negativa, nec cùm veritate affirmativæ magis quàm cùm eius falſitate; & quod probabilitas apprehenſa in illo ſigno indifferens eſt vt pars affirmativa, v.g. ſit conformis, vel diſconformis legi æternæ. Attamen iudicium prudens directum de honeſtate obiecti elicitum in ſecundò ſigno eſſe complementum determinans illam probabilitatem indifferentem, ità vt, addito illo iudicio, iàm obiectum vi illius ſit magis probabilitèr honeſtum, & prudentèr iudicatum vt honeſtum, & licitum: conſequètèrque non indifferens, vt ſit conformè, vel diſconformè cùm lege Dei, ſed determinate conformè. Ac denique illud iudicium directum fundare immediate, & proximè aliud reflexum, quo intellectus de obiecto, vt ſubſtanti iudicio directo de eius honeſtate, affirmat evidentèr eſſe honeſtum hic & nunc: & hoc vltimum iudicium eſſe regulam formalem proximam moralitatis infallibilitèr conformem legi æternæ reflexæ exiſtenti per accidens in Deo. Et hæc tota machina, arſque ſubtiliſsima formandi conſcientiam iuxta Terillum, & Reflexiſtas. Quàm ità diluci de explicare volui, ne de inceps contrarij nobis improperent, quod Terillus num. 14. dicens: *Adverſarij autem qui non intellexerunt hoc myſterium aerem verberant.* Sed examinemus iàm myſterium.

188 In primis quidem, quantum ad probabilitatem, pro vt apprehenſam in primò ſigno, convenio cùm Terillo, nego tamen quod illa, ſi minor eſt, aut tantum æqualis cùm probabilitate partis oppoſitæ, ſit nec etiam remota regula honeſtatis, in eo ſenſu quod ſit ſufficiens, vt intellectus vi illius formet iudicium directum prudens de honeſtate obiecti, quod iàm declaro, veniendo ad ſecundum ſignum. In illo ergò dicit Terillus intellectum ex imperio voluntatis iudicare prudentèr directè obiectum eſſe licitum. Hic labor, hic tota difficultas. Quomodo hoc iudicium eſt prudens? Quomodo voluntas eligens iudicare ſecundum opinionem immediate ante talem electionem magis falſo ſimilem, quàm veriſimilem, minuſque probabilem, quàm ſua contradictoria, & hoc in materia morali vbi eſt diſsidium de peccato, vel non peccato mortali, prudentèr eligit? Hic, hic eſt, in hoc ſecundo ſigno vbi oportet contrarijs gradum ſiſtere, & mature conſiderare quod dicunt, antequam veniant reflexiones, prius enim conſiderare debent fundamentum, quàm faſtigium, vt faſtigium evadat firmum.

189 Siſtendo igitur in hoc ſecundò gradu iudicij directi, inquiro ab ipſis: quà regula regulatur proximè, & immediatè hoc iudicium directum, & electio voluntatis, quà eligit ſic iudicare ſecundum opinionem minus probabilem? Sanè ibi alia regula non ſupponitur, niſi minor probabilitas apprehenſa in primò ſigno, quæ ſanè indifferens eſt, vel magis inclinans in diſconformitatem cùm prima regula, ſivè cùm lege Dei vera, quàm in conformitatem cùm illa: ergò talis probabilitas non eſt regula prudentèr eligibilis ad iudicandum ſecundum illam de vera Dei lege, aut de vera honeſtate obiectiva: egò cùm eligis iudicare ſecundum illam minorem probabilitatem, eligis iudicare ſinè regula prudentèr eligibili, vel ſecundum regulam indifferentem ad deſignandam honeſtatem veram, vel falſam, & magis inclinantem ad falſam. Eligeres ne ad iudicandum de horis temporis ſimile horologium? Non ſanè. Ergò in illa electione opinionis in illo iudicio directo ſecundum opionem minus probabilem eligis, ac iudicas ſinè regula.

190 Forſan dices: dari legem reflexam evidenter ſibi notam, quà tibi con-

concedit Deus pro licito, & prudenti quod poſsis pro libito eligere, àc iudicare ſecundum opinionem quamlibet, ſivè minus, ſivè magis probabilem ſua contradicente: àc proinde in tali iudicio directo te eligere, & iudicare ſecundum primam regulam tibi evidentèr notam. Sed cave nè decipiaris in hac evidentia. Nàm ſi in illa deciperis, nec rectè, & prudentèr eligis, nec rectè, & prudentèr iudicas in illo. Imò, ſi eſt in materia gravi de peccato, vel non peccato mortali, evidentiſsime te exponis periculo probabili peccandi mortalitèr; & eo ipſo de facto peccas mortalitèr. Vt autem incautè non decipiaris, quod incontra habeo ſic tibi propono: implicat in terminis, indecentiſsimaque eſt Deo lex, qua tibi indulgeat pro licito eligere, & iudicare directe de moribus in materia gravi, ſivè contra, ſivè iuxta eius legem directam; ſed lex, qua tibi indulgeret pro licito iudicare de moribus in materia gravi ſecundum quamlibet opinionem, ſivè magis, ſivè minus probabilem ſua contradicente, eſſet huiuſmodi: ergò talis lex implicatoria eſt, & indecentiſsima Deo: ergò tibi non eſt evidentèr nota: ergò deciperis, ſi hoc dicis. Si autem deciperis, & ſic eligis, peccas mortalitèr. Proinde quæſo te id conſideres: nàm hæc non eſt materia levis.

§. II.

Exemplo aptiſsimo confirmantur dicta.

191 ESSET Nè prudens Rex, qui leges directas ſalutares Reipublicę ſtatueret, & poſtea reflexè concederet facultatem ſubditis, vt eligerent Interpretem ad iudicandum de ſuis legibus directis, qui indifferentèr interpretaretur, ſivè exponeret iàm contra, iàm iuxta tales leges, & qui plerumque contra, quam iuxta leges dictaret? Eſſet nè prudens Medicus, qui præciperet infirmo dare pharmacum hora determinata, & poſt indulgeret facultatem aſsiſtenti iudicandi de horis ſecundum horologium, quod indifferens eſſet ad deſignandam horam veram, vel falſam? Minimè. Sed Deus eſt prudentiſsimus legiſlator, & Medicus: ergò imputari nequit ipſi ſinè indecentia, quod tibi vltro conceſerit pro licito, quod eligas iudicare de moribus ſecundum opinionem minus probabilem, de qua ante talem electionem non tibi magis conſtat quod moſtrabit honeſtatem veram, quàm falſam: imò, ſi eſt minus probabilis, potius eſt veroſimile quod monſtrabit honeſtatem falſam.

192 Sed dices cùm Terillo num. 19. æqualem, aut minorem probabilitatem non eſſe, ſicut horologium omnino indifferens ad deſignandam horam veram, vel falſam, ſed ſicut horologium ex ſe quidem indifferens, cui tamèn, ſi eius dominus voluerit poteſt addere diſpoſitionem, vi cuius deſignet horam veram determinate. Nàm ſicut horologium tunc caſus per motum prævium ſui domini rectè diſponeretur ad horam veram demoſtrandam; ità obiectum directe minus probabile, ſi prudentèr credatur eſſe licitum, talitèr diſponitur, vt non ſit amplius indifferens ad bonum, & malum, ſed determinatè connectitur cùm honeſtate formali electionis ad ipſum terminatæ

193 Sed contra eſt manifeſte: nàm dominus illius horologij deberet prius rectè diſponere illud antequam per illud iudicaret de vera hora: & ridendus eſſet, ſi abſque vlla præcedenti diſpoſitione diceret, per hoc præcisè, quod ſecundum illud iudicavero prudentèr eſſe horam ſextam, diſponitur rite ad demonſtrandam horam ſextam.

194 Tunc ſic: ergò opinio minus probabilis de honeſtatè obiecti, quæ eſt indifferens, vt potius affirmet in obiecto honeſtatem falſam, quam veram, antequam ſecundum illam feratur iudicium directum de honeſtate obiecti debet ipſa diſponi aliqua diſpoſitione prævia, vi cuius ante iudicium directum ſecundum illam, ipſa iàm determinatè demonſtret honeſtatem veram, præ falſa. Dicere autem quod abſque alia diſpoſitione prævia, præcisè per hoc quod ſecundum illam prudentèr iudices obiectum eſſe honeſtum, ritè diſponitur vt deſignet veram honeſtatem obiecti, eſt manifeſtè ſupponere falſum: nàm ſupponis intellectum poſſe iudicare prudenter ſecundum illam, quam vnicè ſupponis indifferentem ad veram, vel falſam honeſtatem obiecti. Hoc enim eſt quod per ſe apparet imprudentiſsimum, & quod Terillus non deberet ſupponere tanquam prudens, ſed explicare nobis quali diſpoſitione diſponitur opinio minus probabilis, vt poſsit intellectus ſecundum illam prudenter iudicare directè de vera honeſtate obiecti. Nàm ſicut horologium debet ritè diſponi antequam ſecundum illud velimus iudicare prudentèr de horis, ità opinio deberet ritè diſponi antequam velimus ſecundum illam prudentèr iudicare directè de honeſtatè obiecti. Antecedentèr autem ad ſuum

velle

velle opinio minus probabilis talitèr non diſponitur, ſed per te manet immediatè autè minus probabilis, hoc eſt ex motivis oppoſitis potius deſignans honeſtatem falſam, quam veram.

194 Dicere vero quod per ipſum iudicium, ſecundum talem opinionem, *obiectum ità diſponitur, vt non ſit amplius indifferens ad bonum, & malum, ſed determinatè connectitur cùm honeſtate electionis ad ipſum terminatæ*, eſt paulatim, & ſubtiliter, ſubtèr fugere difficultatem. Difficultas enim præſens eſt in iudicando prudentèr directè de honeſtatè obiecti: hoc enim prius debet examinari, & ſtabiliri, vt poſtea valeas reflexè iudicare prudentèr de honeſtatè electionis ad tale obiectum terminatæ. Declinare autem difficultatem ab illo iudicio directo circa honeſtatem obiecti, & diſputationem vertere ad iudicium reflexum de honeſtate electionis ad ipſum terminatæ eſt ſubtèrfugium manifeſtum. Siſte igitur in illo iudicio directo de honeſtate obiecti. Qualitèr, interrogo, per tale iudicium directum obiectum ipſius diſponitur vt nõ ſit amplius indifferens ad bonum, & malum, ſed determinatè honeſtum, ſeu connexum cũm honeſtate ſui? Hoc ſanè prorſus chimericum eſt, primo: nàm iudicium illud directũ de honeſtate obiecti non poteſt facere, ſed debet ſupponere ſignatè ex parte obiecti honeſtatem, quam affirmat: ergò ſi ſupponit obiectum, attentis motivis probabilibus vtrinque militantibus, indifferens ad honeſtatem, vel inhoneſtatem, & non ſupponit illud determinatum potius ad honeſtatem, quam ad inhoneſtatẽ, implicat quod per tale iudicium directum obiectum ipſius iudicij directi reddatur determinate honeſtum, ſeu connexum determinate cùm ſui honeſtate obiectiva. Antecedens probatur: nàm iudicium directum de honeſtate obiecti non poteſt facere, ſed debet ſupponere ſuum verificativũ obiectivum; ſed verificativum obiectivum illius iudicij eſt obiecti honeſtas, quam affirmat: ergò non poteſt facere, ſed debet ſupponere honeſtatẽ, quam affirmat. Maior probatur: nàm ſi iudicium intellectuale noſtrum poſſet non ſupponere, ſed facere verificativum obiectivum ſui, ſequeretur tale iudicium eſſe à priori verificativũ ſui ipſius, ſeque ipſum verificare obiectivè. Ex quo vlterius ſequeretur, vel quod eſſet regula ſuæ propriæ veritatis, vel potius quod per identitatem eſſet ſua veritas, quod eſt proprijſsimum attributũ iudicij divini, & nulli iudicio creato conceſsibile.

196 Rurſus: obiectum illud, immediate ante tale iudicium, ex motivis vtrinque militantibus æquè apparebat inhoneſtum, & prohibitum, quam licitum, & honeſtũ, & æquè indifferentèr ſe habebat ad vtrũlibet. In ſigno tamẽ talis iudicij, iàm dicis, illud idem obiectum re ipſa eſſe determinate honeſtũ Cùr? à te inquiro. Sanè aliud reſpondere non vales, niſi *quià iudicare voluiſti illud eſſe honeſtũ, & licitum*: ergò quid, quid iudicare volueris eſſe tibi honeſtum, & licitum, illud re ipſa erit honeſtum, & licitum obiective: ergò quidquid iudicare volueris vt legi Dei conforme, illud re ipſa erit legi Dei cõforme: ergò tua voluntas, tuumque dictamen directum eſt prima regula honeſtatis obiectivæ, potius quam divina volũtas, divinumque dictamen. Nàm etſi Deus re ipſa prohibuerit aliquod obiectum, ſi tamèn tù volueris iudicare illud eſſe licitum, & honeſtum, eo ipſo tù reddis illud obiectivè licitum, & honeſtum. Sanè ſi ità eſt ſęliciſsimam habes voluntatem, & intellectum, quinimo & divinam, quandoquidem talem habet virtutem, & efficaciã, vt quanvis obiectum quodlibet ex motivis prævijs indifferentèr ſe habeat ad honeſtatem, vel inhoneſtatem, & quanvis re ipſa ſit prohibitum, ſi tamèn tũ volueris illud iudicare honeſtum & licitum, ſtatim illud reddit re ipſa tibi honeſtum, & licitum.

197 Forsàn dices, tale iudicium directum, quod appellas prudens, de honeſtate obiecti, non reddere obiectum ipſius iudicij directi honeſtum, honeſtate ſibi correſpondente ex parte obiecti, & hoc ad ſummum probari noſtro argumento; ſed eſſe circunſtantiam, qua tale obiectum aliunde indifferens, diſponitur, & circunſtantiatur, ità vt ſi reflexè conſideretur per iudicium reflexum, invenitur, quod tale obiectum, vt ſubſtat iudicio directo de eius honeſtate, & vt ab illo circunſtantiatum eſt iàm honeſtum, & non prohibitum; quià dato caſu quod Deus prohiberet directè illud obiectum, tamèn nõ prohibuit ipſum conſideratũ vt ſubſtans iudicio directo de eius honeſtate, ſed ſolum ſecundum ſe. Sed contra, quià iterum fugis difficultatem de illo iudicio directo. Certè obiectum ipſius iudicij directi non eſt ipſum obiectum reduplicativè, vt circunſtantiatum ipſo iudicio directo; ni velis ipſum iudicium directũ, inquantũ directũ ſe ipſum reſpicere ex parte ſui obiecti, eſſeque ſui ipſius obiectũ verificativum, quod manifeſtè contradictionem implicat. Reſtat igitur obiectum verificativũ ipſius iudicij directi eſſe ipſum obiectũ, ſecundũ quod ſupponitur ante tale iudiciũ, & prout à tali iudicio diſtinctum: ergò ſi obiectũ ſic ſumptũ re ipſa eſt prohibitũ, & non licitũ, iudicium directũ re ipſa eſt falſũ

& non verum : ergò ſi obiectum prędicto modo ſumptũ, attentis motivis, indifferens omnino preſupponitur ad licitum, vel illicitum, iudicium manebit cùm æquali indifferentia, & contingentia ſuæ falſitatis ac veritatis : ergò iudicium illud non eſt prudens, ſiquidẽ iudicat obiectum eſſe honeſtum, abſque omni regula prævia eius honeſtatis, potius quam inhoneſtatis.

198 Veniamus iàm ad tertium ſignum, in quo intellectus iuxta contrarios reflectitur ſupra obiectũ, vt iudicatum honeſtũ per directum iudiciũ. Et dicunt, tunc iàm cognoſcere evidentèr quod obiectum illud eſt licitum & honeſtum hic & nunc, vt indutum, & diſpoſitum per iudicium directum, tanquam per circunſtantiam illud honeſtantem. Et ſi inquiras, quam regulam habet intellectus ad iudicandum reflexè evidentèr obiectum ſic diſpoſitum eſſe hic & nunc honeſtũ, & honeſtè eligibile? Reſpondet Teril. habere pro regula legem reflexam latam à Deo per accidens, vi cuius concedit pro licito eligere quodlibet obiectum ſic diſpoſitum illo iudicio directo voluntario.

199 Sed in primis hæc lex reflexa debet eſſe evidentèr tibi nota, vt ſecundum illam poſsis evidentèr iudicare reflexè de honeſtatè illius obiecti ſic diſpoſiti: illã autem legem reflexam eſſe evidentem quis credat? Secundo: nàm, vt probatum manet, iudicium illud directum eſt imprudens, & ſinè regula obiectiva honeſtatis, potius quam inhoneſtatis ſui obiecti, eſt mere voluntarium, quo voluntas nullã habens rationem maiorem, vt obiectum ſit honeſtũ, quam inhoneſtum, pro libito eligit iudicare illud eſſe honeſtum, & negare eſſe prohibitum; ſed huiuſmodi iudicium implicat quod ſit circunſtantia honeſtans infallibiliter & evidentèr obiectum, àc reddens illud honeſtè eligibile, vt per ſe patet : ergò implicat quod iudicium illud reflexum, quod in tertio ſigno hoc affirmat, ſit evidens, cùm potius ſit falſiſsimum. Nunquid enim evidens eſt, quòd obiectum, quod attentis motivis, & benè libratis, & collatis ad invicẽ, æquè vel magis ſe habet ad eſſe illicitum, & prohibitum, quam ad eſſe licitum, & honeſtũ, eſt, inquam, evidens quod ſi volueris pro tuo libito illud iudicare eſſe honeſtũ, illud tali iudicio imprudenti, voluntario, irregulato, & periculoſiſsimo, re ipſa honeſtas, reddiſque honeſtè eligibile, ità vt tibi certo conſtet quod erit honeſta electio ad illud terminata? Eſt nè hoc *myſterium*, quod nos non intelligimus, & ideo *aerem verberamus*? Conſidera ſanè Lector, & ſinè paſsione iudica.

ART. IV.

An proſit contrarijs recurſus ad diſtinctionem de probabilitate practica, & ſpeculativa?

200 MAgiſter Fer. cùm alijs Probabiliſtis, ferè omnibus argumentis pro noſtra ſententia vnicè reſpondet hac vnica, & perpetua diſtinctione : *Si opinio minus, aut æquè probabilis ſit certo practicè probabilis*, negat quod non ſit tuta regula conſcientiæ, quod licitè ſequi non poſsit, &c. *Si tantum ſit ſpeculativè probabilis*, concedit. Et hac ſola diſtinctione iudicat ſe dirimere litem præſentem. Sed eam ſenſu, quo ab ipſis intelligitur, iudicamus eſſe circulũ manifeſtum, illuſtrem petitionem principij, quinimo & implicare contradictionem. Vt autem hoc clarè oſtendam, ſigillatim omnes modos, quibus explicari poteſt practica probabilitas, referam, & ſecundum omnes dubio ſatisfaciam. Igitur.

CONCLVSIO EST NEGATIVA.

201 PRo Cuius oſtenſione noto primo, quod probabilitas practica & ſpeculativa multiplicitèr diſtingui poteſt. Primo iuxta generalem diſtinctionem practici & ſpeculativi. Sicut enim facultas ſpeculativa diſcernitur à practica ex fine, quià finis huius eſt praxis, ideſt, opus alterius potentiæ ab intellectu, finis vero illius eſt ſpeculatio veritatis : item ex modo procedendi, quià practica tendit modo directivo, ſpeculativa vero modo contemplativo : àc denique ex principijs proprijs, quià ſpeculativa nititur principijs ſpeculativis, practica vero principijs practicis. Ità probabilitas practica diſcerni poteſt ab ſpeculativa ijſdem capitibus, ità vt probabilitas practica ſit cuius finis eſt perſuadere aliquod opus efficiendum, ad quod tendit modò, directivo, dirigendo nimirum voluntatem ad illius electionem & executionem, & ex principijs practicis procedendo. Probabilitas vero ſpeculativa, cuius finis eſt ſola inquiſitio veritatis, abſque vlteriori ordine ad opus efficiendum, quæ procedit modo contemplativo, & ex principijs ſpeculativis. Ex quo.

Noto ſecundo, omnem probabilitatem per ſe ordinatam ad perſuadendum aliquod opus eſſe licitum vel illicitum turpè vel honeſtum, cavendum, vel fugiendum, de conſilio vel de præcepto, in eo gradu in quo fuerit talis probabilitas eſſe propriè practicam & non ſpeculativam. Patet nàm prædicta probabilitas per

ſe

se ordinatur ad opus fugiendum, vel eligiendum, tendit modo directivo voluntatis, ei nimirum ostendendo probabiliter, quid eligere, quid vitare debeat, & etiam ex principijs practicis scientiæ moralis; nàm hoc ex alijs principijs suaderi nequit: ergò in eo gradu, in quo fuerit probabilitas, erit propriè practica.

202 Explicatur primo: scientia moralis, sivè sit moralis Philosophia, sivè Theologia moralis, est propriè practica & non speculativa, non alia ratione, nisi quià tendit modo directivo, ostendendo voluntati quid agendum, quidve fugiendum sit: sed omnis probabilitas de licito vel illicito, de turpi vel honesto, &c. hoc modo tendit, persuadendo voluntati, quid agendum, quid vitandum sit ab ipsa: ergò omnis talis probabilitas est practica propriè, & non purè speculativa.

203 Explicatur: intellectus extensione fit practicus, iuxta Philsop. id est, explicant communiter omnes, est speculativus, inquantum sistit intra propriam sphæram respiciendo veritatem propter veritatem; est vero practicus, inquantum se extendit ad dirigendam voluntatem ostendēdo voluntati proprium obiectum, idest, bonum vel malum, honestum vel inhonestum, &c. Sed omnis probabilitas suadens honestatem vel inhonestatem, licentiam, vel prohibitionem, &c. pari titulo non sistit intra metas intellectus, sed se extendit ad obiectum voluntatis eam dirigendo: ergò est propriè practica, & non purè speculativa. Ex quo.

204 Noto tertio, quod loquendo de probabilitate practica & speculativa, iuxta hanc distinctionem, seu in hoc primo sensu, potest quidem aliqua opinio esse probabilis speculativè, & non practicè. Si nimirū talis opinio sit de essentia, valore, vel proprietatibus elicuius operis, non vero de honestate, vel inhonestate, bonitate vel malitia ipsius. Hoc patet primo in omnibus opinionibus probabilibus Phisicæ & Metaphisicæ, quæ non sunt de moribus, sed de essentijs, vel naturis, aut proprietatibus rerū, earum enim probabilitas non est directiva ad aliquid vitandū vel agendum, sed vnicè inquisitiva veritatis; àc proindè si illæ opiniones sunt probabiles, sunt probabiles purè speculativè, non vero probabiles practicè. Secundo, & magis ad præsentem tractatum, patet in opinionibus de essentia aut valore sacramentorum, aut contractuum, illarum enim probabilitas etiam est purè speculativa, quia non ostendit àn talis contractus ità benè vel male fiat, àn tale sacramentum ità benè vel malè conficiatur, sed àn ità sit verū vel falsum sacramentum. validum, vel nullum. Ergò opinio dicens, *Baptismum in lixivio esse validum*, est quidem probabilis speculativè, sed non practicè, quià dictat tale sacramentum esse verum, àt non dictat esse bonum illud ità facere. Et in hoc sensu nullus negat dari plures opiniones probabiles speculativè, quæ non sunt probabiles practicè.

205 Difficultas autem solet esse in opinionibus de licito vel illicito, turpi vel honesto, de quib⁹ assero, quod iuxta prędictū discrimen probabilitatis practicę & speculativæ, & in prædicto sensu, omnis opinio probabilis de licito vel illicito, in eo gradu, in quo fuerit probabilis, est probabilis practicè, & non purè speculativè. Quod patet, nàm talis probabilitas, vt ostensum manet, est probabilitas practica, & nō purè speculativa. Ex quo patet facilis solutio ad illam quæstionem, in qua dissident authores aliqui, àn videlicet aliqua opinio possit esse speculativè probabilis, & non practicè. Si enim loquamur de practico & speculativo iuxta distinctionem, respondendum est affirmativè, si opinio non sit de licito vel illicito, bono vel malo: secus vero, si sit de bonitate, vel malitia, licentia, vel prohibitione, &c. Quibus suppositis.

§. I.

Probatur conclusio in primo sensu probabilitatis practicæ.

206 DICO Primo *Prædicta evasio, seu distinctio probabilitatis practicæ, & speculativæ, si sumatur in hoc primo sensu, nihil iuvat contrarios Probabilistas.* Hoc assertū, non alitèr melius suadetur, quam impugnando prædictā distinctionē. Primo, quià, dū rogamus, àn liceat sequi opinionē minus probabilem, relicta probabiliori, non loquimur de opinib⁹ speculativis, quæ sint de naturis aut essentijs rerū, aut valore vel essentia sacramentorū, aut de alijs huiusmodi, sed de opinionibus moralibus quę sunt de licito vel illicito, de lege vel licētia, &c. sed de huiusmodi opinionib⁹ inepta prorsus est distinctio supra tradita de probabili practicè vel speculativè, si loquamur in hoc primo sensu: ergò. Minor probatur, quià in hoc primo sensu nulla opinio de licito & honesto est probabiles purè speculativè, sed omnis in eo gradu, in quo fuerit probabilis pro licito, est probabilis practicè: ergò de huiusmodi opinionibus ita distinguere: *Si sit probabilis practicè, concedo: si sit probabilis solum speculative, nego*: est ineptissima distinctio, & falso supponens, cùm supponat probabilitatem pro licito, aliam esse purè speculativam, aliam practicam;

quod falſum oſtenſum manet.

207 Secundo, quià non minus eſt practica probabilitas ſuadens opus eſſe illicitum, quam probabilitas ſuadens opus eſſe licitum; ſiquidem vtraque eſt directiva voluntatis ad rectè vivendum, illa non minus, quam iſta, & vtraque eſt propriè Philoſophiæ, vel Theologiæ moralis, & ad illam per ſe ſpectat; contrariorum enim eadem eſt ratio, & diſciplina: ergò idem eſt opinionem minus, vel æque probabilem pro licito concurrere cùm opinione æquè, vel magis probabili pro illicito, quam opinionem minus, vel æquè probabilem practicè de licito concurrere cùm ſua contradicente æquè, vel magis practicè probabili de illicito. Sed omnia argumenta ſuprà à nobis expenſa efficaciſſimè probant, quod opinio minus, vel æquè tantum probabilis pro licito non eſt licite ſequibilis in praxi in concurſu contradicentis de illicito æquè, vel magis probabilis: ergò ipſiſsima ratione ſuadent opinionem practicè probabilem de licito non eſſe licite ſequibilem in praxi in concurſu oppoſitæ de illicito æquè, vel magis probabilis practicè, ſiquidem vnum eſt idem, ac aliud. Nec enim ille terminus *practicè* additus probabilitati de licito, aliquid novum ſuperaddit, aut diſtinctum, ſed idem ipſiſsimum explicat. Nàm omnis probabilitas de licito, vt probatum manet, eſt probabilitas practica, nec eſt quid diſtinctum eſſe probabilitatem practicam in materia morali, quam eſſe probabilitatem de licito, vel illicito, de præcepto, vel permiſſo, loquendo in hoc primo ſenſu.

208 Nec licet addere illum terminum *practicè* probabilitati minori pro licito, & non illum addere, & conſiderare ex parte etiam maioris probabilitatis pro eo quod opus ſit illicitum; nàm etiam hæc maior probabilitas pro illicito eſt ſimpliciter practica; ſed ſi ſemel contrarij illum terminum addant vtrique opinioni, & vtrique probabilitati non ſolvunt, ſed potius augent difficultatem contra ſe ipſos per illam ſuam perpetuam diſtinctionem: ergò. Probo minorem: nàm ſi hanc regulam ſervent, non debent ità diſtinguere: *Si opinio pro licito ſit certo practicè probabilis*, &c. ſed ità: *Si opinio pro licito ſit certo practicè probabilis, & opinio contraria de illicito ſit certo magis practicè probabilis. Si ſit practicè probabile quod opus eſt licitum, & certo magis practicè probabile quod opus eſt illicitum.* Et nunc, ſic conſiderata maiori, vel æquali practica probabilitate pro eo quod opus eſſet illicitum, & prohibitum, certè non ſolvitur, ſed in immenſum augetur difficultas contra ipſos, quià quando eſt magis vel æquè certo, & practicè probabile quod opus eſt illicitum, & prohibitum, quam licitum, & permiſſum, augetur & magis exprimitur periculum agendi contra prohibitionem: nulla remanet regula ſecura practicè, nec in praxi tuta, cùm practicè ſit magis probabile opus eſſe contrarium primæ regulæ, quam illi conforme. Vndè iàm ſequitur illam diſtinctionem perpetuam Contrariorum facillime corruere, ſi, prout illi iniuſtè applicant practicam probabilitatem ad opinionem pro licito, & non ad opinionem pro illicito, quæ magis practicè probabilis ſupponitur; nos econtra æqua lance, & ſtatera fideli vtrique opinioni ſuam practicam probabilitatem applicemus, maiorem, vel minorem, & contrarios obligemus vt de opinione practicè probabili pro licito in ſtatera fideli ponderata cùm opinione contradicenti, & maiori probabilitate practica ſuadente opus eſſe illicitum, dicant, àn poſsit illa quidem eligi, & ſequi in praxi, contempta iſta. Et ſanè nunquam credam, quod ſi ità conſiderent vtramque probabilitatem, id dicent, aut ſecurè affirmabunt.

§. II.

Expenditur dubium in ſecundo ſenſu practicæ probabilitatis.

209 RESPONDEBIS Forsân: diſtinctionem illam contrariorum non accipi de practica probabilitate circa opus in vniverſali, ſed intelligi de practica probabilitate concernente opus vt hic & nunc cùm omnibus circunſtantijs conſiderato, & ſenſum eſſe, quod ſi opinio dicens opus eſſe licitum ſit practicè probabilis, hoc eſt, ſi ſit vere probabilis quantum ad opus vt hic & nunc ſub omnibus circunſtantijs conſideratum; tunc talis opinio licitè ſequi poteſt, licet opinio contradicens de illicito ſit magis probabilis ſpeculativè, hoc eſt, reſpectivè ad obiectum ſecundum ſe, & non attentis omnibus circunſtantijs.

210 Sed contra eſt, *quià etiam in hoc ſecundo ſenſu iudico talem diſtinctionem contrarijs invtilem.* Primo, nàm licet verum ſit, quod probabilitas circa opus, vel agibile, vt hic & nunc ſub omnibus circunſtantijs conſideratum ſit magis practica, quam probabilitas circa opus

in

in vniversali, & secundum se, quià hæc probabilitas est practica remotè, vtpote regula remota: illa autem est proximè practica, quià regula proxima. Tamèn, si probabilitas suadet opus esse licitum, vel illicitum, honestum, vel inhonestum secundum se, & in vniversali, verè, & per se practica est simpliciter, & non purè speculativa. Philosophia enim, & Theologia moralis agunt de agibilibus in vniversali, & secundum se; & tamèn sunt facultates simpliciter doctrinales, & directivæ humanæ vitæ, & simpliciter practicæ, quin ab vllo vnquam vocentur simpliciter, aut purè speculativæ: ergò prædicta distinctio, quæ probabilitatem de eo quod opus in vniversali sit licitum, vel illicitum appellat probabilitatem purè speculativam, nititur abusu terminorum, & confundit antiquam & receptissimam significationem huius termini *practicum, aut speculativum.*

211 Secundo: nàm, vel hic & nunc concurrit aliqua nova circunstantia, vel motivum non prævisum in consideratione vniversali, vel non; neutro modo salvatur quod liceat sequi in praxi minus probabilem opinionem: ergò ruit solutio. Probo minorem quoad primam partem: nàm si concurrit nova circunstantia, vel motivum in singulari, tunc interrogò: vel de opere vt sic circunstantiato est minus probabile quod est licitum, & magis probabile quod est illicitum, vel æquè probabile vtrumque: vel est magis probabile, aut vnicè probabile quod est licitum. Si de opere vt sic circunstantiato est vnicè probabile quod est licitum, aut magis probabile, tunc vltro fatemur quod est licitum illud opus eligere. Attamen hoc non est sequi opinionem minus probabilem, aut æquè tantum probabilem, vt per se patet, sed est sequi opinionem de opere sic circunstantiato, vel vnicè probabilem sinè contradictione, vel magis probabilem sua contradicente circa idem opus: ergò ex hoc minimè salvant contrarij, quod liceat sequi in praxi opinionem minus probabilem.

212 Explicatur clarissimè: potest enim contingere, quod de aliquo agibili secundum se sit improbabile quod est licitum, & tamèn quod de illo sub aliqua circunstantia sit certissimum quod est licitum, v. g. de opere servili secundum se est improbabile quod sit licitum in die festo, & tamèn de illo adveniente circunstantia vrgentissimæ necessitatis est certissimum quod est licitum. Rogo nunc: si adveniente tali necessitate quis iudicaret illud opus hic & nunc esse licitum, & illud eligeret, dici posset in vero sensu quod ille iudicabat, & eligebat tale opus secundum opinionem improbabilem? Non sanè; imò potius iudicaret, & eligeret secundum sententiam certissimam, & veram: ergò pariter, si contingat quod aliquod opus secundum se, præcisive ab aliqua circunstantia, sit minus probabiliter licitum, quam illicitum; & tamèn adveniente aliqua circunstantia iàm sit magis probabile illud esse licitum, quam illicitum; tunc qui iudicat illud opus hic & nunc esse licitum, & vt tale illud eligit, in nullo vero sensu dici potest illum iudicare, aut operari secundum opinionem minus probabilem, cùm potius iudicet, & operetur quod sibi apparet magis probabile quod sit licitum.

213 Si autem non superveniat, nec occurrat aliqua nova circunstantia, aut nova ratio, vel ea, quæ supervenit, non faciat magis probabile opus esse licitum, quam illicitum; tunc sic argumentor probando minorem quoad secundam partem: nàm tunc casus de opere considerato sub his circunstantijs est minus probabile esse licitum, & probabilius esse illicitum; sed omnis probabilitas de opere hic & nunc considerato sub omnibus circunstantijs est probabilitas practica proximè, & in toto rigore: ergò tunc in toto rigore probabilitatis practicæ est probabilius opus illud esse prohibitum, quam esse licitum. Sed quando in toto rigore probabilitatis practicæ est probabilius practicè opus illud esse prohibitum, quam esse licitum, temerarium est hic, & nunc eligere, aut exercere tale opus: ergò semper manet difficultas invicta contra adversarios, recursusque ad probabilitatem practicam, potius illam auget, quam minuit.

214 Confirmatur, quià si omnes circunstantiæ, quæ concurrunt in casu singulari, considerentur etiam in vniversali, impossibile est quod de opere sic circunstantiato sit vniversaliter magis probabile illud esse illicitum, quam licitum, quin pariter de ipso opere hic & nunc, & in singulari sit etiam magis probabile esse illicitum, quam licitum; sed si hoc ità est, tale opus, non nisi temere, exerceri, aut eligi potest: ergò. Maior probatur, quià nisi velis alium Deum tibi, seu aliam legem, quam

omnibus in vniverſali, eandem exiſtimationem debes habere de opere quando tibi occurrit cùm talibus circunſtantijs, quam habes de ipſo opere vniverſalitèr conſiderato ſub eiſdem circunſtantijs. Nàm, ſi tibi apparet magis probabile quod opus ſic circunſtantiatum cunctis vniverſalitèr ſit illicitum, & tibi hic & nunc occurrit caſus in terminis cùm eiſdem omnino circunſtantijs abſque alia nova, quæ excuſet, vel honeſtet obiectum, cùr exiſtimas tibi magis probabile, quod tale opus, vel obiectum ſit tibi licitum hic & nunc? Si nulla eſt nova circunſtantia, quæ immutet obiectum reſpectu tui, quam reſpectu omnium, cùr alitèr exiſtimas in tuo caſu ſingulari, àc exiſtimabas in vniverſali reſpectu omnium? Nunquid lex Dei eſt alia tibi, àc ceteris?

215 Certè mihi evidens eſt, quod ſi liceat vnicuique alitèr exiſtimare in ſuo caſu ſingulari de obiecto, vel opere oligendo, àc ipſe exiſtimat in vniverſali, & hoc ſinè nova circunſtantia, quæ variet obiectum in ſingulari, nullus omnino convinci poterit de peccato, agat quidquid velit. Nàm, ſi auferat rem alienam, v. g & illi dicas: peccaſti quià furtum commiſiſti; ſi ille velit negare, quid illi oppones? Forsàn ſic illum argues de peccato: ſumere rem elienam eſt furtum, & peccatum: ergò tu, qui ſumis rem alienam, furaris, & peccas. At ille reſpondebit, verum eſſe in vniverſali, & ſpeculative quod ſumere rem alienam, invito Domino, eſt furare, & peccare; veruntamen hic & nunc in ſingulari eſt mihi practicè probabile oppoſitum. At tu rogares: habes nè in tui favorem diſpenſationem aliquam, extremam neceſsitatem, aut aliam circunſtantiam te eximentem ab vniverſalitate legis? Reſponderet ille: nullam omnino, ſed nihilominus abſque nova circunſtantia licet mihi alitèr exiſtimare in caſu hoc ſingulari, àc exiſtimo in vniverſali. Si ergò hoc vltimum verum ſit, minimè convinci poterit de peccato, quanvis ſumat rem alienam invito domino; idemque dicendum, ſi committat adulterium, homicidium, &c. Dicere namque poterit illa omnia in vniverſali eſſe peccata, & contra divinam legem, àt in caſu ſingulari alitèr ſe exiſtimare: nec proderunt regulæ, & leges vniverſales, nàm ex illis, dicet ipſe, ſolum formatur exiſtimatio vniverſalis, & ſpeculativa: licet autem mihi alitèr exiſtimare practicè, & in ſingulari.

216 Attingit Magiſt. Ferre hanc mihi ingentem difficultatem num. 158. & reſpondet: nos conferende conſiderationem actionis purè ſpeculativæ cùm conſideratione actionis in praxi; aitque num. 149. alias eſſe circunſtantias, quæ ſpectant ad obiectum vt ſpeculabile, & alas, quæ ſpectant ad praxim talis ſpeculationis; vndè diſtinguit ordinem ſcientiæ, ſeu opinionis, & ordinem prudentiæ. In primo conſiderat actionem prout directè tendit in ſuum obiectum, & circunſtantias eius, quæ obiective illud circunſtant. In ſecundo conderat actionem prout exercetur in hoc tempore, in hoc loco, & alijs pluribus, à quibus dependet praxis actionis, & iſti duo ordines inquit, non debent permiſceri.

217 Sed hanc eandem doctrinam poſſet ſibi vſurpare, qui vellet aliena ſibi ſumere, vſurus exigere, homicidiumque in ſingulari patrare; diceret enim leges vniverſales ſolum eſſe circa actiones vniverſalitèr, aut ſpeculativè conſideratas, alium autem eſſe ordinem prudentiæ, & aliàs eius circunſtantias, & ſic nunquam per ſcientiam vniverſalem convinci poſſet de imprudentia in ſingulari, nec de peccato. Deindè male diſtinguitur actio aliqua, v. g. contractus, in actionem ſpeculativam, & actionem practicam, quaſi contractus, prout pertinet ad ſcientiam moralem, vel opinionem, ſit actio ſpeculativa, &, prout pertinet ad prudentiam, ſit actio practica. Quis enim dicet contractum vniverſalitèr conſideratum per ſcientiam, aut opinionem moralem eſſe actionem ſpeculativam? Aliud eſt quod ſit actio ſpeculative conſiderata, aliud eſt quod ſit actio ſpeculativa. Primum in aliquo ſenſu admittimus. Secundum vero eſt planè voces confundere, & non ſinè ingenti damno. Nàm, ſi hoc pacto diſtinguas, nullus per Theologiam moralem dirigi poterit ad prudenter, aut licite operantum, nec per illam argui de peccato: nàm, licet Theologia dicat, actionem aliquam ſub determinatis circunſtantijs eſſe malam; licebit reſpondere: Theologia ſolum loquitur de actione ſpeculativa; ego autem nunc exerceo actionem practicam: aliam eſſe conſiderationem actionis purè ſpeculativæ, & alias circunſtantias, quæ ſpectant ad obiectum vt ſpeculabile, alias quæ ſpectant ad praxim talis ſpeculationis. Et ſic Theologia moralis, & eius conſideratio, quæ ſemper vniverſalis eſt, inepta prorſus erit ad caſus ſingulares in individuo contingentes, & in indivi-

duo

duo poterit quisque existimare quod velit de sua actione practica, dicendo quod omnia, quæ scripta sunt, & dicuntur à Theologis, agunt de actione speculativa, & non sunt ad rem.

218 Vndè fateor, quod distingui debet ordo scientiæ, seu opinionis, ab ordine prudentiæ, non quià scientia, seu opinio sit circa hanc actionem, & circunstantias speculabiles, & ordo prudentiæ circa aliam actionem practicam, & alias circunstantias. Hoc enim falsissimum est, quià omnes circunstantię, quæ spectant ad praxim, & ad prudẽtiam, ipsę sunt, de quibus agit scientia, seu opinio moralis; circunstantiæ enim loci, & temporis, & aliæ, à quibus dependet praxis, certissimum est quod cadunt sub consideratione vniversali Theologiæ moralis, vt expresse affirmas Div Thom 1. 2. quæst. 17 art. 2. per totum. Nisi velis distinguere locum speculativum, & practicum, tempus speculativum, & practicum, & omnia confundere, ineptè distinguendo. Item falsissimum est, quod actio practica prudentiæ non cadat sub vniversali consideratione Theologiæ, seu quod non sit actio practica, de qua agit Theologia moralis. Solum ergò distinguitur prudentia à scientia morali, vel opinione, quatenus prudentia exequitur id ipsum, eandem actionem, sub eisdem circunstantijs omnino, sub quibus scientia considerat eandem actionem in vniversali. Scientia enim vniversalis dirigit, & prudentia exequitur; sed scientia, vt dirigat, necessum est quod sit circa eandem actionem & sub eisdem circunstantijs, circa quam est prudentia, vt per se patet: ergò.

219 Certissimum ergò debet esse, quod quando existimatio vniversalis, quam contrarij vocant speculativam, considerat agibile, vel opus, aut actionem aliquam sub eisdem omnino circunstantijs, quæ occurrunt in individuo, ità vt in individuo nulla nova occurrat non præmeditata in consideratione vniversali, tunc casus eadem existimatio debet haberi circa opus illud circunstantiatum in singulari, àc in vniversali, nisi velis vnum Deum tibi, alium omnibus. Ac proindè, si de opere sic circunstantiato vniversalitèr est magis probabile esse illicitum, quam esse licitum, necessariò sequitur quod de opere sic circunstantiato in individuo sit magis probabile esse illicitum, quam esse licitum. Ac proindè, si in ordine scientiæ, aut opinionis est magis probabilitèr illicitum, quam licitum, paritèr, servatis eisdem circunstantijs, in ordine conscientiæ erit magis probabilitèr illicitum, quam licitum. Idemque in ordine prudentiæ, quę per conscientiam regulatur. Ac proindè infertur nos minimè confundere ordinem debitum intèr prudentiam, sed apprimè illum explicare, regulando prudentiam per conscientiam, & conscientiam per scientiam, quod contrarij minimè faciunt: imò omnia sus deque vertunt, regulando conscientiam per prudentiam, & prudentiam non regulando per scientiam.

220 Sed dicunt Contrarij, quod quotiescumque opinio pro licito est verè probabilis, semper adest nova circunstantia in praxi honestans operationem, vi cuius verè in praxi est probabile, imò certum in praxi non peccare illum qui talem opinionem sequitur: talem autem circunstantiam esse veram probabilitatem pro licito vsu talis operationis. Sed contra est primo, quià probabilitas opinionis minimè est, nec potest esse circunstantia obiectiva honestans obiectum talis opinionis, quià talis probabilitas non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte ipsius opinionis. Contra secundo, quià talis probabilitas pro licito non est nova circunstantia prævisa in vniversali ab authoribus opinantibus. Nàm Authores dicentes in vniversali opus illud esse illicitum, benè viderunt, & considerarunt opinionem contrariam pro licito esse probabilem, & examinarunt eius probabilitatem; & non obstante ea, dixerunt opus illud esse illicitum: ergò probabilitas se sola non est nova circunstantia adveniens in casu singulari, non prævisa in vniversali ab Authoribus opinionis contrariæ, àc proindè talis probabilitas nullam maiorem probabilitatem, nec certitudinem de honestate operationis potest afferre in casu singulari, & practicè.

221 Tertiò: nàm si probabilitas opinionis pro licito est circunstantia honestans operationem, paritèr probabilitas maior, vel æqualis pro illicito erit circunstantia inhonestans, & vtraque circunstantia erit considerandæ ad praxim illius operationis: nàm ad licitè, & honestè operandum in praxi omnes fatentur esse necessarium considerare in singulari casu omnes circunstantias, quæ possunt honestare, vel inhonestare obiectum, vel operationem: ergò, si debet considerari probabilitas suasiva honestatis, quià per vos est circunstantia honestans, paritèr debet considerari probabilitas suasiva inhonestatis, quià pari titulo est circunstantia inhonestans:

ergò ad ferendum vltimum iudicium practicum de obiecto, vel operatione debet vtraque probabilitas conſiderari. Tunc ſic, ſed conſiderata vtraque probabilitate, nec eſt practicè probabile obiectum, aut operationem eſſe honeſtam, & licitam, ſed potius certum eſt oppoſitum: ergò. Probo minorem, quià de obiecto probabiliter honeſto, ſed magis, vel æquè probabiliter inhoneſto, conſiderato ſub vtraque probabilitate, non eſt probabile, quod ſit potius honeſtum, quam inhoneſtum, licitum, præ illicito; nec eſt probabile quod ſit licitum eligere tale obiectum ſic conſideratum: imò certiſsime foret inhoneſta electio, quæ eligeret obiectum magis probabiliter inhoneſtum, & minus probabiliter honeſtum, conſideratum ſub hac vtraque probabilitate ſimul, vt probant efficaciſsimè noſtræ rationes: ergò de obiecto, vel operatione ſub vtraque illa probabilitate conſiderata, non eſt practicè probabile, quod ſit licitum.

222 Vndè infero, quod ſi opiniones contradicentes conſiderentur exercitè circa obiectum vt indutum circunſtantijs obiectivis, bene poteſt admitti quod vtraque opinio ex proprijs motivis ſit practicè probabilis, vna minus, alia magis, vel æqualiter vtraque, attentis inquam ſeorſim motivis proprijs cuiuslibet; nam hæc eſt probabilitas practica ſecundum quid. Attamen, ſi fiat reflexio ſupra vtramque probabilitatem pro licito, & illicito, & vtraque, veluti duplici circunſtantia attenta, iudicium ferendum ſit, ſub hac inquam conſideratione non eſt nec manet practicè probabile obiectum hic & nunc ſic circunſtantiatum eſſe honeſtum, nec honeſte eligibile, quià hæc eſſet probabilitas practica ſimpliciter talis, quæ nimirum debet reſultare ex omnibus circunſtantijs conſideratis, & libratis ad invicem. Contrarij autem ideò exiſtimant opinionem minus probabilem pro licito in conſpectu probabilioris eſſe practicè probabilem, quià ſolum attendunt ad eius motiva, & ſtatim à latere deſerunt motiva oppoſita. Et hic defectus conſiderationis eſt tota eorum ratio, àc vnicum fundamentum ſuæ ſententiæ: credo enim quod ſi vtramque probabilitatem librarent pro licito, & illicito in ſtatera fideli (nàm *ſtatera doloſa abominatio eſt apud dominum* Proverb. 11.) potius dicerent, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris eſſe practicè improbabilem, quam practicè probabilem.

***

§. III.

Impugnantur contrarij in tertio ſenſu practicæ probabilitatis.

223 VIDENTES AA. Contrarij prædictos modos explicandi probabilitatẽ practicam nihil eis prodeſſe, quià ſemper in concurſu opinionum contradicentium de licito, vel illicito manet practicè, ſeu in praxi magis, vel æquè probabile opus hic & nunc eſſe illicitum, quam eſſe licitum; & hoc pacto eſt temerarium illud opus exercere, ſeu eligere: recurrunt ad alias definitiones probabilitatis practicæ ineptas, & voluntarias. Dicunt itaque primo, opinionem practicè probabilem illam intelligere, de qua communiter omnes, etiam qui contrariam tenent, dicunt illam eſſe in praxi probabilem, & in praxi tutam; huiuſmodi autem opinionem eſſe licite ſequibilem in praxi, ſivè ſit magis, ſivè minus, ſivè æquè tantum probabilis. Ità Magiſt. Ferre pluribus in locis id repetens.

224 Sed contra hanc evaſionem dico primo: *Ineptiſsime explicari hoc pacto, qualis ſit opinio practicè probabilis.* Probatur, quià ineptiſsimè explicares quid ſit animal rationale, dicendo: eſſe illud animal, de quo omnes dicunt eſſe rationale: nàm reſtaret explicare, quid illi intelligerent pro *rationale*, & vſque dum id alijs terminis clarioribus explicares nihil omnino proficeres: ergò paritèr ineptiſsime explicatur quid ſit opinionem eſſe in praxi probabilem, dicendo, eſſe illam, de qua communiter AA. dicunt illam eſſe in praxi probabilem, nàm reſtat inquirere, explicareque, quid illi AA. intelligunt per illos terminos *vere in praxi probabilem*, & hoc non explicas per alios terminos clariores.

225 Vndè à te inquiro, quid intelligunt illi Authores, qui poſtquam dixerint aliquem actum eſſe illicitum, ſtatim dicunt, opinionem contradicentem, ſeu ex oppoſito, dicentem eſſe licitum, *eſſe vere in praxi probabilem*? Id ſanè haud facile explicabis. Nàm, ſi ſerio ſentiunt, & dicunt actum eſſe illicitum, vel prohibitum, ſerio ſentiunt, & dicunt oppoſitum eſſe falſum. Si enim tu dicis actum eſſe licitum, & ego tibi contradico dicendo, eſſe illicitum: profecto dico, quod falleris, & quod tua opinio falſa eſt: ſi quidem dico, non eſſe ita quod tu affirmas: ergò quitue opinioni contradicit dicens, actum non eſſe licitum, ſed illicitum, ſi ſerio con-

tra-

tradicit, ſerio ſentit, àc dicit tuam opinionem aſſerentem actum eſſe licitum, eſſe falſam. Quo ſuppoſito difficultas eſt, quomodo ſerio iterum addit, illam eſſe verè in praxi probabilem, aut quo ſenſu id dicit? Id mihi explices oportet.

226 Et antequam reſpondeas, vrgeo difficultatem. Vel ſenſus illius eſt quod ſit practicè probabilis ſibi, vel alijs. Si ſibi: ergò ſerio ait, & ſentit illam opinionem eſſe falſam, nihilominus eſſe practicè ſibi probabilem, ſeu eſſe ſibi verè in praxi probabilem: ergò ſentit ſerio opinionem ſibi falſam, eſſe à ſe ipſo licitè deducibilem ad praxim. Si autem hoc ſenſu loquitur, quis illi credat? Si autem eſt ſenſus, illam quidem ſibi eſſe falſam, ſibique non eſſe practicè probabilem, nec à ſe ipſo licitè eligibilem ad praxim, eſſe tamen alijs verè practicè probabilem, & ab alijs licitè deducibilem ad praxim. Rurſus interrogo: àn intelligat quod illa opinio eſt ceteris omnibus in praxi probabilis, ſivè illis ſuo iudicio ſit falſa, ſivè vera? Et hoc item falſum eſt, quià, ſi ſibi, quià ſuo iudicio falſa eſt, non eſt practicè probabilis, nec à ſe licitè deducibilis ad praxim, cùr alijs, quorum iudicio falſa fuerit, erit practicè probabilis, aut ab illis licitè deducibilis ad praxim? Si denique ſenſus ſit ſolum eſſe probabilem alijs, quorum iudicio vera fuerit, ſeu à quibus vera iudicatur, rurſus inquiro: àn illis, à quibus vera iudicatur invincibiliter, àn etiam illis, à quibus vincibiliter, ſeu per errorem vincibilem. Si primum, idem & ego afferam de omni opinione, necdùm probabili falſa, ſed improbabili, quià cuicumque invincibiliter illam iudicanti veram ei erit practicè probabilis, & ab eo licitè deducibilis ad praxim. Vnde per hoc non diſcernis probabile ab improbabili. Si dicas ſecundum, eſt manifeſtè falſum; quià illis, qui errore vincibili iudicaverint illam opinionem veram, licitum eſſe non poterit, & inculpabile illam deducere ad praxim; quià error vincibilis conſcientię eſt culpabilis, & nunquam excuſat à culpa. In quo igitur ſenſu Theologi dicunt de opinione illa, cui contradicunt, ſerio illam impugnantes, vt falſam, eſſe practicè probabilem, in praxi tutam, & ſecuram? Hoc ſanè, vt dixi haud facile declarabis.

227 Dico ſecundo: *Adhuc, hoc modo explicata probabilitate practica, erit rara avis in terris, vel potius nulla, opinio minus, aut æquè probabilis ſua contradicente, quæ ſit verè in praxi probabilis.* Patet, quià vix vlla reperietur inter AA. opinio minus probabilis ſua contradicente, de quà AA. communiter, etiam contrariam tenentes, dicant illam eſſe verè in praxi probabilem, ſeu tutam, & ſecuram in praxi. Primò: nàm hic ſtylus dicendi ante Authores caſuiſtas Modernos vſitatus non fuit; inter Antiquos enim vix, vel nunquam invenietur: imò, nec inter Thomiſtas Scholaſticos, qui firmiter adherent alicui ſententiæ morali, vllum invenies, qui dicat: *Oppoſita eſt probabilis, ſecura, & tuta in praxi.* Nullibi enim magis congruebat hic modus dicendi, quàm in illa quæſtione àn teneatur pœnitens confiteri circunſtantias aggravantes, in quà Thomiſtæ frequentèr tenent affirmativam; & tamen quanvis oppoſita maiori calculo Authorum comprobetur, & valde probabilis ſit, nullus Thomiſta dixit illam eſſe in praxi tutam, aut ſecuram, nec eſſe verè probabilem in praxi. Imò Ioannes à S. Thoma ait: *Se non auſurum eam conſulere*; & ipſe M. Ferre: *Non eſſe in praxi conſulendam, quià non invenit modum, quo remittatur gravitas peccati, & exceſſus, niſi confitendo circunſtantias aggravantes.* Similiterque dùm Thomiſtæ dicunt eſſe illicitum actum humanum in individuo elicitum ſinè fine honeſto, minimè dicunt oppoſitum eſſe in praxi tutum, aut certo in praxi probabile. Imò, ipſe M. Ferre id expreſsiſsimè negat, quanvis pro oppoſita opinione ſit celebris numerus AA. ſi ergò de iſtis opinionibus celebrioribus in Scholis, tenentes oppoſitas non audent dicere illas eſſe in praxi ſecuras, aut in praxi certo probabiles, vbi invenietur opinio minus probabilis ſua contradicente, de qua omnes contrariam tenentes communiter dicant illam eſſe in praxi tutam. Hoc quidem videmus apud Caſuiſtas modernos paſsim de vna, vel altera opinione; attamen inter Theologos plus amantes veritatem, quàm probabilitatem, minimè invenietur.

228 Sed demus contrarijs, quod inveniatur aliqua opinio, de quà communiter AA. etiam contrariam tenentes, dicant illam eſſe in praxi probabilem, & tutam: certe implicat illam ab authoritate eſſe minus, aut æquè tantum probabilem: ergò hoc modo explicata probabilitate practica, implicat opinionem eſſe minus, aut æquè tantum probabilem, & eſſe practicè probabilem, & conſequentèr implicat contradictionem ſolutio data à M. Ferre. Antecedens probatur: ponamus enim viginti Authores tenentes affirmativam dicentem actum eſſe licitum, & triginta, vel, ſi velis, quadraginta tenentes negativam de illicito; verumtamen omnes iſti, vel fere omnes

qua-

quadraginta, aut triginta dicant contrariam de licito eſſe tutam in praxi, ſanè in tali caſu iàm opinio affirmativa viginti Authorum non eſt minus, aut æquè tantum probabilis ſua contradicente, ſed multo magis; quià in primis habet pro ſe, & in ſui favorem vigi nti AA. deinde habet etiam in ſui favorem ferè omnes alios triginta, vel quadraginta, qui dicunt eam eſſe tutam in praxi, & verè in praxi probabilem. Iſti enim etiam favent illi opinioni, eiuſque probabilitatem augent; vnde iàm vſus Caſuiſtarum obtinuit citare pro ſententia qualibet de licito, & infavorem illius, non ſolum Authores, qui illam directè, & expreſsè tenent vt veram, ſed etiam omnes, qui illam dicunt in praxi probabilem, & tutam, profecto cenſentes illos etiam AA. augere probabilitatem ſententiæ, & opinionis pro licito: ergò ſententia affirmativa pro licito, de quà etiam contrariam tenentes communitèr dicunt illam eſſe tutam in praxi, ſeu verè in praxi probabilem, non manet, nec dici poteſt minus probabilis ſua contradicente; ſed potius multo magis probabilis ab authoritate, quàm illa. Nunquam igitur verificant contrarij, quod opinio minus probabilis ſua contradicente ſit verè in praxi probabilis, adhuc in hoc tertio ſenſu; vnde adhuc in hoc tertio ſenſu implicat contradictionem illa diſtinctio, quà diſtingunt contrarij; ſi opinio minus probabilis ſit verè in praxi probabilis, &c.

§. IV.

Impugnatur evaſio contrariorum in quarto, & quinto ſenſu practicæ probabilitatis, & recurſus ad prudentiam.

229 MAG. Ferre, vt noſtris argumentis reſpondeat, ſæpiſsimè ait: ſe nihil aliud intelligere pro opinione certo in praxi probabili, quàm opinionem licitè deducibilem ad praxim, ſecundum quàm licitum eſt operari. Vnde num. 156. ait: illud ſe inintelligere pro probabili in praxi, *quod ſinè peccato practicari poteſt. Et nos*, inquit, *iſtud dividimus in certo probabile in praxi, & ſolum probabilitèr probabile in praxi. Certo probabile in praxi eſt, de quo conſtat apud omnes, vel fere omnes quod ſinè peccato poteſt practicari.* Intellige, ſivè ſit minus, ſivè æquè tantum probabilitèr licitum, quàm illicitum: nàm de hoc erat quæſtio. Sed rogo, qualitèr de eo quod eſt minus, aut æquè tantum probabilitèr licitum, & magis probabiliter illicitum, conſtabit apud omnes, vel fere omnes fieri poſſe abſque peccato? Vnde.

230 Contra hanc etiam evaſionem dico primò: *Illam continere manifeſtam petitionem principij, & circulum vitioſum.* Probatur facile: nàm in præſenti controverſia inquirimus, àc examinamus quænam ex opinionibus moralibus ſit licitè, & ſinè peccato deducibilis ad praxim, ſeu ſecundum quam licitè operari poſsimus, àn ſecundum magis probabilem præciſe, àn ſecundum minus, aut æquè probabilem ſua contradicente? Cui interrogationi iàm reſpondet Ferre, quod ſecundum quamlibet, ſivè minus, ſivè magis probabilem, dummodo ſit certo practicè probabilis. At rurſus inquirimus, quænam opinio moralis erit certo practicè probabilis? Et reſpondet eſſe illam, quæ eſt licitè deducibilis ad praxim, & ſecundum quàm licitè operari poſſumus. Non ne hæc eſt manifeſta petitio principij, idem per idem explicare, & rem inexplicatam relinquere? Vnde.

231 Dico ſecundo: *Nullam opinionem moralem minus, aut æquè tantum probabilem ſua contradicente eſſe practicè probabilem in hoc ſenſu.* Patet, quià nulla opinio moralis minus, aut æquè probabilis ſua contradicente eſt licitè deducibilis ad praxim; ſed hoc eſt eſſe practicè probabilem in ſenſu M. Ferre: ergò nulla in conſpectu probabilioris, aut æquè probabilis contradicentis eſt practicè probabilis, intellecta practica probabilitate in ſenſu M. Ferre. Maiorem probatam relinquimus apriori; tùm quià talis opinio ſolum fundat conſcientiam dubiam de honeſtate obiecti: tùm quià continet manifeſtum periculum peccandi: tùm quià eſt contra legem charitatis illam ſequi in praxi iudicando, aut operando ſecundum illam: tùm quià non eſt tuta, nec recta regula conſcientiæ, &c.

232 Sed dices iterum: ſupponendum eſſe, & non diſputandum opinionem minus, aut æquè probabilem ſua contradicente in concurſu illius manere practicè probabilem: nàm, ſi hoc non ſupponitur, non manet locus quæſtioni, quià contrarij ſolum dicunt eſſe licitum ſequi opinionem minus, aut æquè probabilem, quandò illa ſit verè, certoque in praxi probabilis. Sed contra eſt, quià ſi tù intelligis pro eodem opinionem eſſe certo in praxi probabilem, àc illam eſſe licitè deducibilem ad praxim. Et ſupponendum eſt opinionem minus, aut æquè probabilem eſſe in hoc ſenſu practicè probabilem. Suppone-

nen-

nendum iudicas, & non disputandum opinionem minus probabilem inconspectu suæ contradicentis probabilioris esse licitè deducibilem ad praxim. Quid ergò disputabimus? Sanè contrarij avidè vellent hoc supponi, & non disputari, quià nisi hoc supponatur, eo ipso quod disputetur, nullum omninò recursum habent, nec ad probandum quod dicunt, nec ad respondendum nostris fundamentis; vnde semper recurrunt ad ipsam conclusionem, de quà disputamus, dicentes, opinionem minus, aut æquè probabilem sua contradicente inconspectu illius esse, & manere practicè probabilem, àc proinde esse licitè deducibilem ad praxim, quià idem est vnum, àc aliud. Hic sistunt, hoc volunt supponere veluti principium, quod tamen probare deberent alijs rationibus, & per aliud nostris argumentis respondere; sed non habent vnde, àc ideò semper respondent idem per idem, idem per idem probant, & in circulo sunt æterno.

233 Denique alij, explicantes probabile practicum, dicunt, idem esse ex terminis probabile practicum, àc prudentiale, vt inde facile probent opinionem minus probabilem, si sit practicè probabilis, esse licitè deducibilem ad praxim, quià omne prudentiale est tuta regula operandi. Sed de hac explicatione.

234 Dico primò: *Etiam in illa committi manifestum circulum.* Patet primò, quià si à te inquiram, quænam opinio erit prudentialis? Nihil aliud respondere valebis, nisi dicendo esse illam, quæ est verè practicè probabilis: ergò cùm postea à te inquiro, quænam opinio est verè practicè probabilis, & tu respondes, esse illam, quæ est prudentialis, manifestè committis circulum, & explicas idem per idem. Vide supra dicta quæst.

Secundò, quià prudentiale dupliciter potest sumi, vel prudentialiter iudicabile, vel prudentialiter operabile; & prius est aliquid esse prudentialiter iudicabile pro licito, quàm quod sit prudentialiter operabile. Rogo igitur à te: quodnam opus est prudentiale operabile? Sanè à priori debes respondere, esse illud quod est prudentialiter iudicabile pro licito. At rursus inquiro, quodnam opus est prudentialiter iudicabile pro licito? Sanè melius responderi non potest, quàm esse illud, de quo practicè probabile est esse licitum. Ergò cùm vlterius interrogo, quid sit esse practicè probabile? iàm responderi non potest esse idem, àc prudentiale, nisi manifestè petendo principium, & committendo circulum. Nàm vel intelligis de prudentiali operabili, ità vt explices probabile practicum de licito per esse prudentialiter operabile, & hoc est reverti per circulum ad prudentiale operabile, quod immediatè explicasti per prudentiale iudicabile, & mediatè per probabile practicum. Si autem intelligis de prudentialiter iudicabili, committis circulum immediatum, dùm ais, prudentialiter iudicabile esse id quod est practicè probabile. Et rursus, explicans quid sit practicè probabile, respondes esse prudentialiter iudicabile.

235 Dico secundò: *Repugnat similiter in hoc sensu practicæ probabilitatis opinionem minus probabilem pro licito in concursu probabilioris esse practicè probabilem.* Probatur: nàm per vos in hoc sensu idem est, opinionem esse practicè probabilem, àc esse prudentialem: hoc est prudentialiter iudicabilem, vel prudentialiter practicabilem; sed opinio minus, aut æquè tantum probabilis in concursu suæ contradicentis magis, vel æquè probabilis, nec est prudentialiter iudicabilis, nec prudentialiter practicabilis: ergò non est prudentialis; & consequenter, nec practicè probabilis. Minor quoad primam partem patet, quià idem est, opinionem esse prudenter iudicabilem, àc esse prudenter credibilem, seu esse dignam, cui prudenter præstetur assensus; sed inconspectu suæ contradicentis æquè, vel magis probabiliter oppositum dicentis, non est prudenter credibilis, nec digna cui prudenter præstetur assensus, vt multis à priori probatum relinquimus per quæstiones præcedentes, quæ non oportet repetere. Et item, quià ex terminis est imprudentia, ex duos sibi contradicentibus, assentire, & credere minus probabiliter & minus rationabiliter dicenti, discredendo alteri magis probabiliter, & magis rationabiliter contradicenti: ergò non est prudentialiter iudicabilis. Quoad secundam etiam partem patet ex prima, quià opinio, quę non est prudentialiter credibilis, non est prudentialiter practicabilis, sed in concursu probabilioris, aut æquè probabilis contradicentis non est prudentialiter credibilis: ergò non est prudentialiter practicabilis: nullo igitur modo est prudentialis in conspectu probabilioris.

236 Confirmatur primò: opus minus probabiliter licitum, & magis probabiliter illicitum, sub vtraque ista probabilitate consideratum, non est prudentiale: ergò minus probile in conspectu contradicentis magis probabilis, non est practicè probabile in hoc sensu, quod sit idem prudentiale, àc probabile. Antece-

dens

dens probatur: quiâ opus minus probabilitèr licitum, ſed magis probabilitèr illicitum, eſt magis probabilitèr prohibitum lege Dei, quàm permiſſum; magis probabilitèr turpe, quàm honeſtum; magis probabilitèr legi Dei contrarium, quàm conforme; magis probabilitèr diſplicens Deo, quàm ei placens; ſed huiuſmodi opus non niſi imprudentiſsimè eſt eligibile, àc practicabile in his circunſtantijs: ergò non eſt prudentiale, ſed potius imprudentiale in his circunſtantijs conſideratum.

237 Secundò confirmatur: opus, quod non eſt agibile ſine periculo probabili contradicendi legi Dei, & diſplicendi Deo per ipſum, non eſt prudentiale, vt per ſe patet; ſed opus, quod operanti eſt magis probabilitèr illicitum, & prohibitum, quàm licitum, & honeſtum, non eſt agibile ſine periculo valde probabili contradicendi legi divinæ, & diſplicendi Deo per ipſum: ergò non eſt prudentiale. Maior, & minor abunde probata manet in præcedentibus. Confirmatur tertiò: nulla tibi poteſt eſſe ratio à priori cùr opus magis probabilitèr illicitum, & minus probabilitèr licitum ſit certo practicè probabile, hoc eſt, tutum in praxi; aliunde hoc non eſt per ſe notum: ergò omninò voluntariè, & pro libito illud affirmas. Maior probatur, quiâ ſola tibi ratio eſt, quiâ eſt *prudentiale, licet minus prudentiale*; ſed hæc ratio in primis non eſt à priori, deinde eſt falſa: ergò nulla tibi ratio eſt, nec apriori, nec vera. Probo minorem quoad primam partem, quiâ prius eſt quod aliquod opus ſit practicè probabilitèr licitum, quàm quod ſit prudentiale: ergò ratio probans illud primum ex hoc ſecundò non eſt à priori. Probo antecedens: nàm prius eſt obiectum conſcientiæ, quàm obiectum prudentiæ; ſed opus eſſe practicè probabilitèr licitum eſt obiectum conſcientiæ, cuius eſt dictare de licito, eſſe autem prudentiale eſt obiectum prudentiæ: ergò prius eſt eſſe practicè probabilitèr licitum, quàm eſſe prudentiale. Maior patet, quiâ prius eſt conſcientia, quàm prudentia, non enim prudentia dictat aliquid eſſe agendum, niſi prius conſcientia dictaverit eſſe licitum: ergò prius debet eſſe obiectum conſcientiæ, quàm prudentiæ.

238 Explicatur: nàm negari non poteſt eſſe maximam differentiam inter conſcientiam, & prudentiam. Nàm conſcientia non eſt libera in dictando, ità vt pro libito poſsit dictare hoc eſſe illicitum, vel licitum, ſed neceſſario ſe conformat legi, & rationi: attamen prudentia eſt libera, quiâ libere dictat, hoc eſſe agendum, vel non eſſe agendum. Rurſus, extrema contradictionis, inter quæ ſolet hæſitare conſcientia, ſunt licitum, & illicitum; vnde quæſtio propria conſcientiæ eſt, àn opus ſit licitum, àn illicitum: attamen extrema prudentiæ, inter quæ ſolet eſſe indifferens prudentia, ſunt agere, vel non agere, agere hoc, vel illud; vnde quæſtio prudentiæ eſt, àn opus ſit agendum, hic, & nunc, vel non. Rurſus prudentia eſt efficax, & factiva ſui obiecti: attamen conſcientia non eſt efficax, nec factiva ſui obiecti: nàm poſtquam conſcientia dictaverit hoc opus hic, & nunc eſſe licitum, adhuc manet libera prudentia ad dictandum illud hic, & nunc eſſe faciendum, vel non. Exquibus manifeſte infertur diſtinctum, àc prius eſſe obiectum conſcientiæ, àc obiectum prudentiæ: ergò contrarij ineptiſsimè probant probabile practicum conſcientiæ, per probabile prudentiale.

239 Explicatur amplius: nàm duplex poteſt eſſe quæſtio. Prima, àn opus ſit licitum, vel non? Secunda, àn ſit prudentiale, vel non? Certe prima debet prius reſolvi, quã ſecunda: quiâ prius eſt eſſe licitum, quàm eſſe prudentiale, vel prudenter agibile: ergò prima reſolutio inepte probatur per ſecundam, probando nimirum, opus eſſe licitum, quiâ eſt prudentiale, cùm potius, independenter pro illo priori à prudentialitate, deberes ratione aliqua tibi perſuadere, quod opus hic, & nunc eſt licitum, vt poſtea tibi perſuaderes, & inde probares eſſe tibi prudentiale.

240 Vnde contrarij manifeſtiſsimè errant, dùm conſcientiam volunt regulare per prudentiam; cùm tamen conſcientia ſit regula prudentiæ: manifeſteque committunt circulum vitioſum, dùm probabile de licito, ſeu probabile conſcientiæ probare conantur per probabile prudentiale, cùm probabile prudentiale ſit poſterius ad probabile de licito, ſeu ad probabile conſcientiæ. At qui ad probandum quod opus minus probabilitèr licitum, quàm illicitum, eſt practicè probabile, probabilitate conſcientiæ, aliam rationem non afferunt, qua probent, & qua reſpondeant, niſi quiâ eſt prudentiale, licet minus prudentiale: ergò nullam rationem à priori afferunt, ſed purum circulum.

241 Vnde nego quod opus in talibus circunſtantijs ſit prudentiale, àc perconſequens dico, talem rationem eſſe falſam. Quod ſic à priori probamus, quiâ illud opus eſt periculoſum, cùm periculo probabili contradicendi legi divinæ, diſplicendi Deo, &c. Sed opus ſic periculoſum in circunſtantijs, in quibus eſt ſic peri-

periculum, non est prudentiale, nec magis, nec minus, sed verè imprudentiale: ergò tale opus in circunstantijs, in quibus operanti apparet magis probabiliter illicitum, & minus probabiliter licitum, non est prudentiale, nec minus, nec magis, nec vllo modo vero.

242 Quartò confirmatur: nàm vel prudentia, quàm sæpè inculcant contrarij esse regulam virtutis, & honestatis, est regula prima, & non regulata, vel secunda, & regulata. Primum dicere non audebunt, quià divinæ legi iniuriosum: ergò est regula regulata. Inquiro igitur, qua regula regulatur prudentia? Respondent aliqui indiscriminatim, quod *per probabile*. Sed contra sic argumentor: probabile est Cœlum esse solidum, & non fluidum: probabile est stellas esse fixas: probabile est Iudam fuisse Calabrum, Pilatum fuisse Gallum. Nunquid per hæc probabilia regulatur prudentia? Ridebis forsan, quià sine proposito loquor. Ergò, vt tu loquaris ad propositum, non debes tàm vniversaliter, & indefinite dicere, quod *probabile* est regula prudentiæ, iterum, & millies inclamando *probabile probabile est idem, ac prudentiale*.

243 Dices coactus: regulam prudentiæ non esse quodcumque probabile, sed illud tantum de quo est probabile quod per illud finis obtinebitur, sivè probabiliter conducens ad finem intentum. Recte, sed rursus argumentor: valde probabile est quod si inimico dedero venenum in potu assequar mortem eius, quàm desidero: erit ne hoc probabile regula prudentiæ? Dices, & recte, hanc esse prudentiam carnis, seu malam prudentiam, quæ regulari potest per illud probabile. Attamen prudentiam veram, & spiritualem regulari per aliud probabile. Sed hoc assignes oportet clare, & distinctè. Dices, quod sicut prudentia carnis ad malum finem consequendum regulatur per probabilitatem de conducentia medij ad finem malum, ità prudentia vera, & spiritualis regulatur per probabilitatem de conducentia mediorum ad finem honestum.

244 Bene, sed nondùm satisfeci-sti adæquatè. Pone enim aliquem intendere conversionem alicuius peccatoris, & quod sit probabile illam assequuturum, si velit componere quodam artificiosum mendacium, v.g. si illi persuadeat se vidisse amicum eius, in simili statu paulo ante defunctum, inter pœnas inferni: erit nè prudentiale tunc proferre illud mendacium probabiliter vtile ad finem illud honestissimum? Non sanè: ergò non omne probabile probabiliter conducens ad finem honestum est regula prudentiæ. Respondebis, quod prudentia non disponit de medijs conducentibus ad finem honestum dispoticè, sed iuxta præscriptum divinæ legis, àc sic cùm mendacium sit lege naturali prohibitum, & intrinsecè inhonestum, nunquam potest esse prudentiale, quantumvis probabiliter conducat ad finem honestum: vnde, vt aliquod medium sit prudentiale, non sufficit quod sit probabiliter conducens ad finem honestum, sed requiritur, quod sit probabiliter etiam conforme divinæ legi, & iuxta illius præscriptum, seu probabiliter licitum. Quàm optimè rem explicasti. Sed inde infero: ergò prius est aliquid esse probabiliter licitum, seu probabile conscientiæ, quàm esse prudentiale, seu probabile prudentiæ: ergò non potest illud probari per hoc, sed è contrà hoc debet probari per illud.

245 Deinde rursus interrogo: àn probabilitas de licito sit prima regula prudentiæ non regulata, vel secunda, & regulata? Primum dicere non audebis, primò, quià est auferre primatum divinæ legis in regulando. Secundò, quià legi Dei potissimum incumbit præscribere nobis media, & vias, quibus tendamus ad vltimum finem. Et cùm munus proprium prudentiæ sit disponere practicè de medijs ad vltimum finem, necessario debet regulari per divinas leges talia media præscribentes. Debet ergò divina lex esse prima regula nostræ prudentiæ. Sed non possunt dari duæ primæ regulæ non subordinatæ: ergò dato quod probabilitas de licito sit regula prudentiæ, tantummodo erit regulata, & cùm subordinatione ad divinam legem: ergò in tantum præcisse erit tuta regula, in quantum securè conformatur cùm divina lege; sed quandò opinio pro licito est minus probabilis, & opposita pro illicito est magis probabilis, nulla omnino securitas haberi potest quod opinio minus probabilis, seu minor probabilitas sit legi Dei conformis: ergò haberi non potest pro regula tuta prudentiæ.

§. V.

Ex dictis cuditur nova probatio principalis sententiæ.

246 PROBATVR Igitur quinto nostra sententia: nàm opinio minus probabilis de licito est minus probabilis practicè, & opinio magis probabilis de illicito est magis probabilis practicè, siquidem tota probabili-

bilitas de licito, vel illicito agibili, practica eſt, vt ex dictis patet, nec aſsignari poteſt ratio cùr ſit practica minor probabilitas ſuadens opus eſſe licitum, & non ſit ſimilitèr practica maior probabilitas ſuadens opus eſſe illicitum; ſed qui ſequitur opinionem practicè minus probabilem ſua contradicente, peccat: ergò qui ſequitur opinionem minus probabilem pro licito, relicta probabiliori contradicente pro illicito, peccat: non igitur eſt licitum ſequi illam, iſta contempta. Probo minorem: nàm qui ſequitur opinionem practicè minus probabilem exponitur periculo proximo errandi practicè; ſed voluntariè exponi periculo proximo errandi practicè eſt peccare formaliter: ergò qui ſequitur opinionem practicè minus probabilem peccat. Probo maiorem, quià opinio practicè minus probabilis inconcurſu contradicentis practicè magis probabilis habet periculum proximum erroris, & falſitatis practicæ; ſed qui ſequitur opinionem proximè periculoſam de falſitate practica, & errore practico exponitur periculo proximo errandi practicè: ergò.

247 Explicatur: ſi illa opinio minus probabilis practicè fuerit practicè falſa, errat practicè ipſa, & qui illam ſequitur; ſed ſi eſt minus probabilis practicè, & eius contradicens magis probabilis practicè, ipſa habet magis probabilem contingentiam, & periculum eſſendi practicè falſam: ergò habet magis probabilem contingentiam errandi practicè, & ſimile periculum qui illam ſequitur: ergò non eſt practicè, ſeu in praxi tuta, vt loquuntur contrarij, magis id ſupponentes, quàm probantes. Nàm quomodo eſt in praxi tuta opinio, de cuius falſitate practica eſt probabile periculum, & eſt magis probabile errare practicè qui illam ſequitur?

248 Reſpondebis ex doctrina M. Ferre, quod eo ipſo quod talis opinio ſit practicè probabilis, non poteſt eſſe falſa practicè, etſi forſan ſit falſa ſpeculativè, quià practicè probabile idem eſt, àc verum practicum, & prudentiale; àc proinde opinio practicè probabilis neceſſario eſt practicè vera. Sed contra, quià hoc iàm ſupra à nobis impugnatum fuit quæſt. 3. num. 3. & rurſus efficacitèr impugnatur, quià verum, & probabile ex terminis valde diſtinguntur, ſicut probabilitas, & veritas: ergò practicè probabile, & practicè verum ex terminis debent diſtingui. Vrgetur: quià ex terminis diſtinguntur probabile, & verum, ex terminis diſtinguntur probabile ſpeculativè, & verum ſpeculativè: ergò quià ex terminis diſtinguntur probabile, & verum, etiam ex terminis debent diſtingui probabile practicè, & verum practicè. Certe in omni facultate, & concertatione ſemper probabile in aliquo genere diſtinguitur ex terminis à vero eiuſdem generis: ergò dicere in hac concertatione, quod verum practicum, ſivè in genere practico, & probabile practicum, ſivè in genere practico non diſtinguntur, eſt plane inducere, vel novam ſignificationem terminorum, vel novam doctrinam hucuſque non auditam.

249 Contra ſecundò: quià probabile ex terminis eſt quod poteſt aliter ſe habere: ergò probabile practicè eſt quod poteſt aliter ſe habere practicè. Conſequentia patet ex illa regula dialecticæ: à definitione ad definitum cùm eodem addito valet conſequentia: ergò ſi probabile definitur: quod poteſt aliter ſe habere, erit recta conſequentia, *à probabili*, cùm illo addito *practicè*, ad *poſſe aliter ſe habere*, cùm eodem addito *practicè*: convincitur ergò quod probabile practicè eſt quod poteſt aliter ſe habere practicè; ſed quod poteſt aliter ſe habere practicè non eſt idem, àc verum practicè: ergò probabile practicè non eſt idem, àc verum practicè. Minor probatur; quià quod poteſt aliter ſe habere practicè poteſt contingere quod ſit falſum practicè, quià ſi aliter ſe haberet practicè quod affirmat opinio practicè probabilis, abſdubio illa eſſet falſa practicè; ſed nunquam contingere poteſt quod verum practicum ſit falſum practicè: ergò verum practicum nunquam eſt idem, àc probabile practicum.

250 Contra tertiò: quià opinio practicè probabilis affirmans, v.g. eſſe licitum pingere in die feſto, poteſt re ipſa eſſe falſa, cùm enim non ſit, nec metaphyſice, nec phyſice infallibilis, vtpote ſolum probabilis, non poteſt ei repugnare quod ſit falſa; ſed ſi eſt falſa, non eſt falſa ſpeculativè, ſed practicè: ergò poteſt eſſe falſa practicè: non igitur eſt idem probabilitas practica, àc veritas practica, ſed potius illa eſt ſeparabilis ab iſta. Probo minorem: nàm falſitas in opinione practica directiva voluntatis, non eſt falſitas pure ſpeculativa, ſed practica: falſitas enim pure ſpeculativa eſt quæ incurritur in opinione purè ſpeculativa circa contemplationem veritatis; ſed falſitas prædictæ opinionis non eſt falſitas in opinione pure ſpeculativa, ſed in opinione verè practica, quæ eſt directiva voluntatis: ergò non eſt falſitas ſpeculativa, ſed practica. Confirmatur: falſitas intellectus circa agibilia non eſt falſitas ſpeculativa, ſed practica; ſed falſitas

opinio-

opinionis moralis dicentis contractum, v.g. eſſe licitum, eſt falſitas intellectus circa agibilia: ergò eſt falſitas practica, & non pure ſpeculativa. Minor patet: nàm quandò intellectus opinatur contractum eſſe licitum, opinatur circa agibilia. Vrgetur: ſicut in intellectu ſpeculativo, vt ſpeculativo, non datur falſitas practica, ſed ſolum falſitas ſpeculativa, ità in intellectu practico, vt practico, non datur falſitas pure ſpeculativa, ſed tantum practica; ſed dùm intellectus opinatur opus aliquod eſſe licitè agibile eſt formaliſsime intellectus practicus, & non ſpeculativus, quia opinatur formaliſsime circa agibilia: ergò ſi in tali opinione fallitur, fallitur practicè, & non pure ſpeculativè.

251 Contra quartò: ſi opinio affirmans opus eſſe licitum eſt falſa ſpeculativè, eſt etiam falſa practicè: ergò implicat in terminis ſolutio, quæ aſſerit illam poſſe eſſe falſam ſpeculativè, non tamen falſam practicè. Antecedens probo: quià ſi eſt falſa ſpeculativè ideò erit, quià opus re ipſa non eſt licitum, ſicut ipſa affirmat, ſed re ipſa prohibitum; non enim eſt aſſignabile in quo eius falſitas ſpeculativa conſiſtat, cùm ipſa aliud non affirmet, nec ſpeculativè, nec practicè; ſed ſi opus re ipſa non eſt licitum, ſed prohibitum, talis opinio eſt falſa practicè: ergò ſi eſt falſa ſpeculativè, eſt etiam falſa practicè. Probo minorem: opinio, quæ dictat de agibili contra veram legem Dei, eſt re ipſa practicè falſa; ſed ſi opus illud, de quo dictat opinio eſſe licitum, eſt re ipſa prohibitum, talis opinio dictat de illo agibili contra veram legem Dei: ergò eſt falſa practicè. Maior patet: nàm veritas practica circa mores regulatur per divinam legem, & per conformitatem ad illam: ergò opinio, quæ dictat de moribus, aut de agibili aliquo contra veram legem Dei, eſt practicè falſa, & non practicè vera. Deinde probatur minor: quià dictare de aliquo agibili, quod eſt licitum, quandò re ipſa eſt prohibitum, eſt dictare de illo agibili contra veram legem Dei prohibentem; ergò.

252 Dices cùm contrarijs: verum practicum regulari per conformitatem ad appetitum rectum finis, non per conformitatem ad veram legem Dei, prout eſt in ſe; àc proinde licèt opinio dictet contra veram legem Dei, prout eſt in ſe, poteſt nihilominus non eſſe practicè falſa, ſed practicè vera per conformitatem ad appetitum rectum. Sed contra: quià ſi appetitus finis eſt appetitus rectus non poteſt eſſe appetitus operandi contra veram Dei legem; nec item appetitus operandi, ſivè iuxta, ſivè contra veram Dei legem: nàm hic appetitus foret iniquus, & legis Dei veræ contemptivus: ergò ſolum eſſe poteſt appetitus operandi conformitèr ad legem Dei veram determinatè; ſed implicat quod opinio moralis dictet de moribus contra veram Dei legem, & quod ſit conformis appetitui operandi determinate iuxta veram Dei legem: ergò implicat in terminis ſolutio, dùm ait talem opinionem, licet dictantem de moribus contra veram Dei legem, eſſe practicè veram per conformitatem ad appetitum rectum.

253 Confirmatur primò: appetitus rectus finis eſt appetitus finis debiti iuxta D. Thom. ſed finis debitus homini in præſenti vita eſt ſervire Deo in veritate; ad hoc enim fuit creatus, vt Deo inſerviret in præſenti vita, & eo frueretur in futura, vt ait Catechiſmus: ergò appetitus rectus hominis, vt hominis, eſt ſervire Deo in veritatè. Sed ſervire Deo in veritate eſt obſervare in moribus vera Dei mandata, & legem veram ipſius: ergò appetitus rectus hominis, vt hominis, eſt appetitus ſervandi vera Dei mandata, veramque legem ipſius; ſed huic appetitui non eſt conformis opinio iudicans de moribus contra veram Dei legem: ergò implicat opinionem iudicare de moribus contra veram Dei legem, & eſſe practicè veram per conformitatem ad appetitum rectum. Vide ſupra à nobis dicta quæſt. 5.

254 Confirmatur ſecundò: quià ſicut conſcientia diſtinguitur à prudentia, conſcientia eſt prior prudentia, eiuſque regula, rà verum practicum conſcientiæ debet eſſe diſtinctum, & prius ad verum prudentiæ, tanquam regula ipſius; ſed non ſalvatur verum practicum conſcientiæ, ſi opus, quod dictat vt licitum, re ipſa ſit prohibitum, quanvis opinio practica probabilis dictet eſſe licitum: ergò nec ſalvatur verum practicum prudentiæ. Minor probatur, quià ſi opinio dictat vt licitum, quod re ipſa eſt prohibitum, re ipſa dictat vt bonum, quod re ipſa eſt malum; ſed vbi dictatur vt bonum, quod re ipſa eſt malum, non habetur verum practicum conſcientiæ: ergò. Probo hanc minorem, quià dictare vt bonum, quod re ipſa eſt malum, eſt dicere malum bonum, & bonum malum; ſed vbi hoc dicitur, quantumvis practicè probabile ſit, non tamen eſt practicè verum conſcientiæ, quià tunc caſus non fundat conſcientiam rectam, ſed erroneam: ergò tunc caſus non habetur verum practicum conſcientiæ.

Vrge

255 Vrgetur: verum practicum conſcientiæ non aliunde regulari poteſt tanquam à prima regula, niſi per conformitatem ad veram Dei legem; ſed quandiu opinio dictat eſſe licitum, quod re ipſa eſt prohibitum, re ipſa dictat contra veram Dei legem, & non conformiter ad illam: ergò tunc non ſalvatur verum practicum conſcientiæ.

256 Contra quintò: quià iuxta contrarios vtraque opinio contradictoria ſimul eſt practicè probabilis, & quæ dicit licitum eſſe pingere in die feſto, v.g. & quæ dicit prohibitum eſſe; ſed implicat vtramque iſtam opinionem contradicentem eſſe ſimul practicè veram: ergò non eſt idem eſſe opinionem practicè probabilem, & eſſe practicè veram. Minor patet, quià implicat duas contradictorias, aut contrarias opiniones eſſe ſimul veras.

257 Reſpondet Bordonius in propugnaculo opinionis prob. cap. 7. num. 33. & cap. 9. num. 25. & fundament. 2. n. 27. & alibi ſæpè, quod opiniones contrarię morales, & practicæ bene poſſunt eſſe ſimul veræ, id ipſum alij affirmant quantum ad veritatem practicam, dicentes, non repugnare duas propoſitiones contradicentes eſſe ſimul veras practicè. Non crederem tale effugium, niſi legiſſem. Sanè in nulla alia theologica, nec philoſophica concertatione vnquam legi, nec audivi Authores dicentes poſſe duas contradictorias eſſe ſimul veras, & hoc, quanvis cauſam valde infœlicem ſuſceperint defenſandam, & quantumvis argumentis oppoſitis vrgentiſsimè impugnentur; & merito ſanè, nàm inter omnia principia, quibus ſeria niti debet diſputatio, primum, àc evidentiſsimum eſt non poſſe duo contradictoria eſſe ſimul vera, ſeu quod idem eſt, *non poſſe ſimul idem eſſe, & non eſſe*: qui autem negant prima principia iuxta Philoſophum imperſuaſibiles fiunt, vnde convincitur clare contrarios in hac concertatione veluti imperſuaſibiles eſſe, quandoquidem primo, & per ſe notiſsimo totius intellectualis diſcurſus principio mentis oſtium occludunt, ne convincantur, & perſuadantur veritatem potius, quàm probabilitatem amplectere. Sed licet ipſi imperſuaſibiles quodammodo ſe oſtendant, nos tamen à veritatis perſuaſione non deſiſtemus.

258 Sic igitur primò contra ipſos argumentor: duas opiniones contradictorias eſſe ſimul veras practicè, eſt idem in eodem ſenſu ſimul eſſe, & non eſſe practicè; ſed per ſe notiſsimum eſt non poſſe idem in eodem ſenſu ſimul eſſe, & non eſſe practicè: ergò per ſe notiſsimum eſt non poſſe duas opiniones contradictorias eſſe ſimul veras practicè. Secundò: nàm vel opinioni practicè probabili contradicere poſſumus, vel non? Si non: ergò melius antea dixiſſes non dari opiniones practicè probabiles ſe contradicentes. Rurſus: ergò nemo negare poteſt id quod alius affirmat cùm practica probabilitate: hoc autem eſt ridiculiſsimum: nàm ſi hoc dicas manifeſta, & palmari experientia demonſtrabo tibi oppoſitum. Dic enim, quod volueris dicere ex omnibus, quæ iudicas practicè vera, & probabilia, v.g. *eſſe licitum pingere in die feſto*. En tibi contradico dicendo, *quod non eſt licitum*, & ſimiliter quidquid dixeris, quantalibet probabilitate practica tu affirmaveris, id ipſum ego negabo: ergò cuique opinioni practicè probabili poſſumus contradicere, imò & ipſi veritati practicæ; ſi enim veritati divinæ contradicere poſſunt mali homines, cùr veritas practica opinionum probabilium talis erit, vt ei contradicere non poſsimus?

259 Dicis poſſe nos, ſi velimus, negare veritatem practicam propoſitionis practicè probabilis; ſed falſo talem veritatem negabimus, quià eo ipſo quod ſit practicè probabilis eſt practicè vera. Sed contra: poſſumus contradicere veritati practicæ illius opinionis practicè probabilis dicentis, v.g. eſſe licitum pingere in die feſto æquali, vel maiori probabilitate practica, quàm ipſa hoc dicit; ſed probabilitas practica eſt veritas practica per te: ergò poſſum contradicere veritati practicæ æquali, vel maiori veritate practica. Explicatur: tu dicis probabiliter probabilitate practica *eſſe licitum pingere in die feſto*: ego maiori, vel æquali probabilitate practica id ipſum nego. Rogo nunc à te, dico verum practicè, dùm tibi contradico, vel non? Si non dico verum practicè: ergò iàm vtraque contradicens opinio non eſt practicè vera, licet ſit probabilis practicè. Si dico verum practicè, & tu ſimul dicis verum practicè, qualiter tibi contradico? Sanè verum vero non contradicit: ergò verum practicum vero practico non contradicit, qualiter ergò opinio practicè vera contradicere poterit opinioni practicè veræ? Quis hoc intelliget?

260 Explicatur clarius: Thomiſtæ dicunt, cùm practica probabilitate *non eſſe licitum tacere circunſtantias notabiliter aggravantes*. Alij cùm ſimili probabilitate dicunt, *eſſe licitum*, eſt ne contradictio inter iſtos AA. vel non? Si non eſt contradictio, cùr litigium? Cùr pugna? Vel potius cùr inter illos contradictio? Nàm evi-

evidens est illos se contradicere adinvicem. Si autem se contradicunt, qualitèr vtrique Authores dicunt verum practicè verum?

261 Dices: non se contradicere quantùm ad veritatem practicam, sed tantùm quantum ad veritatem speculativam. Nàm quod attinet ad veritatem practicam Thomistæ tenentur fateri de contradicentibus dicere verum practicè, & ècontrà. Sed contrà: nàm ego sum Thomista, licèt ex Minimis, & tamen nego quòd oppositi Authores dicant verum practicè in illa opinione, licèt valdè probabili seorsim sumpta, nec vllus vnquàm Thomista dixit, opinionem suæ contrariam esse practicè veram.

Secundò: nàm contradictio inter illos Authores non est purè speculativa, quià non est circà naturam rei, & eius proprietates, sed est contradictio practica, nimirùm circa agibile licitum, vel illicitum, àn videlicet sint de præcepto confitendæ circunstantiæ notabilitèr aggravantes, vel non? Sed contradictio verè practica non est contradictio purè quantùm ad veritatem speculativam, sed potissimè quantum ad veritatem practicam: ergò.

262 Vrgetur, quià illi Authores non pugnant in illa quæstione pro veritate inutili, aut per se non conducenti ad regulandam voluntatem; aliàs illa quæstio non esset moralis, & practica, sed purè philosophica, & speculativa, quod evidentèr est falsum. Pugnant igitur pro veritate, quæ sit regulativa, & directiva hominis ad integram confessionem faciendam; sed veritas directiva hominis ad integram confessionem faciendam est formalissimè veritas practica, & non veritas speculativa: ergò pugnant pro veritate practica. Sed se contradicunt, & impugnant adinvicem quantum ad veritatem, pro qua pugnant: ergò se contradicunt adinvicem quantum ad veritatem practicam. Quis autem hoc intelliget, si vtrique Authores verum practicè dicunt in vtraque opinione contradictoria?

263 Confirmatur: nàm Theologi Morales, dùm seriò decertant, vnusquisque pro veritate suæ opinionis, solùm decertant pro veritate necessaria ad regulandam conscientiam, non pro veritate ad id non necessaria; sed sola veritas practica opinionis iuxtà contrarios necessaria est ad regulandam conscientiam: ergò decertant pro veritate practica: ergò in veritate practica se contradicunt. Minor patet: nàm iuxtà contrarios veritas speculativa impertinens est ad regulandam conscientiam, quanvis enim opinio moralis sit falsa speculativè, inquiunt, hoc nihil obesse, vt sit practicè vera, & semel quod sit practicè vera, dicunt, esse rectam regulam conscientiæ: ergò iuxtà ipsos sola veritas practica necessaria est ad regulandam conscientiam. Maior verò non minus evidens est; nàm totus labor Theologiæ Moralis vnicè destinatur ad regulandam conscientiam, vel dicant contrarij, quo fine opiniones morales propugnant, & defendunt? Sanè si non ad regulandam conscientiam, ad quid? Consumendi sanè essent omnes libri morales, vel eorum papyrus in alios vsus, si ad regulandas conscientias, vel ad eas dirigendas non instituuntur, quandoquidem ad nihil aliud omnino deserviunt: ergò evidentissimum est, quod Theologi Morales, dùm quilibet pro veritate suæ opinionis decertat, decertat pro veritate necessaria ad regulandas conscientias, seu, quod idem est, pro veritate practica regulativa conscientiæ; nàm veritas speculativa, in quantum talis, prorsus inepta est ad doctrinam moralem, vt dictum manet.

264 Tunc sic, sed evidentissimum est quod se contradicunt inveritate pro qua decertant, & pugnant: ergò evidentissimum est quod se contradicunt in veritate practica, & non in veritate purè speculativa. Sed etiam est evidentissimum, quod si pugnant, & se contradicunt in veritate practica, non potest veritas practica vtrique simul parti contradicenti adesse: nàm si vtrique parti simul adesset veritas practica, ità vt non deficeret Thomistis ex eo quod simul adesset Iesuitis, ridicula esset pugna, & contradictio inter vtrosque Authores pro re vtrisque communi, & neutris deficienti: ergò certissimum est vtramque partem contradicentem de licito, & de illicito non posse simul habere veritatem practicam.

265 Contra sexto; quià quanvis demus contrarijs hoc evidentissimum impossibile, adhuc vrgentius premuntur; nàm si probabilitas practica est idem àc veritas practica, & proinde vtraque opinio contradicens de licito, & illicito est simul vera practicè, quando vtraque est simul practicè probabilis: ergò quando opinio dicens opus esse illicitum est magis practicè probabilis, quàm opposita dicens

eſſe licitum, erit illa magis practicè vera, quàm iſta: ergò ſi in praxi ſequaris iſtam, eligendo tale opus exercere, eligis exercere opus, de quo eſt practicè verũ, quod eſt illicitum: ergò contradicis in praxi practicæ veritati, & contra veritatem practicam tibi dicentem opus eſſe illicitum, & prohibitum operaris: ergò evidentiſsimè peccas.

Dices, te ſequi opinionem practicè veram. Sed contra: nàm licet ex eo, quod ſequaris opinionem practicè veram ſequatur te licitè agere, etiam ex eo quod agis contra opinionem practicè veram tibi dicentem opus eſſe illicitum, ſequitur, quod illicitè agis: dicendum ergò erit te in tali caſu ſimul peccare, & non peccare, licitè, & illicitè agere: nec hoc forsàn apud te erit abſurdum, quandoquidem vtrumque contradictorium eſſe ſimul practicè verum aſſeris.

§. IV.

Solvuntur aliqua obiecta.

266 SED Vt ad oculum videas æquivocationem contrariorum ex ipſis, & pro ipſis obijcies primò: quià vtraque opinio probabilis contradicens poteſt eſſe conformis appetitui recto finis debiti; ſed veritas practica conſiſtit in conformitate ad rectum appetitum finis: ergò vtraque poteſt eſſe practicè vera. Maiorem probabis, quià vtrumque poteſt eſſe conforme appetitui recto, v. g. pingere, & non pingere, facere collationem ex quatuor vncijs cibi, aut ex octo: ſi enim vtrumque licitum ſit, vt poteſt eſſe, neutrum adverſabitur appetitui recto: ergò vtrumque erit conforme: ergò vtrumque practicè verum: ergò vtraque opinio erit practicè vera. Confirmabis: nàm opinionem eſſe practicè veram eſt illam eſſe licitè deducibilem ad praxim, hoc eſt, ſine peccato; ſed vtraque opinio probabilis contraria poteſt eſſe ſimul licitè deducibilis ad praxim, & ſine peccato: ergò vtraque poteſt eſſe ſimul practicè vera. Minor probatur, quià inter opiniones deſignantes proquantitate collationis ſex vncias, & octo vncias, quælibet licitè, & ſinè peccato poteſt deduci ad praxim: ergò.

267 Ità arguunt aliqui, non deſignantes ingenuè, & clarè, opiniones contradicentes probabiles, de quibus loquuntur, ſed confundentes contradicentes cum non contradicentibus, oppoſitas cum non oppoſitis, & per æquivocationem facientes tranſitum de illis ad iſtas, indeque ſibi perſuadentibus victoriam à nobis reportare.

Reſpondeo igitur, negando maiorem, ad eius probationem, concedo antecedens, & nego vltimam conſequentiam, quià ſi vitare velimus confuſionem in quæſtione àn ſit licitum pingere in die feſto, debemus diſtinguere tres propoſitiones; prima, quæ dicat: *licitum eſt pingere in die feſto*: alia contradicens, quæ dicat: *non eſt licitum*, vel *eſt illicitum pingere in die feſto*, & hæ ſunt contradicentes inter ſe. Diſtinguenda etiam eſt alia tertia, quæ dicat: *licitum eſt non pingere in die feſto*, & hæc nulli ex illis eſt oppoſita, nec contradictoria, quià ſivè ſit licitum pingere in die feſto, vt prima dicit, ſive ſit illicitũ pingere in die feſto, vt ſecunda dicit, ſivè vtrumque ſit falſum, verum tamen manet, quod tertia dicit, nimirùm *eſſe licitum non pingere in die feſto*. Vnde iſtæ duæ propoſitiones, *licitum eſt pingere in die feſto*: *licitum eſt non pingere in die feſto*, non ſunt contradicentes, nec oppoſitæ, ſed compatibiles abſque vlla contradictione. Igitur, dùm contrarij inferunt ex eo, quod ſit licitum pingere, & non pingere in die feſto, tùm quod ſit licitum ſequi vtramque opinionem probabilem contradicentem, tùm quod vtraque opinio probabilis contradictoria eſt licitè deducibilis ad praxim, tùm quod vtraque eſt tuta in praxi, tùm denique quod vtraque eſt practicè vera, manifeſtè æquivocantur; quià illæ duæ propoſitiones, vel opiniones non ſunt contradicentes, nec oppoſitæ, nec inter illas eſt quæſtio præſens àn liceat ſequi quamlibet, quià benè poteſt vtrumque eſſe licitum ſimul & pingere, & non pingere, & vtraque iſta propoſitio, *licitum eſt pingere*, *licitum eſt non pingere*, poteſt eſſe ſimul vera, quià non dicunt contradictionem, nec vllam oppoſitionem.

268 Idem dicimus de his propoſitionibus, *licitum eſt facere collationem cum quatuor vncijs*: *licitum eſt illam facere cum quinque vncijs*: *licitum eſt cum ſex*: *licitum eſt cùm ſeptem*: *licitum eſt cùm octo*: omnes enim iſtæ opiniones vel propoſitiones ſimul veræ ſunt, omnes ſunt conformes appetitui recto, omnes tutæ in praxi; at illæ non ſunt inter ſe vllo modo oppoſitæ, ſed concordantes, & compatibiles: non enim opponitur eſſe licitum facere collationem cùm quatuor vncijs, cùm eo quod etiam ſit licitum facere illam cùm

quin-

quinque, cùm ſex, cùm ſeptem, nec cùm octo. Vnde fatemur quod ex illis, quælibet, licet minus probabilis ceteris, licitè ſit eligibilis ad praxim, & quod, inter illas non tenemur eligere probabiliſſimam, nec probabiliorem. Inter illas enim minus probabilis eſt quæ dicit eſſe licitum facere collationem cùm octo vncijs, magis probabilis, quæ dicit eſſe licitas ſex vncias, & probabiliſsima, quæ aſſerit eſſe licitas quatuor vncias; ſi igitur comparatio fiat inter has opiniones adinvicem, licitum eſt ſequi minus probabilem inter illas. Ceterum ex hoc minimè infertur eſſe licitum ſequi minus probabilem ſua contradicente, quià illa, quæ ait eſſe licitas octo vncias, licet ſit minus probabilis alijs duabus ſibi non contradicentibus, eſt tamen magis probabilis ſua contradicente, quià magis probabile eſt, ſumere collationem in quantitate octo vnciarum eſſe licitum, quam id non eſſe licitum (hoc ſuppono: ex. g. modo non diſputo) & dummodo aliqua opinio ſit magis probabilis ſua contradicente, licet ſit multo minus probabilis alijs non contradicentibus, non prohibemus illam ſequi, ſed ſolum quandò eſt minus, aut æquè tantum probabilis ſua contradicente. Et propter huius non intelligentiam deficiunt, & æquivocantur contrarij.

269 Sequitur ergò, quod quando vtrumque extremum libertatis, vel contradictionis, vel contrarietatis eſt licitum, vti re ipſa poteſt contingere, quod omnia extrema libertatis ſint licita, tunc ſequi poteſt in praxi quodlibet ex illis extremis, & quælibet ſententia, quæ affirmet de quolibet extremo libertatis eſſe licitum, dummodo ſit magis probabile tale extremum eſſe licitum, quàm eſſe illicitum, exceſſu notabili; ſi tamen circà illud extremum libertatis ſint duæ opiniones morales contradicentes, quarum vna dicat illud extremum eſſe licitum, alia illud eſſe illicitum, & vtraque ſit æquè probabilis, vel iſta ſecunda magis, tunc tale extremum libertatis licitè eligi non poteſt, ſed recurrendum eſt ad aliud extremum libertatis, de quo, vel certum ſit eſſe licitum, vel magis probabile eſſe licitum, quàm il licitum.

270 Ex quo ad confirmationem, imprimis dico, quòd opinionem eſſe practicè veram malè explicatur per hoc, quod ſit licitè deducibilis ad praxim ſine peccato, tùm quià hæc opinio: Ieiunandũ eſt de præcepto quolibet die veneris: eſt practicè falſa; & tamẽ in ſenſu arguentis eſt licitè deducibilis ad praxim, hoc eſt, ſine peccato formali, imò nec materiali, quià quilibet licitè poteſt ieiunare in quolibet die veneris. Tũc quià certiſsimũ eſt quod, ſi quis id crederet de præcepto, erraret practicè; & tamen deducendo ad praxim talẽ errorem, ſeu ieiunando, non peccaret, nec formaliter, nec materialiter: certiſsimum eſt igitur, quod contrarij ineptiſsimè definiunt veritatem practicam alicuius opinionis, per hoc, quod ſit licitè, & ſine peccato deducibilis ad praxim. Imò, etiam hoc pacto definiendo opinionem practicè probabilem maximè errant, quià hæc opinio: *communicandum eſt de præcepto omni die feſto* eſt practicè improbabilis; & tamen eſt licitè, & ſine peccato deducibilis ad praxim. Si enim quis ex illa ductus communicaret cum debita diſpoſitione, cũctis diebus feſtivis, licitè ageret, & ſine peccato: ergò ineptiunt contrarij, dùm ſic definiunt opinionem practicè probabilem.

271 Et rurſus: nàm iuxtà M. Ferre valdè diſtinguitur conſcientia probabilis, à conſcientia erronea, exiſtimat enim conſcientiam probabilem, licèt falſam, non eſſe conſcientiam erroneam practicè, ſed practicè rectam, àt conſcientiam invincibiliter erroneam in aliquo errore invincibili fundatã, nõ eſſe rectam, ſed practicè erroneam, ideoque ait, excuſare à culpa, ſed non reddere actum ea regulatum honeſtum. Licèt autèm hæc exiſtimatio falſa ſit, quantùm ad primam partem, ex illa tamen quoad ſecundam cõvincitur hic Author: nàm conſcientia invincibiliter erronea eſt licitè ſequibilis in praxi, ideſt, ſine peccato formali; & tamen iuxtà illum non eſt practicè vera, nec practicè probabilis; aliàs eſſet conſcientia recta: ergò ineptiſsimè definitur practicè probabile, per eſſe licitè deducibile ad praxim, hoc eſt, ſine peccato formali. Si autem intelligit opinionem in praxi probabilem eſſe illam, quæ eſt licitè deducibilis ad praxim, hoc eſt, ſine peccato, tàm formali, quàm materiali, manifeſtè fallitur; quià ſi opinio practicè probabilis falſa ſit, ità vt obiectum, quod iudicatur licitum, re ipſa ſit prohibitum, omnes fatentur tunc in ſequela talis opinionis intereſſe peccatum materiale; nec hoc negat M. Ferre: ergò fallitur, ſi dicit opinionem probabilem eam eſſe quæ eſt deducibilis ad praxim tan ſine peccato materiali, quàm ſine formali.

271 Deinde adhuc admiſſo, quod opinio practicè vera definia-

tur *quæ eſt licitè deducibilis ad praxim*, nego quod opinio minus, aut æquè probabilis ſit licitè deducibilis ad praxim, quod quidem affatim probatum relinquimus, nec opus eſt quidquam addere. Ac proinde nego quod in hoc ſenſu opinio minus, aut æquè probabilis ſit practicè vera, aut verè in praxi probabilis.

273 At dices: ex duabus contradicentibus vna debet eſſe licitè deducibilis ad praxim; ſed cùm vnaquæque eſt æquè probabilis, nulla magis, neceſſum eſt quod, ſi aliqua ad praxim deducitur, deducatur æquè probabilis: ergò æquè probabilis eſt licitè deducibilis ad praxim. Reſpondebis forsân: ex illis duabus eſſe licitè deducibilem ad praxim illam, quæ eſt pro lege, v.g. quæ dicit: illicitum eſt pingere in die feſto, quià in illa nullum invenitur periculum. Sed contra, quià ſi illa ſolum eſt æquè probabilis cùm ſua contradicente, non eſt maior ratio cùr illa ſit practicè vera præ ſua oppoſita; vbi autem non eſt maior ratio, vt aliqua opinio ſit practicè vera, quàm ſua oppoſita, nec eſt ratio cùr illa ſit licitè deducibilis ad praxim præ ſua oppoſita.

274 Igitur alitèr reſpondeo, quod ex duabus contradicentibus vna debet re ipſa eſſe practicè vera, & re ipſa licitè deducibilis ad praxim, veluti regula operandi. Attamen dùm intellectus de neutra habet maiorem probabilitatem, ſed propter æqualitatem motivorum eſt in æquilibrio reſpectu vtriuſque, tunc neutram ſequi poteſt; quià penitùs ignorat, ſeu dubitat quænam ex illis ſit vera, & tuta regula, quænam ſit practicè vera, quænam re ipſa ſit licitè deducibilis ad praxim, quanvis ſciat vnam ex illis vage eſſe re ipſa ex ſuo obiecto veram practicè, & licitè deducibilem ad praxim.

275 Sed dices: ex hoc ſequi neutram hic, & nunc eſſe practicè veram; quià neutra hic, & nunc eſt licitè deducibilis ad praxim: ergò ſequitur neutram ex contradicentibus eſſe veram practicè: erit igitur vtraque practicè falſa; ſed ſi vtraque contradictoria eſt falſa, vtraque eſt ſimul vera, vt probant dialectici: ergò iàm habemus vtramque contradicentem eſſe ſimul practicè veram, quod omni abſurdo abſurdius reputabamus. Præter quam, quod non videtur minus abſurdum vtramque eſſe falſam, aut neutram eſſe practicè veram; hoc autem planè ſequitur, ſi dicamus, vti dicimus, neutram ex illis poſſe tunc deduci ad praxim ſine errore, aut ſine peccato.

276 Nego ſequelam: tum quià ego non explico veritatem practicam opinionis practicæ, & moralis, per eſſe, vel non eſſe licitè deducibilem ad praxim, ſed per eſſe conformem in repræſentando, ſeu ex parte obiecti affirmati ad divinam legem, & ad vltimum finem hominis, quæ ſunt prima regula veritatis practicæ in moralibus. Vnde ſi opinio repræſentet, vt conforme divinæ legi, aut vltimo fini, quod re ipſa eſt conforme, erit practicè vera, & ſimilitèr ſi dicat eſſe diſconforme, quod re ipſa eſt diſconforme. Si tamen è contrà, vel repræſentet vt conforme, quod non eſt conforme, vel vt diſconforme, quod non eſt diſconforme, tunc eſt falſa practicè. Cùm autem ſit impoſsibile quod obiectum opinionis, nec ſit conforme, nec non ſit conforme legi Dei, & vltimo fini, inde eſt quod recte explicata veritate practica, repugnat quod neutra contradicens ſit practicè vera, & quod vtraque ſit practicè falſa; & manet ſemper neceſſarium, quod re ipſa vna ſit practicè vera, & alia practicè falſa.

277 Deinde dico, quod rectè componi poteſt, quod neutra ex contradicentibus moralibus ſit practicè vera alicui intellectui, quià aliud eſt propoſitionem aliquam eſſe in ſe veram, aliud eſſe veram mihi, vel tibi, &c. Hoc enim ſecundum præcisè eſt à me exiſtimari veram. Poteſt autem contingere quod ex contradicentibus neutra mihi vera ſit, hoc eſt, quod nec affirmativa mihi vera ſit, nec negativa mihi vera ſit, quià de vtriuſque veritate dubito, aut ſuſpenſum teneo iudicium. Nec hoc eſt ſpeciale in veritate practica, aut opinionibus practicis, ſed commune etiam ſpeculativis. Nàm etiam ſolet contingere, quod ex contradicentibus ſpeculativis neutra mihi vera ſit ſpeculativè, hoc eſt, quod neutra meo iudicio vera ſit; quià dùm dubito, aut ſuſpendo iudicium, nec affirmativa eſt meo iudicio vera, nec negativa eſt meo iudicio vera, adhuc ſpeculativè, quià de neutra iudico determinatè eſſe veram. Hoc igitur pacto, concedo, quod poſsit contingere, & quod ſæpè contingat neutram ex contradicentibus moralibus veram eſſe operanti: àt indè non ſequitur illi vtramque falſam eſſe, quià illi neutra eſt vera, nec falſa, ſed ſuſpendit iudicium. Eo autem ipſo, quod

illi

illi neutra ſit, nec vera, nec falſa practicè, neutra eſt ab illo hic, & nunc acceptabilis in regulam operandi, vel non operandi. Ex quo minimè ſequitur, quod neutra in ſe ipſa, ſeu in rei veritate ſit regula tuta, ſed ſolùm, quod neutra ſit illi regula tuta; ſicut non ſequitur, quod neutra ſit re ipſa practicè vera, ſed ſolùm, quod neutra ſit illi practicè vera.

278 Ex quibus infero: eaſdem omnino leges ſervandas in contradicentibus practicis, àc in contradicentibus ſpeculativis, eandem repugnantiam ſervare illas in veritate, & falſitate practica, àc iſtas in veritate, & falſitate ſpeculativa: dialecticamque integram verum tenere quantum ad veritatem, & falſitatem practicam opinionum, aut propoſitionum moralium, non minus, quàm reſpectu veritatis, & falſitatis ſpeculativæ in alijs materijs. Nec enim facultates practicè diſcurſivæ, quales ſunt Theologia, & Philoſophia Moralis, alia dialectica, alijs regulis, alijs contradictorijs, aut alia forma ſyllogiſtica nituntur, quàm ipſa, quæ facultatibus omnibus ſpeculativis deſervit. Hoc expreſsit Doctor Ang. innumeris in locis, vbi docuit intellectum practicum, tòt modis errare poſſe in ſuo diſcurſu practico, quòt intellectum ſpeculativum errare poteſt in diſcurſu ſpeculativo. Et Sanctus Doctor, dùm corrigere vult intellectum practicum, eiuſdem dialecticæ regulis vtitur, iam dicendo, quod peccator, quando concludit actum, licèt prohibitum, eſſe agendum, arguit in quatuor terminis, iàm quod aſſumit minorem falſam ſub maiori vera, & iàm alios defectus diſcurſus practici oſtendendo iuxtà dialecticam antiquam, veram, vſuque receptam. Scio Caramuelem alias, & ſingulares inſtituiſſe modales de probabili, aliaſque contradictionis leges, & veluti novam dialecticam, qua infert Theologos morales nunquam in ſuis opinionibus probabilibus contradictionem incurrere, ſed omnes ſimul verum tenere; vt refert & impugnat Carden. tom. 1. de prob. dip. 1. & 2. & nos ſuprà quæſt. 24. à num. 14. Sed perindè eſt hanc novam dialecticam velle ſtatuere, & ſuprà illam aliam erigere Theologiam, àc nova prima principia velle hominibus indicere, novum lumen naturale primorum principiorum eis infundere, novum denique genus humanum à fundamentis facere.

278 Vnum re ipſa laudo in Caramuele, ingenium ſcilicet acutiſsimum ab Authore naturæ maxima liberalitate conceſſum, quo agnovit ingenuè cauſam probabiliſmi penitùs repugnare antiquæ dialecticæ, & antiquitati primorum principiorum. Proindeque, cum eam cauſam patrocinandam ſuſcepiſſet, opus iudicavit veluti novam cudere dialecticam, nova principia, vt cohærentèr ſaltim, ſi non verè, loqui poſſet. At hoc pacto, quid fecit? Credo apertiſsimè demonſtravit falſitatem cauſæ patrocinatæ, dùm convictus ipſe fuit, eam in vera, antiqua, & vſitata ab omnibus dialectica fundari, aut cum illa ſubſiſtere minimè poſſe. Id etiam convincunt omnes, qui noſtris argumentis preſsi, & quaſi ad impoſſibile regulis dialecticis ducti, tandèm ſiſtunt, dicentes, artem dialecticæ, eiuſque regulas, pro intellectu tantùm ſpeculativo inſtitutas, non pro intellectu practico, aut practica veritate invenienda; & ſic nos educere conantur ad forum, in quo nulla nobis proſit regula dialecticæ, nulla contradictoriarum lex, nullum recti diſcurſus principium, vt proindè, dicant quidquid dicant, impugnari non poſsint, ſeu, vt loquuntur, inexpugnabiles ſint. Sed certè cum eorum ſolutionibus duci videor in forum, in quo *contradictoriæ dicuntur ſimul practicè veræ, vel nullas eſſe contradictorias: omne probabile eſſe practicè verum, &c.* interius experior intellectum extrà proprios cardines duci ad regionem ignotam, vbi nihil appareret intelligibile, nihil iudicabile, ſed omnino extrà ſuam ſpheram; quod mihi ſignum eſt experimentale in eo foro, in ea regione nihil eſſe veri.

279 Dicunt inſuper veritatem practicam opinionum moralium non deſumi ab eo quod res eſt, vel non eſt, ſicut docet dialectica, ſed à conformitate cùm appetitu recto, àc proinde veritatem practicam opinionum non conſiſtere in conformitate opinionis cùm obiecto affirmato prout eſt in re, ſed in eo quod ſit conformis appetitui recto finis. Hanc doctrinam confirmant ex Angelico Doctore, & ex illa aliqui inferunt, conſcientiam omnem invincibilem eſſe rectam, & ſimilitèr omne iudicium invincibile de moribus bona intentione conceptum rectum eſſe, & conſequentèr practicè verum, quià procedens ex recto appetitu finis, & per conſequens illi

conformè. Qualitèr autem iſti explicent dari conſcientiam invincibilitèr erroneam, quam omnes Theologi cùm Div. Thom. admittunt ſæpè dari, non ſatis vnquam penetrare potui, niſi dicant eſſe ſimul erroneam, & rectam, practicè veram, & practicè falſam. Nec hoc adhuc intelligi poteſt: nàm, præter contradictionem apertam, aſſignare tenentur vnam regulam, per cuius diſconformitatem ſit practicè falſa, aut erronea, & aliam regulam, per cuius conformitatem ſit vera, & recta, quod nunquam explicare poterunt.

280 Verus igitur ſenſus Ang. Doctoris eſt, quod veritas practica obiectiva deſumitur à conformitate obiècti reali, & vera cùm appetitu recto finis debiti, & cùm vera lege Dei: appetitus enim rectus finis debiti, & vera lex Dei nunquam re ipſa diſcordant: nàm appetitus rectus finis debiti, vt ſupra diximus, eſt appetitus tendendi ad finem per viam præſcriptam à lege Dei. Veritas autem practica formalis, qualis eſt in actibus intellectus practici, ſivè in opinionibus formalibus, aut propoſitionibus moralibus, neceſſario ſumitur per conformitatem ipſarum ad ſuum obiectum, non quidem ab eo quod obiectum re ipſa exiſtat, vel non exiſtat in ſe ipſo, aut ab eo quod re ipſa ſit huius eſſentiæ, vel huius naturæ, aut harum, vel illarum paſsionum, nàm de hoc non curat intellectus practicus, nec hoc affirmat practica enuntiatio, ſed ab eo quod obiectum re ipſa ſit conformè divinæ legi, aut appetitui recto finis debiti, ſicut enuntiatur per actum intellectus practici, aut per practicam opinionem. Vnde ſemper veritas formalis practica ſumitur per conformitatem actus cùm obiecto, ſicuti & veritas formalis ſpeculativa. Cùm hac ſola differentia, quod veritas formalis ſpeculativa ſumitur per conformitatem ad obiectum, inquantum obiectum eſt, vel non eſt exiſtens in ſe ipſo, inquantum eſt, vel non eſt huius eſſentiæ, naturæ, vel quidditatis, huius qualitatis, harum vel aliarum proprietatum, quià hæc ſolum examinat, & enuntiat ſpeculativus intellectus. At veritas formalis intellectus practici ſumitur per conformitatem ad obiectum, quatenus obiectum re ipſa eſt, vel non eſt conforme divinæ legi, aut appetitui recto, ſicut per enuntiationem practicam affirmatur, aut negatur. Ex quo planè, & ritè explicatur, quomodo detur conſcientia invincibilitèr erronea, quæ recta non ſit: nimirum ipſa eſt, quæ invincibilitèr exiſtimat obiectum eſſe conforme legi Dei, aut per eam licitum, quandò re ipſa eſt illi contrarium, & per illam prohibitum; aut quandò exiſtimat obiectum eſſe contrarium legi Dei, & re ipſa non eſt contrarium, ſed conforme: regulanda enim ſunt omnia per legem veram Dei, quæ, velint, nolint contrarij, eſt prima, fixa, immobilis, & æterna regula veritatis practicæ, & bonitatis moralis.

281 Obijcies ſecundò: opinio minus, aut æquè probabilis pro lege eſt licitè ſequibilis in praxi, & eſt tuta regula conſcientiæ: nàm in ſequela illius nullum eſt periculum: ergò illa eſt vera practicè, & moraliter. Reſpondeo, me iàm explicaſſe qualitèr huiuſmodi conſequentia falſa ſit: & in ipſa de tegitur manifeſta diſparitas; nàm ideò opinio minus probabilis pro lege dicitur ſequibilis in praxi, quià nullum eſt periculum in faciendo quod illa dictat, licet ſit falſa. Vnde quanvis ſit falſa opinio dicens peccatorem, qui peccavit læthaliter, teneri, quàm primum poſsit, confiteri peccatum mortale commiſſum, nullum tamen eſt periculum in hoc faciendo, & ideò licitè fieri poteſt quod illa dictat opinio. Attamen eſt magnum periculum in faciendo quod dictat vt licitum opinio minus aut æquè tantum probabilis pro libertate, quià ſi forsàn illa falſa ſit, eſt periculum tranſgrediendi legem prohibentem; ideòque licitè fieri poteſt, quod opinio pro lege, licèt minus probabilis, imò licèt falſa, dictat vt obligatorium: non tamen licitè fieri poteſt quod opinio minus probabilis dictat vt licitum.

Nunc autem, vt aliam æquivocationem contrariorum detegam, noto, ipſos exiſtimare de nobis quod admittimus pro recta, aut tuta regula conſcientiæ opinionem minus, aut æquè probabilem, dummodo ſit pro lege, & non pro libertate, & ſolum negare quod opinio minus, aut æquè probabilis pro libertate ſit recta, aut tuta regula conſcientiæ. In hoc ſanè falluntur, & æquivocantur, quià nos nunquam aſſerimus opinionem minus, aut æquè probabilem ſua contradicente, eſſe tutam, aut rectam regulam conſcientiæ, ſivè illa ſit pro lege, ſivè pro libertate. Sed omnem huiuſmodi opinionem, durante eius minori, aut æquali probabilitate, iudicamus ineptam,

tam, vt secundum illam formetur conscientia.

282 At dices: ergò intellectus inter illas duas opiniones erit perplexus, voluntasque impedita prorsus, vt nullum extremum libertatis possit eligere, v. g. si quis constitutus sit inter duas opiniones contradicentes æquè probabiles circà contractum, nec poterit celebrare contractum, quià non potest sequi opinionem dicentem illum esse licitum, nec poterit illum non celebrare, quià nequit etiam sequi in praxi oppositam opinionem. Hoc autem est valdè absurdum, quià est reddere homines plerumque perplexos, & impeditos ad vtrumque extremum libertatis.

Respondeo hic iterum misceri æquivocationem contrariorum. Nàm, licet in prædicto casu, nec sit tuta regula conscientiæ illa opinio, quæ affirmat contractum esse licitum, nec illa, quæ negat contractum esse licitum, quià vtraque est dubia; tamen est ad manum alia tertia certa, vera, & secura, quæ dicit esse licitum omittere illum contractum. Licet enim in illo casu dubium sit inter illas duas contradicentes, àn sit licitum, àn sit illicitum celebrare contractum: supponimus autem in quæstione præsenti, esse aliam tutam, & securam dicentem esse licitum talem contractum omittere. Licet igitur intellectus, & voluntas nullam ex illis contradicentibus possint acceptare pro regula, quià neutra est certa, aut secura de veritate, sed vtraque dubia, non ideò est perplexus, nec intellectus, nec voluntas, quià possunt acceptare pro regula aliam tertiam assertionem dicentem omissionem contractus esse licitam, & secundùm hanc regulam iudicare, & eligere expeditè, & liberè, vel ipsam omissionem, vel quodlibet aliud præter illum contractum, de quo non sit simile dubium, sed certitudo moralis infrà explicanda

283 Vndè diligentèr est advertendum, quod deducere ad praxim opinionem dicentem opus aliquod non esse licitum, non est vtcumque omittere tale opus, sed omittere illud opus, quià creditur determinatè esse illicitum. Et similitèr deducere ad praxim aliquam opinionem dicentem opus aliquod esse præceptum, non est vtcumque elicere tale opus, quià creditur esse præceptum. Hoc facile explicatur: est aliquis constitutus inter has duas opiniones: *Licitum est pingere in die festo*; *non est licitum pingere in die festo*: neutri credit, de vtraque dubitat, neutram igitur acceptat in regulam. Nihilominùs tamèn omittit pingere. Sequitur nè, aut deducit ad praxim illam opinionem, quæ dicit non esse licitum pingere? Minimè, quià illi nondùm credit, nec illam acceptat in regulam. Quam igitur regulam sequitur? Aliam tertiam, scilicet dicentem: *Licitum est non pingere in die festo.* Quià sic deliberat: Nescio vtrùm sit licitum, vel non sit licitum in die festo pingere: & scio, & certus sum esse licitum vacare à pictura: eligo igitur vacare à pictura: non ergò sequitur in praxi vllam ex contradicentibus, de quibus est æqualis probabilitas, sed aliam tertiam, de qua est certitudo. Tunc autem sequeretur in praxi opinionem negantem esse licitum, quando omitteret picturam, quià crederet illam esse illicitam. Idemque dicendum quando opinio vna dicit opus esse de præcepto, alia negat opus esse de præcepto. Si enim sint æquè probabiles, neutram tenetur quis acceptare in regulam, sed solùm aliam regulam tertiam, quæ dicit: *Sive opus sit de præcepto, sive non, quod mihi est dubium, certum mihi est esse licitum tale opus exercere*, hoc igitur eligo, & hanc regulam sequor, quæ tertia est. Tunc autem sequitur opinionem dicentem actum esse de præcepto, quando illum elicit, quià credit determinatè illum esse de præcepto.

284 Sed dices, vel potius interrogabis: cùr in præsenti quæstione solùm dubitamus, àn sit licitum sequi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate? Videmur enim supponere esse licitum sequi opinionem minus, aut æquè probabilem pro lege.

Respondeo, quod in præcedentibus duabus quæstionibus diximus, & propugnavimus vniversalitèr non posse intellectum prudentèr sequi in iudicando de moribus opinionem minus, aut æquè probabilem, sivè illa esset pro lege, sivè pro libertate, quià quantum attinet ad periculum errandi intellectum, æquale est, si errret in favorem legis, àc si erret in favorem libertatis: finis enim intellectus est veritas, contrarium autem ipsi est falsitas; cùm autem in opinione minus probabili pro lege æquale sit periculum falsitatis, àc in opinione minus probabili pro libertate, inde est, quod attento fine intellectus æqualitèr prohibuimus, & prohibemus iudicare secun-

dum opinionem minus probabilem pro lege, ac pro libertate. Et Div. Thomas vtrumque periculoſum iudicavit, quandò inter opiniones Magiſtrorum veritas eſt ambigua, nimirum, & decidere pro lege, & decidere pro libertate. In præſenti autem quæſtione ſolum curamus de vitando peccato in voluntate, ideòque directè non prohibemus illi ſequi in praxi opinionem minus probabilem pro lege, imò nec improbabilem. Nàm quanvis intellectus crederet ieiunium eſſe præceptum omni die veneris, voluntas ſequens tale iudicium, & ieiunans omni die veneris, quià de præcepto, nullum ex ſua parte haberet periculum peccandi; intellectus enim eſſet qui tunc erraret practicè obligando voluntatem ad pluſquam re ipſa tenebatur: at voluntas nullum periculum haberet peccandi in obediendo intellectui, & ſequendo eius dictamen erroneum. Nihilominus in quocumque errore vincibili, licet in favorem legis, iudicamus ſemper adeſſe aliquam imprudentiam, & peccatum ſaltim veniale, & ideò non iudicamus licitum acceptare in regulam opinionem minus, aut æqnè probabilem, etſi faventem legi, etſi ſit cùm animo certo illam ſequendi in praxi; quià licet tunc, ſemel acceptata tali opinione, & credita, non ſit periculum peccandi in eo quod voluntas illam ſequatur, ſed ſolum faciendi pluſquam debet: tamen in eam acceptando, & credendo tali opinioni eſt periculum erroris intellectualis, quod neceſſario habet etiam rationem peccati, vt vidimus ſupra ex Div. Thom. Cùm igitur in præcedentibus ſufficienter propugnatum relinquamus non licerè intellectui credere opinioni minus, aut æquè probabili, ſivè pro libertate, ſivè pro lege propter periculum imminens erroris intellectualis, propterea in præſenti quæſtione ſolum conamur averterè voluntatem à ſequela opinionis minus, aut æquè probabilis pro libertate, quià ſolum in ſequela illius imminet periculum peccati in voluntate, non autem in ſequela oppoſitæ, licet neutra credi, acceptari vè poſsit ſine periculo erroris intellectualis.

285 Denique obijcies: poteſt opinio aliqua eſſe ſpeculativè falſa, & practicè vera; ſed quandò opinio probabilis dicit obiectum eſſe licitum, dato quod re ipſa ſit prohibitum, ſolum ſequitur quod ſit ſpeculativè, & in vniverſali falſa: ergò, hac non obſtante falſitate, poteſt eſſe practicè vera. Probabis maiorem, quià intellectus poteſt errare ſpeculativè, quin erret practicè: ergò opinio intellectualis poteſt eſſe falſa ſpeculativè, quin ſit falſa practicè. Antecedens probatur, quià intellectus poteſt errare practicè, quin erret ſpeculativè, vti intellectus Angeli mali, de quo certum eſt quod ad peccandum non erravit ſpeculativè, erravit tamen practicè: ergò poteſt ècontrà intellectus errare ſpeculativè non errando practicè.

286 Reſpondeo negando maiorem, vti falſiſsimam: ad probationem diſtinguo antecedens: intellectus poteſt errare ſpeculativè non errando practicè, ſi errorem ſpeculativum acceptet in regulam operandi, vel applicet ad opus, nego antecedens: ſi illum non applicet, nec acceptet in regulam, concedo antecedens. Nàm imprimis licet intellectus poſsit errare ſpeculativè, quin erret practicè, quandò errat circa ſpeculabilia, quià tunc non errat circa agibilia, nec errat in cognitione, aut iudicio directivo voluntatis ad agendum, tamen quotieſcumque errat circa agibilia, & in iudicio directivo voluntatis errat practicè, & talis error ſemper eſt practicus, nec poteſt eſſe purè ſpeculativus. Cùm ergò omnis opinio propriè moralis ſit circa agibilia, & directiva voluntatis, inde eſt quod ſi eſt falſa, & errrat, non errrat, nec fallitur purè ſpeculativè, ſed practicè.

287 Verumtamèn error practicus poteſt eſſe, vel remote, aut ſpeculativè practicus, vel proximè, aut practicè practicus. Primum contingit quandò intellectus practicus errat circa agibilia in vniverſali. Secundum, quandò errorem illum vniverſalem applicat hic, & nunc ad caſum ſingularem; & ſic fatemur quod quando opinio vniverſalis de agibili aliquo in genere, vel ſpecie non applicatur, tunc illa errat quidem practicè in vniverſali, ſeu ſpeculativè comparativè ad errorem practicè practicum; tunc autem non errat practicè in ſingulari, quià non applicat ad opus errorem in vniverſali opinione conceptum. Attamen impoſsibile iudicamus, quod opinionem in vniverſali falſam acceptet in regulam, & ſecundum illam iudicet in caſu ſingulari, quin paritèr erret in ſingulari, quià tunc opi-

nio

nio vniverſalis accipitur, vt principium & regula diſcurſus practici; & error in principio, aut in regula vt tali neceſſario deſcendit ad principiatum, & regulatum, ſicut ſi eſſet defectus in cauſa vniverſali, paritèr talis defectus deſcenderet ad effectum, licet cauſæ mediæ de ſe non eſſent defectuoſæ.

288 Ex quo ad vltimam probationem antecedentis dico: poſſe intellectum non errare, nec ſpeculative, nec practicè quidem in vniverſali, & tamèn errare practicè in ſingulari, & hoc ex eodem capite, quià videlicet non applicat notitiam, & ſcientiam vniverſalem hic & nunc ad opus ſingulare, ſed defectu conſiderationis, & applicationis, etſi habeat ad manum regulam vniverſalem, illa tamèn contempta, & non conſiderata, ſinè regula procedit ad actum: & ità erravit Angelus practicè, quin erraret ſpeculative, imò practicè in vniverſali, quià ſcilicet, proceſſit ad amorem ſui ſinè applicatione regulæ vniverſalis. At, ſi ſcientiam practicam vniverſalem, quam habebat, debite applicaret ad opus, minimè erraret practicè, quià illa ſcientia vniverſalis vera erat: ità ergò quando notitia, vel opinio vniverſalis falſa eſt, ſi applicatur ad opus, neceſſario ſequitur error practicè practicus.

ART. VI.

An recurſus ad maiorem probabilitatem reflexam, ſeu ad reflexam evidentiam, & certitudinem ſit vtilis ad probandum, vel reſpondendum in præſenti quæſtione?

289 PAter Teril. q. 23. à n. 143. & 146. & alibi ſepè nobis improperat, quod manifeſte hallucinamur in præſenti diſputatione, quià non diſtinguimus intèr probabilitatem directam, & reflexam, ideoque conqueritur quod eis falſo imputamus, quod dicant licitum eſſe ſequi opinionem omnibus inſpectis minus probabilem, cùm tamèn id minimè aſſerant, ſed ſolum licitum eſſe ſequi opinionem directè minus probabilem, quià illa ex argumentis reflexis eſt magis probabilis, vel potius, inquit, certa, & evidens. Quod ſi ab illo inquiras, in quo conſiſtat hęc maior probabilitas reflexa, ſeu reflexa certitudo, & evidentia? Inquit, duas eſſe diſtinguendas quæſtiones. Primam circa opus vel obiectum voluntatis, àn re ipſa ſit licitum, vel prohibitum, v. g. circa opus picturæ in die feſto, àn ſit, vel non ſit licitum. Et hanc ait eſſe quæſtionem directam, in qua partes contradicentes militant vnicè argumentis directis, examinantes àn tale opus, ſecundam quod præcedit omnem cognitionem, ſit re ipſa prohibitum, vel licitum; & ex vi huius quæſtionis, aut diſputationis directæ haberi probabilitatem directam minorem, vel maiorem de eo quod tale opus ſit licitum.

290 Quæſtio ſecunda ſupponit iàm opinionem directam affirmantem eſſe licitum tale opus vt minus, vel æquè probabilem directè ex vi quæſtionis directæ: & facta reflexione ſuprà illam, inquirit, àn licite ſequibilis ſit in praxi. Et hanc, ait, eſſe quæſtionem reflexam, in qua partes contradicentes militant argumentis reflexis examinando, àn liceat, vel non liceat ſequi in praxi opinionem, quæ ſupponitur ex vi quæſtionis directæ iàm probabilis, licet minus quam ſua oppoſita, vel in gradu æquali. In hac autem quæſtione reflexa, inquit Terillus, partem affirmantem *eſſe licitum ſequi opinionem directè minus probabilem*, longe eſſe probabiliorem, imò certam, & evidentem præ oppoſita negante. *Quod evidenter conſtare*, ait, *ex argumentis hactenus à ſe adductis proſententia begnina, & in poſterum adducendis.* Quo ſuppoſito clarè monſtrat opinionem directam, quæ in quæſtione directa eſt minus, vel æquè tantum probabilis, fieri longe probabiliorem reflexè in quæſtione reflexa, quià ex vi quæſtionis reflexæ longe probabilius eſt eſſe licitum quam illicitum ſequi illam opinionem minus probabilem directè. Vndè infert, opinionem illam, licet directe tantum conſiderata, ſit minus probabilis; tamèn, omnibus inſpectis, & attentis, eſſe longe probabiliorem, quià ex argumentis reflexis ſit multo probabilius eſſe licitum illam ſequi; àc proinde nihil mirum, quod talis opinio directè minus probabilis, licite ſequi poſsit, quandoquidem omnibus inſpectis eſt longe probabilior oppoſita. Hanc doctrinam, inquit Terrillus, eſſe myſterium hucuſque non penetratum; ideoque nos hallucinari, & æquivocari, aeremque verberare.

291 Fateor èquidem huiuſmodi reflexiones captu difficillimas eſſe, & forsàn contrarij ad illas recurrunt nè convincantur argumentis penè evidentibus pro noſtra ſententia: nàm intra illas reflexiones latitantes difficillimè convinci poſſunt, vel ad veritatis campum adduci. Nàm ſi de vna reflexa diſputare velimus; ad aliam reflexam confugiunt,

fugiunt, & ſic de reflexa in reflexam abditis receſsibus latitantes, vix convinci poſſunt. Et ego quidem libentèr hanc de reflexis diſputationem vitarem, quià video amatoribus veritatis, & claritatis exoſam, & paucis intelligibilem eſſe. Sed quid faciemus, qui à contrarijs dicentibus nos tale myſterium non penetrare, provocamur? Nec illos niſi intèr reflexiones ſuas poſſumus de falſitate convincere? quandoquidem ad eas tanquam ad munitiſsimam arcem confugiunt, vbi ſe inſuparabiles, àc inexpugnabiles eſſe gloriantur? Sanè excuſabiles erimus apud Lectorem, ſi nos etiam de reflexionibus diſputemus, intraque ipſas reflexiones contrarios ipſos aggrediamur.

392 Vt autem, qua poſsimus, claritate procedamus, notandum duxi, intèr reflexiones hunc ordinem neceſſariò ſervandum eſſe, vt in primis intelligatur quæſtio directa circa opus, vel agibile, àn ſit re ipſa licitum, vel prohibitũ; intelligatur etiam vtraque opinio directa contradictoria cùm ſua probabilitate directa maiori, minori, vel æquali habita ex diſputatione directa circa tale agibile, vel opus. Immediate ſequitur quæſtio primo reflexa, quæ ſcilicet facit primam, & immediatam reflexionem ſuprà opiniones directas probabiles tantum directè, & examinat, àc inquirit àn liceat ſequi eam, quam invenit directè minus, aut æquè tantum probabilem ſua contradicente: & circa hoc ſunt contrariæ opiniones reflexæ; vna, quæ affirmat; àlia, quæ negat. Quo ſuppoſito, certiſsimum omnibus debet eſſe, quod ſi velimus inquirere ſignatè quænam ex his duabus reflexis ſit magis, vel minus probabilis, & quænam licitè ſequi poſsit, iàm erit quæſtio ſecundo reflexa, ſivè examen per ſecundam reflexionem ſuprà opiniones primo reflexas. Ac proinde erit quæſtio diſtincta, à quæſtione primò reflexa, ſicut quæſtio primò reflexa eſt diſtincta à quæſtione directa iuxta Terillum, & omnes. Igitur Terillus, & alij Reflexiſtæ valde curarunt diſtinguere intèr reflexam, & directam, & quià hanc diſtinctionem non adeò expreſſam invenerunt in noſtris, noſtros hallucinatos exiſtimant. Sed ecce ipſi non curarunt diſtinguere intèr primam reflexam ſuprà directam, & reflexam ſuprà reflexam; nos autem accuratè id diſtinguimus. Igitur clarius loquimur ipſis, ſit ergò,

§. I.

Prædicta evaſio impugnatur.

293 DICO Igitur: *Prædictum recurſum ad probabilitatem reflexam eſſe puram petitionem principij, circulumque vitioſum, ſupponereque probandum, vel potius recuſare veritatis examen in præſenti quæſtione.* Omnia ſuadebo pauliſper. Primo igitur ſic argumentor: vel poteſt fieri immediata, & prima reflexio ſuprà opinionem directam minus probabilem inquirendo, & diſputando àn illa licite ſequi poſsit in praxi, vel non poteſt fieri? Si dicitis quod non poteſt fieri, imprimis iàm recuſatis examen immediate reflexum ſuprà opinionem directè minus probabilem; ſiquidem dicitis illud eſſe impoſsibile; quod eſt per ſe falſum, experientiæque contrarium. Nàm ecce à te inquiro, facta per me immediata reflexione ſuprà opinionem directè minus probabilem, *àn liceat illam ſequi*? Ergò necdum poſsibilis, verum & per me exercita eſt inquiſitio, ſeu quæſtio immediate reflexa ſuprà opinionem directe minus probabilem. Et rurſus, quià per ſe notum eſt ſuprà omnem opinionem directam fieri poſſe immediatam reflexionem. Ac denique, quià alias nec mediata reflexio ſuprà illam fieri poſſet, quià impoſsibilis eſt mediata, vbi non intercedit aliqua immediata. Certiſsimum ergò ſit, rebuſque evidentiſsimis evidentius, poſſe fieri examen immediate reflexum ſuprà opinionem directe minus probabilem, inquirendo, & diſputando per immediatam reflexionem, àn liceat, vel non iuxta illam opinari, aut illam ſequi in praxi.

294 Hoc igitur ſuppoſito, inquiro: recuſatis nè nobiſcum id examinare? àn admittitis? Si recuſatis: ergò veritatem in quæſtione primò reflexa non quæritis; ergò in prædicto examine ſuccumbere formidatis argumentis pro noſtra parte. At dicetis, libentiſsime imò vos acceptare diſputationem, ſpe certiſsima victoriæ capeſſendæ. Sit ità. Ergò iàm ſumus in examine, in quæſtione, & in diſputatione immediate quidem & primo reflexa ſuprà opinionem directè minus probabilem, àn liceat illam ſequi. Sed ecce occurrunt in hac quæſtione duæ ſententiæ contradicentes, intèr quas eſt litigium. Vna, quæ immediate reflexè affirmat, opinionẽ directè minus probabilem eſſe licite ſequibilem in praxi. Alia, quæ negat. Quam ergò accipitis patrocinandam? Affirmativam, reſpondetis. Nos igitur negativam

vam ſuſcipimus. Veruntamen, ante omnia vos requirimus ſervandam eſſe intèr vtroſque illam regulam vniverſalem, àc per ſe notam cuiuſcumque diſputationis, & litigij; nimirum non licere, nec nobis, nec vobis, ante finitum examen, ſupponere ſuam partem eſſe veram, certam, aut probabiliorem, & inde probationes ſumere. Ac proinde, ſi vos in diſcurſu examinis ſupponere, vel allegare velitis ſententiam negativam immediate, & primo reflexam, quam propugnandã ſuſcipitis eſſe præ noſtra negativa probabiliorem, certam, aut evidentem, certum paritèr remanebit, vos tranſgredi leges rectæ diſputationis, & ſupponere probandum, àc proinde omni fundamento ſolido deſtitutos eſſe, eoque ipſo conſtabit, finita diſputatione, veſtram ſententiam minimè eſſe probabiliorem, quandoquidem fundamentis ſolidis deſtitutam.

295 Nunc igitur revocemus in memoriam fundamenta noſtra præcedentia: nimirum quod intèr opiniones æquè probabiles formari nequit, niſi conſcientia dubia, quod in ſequela minus probabilis eſt periculum probabile, ſeu proximum peccandi, quod illa non eſt regula tuta, ſed omnino incerta, &c. Quid ad hæc reſpondetis. Sanè non aliud, niſi quod illa opinio, quæ eſt minus probabilis directè, eſt certa, vel ſaltem magis probabilis reflexè, & ideo, omnibus inſpectis, eſt tuta regula conſcientiæ, quià, omnibus inſpectis, eſt probabilior. Sed rogo, quid eſt opinionem directè minus probabilem eſſe reflexè magis probabilem? Sanè per vos, vt legenti conſtabit, aliud non eſt, quam eſſe magis probabilem reflexam veſtram, qua dicitis eſſe licitum ſequi opinionem directè minus probabilem; à maiori enim probabilitate huius reflexæ nuncupatis directam, licet directè minus probabilem, magis probabilem reflexè: igitur pro ſolutione noſtrorum fundamentorum recurritis tãdem ad maiorem probabilitatem veſtræ reflexæ; & ideo aſſeritis minus probabilem directè eſſe licite ſequibilem in praxi, quià reflexa veſtra, quæ hoc affirmat eſt magis probabilis, quam noſtra reflexa, quæ negat: ergò violatis leges rectæ diſputationis, dum initio, & in medio illius allegatis iàm, quod veſtra reflexa, quam ſuſcipitis defenſandam, eſt magis probabilis noſtra.

296 Vrgeo primo, quià de facto ſumus in quæſtione primo, & immediatè reflexa ſuprà opinionem directè minus probabilem; ſed in quæſtione immediate reflexa ſuprà directam minus probabilem, durante diſputatione, ſciri non poteſt, àn noſtra, àn veſtra reflexa ſit magis probabilis: ergò dum in medio diſputationis allegatis veſtram reflexam eſſe magis probabilem, allegatis, quod nondum ſcitis. Secundo: nàm probabilitas reflexæ cognoſci non poteſt ſignatè, niſi per ſecundam reflexionem, id eſt, per reflexionẽ ſuprà primam reflexionem; ſed in quęſtione primo reflexa ſolum fit prima, & immediata reflexio ſuprà directam, non autẽ fit reflexio ſecunda ſuprà primam reflexã, vt per ſe evidens eſt ex terminis: ergò in quæſtione primo reflexa ſignate cognoſci non poteſt, quænam ex primo reflexis, àn noſtra, àn veſtra ſit magis probabilis: ergò dum de facto ſumus in quæſtione primo reflexa, nec nos, nec vos ſignate cognoſcimus cuius reflexa ſit magis probabilis: ergò ſi ſignate in hac quæſtione primo reflexa recurritis ad maiorem probabilitatem veſtræ reflexæ, recurritis ad id, quod non dum cognoſcitur, nec ſignatè cognoſci poteſt ex vi huius quæſtionis primo reflexæ.

297 Tertio nàm probabilitas veſtræ reflexæ, ſi quam habet, ſignatè cognita nullo modo confirmare poteſt veſtram reflexam, nec eſſe poteſt fundamentum ad illam propugnandam: ergò ineptus omnino eſt recurſus ad illam probabilitatem reflexam ſignatè illam exprimendo. Antecedens probatur primo, quià nemo vnquam probavit ſuam ſententiam, nec eam confirmavit, aſſumendo pro motivo eius probabilitatem, hoc pacto: *Mea ſententia probabilis eſt, aut probabilior: ergò vera*: ergò nec veſtra reflexa hoc pacto probari, aut ſuaderi poteſt. Secundo quià contra rationem, & experientiam eſt quod fundamentum præiacens faſtigio, fundetur in faſtigio, firmetur, ſolideturque per faſtigium ipſum ſuprà fundamentum exurgens; ſed probabilitas veſtræ reflexæ ſignatè cognita per ſecundam reflexam, eſt quaſi faſtigium fundatum, & exurgens ſuprà ipſam reflexam, quæ ſe habet veluti fundamentum præiacens: ergò probabilitas reflexa ſignatè cognita adduci non poteſt in confirmationem ipſius reflexæ, aut pro motivo, & fundamento illius.

298 Quarto: nàm ſi egò probarem, aut reſponderem tuis argumentis, *non eſſe licitum ſequi directam minus probabilem directè*, quià mea reflexa hoc dicens eſt longe probabilior tua affirmante? planè, àc iuſte me rideres, quod in actuali diſputatione iàm ſupponerem meam ſententiam magis oppoſita probabilem: ergò iuſtè

ſtè ſeriam diſputationem recuſabo tecum, ſi antè conſummatam diſputationem, imò in limine ipſius velis iam ſupponere tuam reflexam eſſe magis probabilem noſtra, & indè ſumere probationes, & ſolutiones. Confirmatur: quià dùm nego tuam reflexam, paritèr nego illam eſſe magis probabilem: nullus enim hucuſque ſeriò negavit aliquam ſententiam, admittens illam eſſe magis probabilem ſua negante: ergò, dùm id nego, & probo meam negativam, ineptè reſpondes, ſupponendo tuam affirmativam reflexam, quam impugno, eſſe magis probabilem.

299 Dices: te non ſupponere abſque fundamento tuam reflexam eſſe magis probabilem, ſed id ſupponere demonſtratum argumentis pro illa efficaciſsimis. Sed quænam ſunt hæc argumenta efficaciſsima? Nàm vel illa ſupponunt opinionem minus probabilem directè, eſſe reflexè magis probabilem, & indè vires ſumunt, vel tantùm ſupponunt directam minus probabilem. Si primum, quomodo efficaciſsimè probant maiorem probabilitatem reflexam, quam potiùs ſupponunt, & ex qua vires ſumunt? Vel quomodo ſunt efficaciſsima argumenta, quæ ſupponunt id ipſum, quod probandum aſſumunt? Certè contrarij pleno ore clamant ſua argumenta efficaciſsima, evidentia, certiſsima, &c. Sed hæc purè ſunt voces, & prætereà nihil roboris habent, ſed in circulo laborant. Si autem ea argumenta non ſupponunt maiorem probabilitatem reflexam; ſequitur quod illa ſolùm conſiderant opinionem directam, vt minus probabilem, nullamque maiorem probabilitatem conſiderant in illa, quàm in ſua contradicente opinione. Quod ſi ità eſt, iuxtà ipſum Terillum ea argumenta probare non poterunt eſſe licitum ſequi illam opinionem directè minus probabilem, niſi probando falſum: nàm iuxtà ipſum Terillum ſolùm eſt licitum ſequi opinionem directè minus probabilem, quando, omnibus inſpectis, apparet magis probabilis, ideſt, quando reflexè eſt magis probabilis: ergò ſi quis, nondùm ſupponens, nec conſiderans opinionem directam, vt magis probabilem reflexè, ſed vnicè illam attendens vt minus probabilem, dicat aſſeverantèr illam licitè ſequi poſſe, falſum dicit, & argumenta, quibus id probat, falſum probant; ſiquidem probant opinionem minus probabilem, ſtando in terminis minoris probabilitatis, eſſe licitè ſequibilem in praxi, quod iuxtà ipſum Terillum, quæſt. 23. num. 134. falſum eſt, nec aſſertum ab ipſo.

300 Ex quo quinto ſic vrgeo: per te, & iuxtà rei veritatem nulla opinio eſt licitè ſequibilis in praxi, vſquedùm attentis omnibus ſit probabilior, ſua contradicente; ſed attentis, & inſpectis omnibus, quæ in quæſtione primò reflexa, in qua de facto ſumus, inſpici, & attendi poſſunt, opinio minus probabilis directè, non eſt, nec apparet magis probabilis: ergò in quæſtione primò reflexa, in qua ſumus, falsò, & ſine fundamento aſſeritur opinionem directè minus probabilem, eſſe licitè ſequibilem in praxi. Minor probatur, quià in quæſtione primò reflexa ſolum attendi, & inſpici poteſt opinio directa, prout iacet ante ipſam quæſtionem primò reflexam; ſed prout iacet immediatè ante quæſtionem primò reflexam, ſolùm eſt, & inſpicitur, vt directè minus probabilis, nondùm autèm vt reflexè probabilis, quià probabilitas reflexa ſubſequitur, & non ſupponitur, nec conſideratur per ipſam quæſtionem, aut diſputationem primò reflexam: ergò inſpectis omnibus, quæ poſſunt inſpici, & conſiderari per quæſtionem primò reflexam, opinio directa vnicè inſpicitur, & attenditur, vt minus probabilis. Sed ſic inſpecta, per te non licet illam ſequi, vſque dùm appareat magis probabilis reflexè: ergò in quæſtione primò reflexa ſuper opinionem directè minus probabilem, ſolùm reſolvi poteſt illam non eſſe licitè ſequibilem in praxi. Si autem in quæſtione primò reflexa reſolvas illicitum eſſe ſequi opinionem directè minus probabilem, prout illam ſupponis, attendis, & conſideras per talem quæſtionem primò reflexam, quàvis facias ſecundam reflexionem minimè invenies illam opinionē directè minus probabilem, eſſe magis probabilem reflexè, ſed potiùs reflexè improbabilem, quandoquidem invenis, quod in quæſtione primò reflexa aliud reſolvi non poteſt, niſi quod illa non eſt licitè ſequibilis in praxi.

§. II.

Aliter probatur aſſumptum.

301 SECVNDO Aſſumptum probo: nàm dùm in quæſtione primò reflexa inquirimus, àn liceat ſequi opinionem directè minus probabilem, obiectum huius quæſtionis non eſt, àn liceat ſequi talem opinionem, vt reflexè magis probabilem, ſed vnicè àn liceat ſequi immediatè talem opinionem vt directè probabilem in illo ſuo minori

nori gradu; ſed falſum eſt, iuxta adverſarios etiam, quod liceat ſequi immediatè opinionem directè minus probabilem : ergò contrarij manifeſte ſe contradicunt, & falluntur, dùm in præſenti quæſtione primo reflexa reſolvunt partem oppoſitam.

302 Dices: falſiſimè à nobis ſupponi obiectum præſentis quæſtionis eſſe àn liceat ſequi immediatè in praxi opinionem directè minus probabilem. Nàm, ſi quæſtio eſſet huiuſmodi, planè ipſi fatentur, non licere. Solum enim dicunt eſſe licitum ſequi opinionem directè minus probabilem, quatenus per affectum voluntatis, & aſſenſum intellectus fit, ſeu apparet operanti magis probabilis; & quatenus tunc adeſt dictamen reflexum certificans conſcientiam de licita ſequela illius opinionis. Vnde opinio directè minus probabilis iuxta ipſos non eſt protinus, àc immediatè ſequibilis licitè; ſed mediantè imprimis eius aſſenſu, quo apparet cõſequentèr iàm magis probabilis : & rurſus mediante dictamine reflexo ſupra talem opinionem, vt iàm bona fide creditam, certificante conſcientiam de licita ſequela talis opinionis. Hæc ſanè eſt doctrina contrariorum fidelitèr relata.

303 Sed vide in quantis falluntur. Primo : nàm propterea in initio articuli probavimus evidenter hanc quæſtionem eſſe immediatè reflexam, & nobiſcum convenerunt in hoc contrarij, vt proinde ſciremus obiectum ipſius nihil eſſe reflexum, ſed ſolam opinionem, & probabilitatem directam præciſive ſumptam ex parte præſentis obiecti ab omni dictaminè, ſeu cognitione ſuper ipſam reflectente. Si enim obiectum huius quæſtionis eſt *àn liceat ſequi opinionem directè minus probabilem, mediante dictamine reflexo ſuprà illam*, iàm hæc quæſtio non eſt immediate reflexa ſuprà directam, ſed reflexa ſuprà reflexam, nec eſt primò reflexa, ſed ſecundò, quandoquidem reſpicit iàm ex parte obiecti aliam reflexam : ergò ſi hæc quæſtio eſt primò reflexa, vti revera eſt, in ea vinicè diſputatur, àn liceat ſequi immediatè opinionem directam minus probabilem.

304 Secundo: nàm in primis quærimus ab adverſarijs, *àn liceat intellectui, in iudicando de moribus, ſequi immediate opinionem directe minus probabilem*? Hanc igitur quæſtionem proponimus: cuius ſanè obiectum non eſt, an liceat illam ſequi mediante dictamine reflexo, ſed àn liceat, illam, protinus àc inventa fuerit minus probabilis directè, immediatè iuxta illam iudicare, & operari. Quid ergò reſpondent? Si negativè, nobiſcum ſunt: igitur, ſi intellectus ex imperio voluntatis, protinus àc invenerit opinionem directè minus probabilem ſua contradicente, iudicaverit directè ſecundum illam de moribus, illicite iudicat, & imprudentèr : ergò omnis reflexio, quæ fiat ſuprà illum modum iudicandi directè, debet ſupponere tanquam illicitum illum modum iudicandi, & imprudentem : igitur nunquam per reflexiones aſſequi poterunt, quod ſit licitum ſequi illud iudicium directum elicitum immediatè ſecundum opinionem directè minus probabilem : quià per nullam reflexionem ſuaderi poteſt eſſe licitum ſequi iudicium quod ſupponitur imprudens, & illicitum.

305 Si autem propoſitæ quæſtioni reſpondeant affirmativè; en iàm recurſum non habent ad dictamen reflexum, quià, ſi defendunt eſſe licitum iudicare immediate de moribus ſecundum opinionem directè minus probabilem, iàm intèr tale iudicium & opinionem directè minus probabilem interponere non poſſunt, nec dictamen reflexum, nec maiorem probabilitatem reflexam, ſiquidem his interpoſitis iàm non eſſet ſequela immediata iudicij directi, ſed mediata tantum: ergò.

306 Sed ſupponamus intellectum ex imperio voluntatis iudicantem immediate ſecundum opinionem directè minus probabilem. Tunc interrogò : *Licet nè voluntati ſequi immediatè illud iudicium directum*? Sanè obiectum huius interrogationis, ſivè quæſtionis eſt ſequela immediata illius iudicij directi, àn ſcilicet ſit licita, vel non? Quid igitur reſpondes? Si affirmes, & in hoc ſenſu defendis præſentem tuam ſententiam reflexam : ergò iàm recurrere nequis ad dictamen reflexum interiectum, quod ſit vltimum dictamen conſcientiæ, & proxima, formaliſque regula electionis; ſiquidem hoc iudicium aut dictamen reflexum, non conducit, ſed potius obeſt vt voluntas immediate ſequatur iudicium probabile directum, implicat enim immediate ſequi illud iudicium directum, & illud ſequi mediante vltimo dictamine reflexo. Si negas eſſe licitam ſequelam immediatam, & formalem illius iudicij directi : ergò nobiſcum ſentis.

307 Dices : te in hoc nobiſcum conſentire: attamen valde à nobis differre, quatenus defendis eſſe licitum ſequi illud iudicium directum medio dictamine reflexo certificante conſcientiam de licito, vſu, & ſequela talis opinionis. Sed contrà, quia in hac præſenti quæſtione, quæ vt ſupponimus eſt primo reflexa ſupra opi-

nio-

nionem, vel iudicium opinativum directum, inquiritque àn liceat, vel non sequela illius, non est litigium, àn liceat sequela illius mediante dictamine reflexo super illud iudicium directum; alias enim non esset quæstio primò, & immediatè reflexa suprà illud iudicium directum, sed iàm reflecteret suprà dictamen reflexum reflectens suprà directum: ergò in hac quæstione primò reflexa sequela de qua disputamus debet esse sequela immediata iudicij directi immediate regulata per iudicium directum: ergò si de hac nobiscum dicitis quod non est licita, in præsenti quæstione primò reflexa iàm vicimus, & à nobis estis.

308 Contra secundo, & veniamus iàm ad quæstionem secundò reflexam, in qua dicis, esse licitum sequi illud iudicium opinativum directum, medio dictamine reflexo certificante conscientiam de licito vsu, & sequela iudicij directi. Rogo igitur: àn illud dictamen reflexum sit primò, & immediatè reflexum suprà iudicium illud directum, vel secundò reflexum suprà aliud dictamen primò reflexum. Si dicas hoc secundum, de illo dictamine primò reflexo instituam quæstionem secundò reflexam, nisi enim velis processu infinito recusare veritatis examen, tandem concessurus es dictamen primò reflexum suprà iudicium directum. De illo ergò instituo quæstionem secundo reflexam; & in primis interrogo: quid affirmat illud dictamen primò reflexum, aut de quo certificat conscientiam? Inquis, quod certificat conscientiam de non peccato in sequela iudicij directi. Sed rogo, in qua sequela? in sequela immediata, & formali ipsius iudicij directi, àn in sequela mediata, mediante dictamine reflexo? Hoc secundum dici non potest, quià cum illud dictamen sit primò reflexum, respicere nequit pro obiecto, de quo certificat conscientiam, aliud dictamen reflexum, & consequenter nequit asserere hoc pacto: *Non peccabo, si sequar iudicium directum medio dictamine reflexo.*

Secundo, quià vel illud dictamen reflexum hoc dicens, & de hoc certificans conscientiam, ità intelligitur quasi dicat: *Non peccabo, si sequar iudicium directum, medio dictamine alio reflexo*, vel *medio meipso.* Hoc secundum est ponere illud dictamen primò reflexum immediatè, & signatè reflectere suprà se ipsum, se ipsumque ponere ex parte obiecti verificativi sui ipsius, quo nihil magis chimericum excogitari potest. Si primum; est facere illud dictamen primò reflexum secundò reflexum, quod est etiam alia chimera: ergò manifestè implicas contradictionē, si intelligas illud dictamen primò reflexum, quasi dicat: *Non peccabo, si sequar iudicium directum, mediante dictamine reflexo.*

309 Sequitur ergò evidenter quod illud dictamen primò reflexum aliud dicere non potest, nisi, *non peccabo; si sequar immediatè, & formaliter iudicium directum.* Solumque certificare potest conscientiam de hoc ipso, scilicet de licita sequela immediata, & formali iudicij directi. Atqui per te de hoc certificare nequit conscientiam: ergò de nihilo; nihil igitur prodest illud dictamen primò reflexum. Minor patet: nàm in quæstione primò reflexa iàm nobiscum conveniisti non esse licitam sequelam immediatam & formalem illius iudicij directi: qualiter ergò certificare conscientiam tuam poteris de eo quod sit licita, & sine peccato sequela immediata, & formalis iudicij directi, quandoquidem tu ipse nobiscum fateris, iàm à nobis convictus, esse illicitam talem sequelam immediatam, & formalem? Sanè, si contrarij, sicut recurrunt ad reflexiones, vt se tueantur, observarent ordinem reflexionum, certè invenirent se delusos, & veritate frustratos manifestè.

Iàm, si velis formare iudicium secundò reflexum, dicendo esse licitum sequi directum, medio iudicio primò reflexo, multò id falsius erit, quià cùm iudicium primò reflexum inveniatur apertè falsum, multò falsius erit per secundam reflexionem dicere esse licitum sequi directum medio reflexo, quod apertè vides falsum. Et si forsàn velis procedere ad tertiam, & quartam reflexionem, maiorem falsitatem incurres. Sanè hoc argumento clarè video contrarios sola confusione reflexionum niti.

310 Etenim in præsenti quæstione, quæ sanè est primò reflexa, ponunt ex parte obiecti, & supponunt dari, præter iudicium directum opinativum de honestate obiecti, aliud iudicium reflexum certum, & evidens, certificans conscientiam cuiuslibet de sequela illius iudicij directi; & non advertunt illud iudicium primò reflexum esse ipsum iudicium, quod nos in præsenti adducimus ad examen, àn sit verum, vel potius falsissimum? Inquirimus enim àn sit licitum, & sinè peccato sequi iudicium directum conceptum ex imperio voluntatis secundum opinionem minus directè probabilem, àn potius sit illicitum? Illud vero dictamen reflexum, quod est potissima vestra sententia reflexa, quam nunc defenditis, asserit esse

eſſe licitum. Nos negamus. Igitur in huiuſmodi litigio, iàm pro defendenda veritate illius dictaminis reflexi, quam nos impugnamus, non licet vobis recurrere ad ipſum dictamen reflexum vt certum, verum, aut evidens, nec illud vt tale ſupponere, ſed examinandum eſt ipſius obiectum, ſcilicet ſequela immediata iudicij directi, & ſiquidem vos demonſtraveritis illam eſſe licitam, tunc ſecurè poteritis formare illud dictamen certum, & evidens. Si autem nos oppoſitum oſtendamus, illud dictamen formare non poteſtis, vtpote falſum: interea tamen dum durat examen illius dictaminis reflexi, nec nobis licet illud ſupponere falſum, nec vobis illud ſupponere verum, minuſque certum, aut evidens.

§. III.

Alijs vijs probatur aſſumptum.

311 TERTIO Sic argumentor: nàm vel reflexa dicit: *Licitum, & honeſtum eſt poſitive, & re ipſa ſequi opinionem directè minus probabilem creditam ex imperio voluntatis.* Vel dicit: *Id tantum eſſe licitum in mente opinantis?* Si hoc ſecundum, ſanè nõ ſufficit ad aſſecurandam conſcientiam in ſequela talis opinionis; nàm dato caſu quod quiſque videat in ſua exiſtimatione eſſe licitam talem ſequelam, adhuc formidare poterit àn re ipſa ſit illicita, & peccaminoſa, & conſequentèr certificari nequit conſcientia, ſicuti non certificatur in caſu conſcientiæ culpabilitèr errantis de non peccato in ſequela illius, quanvis certus ſit quod in ſua exiſtimatione illud non eſt peccatum. Si primum, illa reflexa nullam maiorem certitudinem, aut fundamentum ſuæ veritatis habere poteſt, quam directa: ergò nec poteſt magis certificare conſcientiam, quã directum iudicium: ergò inutilis eſt promagis aſſecuranda conſcientia recurſus ad talem reflexam. Minor probatur, ſupponendo iudicium directum hoc eſſe: *Licitum eſt mihi pingere in die feſto*: reflexam autem ſic afferere: *Licitum eſt mihi poſitive, & re ipſa honeſtum ſequi in praxi hoc iudicium.* Tunc ſic argumentor: quotieſcumque ex vna propoſitione infallibilitèr ſequitur alia, ſi illa falli non poteſt, ſi illa certa eſt, nec iſta falli poterit, ſed æquè certa erit, quià in bona conſequentia ex certo, & infallibili ſequi non poteſt incertum, & fallibile, ſicuti nec ex vero falſum. Sed ex iſta reflexa, *licitum eſt mihi, & honeſtum poſitive, & re ipſa ſequi iudicium directum dicens, licitum eſſe mihi pingere in die feſto*, ſequitur per bonam conſequentiam illud iudicium directum: ergò æquè certum, & infallibile debet eſſe hoc iudicium directum, àc illa reflexa, & ècontrà illa reflexa non poteſt eſſe magis certa, & infallibilis, quam hoc iudicium directum, ſuprà quod reflectit. Probo minorem hoc ſylogiſmo: Licitum eſt mihi poſitivè, & re ipſa ſequi in praxi iudicium directum dicens, *licitum eſſe mihi pingere in die feſto*; ſed ſequi in praxi tale iudicium directum, formaliſsimè eſt, vel importat pingere in die feſto: ergò *licitum eſt mihi poſitivè, & re ipſa pingere in die feſto.* En vbi ex maiori, quæ eſt ipſa reflexa, & minori per ſe nota infertur conſequens, quod eſt ipſum iudicium directum. Conſequentia autem eſt bona: ergò conſequens æquè eſt certum, & infallibile, àc firmum, ſicut maior reflexa. Et item: ergò reflexa illa nequit eſſe magis firma, & certa, quam conſequens iſtud, quod eſt iudicium directum.

312 Forsàn dices: hoc argumentum nimis probare, quià probat, quod quando conſcientia directa eſt invincibilitèr erronea, erit ſimilitèr erronea reflexa, quæ tunc dicit licitum eſt mihi ſequi hanc conſcientiam directam. Reſpondeo, quod ſi reflexa dicat: *Licitum eſt mihi poſitive ſequi hanc conſcientiam directam*, eo ipſo quod directa ſit invincibilitèr erronea, erit ſimilitèr erronea invincibilitèr reflexa id dicens, quià ex illa per diſcurſum formatum rectiſsimum ſequitur directa ipſa, & ex vero nunquam poteſt ſequi erroneum, & falſum. Si autem illa reflexa ſolum dicat: *Mihi licitum eſt poſitive, vel negative*, hoc eſt, *mihi eſt honeſtum, vel ſaltèm excuſabile à culpa, ſequi iſtam conſcientiam directam*, tunc hæc reflexa vera eſſe poteſt, quanvis ſit falſa directa, quæ affirmat obiectum eſſe re ipſa licitum & honeſtum poſitivè; quià ſic benè poteſt verificari quod ſit excuſabile à culpa ſequi illam conſcientiam directam, & tamen falſificari quod re ipſa ſit licitum, & honeſtum poſitivè exercere illud opus, quod directa dicit eſſe re ipſa licitum.

313 Dices: ergò ſaltèm, ſi reflexa ſuprà opinionem directè minus probabilem dicat eſſe licitum poſitive, vel negative, honeſtum, vel excuſabile ſequi directam minus probabilem, tunc poterit eſſe vera reflexa, certa, & firma, quanvis ſit falſa directa. Reſpondeo negando conſequentiam, non quidem proptèr incompoſsibilitatem veritatis reflexæ cùm falſitate directæ, ſed quià tunc, ſi directa eſt

minus

minus probabilis, & falſa, conſcientia fallitur culpabiliter in ſequela illius directæ, & falſum eſt reflexè dicere, quod excuſatur à culpa, quià error culpabilis non excuſat à culpa.

314 Quartò ſic probo aſſumptum: quià, ſi liceret, quando directa eſt minus probabilis, recurrere ad maiorem probabilitatem reflexam, pariter liceret, quando directa non eſt probabilis, recurrere ad probabilitatem reflexam, & dicere quod vi probabilitatis reflexæ licite ſequi poſſet, licet directè non probabilis; hoc eſt abſurdum: ergò & illud. Sequela probatur: nàm diſcurſus Terilli, & aliorum hic eſt: Quanvis opinio directè minus probabilis, ſit minus probabilis ante affectum voluntatis, & aſſenſum intellectus, tamèn conſequenter iàm apparet probabilior, quià vnicuique ſuum opinatum eſt probabilius: ergò tunc benè poteſt intellectus conſurgere ad formandum dictamen reflexum hoc pacto: Licitum eſt mihi facere, quod mihi apparet hic & nunc probabilius eſſe licitum; ſed hic & nunc mihi apparet probabilius eſſe licitum pingere in die feſto: ergò mihi hic & nunc licet pingere in die feſto: ſed hoc diſcurſu reflexo, inquit, certificatur conſcientia: ergò. Tunc ſic argumentor, ſed totus iſte diſcurſus pariter formari poteſt de opinione directè non probabili: ergò licebit illam ſequi propter probabilitatem reflexam. Minor probatur: nàm quanvis opinio directa non ſit probabilis ante affectum voluntatis, & intellectus aſſenſum, tamèn, ſuppoſito tali affectu, & aſſenſu, iàm ſibi apparet, & eſt ei probabilis; ſi enim verum eſt quod vnicuique ſuum opinatum eſt probabilius, quanto verius erit, quod vnicuique ſuum opinatum eſt probabile: erit igitur illi, qui tale opinatur, ſua opinio probabilis: ergò iàm poterit conſurgere ad formandum diſcurſum reflexum, hoc pacto: Licitum eſt mihi opinari iuxta opinionem, quæ hic & nunc eſt mihi probabilis; ſed hæc opinio, hic & nunc iàm eſt mihi probabilis: ergò licitum eſt mihi operari hic & nunc ſecundum hanc opinionem. Suppoſito autem hoc diſcurſu reflexo, dicet Caramuel, vel alius, iàm illa opinio directè non probabilis eſt valde probabilis reflexè, imò certa, & evidens per diſcurſum reflexum: ergò ſequi poteſt tuta conſcientia. Sed hic planè modus diſcurrendi fallax eſt, perverſus eſt, & ars peccandi ſub larva honeſtatis: ergò ille diſcurſus Terilli huic ſimilis rectus non eſt, ſed fallax, vel ſi ille eſt legitimus, & iſte alius legitimus habendus erit. Quod quis ſuſtineat?

315 Quintò ſuadetur aſſumptum; quià electio directa voluntatis directè tendens ad obiectum agibile immediatè regulatur per iudicium directum de honeſtate talis obiecti, minimè autem per iudicium reflexum; ſed ad honeſtatem electionis tota certitudo, & firmitas requiritur in iudicio immediatè, & formaliter regulante electionem, ſi autem hoc non ſit certum, & firmum, nihil prodeſt recurſus ad certitudinem alterius iudicij non regulantis immediate, nec formaliter talem electionem: ergò contrarij tenentur prius nobis oſtendere qualiter, vel vnde iudicium directum ſecundum opinionem directè minus probabilem ſit certum, & firmum directè; &, ſi hoc non poſſunt oſtendere, vti re ipſa non poſſunt, inutilis erit ipſis recurſus ad certitudinem reflexam in iudicio reflexo. Maiorem negant cùm Terillo Reflexiſtæ, illam autem ſic probo: nàm electio directa voluntatis regulatur formaliter, & immediate per cognitionem, qua intellectus proponit voluntati obiectum ab ipſa eligendum, vt honeſtum re ipſa; ſed huiuſmodi cognitio eſt iudicium directum, & non reflexum, vt per ſe patet: ergò regulatur immediate, & formaliter per iudicium directum, & non per reflexum.

316 Dices ex principijs Terilli; iudicium, ſeu cognitionem immediate, & formaliter regulantem electionem voluntatis, proponere quidem obiectum, vt honeſtum, non tamèn obiectum ſecundum ſtatum, quem habet ante actualem exiſtimationem intellectus, ſeu à parte rei; quià de obiecto ſic ſumpto certificari nequit intellectus eſſe re ipſa licitum, aut licitè eligibile, cùm ſit magis, vel æquè probabile oppoſitum. Solum igitur tale iudicium proponit obiectum reduplicative vt exiſtimatum honeſtum per iudicium directum præcedens, & de illo ſic conſiderato dictat reflexè eſſe re ipſa honeſtum, & licitum, quidquid ſit àn ſecundum ſe, & propriori ad talem exiſtimationem ſit, vel non ſit re ipſa honeſtum. Vnde concludit, quod regula formalis, & immediata electionis ſolum eſt iudicium reflexum certum de honeſtate obiecti vt præexiſtentis in exiſtimatione directa; iudicium autem directum de honeſtate reali obiecti in ſe ipſo eſſe regulam obiectivam, & occaſionalem per modum circunſtantiæ obiectum honeſtantis.

317 Sed hæc doctrina, quantumvis ſubtiliter excogitata, iàm ſatis ſuperque relinquitur à nobis impugnata q. 6. à num.

num. 55. nunc brevitèr contra illam ſic ago: quando voluntas vult celebrare contractum, non vult illum celebrare intentionalitèr, & obiectivè in intellectu, ſed vult, & eligit illum celebrare à parte rei, vt per ſe eſt notum: ergò ſi vult illum celebrare honeſtè, regulanda eſt formalitèr, & immediate per cognitionem, aut iudicium, quod ſibi dicat illum contractum à parte rei, prout illum intendit celebrare, eſſe re ipſa honeſtum; nàm ſi re ipſa honeſtum non ſit, quid ad rem quod ſecundum eſſe intentionale in intellectu honeſtum ſit, quandoquidem hoc eſſe intentionale non vult voluntas, ſed illud eſſe reale contractus? Sanè non capio cùr regulanda ſit formalitèr voluntas per iudicium de honeſtate illius eſſe contractus, quod voluntas non eligit, nec vult, & non ſit regulanda formalitèr per iudicium immediatum de honeſtate illius eſſe contractus, quod tantum vult, & eligit.

318 Vrgetur: quanvis demus quod contractus conſideretur ſecundum eſſe intentionale, quod habet in intellectu ex vi iudicij directi, tamen ſi re ipſa tale iudicium directum falſo dicit contractum eſſe honeſtum, ex vi illius tantum contractus erit honeſtus, honeſtate intentionali falſa, & ficta; ſed iudicium reflexum certificare non poteſt quod tale iudicium directum ſit verum, & non falſum: ergò nec certificare poteſt quod honeſtas illa intentionalis ſit vera, & non ficta. Si autem de hoc non certificat iudicium reflexum; quomodo certificat de eo quod obiectum ſecundum illud eſſe intentionale eſt re ipſa, & vere honeſtum? Solum ergò certificare poteſt vagè de honeſtate vera vel ficta. At, quid prodeſt huiuſmodi certitudo ad ſecuritatem conſcientiæ?

319 Dices: non eſſe neceſſum quod iudicium illud reflexum certificet de vera, & reali honeſtate obiecti, ſed ſufficere quod certificet de honeſtate intentionali bona fide exiſtimata: nàm per hoc certificat de honeſtate reali, & vera electionis ad illud obiectum terminatæ. Sed contra eſt primo, quià ſæpè ſæpius dixi non eſſe ſupponendum quod fides adhibita opinioni minus probabili ſit bona, prudens, & recta fides. Secundo: nàm ſi obiectum re ipſa eſt prohibitum, quantumvis exiſtimetur honeſtum, electio ad ipſum terminata nequit re ipſa eſſe honeſta. Electio enim obiecti re ipſa prohibiti, excuſari quidem poterit à culpa, at nequit eſſe re ipſa honeſta; ſed per iudicium reflexum de honeſtate exiſtimata obiecti certificari nequit quod obiectum non ſit revera prohibitum: ergò nec quod electio ad ipſum terminata ſit re ipſa honeſta. Tertiò, quià potius certificatur de inhoneſtate electionis. Nàm ſi per reflexionem cuncta conſideret, videbit planè antecedentèr ad affectum voluntatis, & aſſenſum intellectus obiectum probabilius eſſe prohibitum, quam honeſtum, & quod ex ſolo affectu voluntatis exiſtimatur honeſtum, potius quam prohibitum: ſemel autem quod reflexè conſideret hoc ipſum, qualitèr certificare poterit conſcientiam de eo quod ſi tale obiectum eligat, talis electio erit re ipſa honeſta? Sanè certiſſimum eſt illam eſſe inhoneſtam, vtpote iudicio periculoſiſſimo regulatam.

320 Denique probatur aſſumptum, quià opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris contradicentis potius eſt reflexè improbabilis: ergò non eſt reflexè probabilior, certa, nec evidens. Antecedens probatur; nàm facta reflexione ſuprà vtramque, improbabile eſt eſſe veram minus probabilem præ ſua contradicenti probabiliori: ſed quando per conſiderationem reflexam eſt improbabile aliquam opinionem eſſe veram, ipſa eſt reflexè improbabilis: ergò opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris contradicentis eſt reflexè improbabilis. Minor manifeſtè patet, quià quando per conſiderationem reflexam eſt improbabile aliquam opinionem eſſe veram, etiam eſt improbabile eam licite ſequi poſſe, cùm evidens ſit non licere ſequi opinionem, de qua eſt improbabile quod ſit vera: ſed hoc eſt iuxta contrarios eſſe reflexè improbabilem: ergò. Maior etiam patet, quià improbabile eſt, quod non niſi imprudentèr iudicari poteſt; ſed non niſi imprudentèr iudicari poteſt eſſe veram minus probabilem inconſpectu ſuæ contradicentis probabilioris facta reflexione ſuprà vtramque: ergò.

Vndè prædictus recurſus ad probabilitatem reflexam, nedum contrarios minimè iuvat, ſed merito nobis pro ſolutione vtiliſſimus eſſe poteſt. Cùm enim ſic arguunt. *Licitum eſt ſequi opinionem probabilem: ſed minus probabilis eſt probabilis: ergò licet ſequi minus probabilem*: iure optimo ſic poſſumus diſtinguere maiorem: *Licet ſequi opinionem probabilem*, quæ omnibus inſpectis eſt reflexè improbabilis, nego maiorē. Si ſit omnibus inſpectis reflexè probabilis, concedo maiorē. Et paritèr minorē: *Minus probabilis eſt probabilis*, directè attentis ſuis motivis præcisè, tranſeat minor: eſt probabilis reflexè omnibus inſpectis, nego minorem, & conſeq. quia facta reflexione ſuper vtram-

vtramque opinionem contradictoriam in æqualitèr probabilem non eſt probabile eſſe veram minus probabilem præ probabiliori; ſed potius eſt improbabile reflexè: ſi autem eſt improbabile illam eſſe veram, qualitèr licebit illam ſequi.

ARTIC. VII.

An ab inconvenientibus efficacitèr ſuadeatur noſtra ſententia.

321 RESPONDEO Affirmativè: Nàm plura ſunt, quæ ex oppoſita ſententia inferuntur. Aliqua ſtyllo brevi dabo, reliqua omittam, nè opus immenſum evadat.

§. I.

Noſtra ſententia probatur ab inconvenienti.

322 SEXTO Igitur ab inconvenienti ſic argumentor: Ex contraria ſententia tollitur magna ex parte diligentiæ, & orationis indigentia pro veritate invenienda in rebus moralibus; ſed abſurdum eſt hominem eximere ab indigentia orandi, & ab obligatione diligentèr inquirendi veritatem in rebus moralibus, & agibilibus: ergò. Maior probatur; nàm vt quid homines circa intelligentiam divinæ legis veritatem quærant, quando ad rectè viven dum ſola probabilitas ſufficit? Quando illa ſecura, recta, & tuta regula eſt conſcientiæ? Ergò non erit orandum cùm Davide: *Veritatem tuam doce me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua*, ſed ità: *probabilitatem hominum doce me, deduc me Domine in via probabilitatis, & ingrediar in probabilitate humana.* Confirmatur ſecundò: nàm vt quid clamor ille Auguſtini? *Vbi eſt veritas? vbi eſt veritas?* vt quid tòt ſanctorum gemitus pro quærenda veritate? ſi ſola probabilitas, in quocumque gradu, vti ſentit Terillus, eſt recta, & tuta regula conſcientiæ, & morum? Imò, vt quid Theologi pij ſtudent, orant, meditantur, ſcrutantur legem Dei die, ac nocte, ſi ſola probabilitas ſufficit ad rectè iudicandum de moribus, & de lege Dei? Talis probabilitas ſaltèm in aliquo gradu abundè ſufficit, ad manum eſt vbique. Quid igitur quærunt?

323 Reſpondet Terillus quæſt. 28. num 43. Theologos debere quæſtiones ventilare, vt poſsint prudentèr ſuam, & aliorum conſcientias regulare: nàm ante debitum examen, conſcientia non niſi temerè formari poteſt. Sed contra: nàm de quo examine loquitur Terillus, de examine veritatis, àn de examine probabilitatis in aliquo gradu? Si primum, argumentum probat non eſſe neceſſarium in ſententia contraria; nàm ad quid examen veritatis, vbi probabilitas eſt tuta, & recta regula? Si de examine probabilitatis; in primis non reſpondet argumento, ſed concedit abſurdum, ſcilicèt ſufficere examen probabilitatis. Deindè, vt quid erit neceſſum examinare probabilitatem, quando ſupponitur certa probabilitas in aliquo gradu? Quod ſupponitur certum non examinatur. Vt quid igitur intèr opiniones probabiles ſtudent, ſcrutantur, meditantur, inquirunt? Sanè ſi ſufficit probabilitas, licèt minor contradicenti, illaque eſt tuta regula, non video ad quid valeat labor ille Theologorum, multoque minus vnde teneantur ad tale ſtudium, dum tuta, recta, & facilior eſt via probabilitatis, quam veritatis.

324 Septimò ſuadetur noſtra ſententia opponendo brebitèr ſecundum abſurdum, quod diffusè ſatis proſequitur Cœlla Dei. Quià ſequitur ex contraria opinione quamcumque opinionem probabilem, ſivè minus, ſivè magis, imò & quemcumque Authorem gravem ſufficientem ad dandam probabilitatē opinionibus eſſe tantæ authoritatis ad regendos mores, quantæ eſt Summus Pontifex, vel Concilium generale: hoc autem eſt intollerabile abſurdum: ergò. Sequela probatur, nàm tota authoritas Summi Pontificis, ſeu Concilij generalis, conſiſtit in eo, quod eius doctrina ſit regula, ità infallibilis morum, vt ſui ſequelam non ſolum infallibilitèr excuſet à culpa, ſed eam etiam infallibilitèr reddat honeſtam & ſalutarem: ſed hanc eandem authoritatem habet quilibet Doctor gravis & eius ſententia vel opinio, iuxta contrarios, nàm iuxta ipſos prorſus eſt impoſsibile & chimericum, quod peccatum incurrat, qui eius ſententiam ſequitur, vtpote probabilē: & omnino infallibile & evidens per demonſtrationem reflexam quod honeſtè agit in eius ſequela: vnde non ſolum infallibilitèr excuſat à culpa, ſed infallibilitèr reddit talem ſequelam honeſtam per dictamen reflexum certum & evidens, vt dicunt: ergò tanta erit authoritas cuiuſvis Doctoris gravis, eiuſque doctrinæ, quanta Summi Pontificis eiuſque deciſionis. Minor patet, quià iuxta contrarios Doctor gravis facit neceſſario probabilem ſuam ſententiam

tiam ſaltèm in aliquo gradu probabilitatis, ſivè minus ſivè magis; ſed iuxtà ipſos eſt omnino infallibile per dictamen reflexum quod qui ſequitur opinionem probabilem, ſivè magis ſivè minus, non ſolum excuſatur à culpa, ſed etiam quod honeſtè operatur: ergò.

Nec dicas primò, ſolum vnum Authorem gravem non facere opinionem probabilem iuxta plures etiam ex Probabiliſtis, ſed plures requiri. Contra enim eſt, quià apud pleroſque Probabiliſtas vnicus gravis ſufficit: iàm ergò apud iſtos tantum valebit ille, quantum Summus Pontifex ad regendos mores. Secundò quià demus quod exigantur duo, tres, vel quatuor, vel, ſi mavis, decem; ſequitur fore illos duos, vel decem tantæ authoritatis, quam Summus Pontifex, àc Concilium generale.

325 Nec dicas ſecundò, adhuc decem non ſufficere, nec mille, niſi nitantur fundamento gravi; ſi autem nitantur fundamento gravi, vel vnum ſufficere. Contra enim eſt primò, quià iàm ad aſſecurandam conſcientiam non ſufficiet gravitas Doctorum conſulentium, ſed à conſulente examinanda erit gravitas fundamentorum, quibus nititur ad ſuam reſolutionem: cumque de eiſdem fundamentis alij dicant eſſe gravia, alij ea eſſe nulla, nullius roboris, debilia, &c. omnino incerta manebit probabilitas opinionum, præcipuè illarum, quibus æquali vel maiori cùm probabilitate contradicitur, & in illis aſſecurari minimè valebit conſcientia, etiam per reflexas; quià aſſecurari nequit de gravitate fundamentorum. Vndè, ſi hoc dicatur, auferetur de medio dictamen infallibile reflexum familiare Probabiliſtis, quod hoc abſurdo potiſsimè conamur expugnare. Contra ſecundò; quià ſaltèm ſequitur Doctorem quemque gravem innixum fundamento gravi, etſi ab alijs contradicatur fundamento graviori, quod rectè componunt contrarij, eſſe tantæ authoritatis àc Summus Pontifex, quià eius reſolutio, vtpote certo probabilis, æquè infallibilitèr per dictamen reflexum excuſat à culpa, & reddit mores honeſtos, àc deciſsio Pontificia.

326 Nec dicas tertio, Pontificem in ſua deciſsione errare non poſſe; at Doctorem gravem, quantumvis reddat ſuam opinionem probabilem, errare poſſe in illa, àc proinde luce clariorem eſſe exceſsum, & diſparitatem, ineptiſsimèque à nobis æqualitatem opponi. Contra enim eſt, primo, quià licet Doctor gravis poſsit errare ſpeculativè, eius tamèn reſolutio non poteſt errare practicè; quià iuxta contrarios, etſi opinio probabilis poſsit eſſe ſpeculativè falſa, ſi tamèn eſt probabilis, inquiunt, implicat quod practicè erret: ergò Author gravis, qui facit ſuam opinionem certo probabilem, non poteſt errare practicè, licèt poſsit errare ſpeculativè: ſed in ordine ad regendos mores impertinenter ſe habet quod poſsit vel non poſsit errare ſpeculativè, & ſolum eſt per ſe error vel non error practicus: ergò quantum ad regendos mores æqualis eſt authoritatis Doctor gravis, àc Sum. Pontifex, ſiquidem æquè impoſsibile eſt illum errare practicè in ſua reſolutione probabili, àc Pontifex in ſua deciſsione infallibili.

Contra ſecundo, quià licèt reſolutio Doctoris gravis erret directè, reflexè tamèn eſt evidens àc infallibile iuxta contrarios quod qui ſequitur eius reſolutionem excuſatur à culpa, & honeſtè operatur; ſed hoc & nihil amplius præſtat deciſsio Pontificia, quantumvis infallibilis: ergò per ordinem ad regendos mores nihil amplius præſtat deciſsio Pontificia quam reſolutio Doctoris gravis. Et quidem, quid mirabilius, vel potius quid abſurdius, quam quod Doctor gravis, etſi potens errare, imò quanvis errans de facto, ità infallibilitèr reddat mores honeſtos, ſicut deciſsio Pontificia, quæ errare omnino non poteſt.

Vndè potius ſequitur Doctorem gravem eſſe maioris authoritatis quam Sum. Pontifex. Siquidem Sum. Pontifex, vt infallibilitèr reddat mores honeſtos ſua doctrina indiget privilegio & aſsiſtentia Spiritu Sancti, vi cuius non poſsit errare, & non alitèr, quam veram doctrinam tradendo, poteſt aſſecurare conſcientias, & regulare mores, nec tuta via & recto tramite dirigere oves gregis Chriſti in vitam æternam. At Doctor gravis abſque tali privilegio, abſque tali aſsiſtentia ſpeciali, cùm ſolo concurſu generali Dei, errando, & non errando, ſua reſolutione probabili aſſecurat conſcientias infallibilitèr, reddit actus honeſtos & ſalutares doctrinalitèr, dirigit ſecuriſsimè mores, & itinere recto & tuto ducit conſulentes in vitam æternam: ergò maior eſt Authoritas Doctoris gravis.

327 Ex quo vrgetur præcedens abſurdum, nàm ſi per opinionem probabilem, quantumvis falſam, redduntur mores honeſti, & infallibilitèr excuſantur à culpa, ſequitur ſuperfluam eſſe in Eccleſia ad regendos mores authoritatem infallibilem: nàm ſi authoritas DD gravi ſufficiens ad fundandā opinionem probabilem

quanvis fallibilis, infallibilitèr tamèn aſſecurat conſcientias, & reddit mores ſanctos & honeſtos, adeò vt qui iuxta illius doctrinam operetur non poſsit peccare, ſed honeſtè, ſanctè, laudabilitèr, & meritoriè operetur, & hoc, ſecluſa omni formidine, & cùm omnimoda ſecuritate per reflexas, vt dicunt: ergò ſuperflua fuit in Eccleſia authoritas infallibilis ad regendos mores. Huiuſmodi autem ſequela abſurdiſsima eſt, & contra omnes Theologos, qui de authoritate infallibili Eccleſiæ & Summi Pontificis tractant.

328 Nec dicas tertiò, fuiſſe neceſſariam ad vitanda peccata materialia, quæ derogarent puritati Eccleſiæ, nàm peccata materialia non vitantur per opinionem probabilem, ſi falſa ſit; ſi enim falſa ſit, qui illam ſequitur ſaltèm materialitèr violat legem Dei. Cõtra enim eſt primò, quià iuxta pleroſque Probabiliſtas lex Dei non cõprehendit eos, qui contra illam habent opinionem probabilem, nec illis eſt ſufficienter intimata, nec promulgata, vndè iuxta Teril. qui ſequitur opinionẽ probabilem, licèt falſam, nullam legem violat, nec materialitèr quidem: ergò opinio probabilis, ſeu D. gravis etiam aſſecurat de non peccato materiali omnes, qui ſuam opinionem ſequuntur. Cõtra ſecũdò, quià iuxta Teril. peccatum materiale nulli nocet, vel nullũ malum eſt; quis autem dicat Authoritatem infallibilem datam fuiſſe Eccleſiæ ad vitandum peccatum, quod nulli nocet. Tertiò quià peccatum materiale iuxta contrarios non tollit quod illud incurrens honeſtè, laudabilitèr, meritoriè, ac ſanctè operetur: ergò non obeſt puritati Eccleſiæ: imò nec eſt de linea moris, quià, vtpote involuntarium, eſt extra genus moris; nihil ergò derogat ſanctitati morum in Eccleſia; ergò dato caſu quod ad vitanda peccata materialia in Eccleſia opus eſſet authoritate infallibili, non tamèn ad regendos mores ſanctos & perfectos; nàm quanvis multa darentur peccata materialia, nihil obeſſent perfectioni & ſanctitati morum.

Hinc rurſus ſequitur inutilem prorſus fore in magnis dubijs circa mores, vbi DD. graves diſsident, & contraria opinãtur, recurſum ad Sum. Pontific. quià cũ DD. graves pro qualibet parte faciant opinionem probabilem, quoſcumque ſequaris, per reflexas evidentes certificaris infallibilitèr, quod rectè agis, honeſtè, & laudabilitèr. Vt quid igitur recurſus ad Sum. Pontific.

329 Augetur abſurdum; quià vlterius ſequitur vniverſaliorem & ampliorem eſſe authoritatem cuiuſvis D. gravis quam Sum. Pontific. Quià amplior & vniverſalior eſt authoritas, quæ poteſt infallibilitèr refundere honeſtatẽ circa omnia probabilia, ſivè re ipſa ſint falſa, ſivè re ipſa ſint vera, ſivè re ipſa ſint legi Dei prohibita, ſivè re ipſa ſint permiſſa, quam authoritas quæ ſolum poteſt indefectibilitèr refundere honeſtatem circa probabilia, quæ re ipſa ſint vera, & quæ re ipſa ſint divina lege permiſſa: ſed primam authoritatem habet quilibet Doctor gravis, ſecundam tantum S. Pontifex vt caput Eccleſiæ: ergò vniverſalior & amplior eſt illius, quam huius authoritas.

Neque vero exiſtimes, inquit Cęlla Dei, iſtam ſpeculationem quandam eſſe purè metaphiſicam, quæ parum, vel nihil mores noſtros, vitamque concernat, nàm plenà eſt praxi & effectu. Bellum excitatur, re ſaltèm ipſa iniuſtum, cùm iurè tamèn vtrimque probabili; nàm Authores & Doctores, quin & Accademias habet pro ſe vtraque pars, vt ferè ſemper accidit. Iudex conſtituatur Sum. Pontifex, vt Paſtor totius Eccleſiæ. Quantis primum conſultationibus res conſtat? Deindè, nec ipſe, nec Deus, ſi Iudex foret, vtrique parti placere poſſet, ſed vni tantum, & alteri diſplicere: vnius ſimilitèr bellum honeſtum reddere, non vtriuſque. At gravis Theolog. vtrique ſimul dicere poteſt. *Non peccas, honeſtè agis, quià agis iuxta ſententiam probabilem*, & hoc evidentèr & infallibitèr per dictamen reflexum, vt inquiunt: ergò extenſio iſta eſt valdè practica. Quinimo libri morales aperiantur, qui pleni ſunt probabilitatibus mutuis circa ſolutiones & reſtitutiones & vſuras & ſimonias, circa iuramenta, & vota, &c. In his omnibus, quæ propè infinita ſunt, Romanus Pontif. & Eccleſia & Deus, qui veritatem prætergredi nequeunt, illi ſoli parti placere poſſunt, cui veritas adeſt, illi ſoli dicere cùm veritate: honeſtè agis: at Doctor gravis vtriuſque partis actus dicere poteſt honeſtos, & honeſtos doctrinalitèr reddere per reflexas, & vtrique favere & placere: eſt ergò huiuſmodi extenſio authoritatis valde practica. Imò & duplo maior in Doct. Theologo, quam in Pontifice Rom. circa probabilia loquendo; quià iàm aliqui Probabiliſtæ cùm Caram. etiam in praxi, quoties vnam opinionem audiunt eſſe probabilem intelligunt etiam oppoſitam ſivè minus, ſivè magis, eſſe probabilem: ergò in vniverſa collectione opinionũ probabiliũ tòt erunt verę quot falſę: ergò materia complectens omnia probabilia eſt duplo maior, quam complectens tãtum vera, quæ re ipſa vera ſunt: ſed Pontif. Romanus tantum poteſt refundere honeſtatem circa vera, quæ re ipſa vera ſunt;

Doctor

Doctor vero gravis circa omnia probabilia ſivè vera, ſivè falſa: ergò duplo maior eſt huius, quam illius, authoritas.

330 Et augetur amplius abſurdum, nàm Doctores ſapientiſsimi, qui certitudinem, vel evidentiam aſſequuti ſunt in pluribus, in quibus alij aſſecuntur probabilitatem tantùm, eſſe valdè minoris & magis limitatæ authoritatis illorum reſpectu, qui ſolum probabilitates mutuas aſſequuntur ex lectione librorum moralium. Nàm Doctores illi graviſsimi conſulentibus tantum reſpondere poſſent pro vna parte contradictionis, quià alia iam ſibi non eſſet probabilis; ſæpiſsimè tantum dicere poſſent *non licèt*. At imperitiſsimi pro vtraque parte decidere poſſent, & ſemper in probabilibus dicere poſſent *licèt*, & hoc pacto per reflexas æquè evidenter & infallibiliter aſſecurarent conſcientias de honeſtate operationis, àc alij doctiſsimi: ergò amplior horum, quam illorũ eſſet authoritas. Ex quo rurſus ſequeretur, magis expetendos eſſe Doctores minus peritos, quã peritiſsimos. Tùm, quià amplioris authoritatis cùm ęquali ſecuritate reddendi mores honeſtos, ſi formentur iuxta eorum reſolutiones. Tum, quià plures ſunt, & obvij, illi autem perpauci, & latentes ſæpè. Hinc rurſus apparet, cùr doctiſsimi & ingenui faſtidioſi ſunt, & pertinaces habentur, & paradoxi, dum cuilibet aliorum opinioni nollunt ſubſcribere, ſed paucis, quas veras aſſequuntur, vel probabiliores; quià ſunt alij plurimi, qui cuilibet ſivè minus, ſivè magis probabili ſubſcribunt libentèr, & hi cenſentur ęquè aſſecurare conſcientias, àc illi. Et alia plura mala ſecũtur in praxi, quę licèt hac doctrina omnino vitanda non ſint, ſaltèm hoc vtilitatis legenti afferet, quod agnoſcat ea eſſe mala, & nullam in his eſſe ſecuritatem, niſi affectatam.

331 Nec denique reſpondeas, eſſe magnum exceſum; nàm S. Pontif. ſua deciſione poteſt reddere improbabiles opiniones Doctorum gravium, non tamèn ècontrà. Nàm DD. quanvis peritiſsimi improbabiles reddere non poſſunt deciſiones Pontificias. Contra enim eſt primo, quià non deſunt ex Probabiliſtis, qui dicant, nec Sum. Pontific. poſſe reddere improbabiles opiniones antea probabiles. Vnde de omnibus propoſitionibus damnatis, inqiunt, eas non fuiſſe probabiles. Secundo, quià ſaltèm ſequitur, quod extra concurſum, quando ſcilicèt non ſe contradicunt, Sum. Pontific. & D. gravis, tantæ authoritatis ſit iſte, quam ille. Tertiò, quià potius ſequitur vanam, & inutilẽ eſſe deciſionẽ quamlibet Pontificiam, qua propoſitiones antea probabiles, damnat, & improbabiles reddit; ſi enim erant probabiles, iuxta contrarios erant tuta regula conſcientiæ, & adeò tuta, vt per dictamen reflexũ omnino evidens eſſet, & prorſus certum àc infallibile, quod Chriſti fideles eam regulã ſequentes honeſtè, àc rectè operabantur, & quod ea via tuto, & ſecurè ad Cęlũ tendebant: ergò inutilitèr damnatę ſunt. Etenim, ſi ante dãnationẽ oves Chriſti per illas opiniones, vtpote probabiles, æquè ſalubritèr paſcebantur, & ęquè ſecurę ducebantur in Cęlũ, per dictamen nimirũ reflexum evidens, & infallibile, àc nunc de facto paſcuntur & ducuntur per deciſionẽ Pontificiam; vt quid fuerunt damnatæ illæ propoſitiones, quandoquidem non erant pernitioſæ, ſed ſalutarem doctrinam continebant, reddendo mores honeſtos.

332 Nec dicas Eccleſiam, aut Sum. Pontificem nullas damnare propoſitiones probabiles, ſed omnes damnatas fuiſſe improbabiles. Contra enim eſt primo; quià ſi illæ non fuerunt probabiles, quarum tamèn aliquę plures & graves habebant Authores, quis poterit diſcernere quænam ſint vere probabiles, quęnã ſecus? Secundò quià Pontif. poteſt damnare quamcumque opinionem moralem re ipſa falſam, ſed ex opinionib⁹ probabilibus contradicentibus tòt ſunt falſæ quòt veræ: ergò mediã partẽ opinionum probabilium contradicentium poteſt Pontif. damnare, ſi oportuerit: ergò poteſt damnare & reddere improbabiles plures ex opinionibus probabilibus. Cùr ergò, quià aliquas videmus damnatas, dicimus eas non fuiſſe probabiles? Quaſi Pontifex non poſsit damnare opiniones vllas probabiles. Tertiò quià apud ipſos Probabiliſtas, plures ex opinionibus quæ antea fuerunt probabiles, iam labore Theologorum factæ ſunt improbabiles: ergò paritèr Pontifex poterit opiniones antea probabiles reddere improbabiles. Mirum enim eſſet quod Theologi poſſent circa doctrinam morum, quod Pontifex non valeret.

333 Sequitur: ergò ex contraria ſententia maximè labefactari authoritatẽ Romani Pontif. quoad mores regẽdos, nimiũque extolli authoritatem Doctorum, dum hæc illi æquatur, imò & extenditur præ illa cùm æquali ſecuritate, & infallibilitate. Sequitur vlterius, maiorem eſſe authoritatem Doctorum minus ſapientium, minorem Sapientiſsimorũ, modo explicato. Sequitur vlterius otioſam eſſe damnationem Pontif. cùm plures damnat opiniones antea probabiles, & vanum laborem Theologorũ improbantiũ opiniones antea prbabiles.

Huiuſmodi autem abſurda, quis deglutire valebit.

§. II.

Alijs duobus inconvenientibus probatur noſtra ſententia.

334 OCTAVO Probatur aſſumptum, quià ſequitur ex contraria ſententia, opinionem nullam totius Theologiæ moralis, quę ſtet pro lege, eſſe practicè probabilem, ſi adſit contra illam alia opinio probabilis, imò & eſſe omnes inutiles, & vanas; hoc eſt manifeſte abſurdiſsimum, eſt quippe deſtruere magnam partem Theologiæ, & Philoſophiæ moralis, ſeu quod idem eſt, illam inutilem reddere: ergò. Sequela probatur: nàm vt quid, rogò, vel quo fine dicent Thomiſtæ: *Tenetur Pœnitens aperire circunſtantias notabiliter aggravantes in confeſsione*, ſi certe adeſt in contra opinio probabilis dicens non teneri, & aliunde ſtatuitur regula vniverſalis, vt inquiunt, ſecuriſsima, & tutiſsima, quod liceat omnibus iudicare, & agere ſecundum quamlibet opinionem certo probabilem? Vt quid ſimiliter in alijs controverſis, vbi pro vtraque parte ſunt motiva probabilia, Theologus moralis dicit: *Non licet: Non licet?* Certe hoc alio fine dici nequit, niſi vt perſuadeant hominibus ſibi non licere illud facere, & vt credant ſe obligatos ad illud vitandum, vt inde benè vivant, & ſecundum virtutem; & ſi hoc fine non dicitur, nec ſcribitur, nullo alio fine dici poteſt, niſi forsàn animo replendi mundum libris, vel vt inde magnos quæſtus obtineant Bibliothecarij, vel Authores: quinimo ad hoc ipſum conſultius foret dicere: *Licet.* Sed ſi ſemel ſtatuatur pro regula tuta, & ſecura, veraque, & certiſsima apud omnes, quod cuique licet pro licito iudicare de moribus ſecundum opinionem quamlibet, licet minus probabilem, talis finis omnino fruſtratur: ergò in vanum laborant omnes Theologi, dum pro *non licet* authoritates quærunt, rationes excogitant, libros evolvunt, argumenta oppoſita ſolvunt, &c.

Minor patet: nàm ſi tuta, & ſecura regula eſt in moribus iudicare ſecundum quamlibet opinionem pro licito, quis Theologus dicens *non licet* ſperet ſibi credendum? potiſsime ſi idem ipſe dicat tutum eſſe, & ſecurum credere potius alijs dicentibus *licet*? Pone duos Theologos altercantes inter ſe, vnus vt perſuadeat audienti opus aliquod ei non licere: alter, vt perſuadeat ei licere; & quod ante omnia ipſi audienti regulam tutam ex communi conſenſu præſcribant quod cuicumque credat, rectè, prudenterque credet: & nihilominus, hac regula ſtatuta, adduc diſputant, probant, arguunt, reſpondent vnuſquiſque ſuam partem ſuadere volens audienti. Nonnè audiens ſimiles Theologos rideret iuſtiſsime, quod ſine fine aliquo laborarent? Vt quid, diceret cuique, tanto conatu laboras vt mihi tuam perſuadeas ſententiam præ oppoſita, quandoquidem tu ipſe ex communi conſenſu cùm tuo contrario, mihi facultatem indicis credendi alteri, licet minus probabiliter contradicenti? Quo fine deſudas, àc ſerio probas mihi hoc opus *non licere*, quandoquidem tu ipſe certiſsime affirmas, me poſſe prudenter, imò & prudentius credere ex oppoſito dicenti *quod licet*? Ergò nihilominus ineptient omnes Theologi, quòtquòt inter opiniones cõtradicentes vtrinque probabiles diſputant, probant, ſcribunt, libroſque edunt, potiſsime illi, qui dicunt *non licet*, quandoquidem licet maiori probabilitate id dicant, ſperare non poſſunt quod aliquis eis præſtet aſſenſus. Quis enim eis credat auferentibus libertatem, imponentibus obligationem, quando tutum, ſecurum, àc prudens eſt talem obligationem non credere, ſine illa vivere, putando quod ſibi tale opus licet? potiſsimè cùm hoc ſit prudentius in conflictu opinionum probabilium, vt pluribus in locis contendit Terillus.

335 Forsàn dices, quod qui ſerio cupit hominibus ſuadere quod aliquid non licet, debet probare, & ſuadere oppoſitum eſſe improbabile: nàm ſi oppoſitum relinquit probabile, certum eſt quod in vanum laborat; ideoque iàm vſus obtinuit inter modernos caſuiſtas diſputare àn hoc ſit probabile, vel illud; & qui ſerio tenet aliquod opus eſſe peccatum, & illicitum, dicit oppoſitum eſſe improbabile, vel non eſſe probabile. Sed contra: nàm quid dicemus de Div. Thom. Scoto, Soto, Caietano, & alijs antiquis, qui ſolum dicebant *hoc non licet: ad hoc homines tenentur*, & raro, vel nunquam dixerunt oppoſitum eſſe improbabile, nec probabile, nec quæſtiones inquirebant reflexas aut modales de probabili, vel non probabili, ſed directas de licito vel illicito: ergò omnes iſti, dum dixerunt *non licet*, & non addiderunt *oppoſitum eſt improbabile*, in vanum laboraverunt. Ergò

ergò ſimilitèr omnes moderni, qui dicunt, *non licet*, & non addunt *oppoſitum eſt improbabile*, in vanum laborant: ergò omnis quæſtio, in qua Theologi ſeriò velint dicere *non licet*, & hoc ſuadere hominibus, debet iam inſtitui, inquirendo, *àn ſit probabile*, *vel non ſit probabile*, non verò, *àn ſit licitum*, *vel non ſit licitum*: nàm ſi non probaveris oppoſitum eſſe improbabile, nihil proficis, probando illud eſſe illicitum, dummodo relinquas probabilitatem pro licito: ergò errarunt omnes, qui ſic non inſtituerunt quæſtiones morales, vti ſunt omnes antiqui, in quibus vix invenies, nec nomen quidem probabilitatis.

336 Sed quid ſi vſus iſte præualeat, vt iam Authores non dividantur circa licitum, vel illicitum, ſed vnicè circà probabile, vel non probabile? Tunc ſanè tot erunt opiniones contradicentes circà probabilitatem, vel non probabilitatem, quot ſunt de præſenti circà licitum, vel illicitum. Quid ergò tunc faciendum? Erit nè ſequenda neceſſariò opinio magis probabilis pro probabilitate opinionis, vel erit licentia ſequendi opinionem minus, aut æquè probabilem pro probabilitate opinionis, relicta magis probabili pro non probabilitate? Si primum, eodem modo tunc arctabuntur conſcientiæ, àc Authores contrarij putant nunc arctari, ſi obligemus ad ſequendam opinionem probabiliorem pro licito, idem clamores iterabuntur, àc tandèm obtinebitur licentia faciendi quidquid fuerit probabilitèr probabile, ſivè æquè tantùm, ſive minus probabiliter probabile, quàm probabilitèr non probabile.

337 Et, vt videas hanc non eſſe levem ſuſpicionem de futuris, ſed experientia fundatum iudicium de præſentibus, audi P. Cardenas ſuper prop. damnatas, diſſert. 4. cap. 3. num. 20. ſic dicentem: *Eſt autem onus intolerabile, quod in his caſibus* (nimirùm quando opinio pro licito ſolùm probabilitèr eſt probabilis) *teneamur ſemper eligere tutiorem; eſt enim difficillimum diſcernere quænam ſit opinio certò probabilis, & quæ probabilitèr probabilis; & quidem multi ſunt, non ſolùm mediocritèr docti, ſed etiam valdè docti, qui non audeant ſe determinare ad electionem opinionis, niſi invenerint Authores probatos, & aſſerentes expreſsè, quæ ſcire deſiderant. Cum ergò Authores non tractent hoc punctum, àn hæc, àn illa opinio ſit certò probabilis, àn probabilitèr probabilis, intolerabile erit illis, obligari, vel ad diſcernendum inter certò probabiles, & probabilitèr probabiles, vel ad eligendam ſemper opinionem ſtrictiorem in omnibus caſibus.* Hucuſque P. Cardenas, qui addit num. 12. *Implicare contradictionem, quod inter opiniones probabilitèr probabiles, quis teneatur eligere tutiorem*, quod ſe demonſtrare, inquit, decem fundamẽtis adductis. Ergò tandem fugientes onus intolerabile, vt dicent, ſectandi vel probabiliora, vel tutiora, coguntur dare licentiam hominibus ſectandi quæcumque probabilia probabilitèr tantum probabilia.

338 Vrgetur abſurdum, quià vlterius ſequitur Theologos ſuis doctrinis poſſe quidem laxare conſcientias, dilatare viam vitæ, relaxare mores; àt minimè poſſe homines ad arctã viam adſtringere, conſcientias ad veritatis normam regulare, laxitatem compeſcere in moribus, ſed ad hoc prorſus inutiles eſſe omnes eorum doctrinas. Pone enim quatuor, vel ſex Theologos, qui velint plures probabiles opiniones fundare in favorem libertatis humanæ, quod pluribus, & verò ſimilibus ſua placita confirment, alijs in æquali numero, & qualitate contradicentibus. Sanè illi prævalebunt ſemper contradicentes autem nihil proficient; nàm ſi conceditur etiam à contradicentibus licentia iudicandi, & operandi in praxi ſecundùm quamlibet opinionem probabilem, & verò ſimilem, licet minus probabilem oppoſita, ipſo facto conceditur poſteris facultas, vt laxantibus credant, contradicentibus diſſentiant; & hoc pro regula quidẽ tuta, ſecura, & certa in praxi; aſſecuranturque, qui ſic crediderint, quod prudentèr, rectèque credunt, quod prudentèr operantur. Quis autem cum hac ſecuritate ab vtriſq; Theologis ex communi conſenſu conceſſa non ſequetur potiùs AA. liberantes ab obligatione, quam obligationem imponentes, & ſuadentes?

339 Nec dicas Theologos poſſe coercere mores, & ſtringere conſcientias docendo aliquas opiniones pro licito eſſe improbabiles. Nàm imprimis alius dicet eas eſſe probabiles, & nihil Theologus proficiet. Deindè, ſi dixeris de opinione aliqua alicuius Authoris eſſe improbabilẽ, te incuſabunt, quod contra decreta Summorum Pontificum opiniones Authorum gravium cenſuris, & convitijs afficias. Nec ſuſpicione ductus tantùm id loquor, ſed experientia edoctus; nondùm enim integrum annum elapſit, dùm hæc Typis mandãtur, ex quo id ipſum mihi contigit. Cum enim publico in concurſu, pro quodam argumento ſolvendo, de quadam opinione inter AA. cõtroverſa, expreſsè tamen Ang.

Præc. contraria dixiſſem, eam nõ eſſe practicè probabilem, ſeu eſſe in praxi improbabilem, præter ius, & morem in medium proſilierunt aliqui eius ſententiæ fautores tumultuantes, quod decreta violaſſem Sũmorũ Pontific. quod eam opinionem, eiuſque AA. magno afficerent convitio, eoque ipſo quod cenſuras incurriſſem contra huiuſmodi convitiantes fulminatas. Quod & probandum aſſumpſit magno verborũ ſtrepitu, qui ſolutioni datæ replicavit. Nec defuit qui inclamaret, meam propoſitionẽ eſſe Sancto Tribunali denunciabilem. Quæ quidem licèt pro tunc mihi potius riſui forent, quam formidini, quià ſecuriſsimè ſciebam, nec eſſe convitium, nec vlla lege prohibitum dicere de opinione aliqua, etſi inter Authores controverſa, illam non eſſe practicè probabilem; nihilominus variæ erant apud auditores ſententiæ. Quod quidem ſatis probat, quam difficile remedium ſit, ad comprimendam laxitatem opinionum, dicere, aut ſuadere illas eſſe improbabiles in praxi, cùm hoc iàm ad iniuriam accipiatur à pleriſque, & pro convitio, aut cenſura reputetur, adeò vt nemo iàm audeat de vlla opinione Authoris gravis, eam dicere improbabilem, nec practicè, nec ſpeculativè.

340 Vnde ſic vrgeo: ſi ſemel ſtatuatur licentia ſectandi quancumque opinionem probabilem, ſivè minus, ſivè magis, non eſt aliud remedium ad coercendam ſequelam alicuius opinionis, niſi dicere eam eſſe improbabilem, nàm ſi eius probabilitatem non neges, nec negare poteris eam licite ſequi poſſe: ſed hoc dicere de opinione gravis Authoris, aut negare alicui Authori illum eſſe gravem, iàm reputatur convitium, & iniuria, àc proinde nemo id audet aſſerere: ergò ſtatuta illa licentia penitùs intercluſum manet omne remedium contra laxas opiniones. Erit ergò inutilis totus labor Theologorum contra opiniones laxas.

§. III.

Alijs duobus abſurdis probatur aſſumptum.

341 NON O Probatur concluſio: quià exinde vlterius ſequitur omnes opiniones probabiles eſſe æquè tutas; àc proinde vanam eſſe illam diſtinctionem de opinione probabili magis, & minus tuta in moralibus, antiquiſsima quidem, & apud omnes vſitata: valde autem abſurdum eſt diſtinctionem illam antiquiſsimam, & acceptiſsimam reijcere tanquam vanam. Sequela autem patet: nàm ſi eſt regula tutiſsima, & ſecuriſsima, vt contendunt AA. contrarij, quod licet ſequi quamlibet opinionem probabilem, ſivè minus, ſivè magis probabilem, ſive pro libertate, ſivè pro lege: ergò omnes ſunt æquè tutæ, & ſecuræ à peccato.

342 Reſpondet in primis M. Ferre n. 248. illam non eſſe diviſionem opinionis, de qua conſtat certo eſſe probabilem, quià omnis talis opinio aſſecurat in praxi opinantem de vſu eius ſine peccato.

343 Sed, ſi hoc ità eſt, iàm omnes AA. Probabiliſtæ, & Antiprobabiliſtæ falluntur, & falſo ſupponunt, dum adhuc inter opiniones certo probabiles diſtingunt tutam, & magis tutam; & ipſi Probabiliſtæ omnes dicunt, neminem teneri ad magis tutam, ſed ſufficere ſi ſequatur tutam, licet minus tutam, dummodo, inquiunt, ſit certo probabilis: ergò qui inter opiniones certo probabiles non vult diſtinguere magis, & minus tutam, communi omnium conſenſui contradicit.

344 Mitto quod vlterius ſequitur opiniones, etſi minus probabiles pro libertate, eſſe magis tutas. Nàm, ſi opineris iuxta magis probabilem pro lege, quod teneris ad aliquod opus, cùm homo ſis fragilis, contingere poterit quod alicuius boni commutabilis amore, vel negligentia aliqua omittas illud opus, & tunc tua te opinio de peccato reum facit: quod facile vitares, ſi, vt prudenter, & ſecurè poteras, opinatus eſſes te immunem à tali obligatione; eo enim ipſo ſecurus fuiſſes à tali peccato, ſivè faceres, ſivè omitteres tale opus. Itaque in opinando pro lege ſemper eſt periculum peccati formalis, ſi nimirum aliquando velis omittere opus, quod opinaris præceptum, vel elicere, quod opinaris prohibitum. At in iudicando ſecundum opinionẽ etiam minus probabilem pro libertate, ſi illa tuta eſt, & ſecura, nullum eſt periculum, ſivè tale opus elicias, ſivè omittas: ergò iàm multo ſecurior erit opinio minus probabilis pro libertate, quam opinio magis probabilis pro lege.

345 Nec diſſentit Caram, qui proinde fatetur ſe elegiſſe illam opinionem, quæ dicebat, neminem teneri ad attentionem internam in divino officio recitando. Sic enim ait in epiſt. præliminari ad Dianam, vti refert Magiſt Gonet in præſenti: *Navarrus, & quòt quòt attentionem internam requirunt in officio divino, conſiderata vivacitate humani ingenij, concludunt: vix, aut ne vix quidem poſſe hominem ſatisfacere ſinè aliqua diſtractione venia-*

veniali. At nos, qui contra generosè ſentimus, & ſenſum noſtrum armato ratiocinio firmamus, non ſolum milites, ſed & virgines ſumus; poſſumus enim ità horis, aut alijs Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, vt nè in levem quidem culpam labamur. Vnde conſequentèr in Theologia fundamentali num. 44. referente eodem Magiſt. Gonet, hæc ſcribit de ſe ipſo. *Vno momento Cælum verſo, altero ad ſubterranea tranſeo: nulla in oratorio muſca movetur, quæ mihi non ſit impedimentum: attendere lectioni deſidero, ſed diſtractiones non evito involuntarias, millies interdum etiam voluntarias, & nihilominus nullo crutior ſcrupulo, nullo dubio angor; quià prudentèr ſuppono me ad attentionem internam non teneri, eam habere bonum eſſe, & ea carere nequidem eſſe levem culpam; me ad lectionem tantum, & attentionem externam obligari, me egiſſe totum, quod rubricæ iubent certò ſcio, & ità certò, vt poſsim iurare: ergò me nec venialitèr quidem peccaviſſe in hac materia certò ſcio, & ità certò, vt poſsim iurare.* Similis diſcurſus fieri poteſt pro quacumque opinione minus probabili pro libertate, ſi illa ſit, vt certificant contrarij, regula omninò tuta: ergò tutius erit aſſerere, & iudicare ſemper ſecundum, opiniones minus probabiles pro libertate, relictis probabilioribus pro lege. Hoc autem dicere quis non putet omni abſurdo intolerabilius?

346 Dicunt alij, opiniones minus probabiles pro libertate eſſe quidem minus tutas materialitèr, quià ſecum afferunt periculum peccati materialis: at eſſe magis tutas formalitèr, id eſt, à periculo peccati formalis, quià auferunt obligationem. Sed cùm perfectius ſit, quod magis ſecurum eſt à peccato formali, & aliunde peccatum materiale, iuxta hos AA. nihil omninò interſit, nec animæ noceat, nec Deum vllomodo offendat, ſanè conſultius erit ſemper opinari, & iudicare de moribus ſecundum minus probabilem opinionem pro libertate, quam ſecundum magis probabilem pro lege. Iàm igitur non erit, nec de conſilio ſequi in iudicio de moribus magis probabilem pro lege: quod rurſus eſt abſurdum, & contra ipſos Probabiliſtas. Et quidem, ſi per peccatum materiale, iuxta Terillum, nulla Dei lex nec materialitèr quidem violatur: ergò non eſt cùr timeatur peccatum materiale, quanvis de illo ſit periculum in opinione minus probabili pro libertate. Et cùm alias iuxta contrarios ſecurior ſit à peccato formali, illa de conſilio eligenda erit; quin & de præcepto dicent alij, quià tenemur de præcepto fugere pro poſſe peccatum formale, & periculum illius: ergò & eligere opinionem, quæ omninò nos aſſecurat à peccato formali, relicta alia pro lege, quæ ſecum adducit periculum peccati formalis. Sed quis hæc audiat?

347 Decimo probatur noſtra ſententia alio abſurdo, quod nimirum licebit vnicuique mutare opiniones, ſicut veſtimenta, pro libito. Nàm, ſi licet cuique iudicare ſecundum opinionem quamlibet æquè, magis, vel minus probabilem, idque prudentialitèr, abſque vlla imprudentiæ nota poterit nunc iudicare ſecundum vnam, paulò, vel immediate poſt, iudicare ſecundum aliam. Et hoc pacto licebit plures leges fruſtrare, ſeu potius irridere, v.g. vt exemplo vulgari vtar, pone ſacerdotem, qui habet duo horologia, quæ ſibi faciunt opinionem probabilem circa horam, quam deſignant; eo quod communiter bene gubernantur: audit primum dans ſignum mediæ noctis, illi poteſt probabilitèr non credere, ſed potius opinari nondùm eſſe mediam noctem, ſequendo ſententiam alterius horologij, quod nondùm dedit ſignum mediæ noctis, & tunc dicit probabilitèr; *Adhuc non teneor recitare officium, quià nondùm eſt media nox.* Et paulò poſt ſecundum horologium det ſignum mediæ noctis, vel paulò antequam ſonet, licebit illi mutare opinionem, & iudicare probabilitèr mediam noctem fuiſſe, quandò aliud horologium dedit ſignum, ac per conſequens iàm integre tranſactum diem, pro quo erat obligatio recitandi, & inde ſic prudentèr opinari: *Non teneor iàm ad officium divinum præcedentis diei.* Idem poterit facere ſequenti nocte: idem poterit toto anno: & per ſequelam opinionis probabilis eximi poterit à recitando divino officio per totam vitam. Quis hoc non rideat?

348 Terillus reſpondet quæſt. 21. num. 29. & 30. quod licèt duæ opiniones illorum horologiorum ſint ſimul probabiles, non tamen eſt probabile illas eſſe ſimul veras, ſed id evidentèr eſt impoſsibile: inde autem ſequitur Sacerdotem illum certo ſcire vnam ex illis duabus opinionibus eſſe falſam, & conſequentèr quod ſi vtramque ſequatur, neceſſum eſt eum falli, & tranſgredi præceptum. Quià duo præcepta certa ſibi ſuccedentia, & copulativè obligantia vrgent Sacerdotem ad bis recitandas horas intra ſpatium duorum dierum; iàmque non poteſt eſſe probabile quod vtrumque impleverit copulativè: ergò non eſt probabile illum talitèr procedendo excuſari, ſed certiſsimum eſt illum materialitèr, & conſequentèr etiam formali-

maliter peccare. Sed hæc minimè, enervant ſequelam noſtram. Nàm, licèt Sacerdos ille certo ſciat vnam ex illis duabus falſam eſſe, nihilominus non habet maiorem rationem vt prima falſa ſit, quam ſecunda, cùm ſupponamus vtramque æquè probabilem: ergò æquale periculum eſt in iudicando ſecundum vnam, àc in iudicando ſecundum aliam; ſed per vos, non obſtante periculo, poteſt prudenter iudicare ſecundum vnam nondum eſſe mediam noctem: ergò paulò poſt poterit iudicare ſecundum aliam, tranſactam iàm fuiſſe mediam noctem. Patet conſequentia, quià in hoc ſecundò iudicio nullum maius periculum errandi habet, quam in primò, imò ſi in primò erravit, in hoc ſecundò veritatem attinget: ergò ſpe probabili, vt inquit Terillus, inveniendi veritatem poterit prudenter iudicare iàm mediam noctem tranſactam fuiſſe, mutando primum iudicium. Nec obeſt quod non ſit probabile vtramque opinionem eſſe ſimul veram; quià nec Sacerdos ille iudicaret vtramque ſimul veram, ſed nunc iudicaret vnam veram ductus motivo probabili, & prudenti, vt inquiunt, & paulò poſt, cùm videret eſſe motivum æquè probabile, & prudens pro oppoſita, iudicaret oppoſitam veram, & primam falſam.

349 Item fallitur Terillus in eo quod ait, duo præcepta ſibi ſuccedentia copulativè obligare ad bis recitandas veſperas intra ſpatium duorum dierum. Quià illa duo præcepta non obligant copulativè, ſed ſucceſsivè, & diviſivè, vnum pro vno die, aliud pro alio. Item non eſt ad rem, quod non ſit probabile quod Sacerdos vtrumque præceptum impleverit copulativè, quià hoc non requiritur; ſed ſufficit, quod quandò differt horas recitare, tunc ſit ei probabile nondum obligari; quandiu enim (inquit Terillus) manet certa probabilitas in aliquo gradu de non obligatione, tandiu irrefragabiliter manet, quod lex non eſt ſufficienter intimata, & conſequenter quod non obligat: ergò nondum obligatur, etiam ſi primum horologium det ſignum mediæ noctis, ad recitandum. Tunc paulò poſt prudentiſsime mutat iudicium, quià ſibi per vos licitum, àc prudens eſt iudicare ſecundum quamlibet opinionem probabilem: ergò ſi credens primam primò horologio, cui antea non credidit, iudicat ſecundum illam diem integre tranſactum fuiſſe, prudenter iudicat: ergò non tenetur iàm recitare horas præcedentis diei. Nec in hac vltima determinatione eſt magis certus de tranſgreſſione legis, quam in prima; quià ſicut in prima iudicavit probabiliter ſe nullam legem violare, nec materialiter, quià prudenter, & probabiliter per vos exiſtimavit nondum eſſe mediam noctem, ità poſt iudicare poteſt probabiliter ſe nullam legem violare, nec materialiter, omittendo horas, quià iudicat probabiliter tranſactam fuiſſe mediam noctem. Certe, ſi diviſim conſiderentur iſtæ duæ determinationes, non video quare ſit peccaminoſa vna præ alia? Conſiderare autem illas copulativè, vt illas conſiderat Terillus, non eſt ad rem, quià ille non ſe determinat ſimul, & copulativè ad ſequendam vtranque opinionem, ſed nunc ad vnam, poſt ad aliam.

350 Secundò reſpondet ex Lugo Cardinali, quod ſemel quod ille Sacerdos elegerit vltimum horologium pro termino illius diei ad recitandum, non eſt ei licitum mutare ſententiam in fraudem præcepti: tum quià ità videtur eſſe intentionem Supremi Legiſlatoris: tum quià certum eſt Dei præcepta obligare, & non poſſe admittere vllum medium, per quod certò, & facilè fruſtrentur; hoc enim eſſet laxitas non ferenda. Sed hæc etiam nihil evincunt. Nàm, ſi ſemel eſt licitum, & prudens iudicium probabile ſecundum quamlibet ex opinionibus æquè probabilibus, ità vt ex terminis ſit idem iudicium probabile, àc iudicium prudens; ideòque cenſent contrarij Deum lege reflexa conceſsiſe cuilibet facultatem iudicandi ſecundum quamlibet opinionem probabilem pro arbitratu voluntatis electa; cùr, ſicut fuit prudens illa electio, qua elegit primò iudicare de tempore ſecundum vltimum horologium, non erit prudens etiam electio, ſi poſt elegerit iudicare ſecundum primum horologium æquè probabile? Semel autem quod ſit prudens ſecundum iudicium, ſicuti primum, re ipſa non tenetur ad recitandum, quià prudenter per vos iudicat tranſactum fuiſſe terminum, pro quo obligat præceptum recitandi: certiſsimumque eſt non peccare, qui ſequitur iudicium prudens. Nec hoc iuxta contrarios poteſt eſſe contra intentionem legiſlatoris, quandoquidem iuxta illos indulget licentiam iudicandi ſecundum quamlibet opinionem probabilem, & illam ſequendi in praxi. Nec valet dicere, quod hæc eſſet laxitas non ferenda, quià re ipſa maior videtur laxitas, minuſque ferenda indulgere hominibus licentiam iudicandi ſecundum quamlibet opinionem, ſivè minus, ſivè magis probabilem, in quocumque gradu ſit probabilis, & aſſerere quod hoc pacto iudicare probabiliter ex

ter-

terminis eſt prudentiale: hanc tamen laxitatem admittunt contrarij; quid mirum ergò quod ex illa ſequatur hæc alia.

351 Demùm, ingeminat Terillus, quod collectio illa vtriuſque iudicij certò eſſet imprudens, quià certum eſſet vtrumque non eſſe verum, ſed alterum falſum, & exinde infert quod illa iudicia, etſi ſucceſsivè eliciantur, non poſſunt excuſare operantem. Sed non video qua ratione hoc inferat: nàm ille non eligit ſimul iudicare ſecundùm vtramque opinionem, nec eligit ſimul vtrumque iudicium collectivè ſumptum, ſed nunc vnum, poſt aliud. Dicat Terillus, ſi peccat in primo? Et non poteſt, quià iudicat ſecundum opinionem probabilem. Hoc autem ſuppoſito, ſi poſt velit iudicare ſecundùm aliam opinionem probabilem, dicat iterum Terillus, ſi tunc peccat iudicando etiam ſecundùm opinionem æquè probabilem? Et nec hoc dicere poteſt, quià nec eſt maius periculum in hac ſecunda electione errandi, quam fuit in prima: ergò nec peccat in prima electione, ſed certò prudenter operatur: nec item peccat in ſecunda electione, ſed certò prudenter operatur. Sumere autem vtramque electionem per modum vnius collectivè non eſt ad rem, quià ille non ſic eligit, ſed ſucceſsivè mutando opiniones, ſicut veſtes, quià ſibi licet ſucceſsivè vti qualibet probabili.

352 Item alij recurrunt ad poſſeſsionem, dicunt enim quod vſque ad vltimum horologium præceptum eſt in poſſeſsione, àc proindè obligat, quià in dubijs melior eſt conditio poſsidentis. Sed & hoc purè voluntariè dicitur, quià multo magis in poſſeſsione erat præceptum quando dedit ſignum mediæ noctis primum horologium; & tamen iuxtà cõtrarios potuit prudenter Sacerdos differre recitationem, quià potuit iudicare ſecundùm opinionem probabilem ſecundi horologij nondùm eſſe diem expletum: ergò poſtea etiam prudenter iudicabit, ſi dixerit ſecundum primum horologium diem fuiſſe expletum, quià ſupponimus id eſſe æquè probabile: ergò prudenter etiam eximitur ab obligatione præcepti.

Rurſus, quià ſi probabiliter iudicet diem fuiſſe terminatum ſecundùm primum horologium, iam præceptum non poſsidet, nec eſt caſus dubij: ergò nihil prodeſt regula, quod in dubijs melior eſt conditio poſsidentis, ſiquidem iam Sacerdos ille non dubitat, ſed deponit dubium prudenter iudicans ſecundùm opinionem probabilem tempus præcepti fuiſſe tranſactum, & præceptum expiraſſe.

Denique, quià dùm adverſarijs opponimus, quod inter opiniones æquè probabiles tenetur quis eligere tutiorem ſemitam, quià in dubijs conſcientiæ tutior ſemita eſt eligenda. Reſpondent hoc verum eſſe durante dubio; ceterum illum, qui verſatur inter opiniones æquè probabiles poſſe pro libito prudenter deponere dubium, iudicando ſecundum vnam opus eſſe licitum, & tunc iam non eſt caſus dubij; ergò pariter dicere poſſunt, quod licet præceptum in dubio illo poſsideat, tamen poteſt ille Sacerdos iudicare præceptum expiraſſe, quià ad hoc habet opinionem probabilem, & tunc iam non eſt caſus dubij, & præceptum non poſsidet.

353 Denique alij recurrunt ad conſtantiam, quam tenetur quis ſervare in opinione, & iudicio mentis, dummodo circunſtantiæ, aut ratio aliqua, vel motivum non varietur. Sed ego quidem fateor fore inconſtantem virum, qui hodie iudicaret ſecundum vnam opinionem, & cras abſque vllo novo adinvento motivo iudicaret ſecundùm oppoſitam; ceterum hoc ideo eſt, quià cenſeo hominem in iudicando ſecundùm vnam opinionem præ alia non debere determinari ab arbitrio voluntatis, ſed vnicè ab exceſſu rationis pro illa, quam ſequitur; ideoque turpe iudico abſque nova ratione ſuperveniente mutare ſententiam, quià hoc eſt potius iudicare pro libito voluntatis, quàm ratione ductus. Imò facilitèr mutare ſententiam plerumque iudicamus ſtultitiæ ſignum, quià ſi vir verè prudens eſt, debet maturè conſiderare rationes, & motiva pro vtraque parte contradictionis, & tunc in illam inclinare quam rationibus libratis veram invenerit, vel rationi magis conſonam. Si autem ità ſe gerat, non facilè mutabit ſententiam, quià non eſt facilè quod ſtatim appareat nova ratio, ſi anteà maturè omnia, & diligenter conſideravit. Si autem non appareat nova ratio ſemper ſtare debet opinioni probabiliori. Quod ſi facilè quis mutet ſententiam, certum ſignum eſt quod vel priùs non omnia maturè conſideravit, nec diligenter inquiſivit, vel quod pro mero libito mutat opiniones ſicut veſtes, quod ſignum ingentis ſtultitiæ eſt.

354 Si autem ex opinionibus contradicentibus æquè, vel inæqualiter probabilibus, liceat iudicare pro arbitratu ſecundùm quamlibet, & quamlibet eligere ſicut veſtem, aut ſicut locum, ità vt in cuiuſcumque electione, ſive magis, ſive minus cõſona rationi ſit certa prudentia; nullaque imprudentia, impoſsibi-

le

le est, quod sit inconstans, nec imprudens, qui nunc iudicat secundum vnam, nunc secundum oppositam prout voluerit, dummodo vtraque sit certò probabilis; quià in his, quæ subiacent vnice impetio voluntatis, nulla est inconstantia, si quis nunc eligat vnum, nunc oppositum. Nunquid erit inconstans, qui deambulando nunc pergit versus oriens, & immediate post versus occidens opposita via? Non sanè, quià motus illi progressivi pendent vnice ex arbitrio voluntatis; sed iuxta Adversarios, suppositâ probabilitate vtriusque opinionis, assentiri vni præ alia, vnice est in arbitrio, & imperio voluntatis, nec opus est, quod sit maior ratio pro vna, quam pro alia: ergò qui motibus contrarijs nunc elegerit vnam, postea oppositam, nullius inconstantiæ notandus erit.

355 Nec obest, quod in hac mutatione sit certus error vage in aliquo iudicio: nàm etiam est certa veritas vage in aliquo ex illis, &, si iuxta contrarios est prudens iudicium secundum opinionem minus probabilem, quià licèt sit periculum errandi, est æqualis spes veritatis attingendæ, cùr non erit etiam prudens mutare iudicia, quià licèt sit certitudo erroris in vno vagè, etiam est certitudo veritatis in vno vagè. Dicet forsàn aliquis, si tantum secundum vnam opinionem iudicavero, forsàn veritatem nunquam attingam; at, si nunc secundum vnam, nunc secundum aliam iudicavero, certus sum, quod vno ex his iudicijs veritatem habebo; melior igitur erit hæc mutatio, quam illa constantia. Præterquam quod, si licuit in primò iudicio exponere se periculo probabili errandi, idque fuit prudens, & licitum, cùr statim non licebit simili periculo se exponere in sequenti iudicio oppositò primo: sanè idem periculum, eadem spes veritatis est in secundo, quàm in primo. Vnde non video cùr liceat primum, & non secundum, divisive loquendo. Sequitur ergò ex contraria sententia, licitum cuique esse mutare opiniones probabiles, sicut vestes; & sicut ambulanti motus oppositos vicissim exercere, ità opinanti iudicia opposita successive habere. Vide infra q. 34. n. 32.

§. IV.

Alijs duobus absurdis probatur nostra sententia.

356 VNDECIMO Probatur assumptum alio inconvenienti, & quidem maximo, quod sequitur ex contraria sententia, nimirum quod licebit sectarijs in suis sectis perseverare, etiam si agnoscant nostram religionem esse probabiliorem, & credibiliorem. Et, quod maximè mireris, plures Probabilistæ non detrectarunt hoc, quod nos reputamus tàm magnum absurdum, in consequentia suæ doctrinæ statuere pro conclusione. Nàm Ioannes Sancius, Thomas Sanchez, & Diana apud Scobarium Theologiæ moral. p. 39. asserunt, *Quod infidelis, cui proponitur nostra fides, vt magis credibilis, dum eius secta probabiliter adhuc credibilis apparet, non tenetur ad recipiendam nostram fidem.* Quod idem docet Erardus Billius tract. 3. cap. 1. de fide. Et probat, quià quandò sua secta sibi probabilis est, non peccat eam sequendo. Ex quo infert, quod multæ puellæ, ex his, quæ inter hæreticos educantur, *Vix possunt dici hæreticæ vsque ad vigesimum ætatis annum, quantuncumque ad cœnam, vt appellant, accedant, quis enim dicat eas non habere argumenta probabilia suæ sectæ? At nemo peccat sequens opinionem probabilem.* Caramuel etiam in Theol. fund. pag. 472. refert discursum cuiusdam Hæretici probantis se esse tutum in secta Lutheri, quià licet Religio Catholica probabilissima sit, nihilominus etiam est probabilis secta Lutheri; & cùm vnicuique salvum, àc tutũ sit sequi opinionem probabilem, inde infert se tutum esse sequendo opinionem Lutheri, licèt minus probabilem, imò & magis tutum, *Quià minus probabilis sententia, si benignior sit, etiam securior est.* Et hoc argumentum Caramuel relinquit insolutum, vtpote quià novit efficaciam illius, semel admisso Probabilismo.

357 Ceteri tamen Probabilistæ hanc sequelam reijciunt, vtpote absurdissimam, & quæ viam aperit Atheismo. Nàm si in materia Religionis etiam liceat sequi minus credibilem, & minus probabilem, & dicere quod in conspectu nostræ certo, & evidenter credibilioris possunt aliæ esse certò etiam credibiles, & probabiles, licèt minus: quis quærat iàm veram Religionem? Qualibet contentus esse poterit: licebit etiam Religionem mutare sicut vestem, vti sectarij faciunt. Hoc autem plane est Atheismum, vel Atheismo peius. Verumtamen isti Probabilistæ, qui prædictam sequelam, vt absurdam, concedere non audent, *Vel omnia debent transglutire* (vt rectè ait Caramuel) *vel à principali opinione discedere.* Eisque apprimè aptatur illud Aug. *Hoc tu quidem non sentis, sed hoc sequitur illa, quæ sentis: muta ergò antecedentia, si vis cavere sequentia.*

358 Respondent contrarij, hoc

non

non sequi, quià cùm in sequela Religionis, si illa falsa sit, quantumvis probabilis sit, in illa non sint vera sacramenta, quibus possint remitti peccata, probabilitas nihil eis proderit vt originale, vel actualia comissa remittantur. Sed quid, si eis sit probabile in sua secta verè remitti peccata? Et alias eis dicas esse licitum per Deum sequi opinionem probabilem, quanvis minus probabilem opposita? Quid si eis dicas, quod omnis, qui iudicat secundum opinionem minus probabilem, prudenter, & rationabiliter iudicat, & quod nemo tenetur ad prudentissimum, nec ad prudentius, sed solum ad prudens? Iudicabit ille sanè, & quidem iuxta tuas regulas prudenter, in sua Religione verè remitti peccata, & vlterius addet ex tuis principijs, quod si forsàn fallitur, fallitur ex ignorantia invincibili, Deumque neminem damnare propter ignorantiam invincibilem. Et omnia argumenta, quibus tu probas intra Ecclesiam Catholicam existentibus licere iudicare secundum opinionem minus probabilem, & secundum illam vivere, & hoc esse prudens, tutum, & securum, eadem ipse in sui favorem adducet, & pariter dicet se esse tutum, àc securum.

359 Nec aliquid proficies, si iterum ei dicas, prædicta argumenta tenere quidem in materia legum, vbi ignorantia invincibilis excusat à peccato: at nihil valere in causa Religionis, quià si Religio falsa est, cetera nihil prosunt. Nàm ille prorsus dicet, licet causa Religionis sit omnium maxima; tamen causa divinæ legis, & Ecclesiasticæ est etiam inter homines maxima, vtpote qui nati sunt, & à Deo conservantur vnicè vt suæ veræ legi obtemperent, & secundum illam vivant in præsenti sæculo, vt in fine iustam remunerationem accipiant. Vel ergò tu teneris ad quærendam veram Dei legem, vel non? Si non: ergò nec ego ad quærendam veram Dei Religionem. Si teneris: & tamen tutus es, si de illa iudices secundum opinionem minus probabilem: ergò quanvis ego iudicem de Religione secundum sectam minus probabilem, securus vivere possum.

360 Quinimò, & forsàn dicet se posse habere veram Dei dilectionem, & charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum, & omnibus sacramentis quantum ad hoc æquivalet. Nàm si apud Probabilistam Catholicum, dicet ille, salvatur vera charitas, componitur amor Dei, divinæque legis super omnia, cùm eo quod iudicet, & vivat secundum opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, cùr etiam non poterit in me componi amor Dei, eiusque cultus super omnia, quanvis de Religione iudicem secundum sectam minus probabilem, & in illa vivam? Si autem, dicet, componitur dilectio Dei super omnia cùm sequela sectæ, vel opinionis minus probabilis; iàm per talem dilectionem remittuntur mihi peccata: & cum in sequela opinionis minus probabilis, si erratur, error sit invincibilis, excusabor à culpa in sequela illius, etsi forsàn erravero; erit enim error materialis, & de cetero Deus supplebit, qui præcisè obligat ad probabile, non ad probabilius. Legat quisque evasiones contrariorum, & videbit sanè omnibus illis se posse munire Hæreticum, si semel contendat se posse securum vivere in sua secta, quià probabili, licèt minus quàm Catholica. Cùm autem absurdissimum sit sectarium sic se excusantem, excusare à culpa, inde est, reijciendam esse eam sententiam, qua Terillus ait: *Vniversalitèr, tam in materia fidei, quàm in materia morum licet sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori.*

361 Duodecimo probatur assumptum, quià ex contraria sententia sequitur, homines non teneri ad quærendam maiori diligentia conformitatem realem in vita, & moribus cùm Dei voluntate, & lege, imò nec æquali solicitudine, qua quærimus bona temporalia, sed sufficere, si multo minori. Sequela patet; nàm bona temporalia nunquam quærimus per media minus probabilia, de quibus sit magis probabile esse contraria fini intento; nec hoc pacto vnquam vllus, nisi stultus, se gesit in bonis temporalibus quærendis, sed omnes eligunt media probabiliora; atqui iuxta contrarios sufficit, si per opiniones minus probabiles quæramus conformitatem realem in vita, & moribus cùm vera Dei lege, & voluntate, quanvis tales opiniones, sit probabilius eas esse legi Dei contrarias: ergò non tenemur tanta diligentia quærere conformitatem realem in vita, & moribus cùm vera Dei lege, & voluntate, quanta cùm solicitudine quærimus temporalia; sed sufficit si valde minori.

362 Respondent contrarij, bona temporalia re ipsa amitti, si erremus in medijs, v.g. amittitur salus recuperanda, si fallimur in medicina; amittitur lucrum, si fallimur in contractu; amittitur re ipsa libertas, si fallimur in navigatione, & incidimus in piratas, & alia huiusmodi, in quibus nihil iuvat, si fallimur ex opinione probabili, vel non probabili, dummodo falla-

fallamur, & erremus, quià quantumvis ex opinione probabiliſsima erraremus, pateremur detrimentum reale in bono temporali quæſito; attamen in vita ſpirituali, qui ſequitur opinionem probabilem, ſi forsàn erret, ſolum errat materialitèr, & nullum bonum ſpirituale amittit, nec in bonis ſpiritualibus patitur detrimentum, quià excuſatur propter ignorantiam invincibilem.

363 Hæc evaſio non eſt ad rem: nàm argumentum procedit de conformitate reali ad divinam legem, & voluntatem in vita, & moribus: in hac autem conformitate evidentiſsimum eſt hominem ſubire detrimentum, ſi errat, quantumvis erret ex opinione probabili; nàm ſi dicat falſo, licèt probabilitèr, opus eſſe conforme legi Dei, reuera autem eſt prohibitum, evidentiſsime fraudatur, & privatur reali conformitate cùm lege Dei in illo opere, cùm re ipſa eliciat opus, & vivat in illo opere contra veram Dei legem, & non ſecundum illam, niſi velis quod Deus in illo tuo errore mutet ſuam legem, & illam conformet operi tuo, nè tuum opus evadat contrarium legi ſuæ; ſed ſi hoc foret, iàm etiam verificaret ipſe Deus tuum iudicium, & non errares, nec falſum iudicares. Si autem errat iudicium, iudicando licitum obiectum, & ſecundum tale iudicium vivis, re ipſa vivis in opere contra legem Dei: ergò pateris detrimentum in conformitate reali vitæ tuæ cùm lege Dei, eiuſque voluntate; non minus quàm pateris detrimentum in bonis temporalibus, ſi erres in medijs: ergò ex hac parte nulla eſt diſparitas à te data. Nec eſt ad propoſitum dicere quod excuſatur à culpa, tum, quià hoc non tollit, quod fraudetur reali conformitate cùm lege Dei in operando. Tum, quià etiam qui errat inculpabilitèr in quærendis bonis temporalibus, quæ debet quærere, excuſatur à culpa. Tùm, quià ſi ſequitur opinionem minus probabilem, non errat inculpabilitèr, ſicut non erraret inculpabilitèr Oeconomus, qui bona temporalia Domini ſui quæreret, & gubernaret per media minus probabilia, &c.

364 Deinde, nàm vel eſt bonum ſpirituale conformitas realis in vita, & moribus cùm Dei lege, & voluntate, vel non? Si non: ergò nec illam tenemur deſiderare: ergò ineptè triſtantur homines, ſi aliquando vixerunt, & operati ſunt contra veram Dei legem, & gaudent ſi iuxta illam operati ſunt, poſtquam vtrumque agnoſcunt clare, & certè: ergò ineptè inquirimus, aut procuramus ſcire veram Dei legem, ſi nihil intereſt nobis conformitas realis cùm illa in vita: innumeraque alia ſequuntur abſurda, ſi ſemel dicatur, conformitatem realem cùm Dei lege in moribus, & vita non eſſe bonum ſpirituale experendum, & procurandum. Si autem hoc admittatur: ergò verè patitur detrimentum in bono hoc ſpirituali, qui fraudatur reali conformitate in moribus & vita cùm divina lege: ergò ſi hanc conformitatem non procuret tanta diligentia, quanta bona temporalia, convincitur manifeſtè non amarè, nec procurare tanto conatu bonum hoc ſpirituale, quanto bona temporalia: ergò ſi fraudetur tali conformitate, culpabilitèr fraudatur, quià negligentior fuit in illa quærenda, quàm in quærendis bonis temporalibus. Sanè non video quid reſponderi poſsit.

365 Nec enim inſtes in illo, qui ſequitur opinionem probabiliorem, aut probabiliſsimam, aut conſcientiam invincibilitèr erroneam. Non inquam, nàm iſte iàm quærit bonum hoc ſpirituale, ſaltim tanta diligentia, àc quæruntur bona temporalia, & maiori, ſi bonum hoc ſpirituale, vt poteſt, & debet, præferat bonis temporalibus; vnde ſi erret, errat inculpabilitèr, & inculpabilitèr fraudatur, fraudatur tamen. Attamen, ſi bona temporalia quærat per media probabiliora, & legem Dei per opiniones minus probabiles, quomodo, ſi errat, non errabit culpabilitèr?

366 Mitto alia abſurda, quæ oportuniorem locum habebunt in poſterum; vti ſunt, quod iuxta Probabiliſtas nulla remanet certa regula conſcientiæ, ſed pura confuſio. Quod proinde homines, vel in viam latam perditionis, vel in mille ſcrupulos abire coguntur. Quod nimia certitudine, quàm per probabilitatem promittunt, homines fient incauti parum timorati, minuſque debito humiles. Quod aperitur via Accademiſmo, & alia huiuſmodi, quæ per tranſelam in ſequentibus attingemus.

ART. VIII.

An argumenta contrariorum ſint alicuius roboris?

367 RESPONDEO Negative. Cuius negationis rationem exhibeo ſolvendo ſuo ordine rationes, quibus contrarij accurate ſuam contendunt ſuadere ſententiam.

§. I.

Solvitur primum argumentum deſumptum ex probabilitate opinionis.

368 OBIJCIVNT Ergò primò: vnuſquiſque poteſt licitè ſequi opinionem verè probabilem in praxi; ſed ſequens opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, ſequitur opinionem verè probabilem in praxi: ergò quilibet poteſt licitè ſequi opinionem minus probabilem in praxi, relicta probabiliori. Diſtinguo maiorem, quæ vtpote mille ſenſus habens apud contrarios, ſemper diſtinguenda eſt: vnuſquiſque poteſt licitè ſequi opinionem verè probabilem in praxi, in conſpectu contradicentis cùm maiori, vel æquali probabilitate in praxi, nego maiorem; ſi ſit in ſolidum, & abſque contradictione verè probabilis in praxi, concedo maiorem. Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Itaque illa maior primo aſpectu videtur certa, quià ibi ſumitur opinio probabilis in praxi ſola, & ſine contradictione: quo pacto, ſi talis ſit, certum eſt quod licitè ſequi poteſt, nec de hoc eſt quæſtio, ſed ſolum àn licitè ſequi poſsit, quandò contradicitur per alteram opinionem æquè, vel magis probabilem in praxi, & in conſpectu illius: & hoc conſtanter negamus, quià per illam contradictionem enervatur vtriuſque opinionis ad invicem contradicentis probabilitas, & vergit in dubium practicum; nec eſt vnde ſolvatur tale dubium, durante practica probabilitate æquali pro vtraque opinione contradicente.

369 Sed replicabis primo: illa contradictio ſolum eſt inter opiniones ſumptas in vniverſali, non autem in vltimo dictamine conſcientiæ; ſed eo ipſo quiſque poteſt licitè ſequi dictamen propriæ conſcientiæ, vtpote cui nihil contradicit: ergò. Maior probatur: nàm qui eligit ex duabus opinionibus æquè probabilibus vnam, tantum ſecundum illam format dictamen conſcientiæ, alia relicta intra cancellos meræ ſpeculationis; ſed eo ipſo, altera ſic relicta, iàm non poteſt contradicere in praxi, nec in vltimo dictamine conſcientiæ: ergò. Diſtinguo maiorem: ſi dictamen conſcientiæ debitè formetur, nego maiorem: ſi formetur fraudulenter, & fallacitèr, concedo maiorem. Ad cuius probationem, pariter diſtinguo maiorem: tantum ſecundum illam format dictamen conſcientiæ, alia relicta inter cancellos meræ ſpeculationis, & hoc eſt debitè formare dictamen conſcientiæ, nego minorem: & hoc eſt imprudenter, & fraudulenter formare dictamen conſcientiæ, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nàm ſi debitè ſit formanda conſcientia, quæ nihil aliud eſt, quàm conſilium rationis & ſententia, vtraque opinio contradicens, & vtriuſque motiva, & rationes admittendæ ſunt ad conſultationem. Quod ſi hoc ità fiat, ſemper apparebit contradictio, diſsidebitque ratio, & dubitabit vſque dum ſit maior probabilitas ex altera parte. Si autem vna opinio cùm ſua probabilitate relinquatur inter cancellos ſpeculationis, hæc eſt fraus manifeſta, vt ſupra probavimus à num. 9.

370 Replicabis ſecundo. Hæc regula, *Qui ſequitur opinionem probabilem, non peccat*, ab omni ſæculo habet poſſeſsionem pacificam, exquo moralia tractantur in Scholis: ergò eſt regula tuta, & ſecura; ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem, ſi illa ſit verè probabilis in praxi, ſequitur opinionem probabilem: ergò tutus eſt in conſcientia, quod non peccat. Diſtinguo maiorem: illa regula legitimè intellecta, tranſeat maior: pravè intellecta, nego maiorem. Dubium enim in præſenti non eſt de illa regula neganda, vel concedenda, ſed de illa explicanda. Omnes enim contrarij illam regulam admittunt; & tamen plures eam non limitant. Alij dicunt intelligendam de opinione certò probabili, non extendendam ad opinionem ſolum probabilitèr probabilem. Alij illam extendunt ad opinionem probabilitèr probabilem, ſed non ad opinionem dubiæ probabilitatis, ità Cardenas. Alij illam limitant ad opinionem practicè probabilem, alij ad opinionem reflexè probabiliorem. Et rarus eſt qui eam regulam pluribus additis non explicat, prout ſibi videtur oportere. Cùr igitur nos paritèr non poſſumus illam explicare hoc pacto: *Qui ſequitur opinionem probabilem non peccat*, ſi illam ſequatur in concurſu contradicentis æquè, vel magis probabilis, nego: ſi illa ſit in ſolidum probabilis abſque contradictione, concedo? Et quidem, quænam magis certa, & certiſsima regula prudentiæ, quàm iſta, *qui credit tribus teſtibus fidedignis, prudenter credit*. Certe magis antiqua eſt iſta regula, quàm illa contrariorum, magiſque accepta: nàm *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, dixit Salvator. Et nihilominus illa ſolum intelligitur, ſi non concurrant alij tres teſtes conteſtes, & æquè, vel magis fidedigni: ergò in eodem ſenſu poſſumus nos expli-

explicare illam regulam, ſcilicet, ſi non concurrat opinio contradicens æquè, vel magis probabilis.

371 Replicabis tertiò, definiendo opinionem in praxi probabilem cùm M. Ferre, & dicendo, quod illa nihil aliud eſt quam: *Opinio in praxi tuta, de qua certi ſumus, quod ſi ſecundum eam operemur, non peccamus: quam omnes appellant in praxi tutam, etiam contrariam tenentes: quæ fundat, & extorquet iudicium prudentiale de honeſtate operationis: quæ eſt licitè practicabilis.* Sed huiuſmodi opinio, licet ſit minus probabilis, dummodo prædicto modo ſit probabilis, eſt tuta regula conſcientiæ, & poteſt licitè ſequi in praxi: ergò. Reſpondeo, prædictas omnes diffinitiones eſſe purè voluntarias, & manifeſto circulo laborantes, ſupponenteſque probandum. Deinde tranſacta maiori, minor implicat in terminis, ſcilicet quod opinio aliqua ſit minus probabilis in concurſu probabilioris ſibi contradicentis, & quod in tali concurſu illa ſit prædicto modo probabilis, hoc eſt, *tuta in praxi: de qua ſit certum, quod qui ſecundum illam operatur non peccat: quod eſt licitè practicabilis, &c.* Nàm hoc convenire non poteſt opinioni minus practicè probabili in concurſu contradicentis practicè probabilioris, vt vrgentiſsimè probatum manet: nec id deberet ſupponere M. Ferre in ipſa prima definitione ſubiecti, de quo eſt controverſia. Alias dum inquiritur, àn materia prima poſsit exiſtere ſine forma, liceret adverſarijs ſic definire materiam: *Eſt quæ poteſt exiſtere ſine forma*; & in quæſtione àn eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, liceret contrarijs definire exiſtentiam: *eſt actus entitativus indiſtinctus ab eſſentia*; & ſic in alijs quæſtionibus, quo pacto in ipſa prima rerum, àc terminorum definitione eſſet iàm deciſſa, àc definita quæſtio. Sic planè facit M. Ferre: nàm dum inquirimus, àn ſit licitè ſequibilis opinio minus probabilis practicè in concurſu probabilioris practicè, in primis definit opinionem practicè probabilem dicendo: *Eſſe illam, quæ eſt licitè ſequibilis in praxi: quæ eſt tuta: quæ eſt licitè practicabilis, &c.* Et in his definitionibus fundat totam ſententiam, illas millies inculcat, & vix aliud leges in toto eius tractatu: illæ definitiones ſunt rationes à priori, & id, quod per illas probatur: illæ ſunt ſolutiones argumentorum; cùm tamen de illis ipſis definitionibus ſit tota difficultas præſentis controverſiæ. Sicut ergò ineptè ſe defenderet Ieſuita, qui iterum, atque millies inculcaret, ſe nihil aliud intelligere pro exiſtentia, quam *actualitatem indiſtinctam ab eſſentia, & entitate rei*, & hoc pacto probaret, reſponderetque, ſemper in ore habens hanc definitionem; ità igitur inepte procedit Magiſter Ferre, & cùm illo alij.

372 Replicabis quartò, aliter definiendo probabile, ſcilicet quod ex terminis eſt idem, àc *prudentiale*; ſed omne prudentiale licitè ſequi poteſt: ergò & omne probabile, etiam in conſpectu probabilioris. In primis nego talem definitionem; quippè quandò adeſt ſemiplena, aut plena probatio delicti, delictum illud eſt probabile, ſed nunquid delictum illud eſt prudentiale? Quis non rideat? Dices, delictum illud eſſe prudentialitèr credibile: & in hoc ſenſu contrarios dicere, quod probabile ex terminis eſt idem, àc prudentiale, id eſt, prudentialitèr credibile. Sed cùr clare non ſe explicant à principio? Deinde, adhuc in hoc ſenſu, nego definitionem, ſicuti omnem aliam, in qua probabile definitur per prudentiam, quià committitur circulus, vt ſæpè probatum relinquimus: cùm potius prudentia debeat definiri per probabile. Ac denique omiſſa illa definitione, nego ſuppoſitum conſequentis, vel implicat in terminis, ſcilicet quod minus probabile in conſpectu probabilioris contradicentis ſit probabile, ſumpto probabili pro eodem àc prudentialitèr credibile. Nàm certiſsimum eſt, quod non eſt prudenter credibile minus probabile in conſpectu probabilioris contradicentis. Quis enim prudenter credat ex duobus dictis contradicentibus, illud eſſe verum quod eſt minus probabile; illud vero falſum, quod eſt magis probabile? Hoc niſi fatuè, credi non poteſt.

373 Replicabis quintò: minus probabile in conſpectu probabilioris remanet verè probabile: ergò ruit ſolutio. Diſtinguo antecedens: remanet verè probabile, id eſt, prudentialitèr credibile, nego antecedens, id eſt, aliqualitèr veroſimile ex vi ſui motivi, tranſeat antecedens. Nàm contrarij manifeſtè æquivocantur accipientes probabile, nunc in vno ſenſu, nunc in alio. Cùm enim dicunt, quod probabile in conſpectu probabilioris contradicentis eſt verè probabile, impoſsibile eſt quod accipiant pro eodem probabile, àc prudenter credibile pro vero. Quis enim vnquam ex duobus dictis contradicentibus credidit prudenter eſſe verum minus probabile in conſpectu probabilioris? Quis vnquam dixit: agnoſco magis probabilem ſententiam contradicentem, ſed ego credo iſti ſententiæ, licet minus probabili, quam oppoſita? Vnde ſemper diſtinctionibus cogendi ſunt contrarij, vt expli-

explicent in quo ſenſu accipiunt probabile, vt hoc pacto ſublata æquivocatione, veritas pateat. Nàm, ſi verum fatear, nihil aliud agnoſco in ſimilibus argumentis, niſi puram æquivocationem, quam vt penitus præoccupes, diſtingues ſemper illud antecedens: minus probabile inconſpectu probabilioris contradicentis eſt verè probabile abſolutè, & ſimpliciter, & proximè, nego: ſecundum quid, conditionatè, aut remotè, concedo iuxta dicta q. 23. Vel aliter: minus probabile in conſpectu probabilioris contradicentis eſt probabile probabilitate vulgari ſumpta pro immunitate à cenſura & nota, concedo: probabilitate ſtricta ſumpta pro connexione cùm veritate vt in pluribus, aut pro condignitate prudentis aſſenſus, nego, quià potius minus probabilis in conſpectu probabilioris oppoſitę vt in plurimum fallitur, & indigna eſt, cui præſtetur prudens aſſenſus. Vel aliter: minus probabile in conſpectu probabilioris eſt probabile directè, attentis ſuis motivis, concedo reflexè: omnibus inſpectis, nego. Quæ diſtinctio patet ex dictis n. 120. vel aliter: minus probabile, &c. eſt probabile ſignatè & obiectivè, tranſeat: exercite & ſubiectivè, nego. Quæ diſtinctio conſtabit ex dicendis quæſt. 34. n. 18. Et cùm dicis: *Eſt verè probabile, &c.* diſtinguo: probabilitate vera in eſſendo tranſeat, in probando nego. Quià minor probabilitas in conſpectu maioris probabilitatis contradicentis potius eſt fallens, quam vera in probando. Vide infra quæſt. 35. n. 38. & hoc pacto importunitas contrariorum penitus convincitur.

374 Denique replicabis: qui ſequitur dictamen rectæ rationis, licitè, & prudenter operatur; ſed qui ſequitur opinionem minus, aut æquè probabilem, ſequitur dictamen rectæ rationis: ergò licitè, & prudenter operatur. Minor probatur: nàm opinio minus probabilis eſt dictamen rectæ rationis: ergò qui illam ſequitur, ſequitur dictamen rectæ rationis. Antecedens probatur, quià eſt dictamen ratione gravi, & prudenti conceptum: ergò dictamen rectæ rationis. Confirmatur, quià dato caſu quòd non ſit dictamen rectum, ſed erroneum, ad minus eſt dictamen rationis; ſed qui ſequitur dictamen rationis, non peccat, quinimo, ſi erret, excuſatur: ergò qui ſequitur opinionem minus probabilem non peccat, ſed excuſatur.

375 Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens: opinio minus probabilis in illo, cui eſt minus probabilis ante affectum voluntatis, eſt dictamen rectæ rationis, nego antecedens: in illo cui ante affectum ſuæ voluntatis, facto diligenti examine veritatis, eſt vnice ſine contradictione probabilis, vel magis probabilis ſua contradicente, ſub diſtinguo: ſi talis opinio ſit vera, concedo, ſi ſit falſa nego: quià tunc eſt ratio errans invincibiliter, & non recta. Ad probationem antecedētis pariter dico, quod ſi opinio minus probabilis concurrat cùm contradicente magis probabili in eodem intellectu, tunc non eſt dictamen rectæ rationis, ſed rationis perverſæ, & voluntariè ſe exponentis periculo proximo errandi, nec reſpectu illius intellectus habet fundamentum prudens, nec grave ad præſtandum prudenter aſſenſum, & inclinandum intellectum in ſuam partem. Nàm ſicut pondus minus grave libratum cùm pondere graviori, non eſt grave ad inclinandam ſtateram fidelem in ſuam partem, & ſi ſtatera ad minus grave pondus inclinaretur, eſſet doloſa, & fideliter non ponderaret, nec librarer pondera: ità fundamentum minus grave libratum in intellectu prudenti cùm graviori, non eſt grave ad inclinandum intellectum in ſuam partem, &, ſi intellectus forsàn in illam inclinetur, convincitur doloſè, & imprudenter librare, & ponderare talia fundamenta, vel motiva.

376 Ex quo ad confirmationem diſtinguo maiorem: eſt dictamen rationis minori ex parte conſiliantis contra ipſam rationem maiori ex parte contradicentem, concedo maiorem: eſt dictamen rationis vniformiter, & ſine vlla contradictione conſiliantis, nego maiorem, & minorem cùm eadem diſtinctione. Quæ diſtinctio, & ſolutio patet ex ſupra dictis à num. 14.

§. II.

Solvitur ſecundum argumentum ex ignorantia invincibili.

378 OBIJCIVNT Secundo contrarij argumento deſumpto ex ignorantia invincibili. Etenim omnis opinio probabilis, ſi forsàn falſa ſit, excuſat à culpa errantem; ſed eo ipſo licitè poteſt ſequi, & abſque peccato: ergò omnis opinio probabilis licitè poteſt ſequi. Maior probatur, quià omnis opinio probabilis laborat ignorantia invincibili veritatis; ſed ignorantia invincibilis excuſat à culpa: ergò omnis opinio probabilis excuſat à culpa. Maior probatur, quià vbi ſcitur veritas, iàm non eſt opinio probabilis, ſed ſcientia: ergò omnis opinio pro-

probabilis caret scientia veritatis: ergò laborat ignorantia veritatis.

379 Confirmat Terillus: nàm quoties post longam disputationem præstantissimorum Theologorum vtrumque manet probabile, & opus esse prohibitum, & opus non esse prohibitum, homines de tali obiecto ignorantiam habent invincibilem. Nonne, inquit, illa ignorantia invincibilis est, quæ post studium tot annorum, totque ingeniorum desudantium accutissimas investigationes, vinci non potuit? Ergò in omni materia apud Theologos discussa, & propter hinc inde probabilia adhuc dubia, datur formalissime ignorantia talis legis, illaque est plane invincibilis.

380 Respondeo, hoc argumentum etiam manifesta æquivocatione, & confusione laborare, quià contrarij non distingunt inter ignorantiam invincibilem, & errorem invincibilem. Cùm tamen plerumque, vbi ignorantia datur, licèt invincibilis, sit error culpabilis iudicium ferre de ignoratis. Pone enim duos Mathematicos coram me seriò se contradicentes, & disputantes circa aliquam suæ facultatis materiam, meque penitùs ignorantem quid dicant, quià Mathematicam non didici. Nunquid quià ignorantia invincibili laboro, possem statim sententiam ferre in favorem vnius, dicendo: *Huius sententia vera est, huic credo*? Quis me non rideret, vel saltim notaret de temeritate, quod in re mihi penitùs ignorata, in quà periti post longam discussionem adhuc disidebant, ego tan facile sententiam ferrem? Quid ergò deberem facere? Dubitare tanè, propter disidium vtriusque in illa facultate periti, &, si forsàn sententiam ferrem, aut vni crederem, & errarem, error non esset invincibilis, sed præsumptuosus, & culpabilis, quià iuxta D. Thom. supra expensum num. 90. non sine præsumptione est quod aliquis de ignoratis sententiam ferat. Ex quo iàm.

381 Ad argumentum in forma respondeo, distinguendo maiorem: omnis opinio probabilis, si forsàn falsa sit, excusat à culpa errantem, si ipsi sit sine contradictione vnice probabilis, vel notabilitèr magis probabilis sua contradicente ante affectum suæ voluntatis, concedo maiorem: si solum illi sit æquè, aut minus probabilis sua contradicente, nego maiorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: opinio probabilis laborat ignorantia invincibili, & errore culpabili transeat: & errore inculpabili, sub distinguo, in illo cui est minus, vel æquè probabilis sua contradicente, nego maiorem: in illo cui est magis notabilitèr probabilis sua contradicente ante affectum suæ voluntatis, concedo maiorem.

382 Ex quo ad confirmationem Terilli dico, potius illam probare nostram sententiam: nàm si post plura sæcula, post investigationes accutissimas veritatis, post ingeniorum accutissimorum disputationes, adhuc res manet dubia, alijs dicentibus tale opus esse prohibitum, alijs dicentibus tale opus esse licitum, & vtrinque authoritates, & rationes magni ponderis adducuntur, nunquamque potuerunt prævalere, nec authoritate, nec ratione Authores dicentes opus esse licitum, sed æquali robore authoritatum, & rationum eis contradicitur, & res in æquilibrio est; cùr quilibet, non solum mediocriter doctus, sed Theologiæ moralis imperitus adveniat, & intrepide proferat suum iudicium dicens: *Illud opus licitum est, pròut isti dicunt: non prohibitum, pròut illi asserunt: illi falluntur: isti verum tenent.* Quis non rideat, vel potius doleat istum modum iudicandi de moribus?

383 At, inquit Terillus; post tantam inquisitionem veritatis non est inventa veritas. Quid ergò? Tàm insignes Theologi tot disputationibus illam non invenerunt, & tàm cito imperitus confessarius illam invenit, dicens absoluto iudicio: *Hoc opus licitum est quidquid dicant contradicentes*? Et vnde mi homo (cùm illo imperito loquor) tam cito inveniſti, quod illud opus sit licitum? Tam cito inveniſti, quod falluntur contradicentes? Respondebit forsàn, quià post tam longum examen non est inventa lex prohibens. At, nec est inventa licentia, sed peritissimi disident, alij dicentes adesse legem prohibentem, alij dicentes adesse licentiam; illi probantes vel æquè, vel magis probabilitèr obiectum esse prohibitum; isti probantes æquè, vel minus probabilitèr esse licitum. Cùr tu imperitus statim horum sententiæ credis, contradicentibus discredis? Nonne si id in alia facultate faceres ridendus esses? Si disidentibus Astrologis àn detur in Cœlis motus trepidationis, accederes, & diceres, non datur? Nonne fatuus habereris? At diceres: pluribus ab hinc annis disputant Astrologi, & nunquam certò inventus est iste motus trepidationis: ergò non datur. Nihilominus ridereris, quià certissimum est plura re ipsa dari, imò & innumera, quæ certò adhuc inventa non sunt ab hominibus, & quærun-

tur

tur apud ipſos, àn dentur, vel non dentur: & nemo niſi peritus in illa facultate decidere poteſt quæſtionem prudenter. Cùr igitur tu imperitus Aſtrologiæ te ingeris, decidendo pro parte negativa? Idem dico de imperito Theologiæ decidenti dubia ipſius Theologiæ vnice hoc argumento: *Multis ab hinc ſæculis quæritur, àn detur lex prohibens hoc opus, àn hoc opus ſit prohibitum, & adhuc quæſtio ſub lite eſt, adhuc lex certò inventa non eſt, alias ceſaſſet diſputatio, & contradictio AA. ergò talis lex non datur.*

384 Sed ad hanc conſequentiam probandam ſic arguit: obligatio non ſupponitur, ſed probatur; ſed hæc obligatio poſt omnem induſtriam probari non potuit: ergò non debet præſumi, ſed præſumendum eſt quod nulla detur. Vel aliter: ſi lex aliqua hanc actionẽ prohiberet, illa poſt debitam diligentiam patuiſſet; at poſt omnem induſtriam non patet, quià res ſemper manet incerta: ergò nulla lex prohibet hanc actionem. Reſpondeo, vt in ſimili ſupra quæſt. 21. num. 72. quod hoc argumentum verum teneret, ſi hæc propoſitio certa eſſet, aut ſaltim probabilis abſolute: *Quandò lex aliqua poſt longam diſcuſionem certo non apparet, ſed manet inter opiniones vtrinque probabiles, talis lex re ipſa non datur.* Ceterum hæc propoſitio eſt contra ipſum lumen rationis naturalis, imprudenſque; ſi enim id prudenter dici poſsit, cùr Terillus ſtatim vno verbo non iugulat omnes opiniones morales controverſas pro lege? Cùr ſtatim non dicit, omnes illas eſſe falſas? Quià quandoquidem poſt tam longum examen non apparet lex certa & omnibus patens, certum eſt quod non datur? Sanè negari nequit, multas, imò pleraſque leges, vel obligationes, quæ ſunt inter opiniones probabiles Authorum defacto dari.

385 Cuius hoc mihi vehemens aſsiſtit indicium, quià facilius eſt falli eos, qui negant tales obligationes, quam illos, qui illas affirmant. Tum, quià experientia patet propoſitiones damnatas inter Authores Catholicos, multo plures eſſe ex illis, quæ negabant aliquam obligationem, quam ex illis, quæ obligationem affirmant, imò hæ pauciſsimæ ſunt damnatæ. Tum, quia omnes pij AA. inter quos ſunt plerique etiam ex Probabiliſtis, queruntur quod per libertatem opinandi valde relaxantur mores, & plus debito extenditur licentia vivendi; nullus autem queritur, quod per opiniones probabiles nimis Authores ſtrinxerint, aut plus debito coarctaverint conſcientias. Tum, quià homines, quales ſumus, & ſunt, qui moralia ſcribunt, plus inclinamur ad licentiam, quã ad obligationem; ad dilatandam viam Cœli, quam ad illam coarctandam; ad placendũ genijs hominum, quam ad mores corrigendos cùm eorum diſplicentia. Quà propter facilius, & propẽſius diſcurrimus pro libertate, & licentia, quam pro obligatione, & lege. Tum etiam, quià ad illud invitat communis acceptio, & plauſus hominum, & ab hoc retrahit communis diſplicẽtia. Si enim in publicum prodeat aliquis liber, qui velit corrigere mores, tueri pro viribus obligationes, & leges, à pauciſsimis libenter excipitur, in omnium fere oculis offendit. Econtrà, ſi in lucem prodeat aliquis, qui pluribus opinionibus, pro libertate ab obligatione decertet, licentiam vivendi pro poſſe ampliare ſuſcipiat, hic præ omnium manibus habetur, plauſu ingenti excipitur. Et tandem, quià ipſa hominum conditio originali labe maculata, plus aſſuevit errare pro licentia vivendi amplianda, quam pro nimio rigore inducendo, vt declarant innumeri errores mortalium circa mores. Ergò cùm AA. litigarunt, multo tempore circa aliquam obligationem, & legem, alijs illam dari aſſerentibus, alijs negantibus, ſi vtrinque in ratione, & authoritate ſit æqualitas, vel exceſſus ſtet pro lege, & obligatione, facilius, & prudentius coniectare licet, ſuſpicarique illos errare, qui obligationem negant, quam errare illos, qui obligationem affirmant: ergò prudentius erit præſumere dari legem, & obligationem, quam illam non dari: ergò in dictis caſibus, ſi pro aliqua parte ſtat præſumptio, ſtat pro lege, & obligatione, non pro libertate.

386 Ad ſyllogiſmum ergò Terilli reſpondeo, diſtinguendo maiorem: obligatio non ſupponitur, ſed probatur ſemper evidenti demonſtratione, nego maiorem; ratione, & motivo gravi cogente ad minus intellectum ad prudenter dubitandũ, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, ſaltim quoad ſecundam partem: quià in tali caſu, quandò ſcilicet æquè probabiliter probatur vtrumque, & legem adeſſe, & legẽ non adeſſe, vel neutrum præſumi debet, ſed de vtroque prudẽter dubitari, vel ſi pro aliqua parte eſt præſumendum, præſumptio ſtat pro lege. Ad ſecundum, nego maiorem, quam non eſſe prudenter affirmabilem iàm probavimus.

389 Sed contra hanc doctrinam ſic arguit Terillus: lex dubia, & inter opiniones probabiles controverſa obligare non poteſt inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam: ergò eſt nulla, & non obligat. Antecedens probat multipliciter. Primo,

mò, quià non eſt ſufficienter promulgata, de quo antea dixerat. Secundò, quià de eſſentia legis eſt quod ſit regula, & menſura operationum ſubditi à ſuperiore impoſita; atqui voluntas, & lex dubia ſuperioris, quæ forte exiſtit, forte non exiſtit, non poteſt præcedere, dirigere, gubernare, nec regulare actiones ſubditi: quià dubium eſt, àn actio ſit conformis, vel non tali legi: ergò lex dubia non poteſt obligare inſtar legis, & regulæ arctantis, & exercentis vim ſuam. Tertiò: nàm ſi lex dubia obligaret, perinde nos deberemus gerere in dubio manente poſt legem inveſtigatam, àc in certa cognitione legis; at hoc eſt falſum, quià poſt legem inveſtigatam, prudenter præſumitur legem non exiſtere, quæ præſumptio deobligat, ſicut certa notitia legis obligat: ergò lex dubia non obligat. Quartò, quià, nobis fatentibus, in dubio de ſenſu legis, ſi omnes communiter de eo dubitent, lex non arctat ad ſervandum illum ſenſum: ergò à fortiori dubium de ipſa lege eius vim enervat: quià plus eſt dubitare de ſubſtantia legis, quam, ſuppoſita legis exiſtentia, dubitare de eius ſenſu. Quintò, quià lex dubia non alitèr arctat, ſi exiſtat re ipſa, àc ſi re ipſa non exiſtat: nàm ipſi ſunt actus intellectus, & voluntatis, ſivè exiſtat re ipſa, ſivè re ipſa non exiſtat; implicat autem variari obligationem, non variatis actibus intellectus, & voluntatis: ſed lex dubia, ſi non exiſtat, non habet vim obligandi, vt patet, quià voluntas ſuperioris non exiſtens non poteſt quemquam obligare, nec dirigere: ergò neque ſi exiſtat poteſt obligare: ergò lex, quæ poſt omnem inveſtigationem manet dubia, neminem obligat.

390 Sed quis non videat hoc argumentum nimium probare? Probat enim aperte licitum eſſe operari cùm dubio practico, aut cùm conſcientia dubia id ipſum, de quo dubitatur practicè àn ſit licitum, vel prohibitum. Probat etiam id ipſum eſſe licitum, adhuc non facta debita diligentia, aut inveſtigatione veritatis: nàm tunc etiam lex dubia eſt, & incerta, & dum eſt dubia & incerta, non obligat iuxta regulas arguentis. Hoc autem omnibus eſt falſum. Interim vide hoc idem argumentum ſupra quæſt. 16. n. 1. ſolutum n. 30. vide etiam à n. 34. & per totam illam q.

391 Ex qua doctrina ad argumentum Terilli in primis ipſum rogo, àn ſit alius modus obligandi legem, quam inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam? Si non eſt alius, cùr aſſumit probandum, non quidem legem dubiam nullo modo obligare, ſed ſolum, non obligare *inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam*, ſanè hac adhibita expreſsione, tacite inſinuavit Terillus eſſe alium modum, quo lex obligare poſsit. Si autem eſt alius modus obligandi, nihil proficit Terillus, probando legem dubiam non obligare *inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam*, quià poterit obligare alio modo.

392 Deinde diſtinguo illud antecedens claritatis gratia: non obligat inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam, radicalitèr, & phyſice in ſe ipſa, dubito, nàm tunc caſus hoc manet ſub dubio: inſtar legis habentis & exercentis vim ſuam intentionalitèr in mente dubitantis, nego antecedens. Nàm, vt lex ſufficienter obliget, ſufficit, quod certò exiſtat dubitativè in mente dubitantis, vt diximus q. 16. n. 35. Vel alitèr dico, quod obligat inſtar legis exercentis vim ſuam indirecte, & remotivè, non obligat directe, & poſitivè; quam diſtinctionem explico loco citato, num. 39. Iàm ad probationes. Ad primam ſtatim dicam ſequenti argumento. Ad ſecundam conceſſa maiori, diſtinguo minorem: lex dubia non poteſt præcedere, dirigere, aut gubernare phyſice, & radicalitèr, dubito: dubitativè, & intentionalitèr in mente dubitantis, nego minorem: quià ſi eſt de eſſentia legis dirigere, & regulare, erit de eſſentia legis dubiæ dubitativè dirigere, & regulare, ſivè exercere dubioſè munus regulandi, vtpote regula dubia. Sufficit autē, quod hoc modo regulet, vt nemo poſsit licitè, & ſine temeritate contra illam agere.

393 Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem, quam eſſe falſam iàm oſtenſum relinquimus. Præterquam quod quanvis adeſſet præſumptio pro non lege, ſi tamen nulla adeſſet certitudo, ſed potius rationes dubitandi graves pro lege, talis præſumptio non ſufficeret ad deobligandum, vt ſtatim dicam. Ad quartam, nego maiorem, vel eius ſuppoſitum, quod ſcilicet quandò omnes dubitant de ſenſu legis, nos dicamus & fateamur legem non obligare ad ſui obſervantiam in illo ſenſu: hoc enim minimè nos fatemur, imò, dicimus quod ſi dubium ſit poſitivum, attentis omnibus circunſtantijs, debemus non violare legem in illo ſenſu poſitivè dubio, & erit temeritas, durante dubio, agere contra legem in illo ſenſu in quo forsàn obligat, aut præcipit. Ad quintam, conceſſa maiori, nego minorem; quià, vt lex obliget, iàm diximus nō eſſe neceſſarium, quod realitèr in ſe ipſa exiſtat, ſed ſufficit quod exiſtat exiſtimativè in mente iudicantis: quinimò, nec hoc requiritur, ſed ſufficit, quod exiſtat dubitativè in mente dubitantis, quià hoc pacto exigit ſub dubio,

bio, ne temere operemur cùm periculo proximo tranſgrediendi veram Dei legem, qualis forsàn eſt illa, de qua dubitamus.

394 Et horum omnium ratio eſt, quià lex divina vniverſaliter ſumpta ex ſuo conceptu exigit talem ab hominibus reverentiam, vt etiam, vbi dubia eſt, nemo audeat ſub dubio illam violare, nec agere cùm periculo tranſgreſſionis eius; ſicut homo talem ſui amorem exigit à proximis, vt etiam vbi dubius eſt, nemo audeat iacere ſagittam, nec aliud quidquam agere cùm periculo proximo illum occidendi, ad quod quidem non obligat homo dubius, vt dubius, ſed homo verus, vt verus; quià homo verus, vt verus, exigit, àc obligat proximum ne aliquid agat cùm periculo occidendi hominem verum, & conſequenter ne iaciat ſagittam in hominem dubium, de quo dubitat àn ſit verus. Sic igitur, non dicimus quod obligat lex dubia, vt dubia, ſed lex Dei vera obiectivè ex conceptu communi legis Dei veræ, quæ ad talem reverentiam ſui obligat homines, vt nemo audeat agere cùm periculo proximo illam violandi, & conſequentèr, vt nemo operetur aliquid contra legem de qua dubitatur àn ſit vera. Et quidem ipſe Terillus fatetur, quod durante dubio, ſeu cùm conſcientia dubia, non eſt licitum agere contra legem dubiam. Dicat nobis qualitèr tunc obligat lex dubia?

395 Reſpondet legem dubiam, ſeu dubium legis obligare non per modum legis arctantis, aut imperij dirigentis ſubditos, ſed tanquam circunſtantia afficiens obiectum, illudque conſtituens dignum prohibitione reflexa. Ac proinde ſentit, quod ad non operandum cùm conſcientia dubia non obligat ipſa lex dubia, ſed alia lex reflexa prohibens agere cùm conſcientia dubia. Sed ſit hoc ità. En ex ipſa doctrina Terilli ad eius argumentum reſpondeo ſecundò, diſtinguendo primum antecedens: lex dubia non obligat inſtar legis dirigentis, & regulantis, &c. neque per modum circunſtantiæ conſtituentis obiectum dignum prohibitione reflexa, nego antecedens; & alias obligat per modum circunſtantiæ conſtituentis obiectum dignum prohibitione reflexa, concedo antecedens. Vel aliter: ipſa lex dubia non obligat inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam, nec datur alia lex certa, quæ obliget ad non operandum contra legem dubiam, nego antecedens; & alias datur alia lex certa obligans ad non operandum contra legem dubiam, concedo antecedens; ex quo nihil contra nos. Nàm probationes ſolum ſuadent legem ipſam dubiam non obligare inſtar legis habentis, & exercentis vim ſuam: cùm hoc autem componitur iuxta Terillum, quod obliget per modum circunſtantiæ conſtituentis obiectum dignum prohibitione reflexa: & item quod ſit alia lex certa prohibens agere contra legem dubiam. Quam legem Terillus appellat reflexam, & nos cùm illo quæſtione citata: nunc autem dicimus, ipſam eſſe legem charitatis, quæ obligat ad vitandum pro poſſe humano periculum proximum iudicandi, & operandi contra legem Dei veram.

396 Sed contra inſurges ex Terillo: dùm eſt probabile legem non adeſſe, nulla datur lex obligans, nec directa, nec reflexa: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur; quià non datur lex directa, quæ obliget, ſiquidem illa, nec certo exiſtit, nec creditur exiſtere, quià probabile eſt quod non detur. Non reflexa, quià benigna ſententia negans talem legem eſt ad minus certò probabilis, ideòque omnis iudicium de exiſtentia eius ſuſpendi poteſt: ergò nulla datur lex obligans, nec directa, nec reflexa. Hanc ait eſſe efficaciſsimam probationem ſuæ ſententiæ. Sed nego antecedens pro caſu præſentis quæſtionis, quandò nimirum non ſolum eſt probabile legem non adeſſe, ſed etiam eſt æquè, vel magis probabile legem adeſſe. Ad probationem nego in primis quod tunc non detur lex directa, quæ obliget, quià licet dubium ſit àn illa exiſtat in re vel non, certum tamen eſt eam probabilem eſſe; lex autem probabilitèr exiſtens ſufficientèr obligat.

397 At inquis: *Illa nec certò exiſtit, nec creditur exiſtere*: ergò non obligat. Tranſeat quod certò non exiſtat. At rogo: cùr ſi probabile eſt illam exiſtere, vel magis probabile, quam illam non exiſtere, non creditur exiſtere? Dicet ſanè Terillus ex ſuis principijs, nec aliud dicere poteſt, niſi quod inter æqualem probabilitatem pro legis exiſtentia, & pro non exiſtentia illius, liberum ſibi eſt, & prudenter poteſt credere, quod velit; àc proinde ideò non credit quod detur, quià non vult id credere. Ergò tandem illa lex directa probabilis ideò non te obligat, quià non credis illam exiſtere, & ideò non credis illam exiſtere, quià quanvis poſſes prudenter id credere, non vis tamen id credere. Et hæc, rogo, eſt ratio illa efficaciſsima? Sanè hic ſiſtit tota eius energia, *Lex directa non obligat, quià non creditur exiſtere; non autem creditur exiſtere, quià nolo id credere, quanvis prudenter poſſem.*

Qualitèr ergò eſt magna, & efficaciſsima ratio, in quà tandem redditur pro ratione voluntas?

398 Deinde, demus quod nolis credere, quanvis prudenses poſſet, legem adeſſe, demus item, quod lex illa, quæ non creditur adeſſe, non obliget; nego tamen non dari legem reflexam obligantem ad non operandum contra legem illam directam dubiam. Vnde igitur probas non dari talem legem reflexam? Inquit, *quià ſententia benigna ad minimum probabilis eſt.* Et qualis eſt iſta ſententia benigna? Quid illa dicit? Dicit non dari obligationem reflexam ſequendi partem tutiorem in dubio probabili: dicit non dari obligationem reflexam prohibentem agere contra legem dubiam inter opiniones probabiles controverſam. Recte: ergò tandem probas non dari talem obligationem reflexam, quià ſententia id dicens & affirmans ad minimum probabilis eſt. Et hæc iterum rogo, eſt illa probatio efficaciſsima? Sanè hoc eſt novum genus probandi. *Non datus hæc obligatio*, Probo: *Sententia dicens non dari ad minimum probabilis eſt: ergò non datur.* In primis vt illa ſit probabilis debet probari, & non quià probabilis eſt, quià in eptiſsimum eſt velle facere aliquam ſententiam probabilem, probando illam, quià, *vt minimu probabilis eſt.* Deinde adhuc admiſſo quod probabilis ſit ſententia benigna negans dari legem reflexam obligantem ad tutiorem ſemitam inter opiniones pro lege, & pro non lege vtrinque æquè probabiles, adhuc eſt prava conſequentia: *Ergò talis lex reflexa obligans non datur*, ſicut iſta, *probabile eſt non dari vnionem realitèr diſtinctam inter materiam, & formam: ergò non datur*: Et, ſi quis ità argueret in Scholis, rideretur ab omnibus; & in vniverſum, conſequentia à probabilitate opinionibus dari ſolita ad veritatem eſt inepta. Vnde igitur eſt efficaciſsima illa probatio: *Sententia benigna negans legem reflexam vt minimum probabilis eſt: ergò non datur talis lex reflexa?*

399 Sed dices: eo ipſo quod lex iſta reflexa ſit inrer opiniones vtrinque probabiles, poteſt quis ſuſpendere iudicium de exiſtentia eius: ergò tunc lex reflexa non creditur exiſtere: ergò tunc non obligat, nec lex directa, nec reflexa. Reſpondeo, quod lex prohibens agere contra legem dubiam in meis principijs non eſt propriè reflexa, licet ſit quaſi reflexa: conſiſtit autem in vniverſali dictamine ſyndereſis proponente ſummum bonum vt ſuper omnia diligendum, & obſequendum; quod quidem dictamen obligat per ſe primò, vt velimus efficaciter, & ſerio pro noſtro poſſe humano obſequi ſummo bono, &, vt pro poſſe fugiamus ei contradicere in operibus noſtris, ex conſequenti autem vt nihil faciamus cùm periculo proximo ei contradicendi, quandò id vitare poſsimus. Illud autem dictamen eſt lex naturalis impreſſa cunctis hominibus, ſeu, vt melius dicam, eſt primum principium vniverſaliſsimum ſyndereſis, quod à nemine ignorari poteſt, nec dubitari, ex ercitè loquendo, licèt ſignatè ab Atheiſtis negetur, ab alijs dubitetur, aut ſit inter opiniones. Vnde dico quod poteſt ſuſpendi iudicium ſignatum de exiſtentia eius; non tamen iudicium exercitum: nàm ipſa eſt iudicium quoddam naturale naturalitèr inditum cunctis creaturis intellectualibus, quod nunqam exringui poteſt, licet poſsit quiſque ex illo non diſcurrere practicè, nec illud applicare ad caſus particulares. Sed de hoc iàm ſupra.

400 Interim dico hoc argumentum nihil prodeſſe Terillo. Nàm dato caſu quod lex reflexa non agendi contra legem dubiam ſit inter opiniones, & poſsit ſuſpendi iudicium de exiſtentia illius, debet etiam ſuſpendi iudicium de licentia reflexa operandi contra legem illam; nàm inter opiniones reflexas vtrinque æquè probabiles non eſt maior ratio vt ſuſpendatur iudicium de vna, quam de alia. Dummodo autem circa reflexam licentiam etiam ſuſpendatur iudicium, intellectus manet dubius poſitivè dubio ſecundò reflexo àn ſit licitum, vel prohibitum agere contra legem reflexam dubiam; in dubio autem poſitivo, non ſolum directo, ſed etiam reflexo circa legem, etiam iuxta Terillum, nemo, niſi temerè, determinari poteſt, nàm iuxta ipſum ad honeſtè operandum exigitur ſemper certitudo reflexa. Forte Terillus recurret ad legem ſecundò reflexam, per quam liceat agere contra legem primò reflexam, quandò lex primò reflexa ſit inter opiniones vtinque æquè probabiles. Sed iàm illa lex ſecundò reflexa probabilis non eſt, niſi ipſe Terillus illam probabilem faciat: nàm illam legem ſecundo reflexam ſupra primò reflexam à nullo hucuſque aſſerta fuit. Quod ſi Terillus vel alius illam probabilem facere velit, ſtatim è noſtra parte contradictio erit, dicemuſque potius eſſe legem ſecundò reflexam prohibentem agere contra legem primò reflexam dubiam, & tunc vtraque ſententia ſecundò reflexa erit probabilis: ergò recurrendum iàm

erit

erit contrarijs ad ſententiam, & legem tertio reflexam, per quam liceat agere contra legem ſecundò reflexam controverſam inter opiniones æquè probabiles. Et iterum contra illam inſurget contradictio, & recurrendum erit ad legem quartò reflexam, & ſic ridiculè procedendum erit in infinitum.

§. III.

Solvitur tertium argumentum deſumptum ex non promulgatione legis.

401 TERTIO Objiciunt contrarij: nulla lex obligat, quandiù non eſt ſufficienter promulgata; at quoties eſt minus, vel æqnè probabile opus eſſe licitum, lex illud prohibens non eſt ſufficientèr promulgata: ergò impoſsibile eſt, illam legem obligare quenquam, quandiù probabile eſt partem oppoſitam non eſſe prohibitam. Probatur minor primò, quià lex non intimatur ſufficientèr ſubditis, niſi ſubditi certificentur de tali lege; ſed quandiu manet ſubditis probabile legem non adeſſe, aut non obligare, non ſunt certi de tali lege quoad illud punctum: ergò lex non eſt illis ſufficientèr intimata. Minor patet, quià implicat certitudo de exiſtentia legis cùm probabilitate de non exiſtentia eius. Ità probat Cardenas tract. 1. de probab. diſp. 15. cap. 10. num. 154.

Secundò illam probat Terillus: nàm promulgatio debet eſſe cæremonia tam manifeſta ſubditis, vt aliqui ſaltim eorum evidenter ſciant, & legem latam, & tali cæremonia fuiſſe manifeſtatam: imò debet eſſe adeò ſolemnis, & manifeſta cæremonia, tamque liquido divulgata, & certa eius notitia, vt magnam ſubditorum partem latere non poſsit, niſi ipſi culpabilitèr ad ea, quæ faciunt, noluerint advertere. At in caſu probabilitatis pro non lege, nemo ſubditorum certe novit quod detur lex, aut quod extiterit illa cæremonia ſolemnis, perquam vlli fuerit ſufficientèr propoſita: ergò.

402 Reſpondeo: hoc argumentum etiam multum probare, & mille ſcatere defectibus: multum quidem probat, quià probat nullam legem quoad punctum, de quo eſt controverſia inter Theologos, & vtrinque dantur opiniones, eſſe ſufficientèr promulgatam: àc proinde omnes Theologos adſtruentes obligationem contra alios illam negantes ſemper falli, omneſque opiniones pro lege, & obligatione falſas eſſe, omnes autem pro libertate veras eſſe: àc vno ictu omnes illas iugulat, & omnes iſtas firmat; quod quidem iniurioſum videtur omnibus Theologis, qui in aliqua materia ſuam ſententiam, adverſantibus alijs, pro lege, & obligatione protulerunt; ſiquidem eſt arguere illos imprudentiæ, & falſitatis, eo quod ex legibus minimè promulgatis, nec ſufficienter intimatis affirmarunt homines obligari.

403 Dices forsàn illos exiſtimaſſe probabilitèr leges illas, quoad illum articulum fuiſſe ſufficientèr intimatas. Recte; ergò eſt diſsidium inter ipſos, & contradicentes àn lex pro illo articulo fuerit ſufficientèr intimata, vel non: ergò tunc non manet irrefragabile quod lex non eſt ſufficientèr intimata, ſed eſt æquè, vel magis probabile eſſe ſufficientèr intimatam. En igitur vnde ſtatim ſolvam argumentum.

404 Secundò probat multum, quià probat apertiſsimè omne non certò prohibitum eſſe licitum, & conſequentèr illam regulam Caramuelis, vel ipſis Probabiliſtis exoſlam, eſſe veram, quod ſcilicet omne non certum, ſeu non certò prohibitum eſt tutum in conſcientia. Sequela patet, quià omne non certò prohibitum caret lege certò promulgata illud prohibente. Tertiò multum probat, quià probat eſſe licitum agere cùm conſcientia dubia, adhuc durante dubio poſitivo; quià tunc caſus adhuc lex non eſt certò intimata iuxta regulas arguentis.

405 Quartò peccat argumentum, quià in primis, ſi opiniones morales ſunt circa legem naturalem, impoſsibile eſt quod illa defectu promulgationis non obliget, quià lex naturalis, ſi datur, implicat non eſſe ſufficientèr intimatam, cùm ſit naturalitèr impreſſa, & indita cunctis hominibus ab Authore naturæ, ipſaque minimè promulgetur aliqua cæremonia publica, vt ſupponit Arguens, ſed occulta, àc intima manifeſtatione rationis naturalis, & ſyndereſis, nulli, niſi dementatis, abſque propria culpa, vel obice deficiente. Quintò: nàm quandò lex eſt poſitiva, ſæpè non eſt dubium, aut diſsidium inter AA. circa promulgationem legis; ſed lex ſupponitur certò promulgata, & ſufficientèr intimata ſubditis, ſolum autem eſt diſsidium quoad ſenſum legis; vel ſæpè etiam nec quoad ſenſum eſt dubium, ſed certò ſcitur ſenſus, diſsidium autem ſolum eſt de aliquo obiecto particulari, àn comprehendatur ſub vniverſali obiecto legis. V.g. quantum ad legem, quà Deus prohibet opera ſervilia in die feſto; illa quidem

dem certò eſt promulgata, certus etiam eſt ſenſus eius, dubium tamen, aut diſsidiũ inter AA. eſt de exercitio pingendi, aut ſculpendi, àn ſit, vel non ſit opus ſervile, ſeu àn cõprehendatur ſub opere ſervili, quod eſt obiectum vniverſalitèr prohibitum per legem. In omnibus his caſibus invtile prorſus eſt argumentum à non promulgatione ſufficienti. Nàm lex ſupponitur ſufficienter, & certò intimata, & promulgata, nec de hoc controverſia eſt, aut diſsidium inter Authores.

406 Sextò: falſo ſupponit abſque probatione Terillus, quod vt lex obliget, debeat ità eſſe certò promulgata, vt aliquibus ſubditis, aut magnæ parti ſubditorum ſit ità evidenter nota, vt ſciant evidentèr illam promulgatam fuiſſe. Nàm licet hoc ſit neceſſarium eo tempore, quo lex promulgatur, quià neceſſum eſt quod coram aliquibus promulgetur, ſaltim in Curia Principis, vel in capitibus Provinciarum, iuxta varias opiniones. Tranſacto tamen tempore, quo promulgata fuit, non eſt neceſſum vt obliget, quod maneat evidentia talis promulgationis; ſufficit quod maneant ſigna probabilia de eo, quod promulgata fuerit, vi quorum multi ſapientes crediderint talem legem latam, & promulgatam fuiſſe. Quod ſi hi ſapientes habeant alios contradicentes in æquali tantum, vel inferiori numero, & authoritate, tunc eſt diſsidium, & dubium àn talis lex ſufficientèr promulgata fuerit, vel non. In quo diſsidio nemo prudenter poteſt decidere, aut ſuam ſententiam profetre pro parte negativa abſque ingenti examine illorum Authorum, & tunc tantummodo id facere poterit, ſi invenerit motiva, & rationes negantium prævalere motivis affirmantium: alioquin temere iudicaret ſi inter æqualem authoritatem, & rationem pro vtraque parte, ſi diceret legem non fuiſſe ſufficientèr promulgatam, falliique Authores id affirmantes.

407 Alijs pluribus defectibus laborat præcedens argumentum, familiare quidem contrarijs: eos omitto, quià illius diſcuſio ad tractatum de legibus pertinet, vbi Theologi, & Canoniſtæ latè examinant quænam promulgatio legis requiratur, vt obliget. Aliqui aſſerunt ſufficere quod promulgetur in Curia Principis: alij vlterius requirunt quod etiam promulgetur in Provinciarum præcipuis civitatibus: alij diſtinguunt inter leges Pontificias, & Regias, Eccleſiaſticas, & Civiles. De Pontificijs aſſerunt ſufficere quod promulgentur in Curia Romana. De Regijs eſſe neceſſarium quod promulgentur in cunctis Provincijs. Vnum quidem certum eſt apud omnes, non eſſe neceſſarium quod authentice intimentur omnibus ſubditis: imò, nec cunctis oppidis. Cùr igitur ſaltim tranſeunte tempore non poterit eſſe dubium poſsitivum, àn ſufficientèr promulgata fuerit ad obligandum, vel non? Ex quo iàm facile.

408 Ad argumentum pro nunc reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: pro illo caſu opinionis æquè vtrimque probabilis lex non eſt ſufficientèr promulgata, & hoc eſt certum, nego minorem: & hoc eſt poſitivè dubium in tali caſu, concedo minorem. Itaque contrarij vellent quod nunc nos decideremus pro omni caſu opinionum vtrique probabilium àn lex ſit ſufficientèr promulgata quantum ad articulum controverſum, vel non, ſeu quod eſt idem, àn detur lex obligans, vel non pro omni ſimili conflictu opinionum. Nos autem non ſumus adeò fatui, vt abſque ſpeciali examine omnium illarum opinionum, cui vix tota vita ſufficiat, velimus vnico dicto controverſias omnes morales decidere; nec dicendo vniverſaliter, quod in omnibus illis, aut non datur lex de qua eſt controverſia inter Authores, aut illa non eſt ſufficientèr intimata quantum ad articulum controverſiæ, quià non poſſumus dicere, ſine ingenti temeritate omnes illos Authores falli, qui ſtant in ſimilibus controverſijs pro parte affirmativa. Nec etiam volumus vniverſaliter eas controverſias dirimere, dicendo in omnibus illis legem eſſe ſufficientèr promulgatam ad obligandum, quià nec etiam ſine ingenti temeritate, ne dicam fatuitate, dicere poſſumus omnes eos Authores falli, qui in ſimilibus controverſijs ſtant pro parte negativa. Vt igitur prudenter, & ſine temeritate procedamus, vniverſaliter, nec affirmamus, nec negamus, ſed dubitamus. Vnde cùm mihi obijcis: *Lex controverſa inter opiniones probabiles non eſt ſufficientèr promulgata*, nec nego, nec concedo, ſed dubito poſitivè; in dubio autem poſitivo de ſufficienti, vel non ſufficienti promulgatione legis, non poſſum formare, niſi conſcientiam dubiam, minimè autem conſcientiam determinatam de licito, potius quam de illicito.

409 Iam igitur ad probationes illius minoris. Ad primam dubito

bito etiam de maiori: àn ſcilicet, quando ſubditi non ſunt certi de lege promulgata, ſed illa eſt intèr opiniones, ſit, vel non ſit ſufficientèr promulgata; neutrum enim determinatè dicere poſſum, niſi voluntariè, & pro libito, qua proptèr iterum dico, quod dubito. Similitèr ad ſecundam probationem, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: nemo ſubditorũ certè novit, nec dubitat àn detur lex, aut illa cæremonia publica, nego minorem: nemo novit, dubitare tamèn tenentur omnes quandiù vtraque pars eſt æquè probabilis, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nàm in primis quando controverſia intèr AA. non eſt de illa cæremonia promulgationis, ſed illa ſupponitur ab AA. vel non requiſita, vt in lege naturali, vel certa ſine controverſia, vt plerumque contingit: tunc argumentum Terilli non eſt ad rem, quià tunc caſus cæremonia illa certa eſt, & indubitata, & ſolum eſt diſsidium àn per illam legem comprehendatur, vel non hoc obiectum. Si autem diſsidium ſit intèr Authores de promulgatione legis, aut de illa cæremonia, tunc dico, quod durante æquali probabilitate pro vtraque parte contradictionis, nemo cui vtramque eſt æquè probabilis ante affectum ſuę voluntatis, poteſt decidere dubium, nec dicere: *Lex non eſt ſufficientèr promulgata*, ſicuti nec etiam dicere: *Eſt ſufficientèr promulgata.*

Quod ſi nos vrgeat Terillus, vt vnum ex his duobus dicamus, dicemus, quod nos non habemus deciſiones morales quaſi in burſa, vt pro libito voluntatis, aut ex ſolo voluntatis imperio intèr opiniones probabiles dicamus quod volumus, aut iudicemus quodlibet; àc proinde nolumus decidere, ſed iterum dicimus, quod nobis eſt dubium, àn in tali conflictu opinionum, lex ſit ſufficientèr promulgata, vt iſti dicunt, vel non ſit ſufficienter promulgata, vt dicunt illi. Et hoc pacto cenſemus ſe habere gerere, qui noluerit temerè procedere, àc proinde in tali conflictu nõ poſſe formari niſi conſcientiam dubiam, vſquedum ſpecialitèr examinetur quælibet ſimilis controverſia, & altera pars ante affectum voluntatis appareat magis probabilis, aut vera.

410 Sed dices: ergò dubitamus àn in tali conflictu opinionum æqualitèr probabilium lex obliget, vel non: ergò dubitamus àn liceat ſequi opinionem pro libertate: cur ergò negamus determinatè id eſſe licitum, ſi dubitamus àn ſit, vel non ſit licitum? Reſpondeo, quod circa legem illam, de qua ſunt opiniones æquè probabiles, dubitamus àn ſit, vel non ſit promulgata; àn obliget radicalitèr de ſe ad illum articulum, de quo eſt cõtroverſia; ſed quià de hoc dubitamus poſitive, propterea certo obligamur alia lege naturali ſuperiori ad non operandum contra legem nobis poſitive dubiã: & hoc pacto dicimus quod etiam obligatur quiſquis eſt intèr opiniones æquè ſibi probabiles contradicentes circa legem, & libertatem, quià tenetur prudentèr dubitare: & manente dubio, obligatur lege vniverſali naturali, vel ipſo dictamine vniverſali ſyndereſis ad non operandum id, de quo dubitat àn ſit licitum, vel illicitum.

411 Si velis, poteris etiam ad hoc argumentum reſpondere ſicut ad præcedens, diſtinguendo hoc pacto: lex dubia, vel controverſa non eſt ſufficientèr promulgata ad obligandum directè, & poſitivè, tranſeat: ad obligandum remotivè, & indirectè, nego. Et ad probationes ſimilitèr dices, quod vt lex obliget directè, & poſitivè, & vt ſic regulet mores ſubditorum, tranſeat quod ſit neceſſum illam certo patere aliquibus ſubditis: attamen, vt obliget remotivè, & indirectè, ſufficit quod talis legis promulgatio quoad illum articulum, de quo eſt diſsidium, ſit poſitivè dubia: nàm ille, cui fuerit poſitivè dubia, vſquedum adveniat aliqua ratio nova ad ſolvendum dubium, obligatus manet remotivè ad non faciendum illud opus, quià caret regula requiſita ad honeſtè illud opus eligendum: ad eligendum enim honeſtè aliquod opus requiritur, tanquam regula formalis, iudicium prudens determinatum de honeſtate obiectiva illius operis, aut de eo quod tale opus ſit obiective licitum. Per dubium autem de lege, aut de eius promulgatione poſitivum, removetur, & impeditur iudicium determinatum de honeſtate obiectiva operis: & ideò illud dubium remotivè obligat, quià removet regulam, ſinè qua nulli licet operari. Vel denique alitèr diſtinguere poteris: non eſt ſufficientèr promulgata, vt obliget ipſa per ſe, tranſeat: non eſt ſufficientèr promulgata, nec vt obliget ipſa, nec, vt obliget alia ſuperior ad non violandam ipſam, nego. Quæ diſtinctio iàm ſuprà eſt explicata.

412 Sed replicabis ex doctrina Terilli. Primo, ex illo celebri dicto Lactantij Firmiani lib. 3. inſtitutionum, cap. 27. ſic aientis: *Stultiſsimi eſt hominis præceptis eorum velle parere, quæ vtrum verè ſint, àn falſa dubitatur; & ideò nemo paret, quià nemo vult ad incertum laborare.* Scio, inquit Terillus, Lactantium loqui de præceptionibus Philoſophorum, non de præ-

præceptionibus Philoſophorum, non de præceptis legiſlatorum, ſed quoad hoc de vtriſque eſt eadem ratio, quià lex, de qua dubitatur, àn ſit nec nè, ſi poſt omnem conatum non appareat, ſed maneat incerta, neminem obligare poteſt. *Nàm tali præcepto, vt præcepto, velle parere, cùm, àn ſit verum, vel fictum præceptum, dubitatur; & ideò nemo paret, quià nemo vult ad incertum, quaſi ad certum ſe obligatum reputare.* Ità Terillus. Sed reſpondeo: argumentum hoc potius contra adverſarios militare; cùm enim præceptiones, & regulæ Philoſophorum eſſent inſtar noſtrarum opinionum, de quibus vtrum veræ ſint, àn falſæ dubitamus: proinde aſſerit Lactantius, ſtultiſſimi hominis eſſe eis præceptis, & regulis parere, hoc eſt, mores ſuos ad normam illarum componere, de quibus incertus eſt, & dubius, àn ſint veræ vel falſæ, rectæ vel erroneę: ergò paritèr, *ſtulti erit hominis eorũ opinionem in regulam vivendi aſſumere, per eamque proprios mores regulare, de qua dubius eſt, & incertus àn ſit falſa, vel vera, & ideo nemo prudens, & rectè ſapiens tali regula honeſtatis vult gubernari, quià nemo prudens vult ad honeſtatem incertam laborare.*

413 Vnde valde notandum eſt, nemini eſſe licitum, aut prudens tendere ad obiectum dubiæ, & incertæ honeſtatis, vel turpitudinis, quià imprudentia eſt iuxta Lactantium ad incertum laborare. Quando autem quis verſatur intèr opiniones contradicentes æquè probabiles circà honeſtatem, vel inhoneſtatem obiecti; tunc ei incerta eſt, & dubia ſibi honeſtas obiecti: ergò illicitum erit ei, & imprudens ad illam tendere per electionem voluntariam. Rurſus, nemini licèt ſinè regula certa honeſtatis ad opus procedere, regulari enim per regulam, de qua vtrum vera ſit, vel falſa dubitat, imprudentia eſt manifeſta iuxta Lactantium: cùm autem in dicto conflictu opinionum incertum ſit àn opinio pro licito, & honeſto ſit vera, vel falſa, illam aſſumere pro regula, & per illam dirigi, & gubernari imprudentia eſt manifeſta. Nec aliud intelligit Lactantius per hoc quod eſt *parere regulis, & præceptionibus Philoſophorum*, quam per eas dirigi, & gubernari, & iuxta illas operari. Nàm præcepta Philoſophorum non erant præcepta legiſlatorum, aut ſuperiorum, quæ exigerent obedientiam à ſubditis, vt fatetur Terillus, ſed erant ſicut opiniones ſapientium.

414 Nunc iàm ad applicationem Terilli, dicimus in primis, eſſe valde alienam à mente Lactantij: deindè nec nos dicimus in prædicto conflictu opinionum debere ſubditum præceptum incertum, & dubium acceptare in regulam operandi, aut omittendi, nec illi parere vt præcepto, aut per illud regulari, & dirigi; in eo enim fallitur manifeſtè Terillus, dum hoc nos dicere exiſtimat. Nec dicimus, quod tenetur ſequi in praxi tanquam regulam opinionem pro lege, eique opinioni parere, aut per illam ſe regulare. Quid ergò dicimus? Dicimus, neutram opinionem tunc caſus eſſe regulam, cui prudentèr parere poſſimus; in neutra nos habere regulam procedendi, aut eligendi: & cùm aliàs ſine regula certa non poſſimus licite, & honeſtè operari; indè eſt quod in tali conflictu obligamur remotivè, hoc eſt, impoſsibilitamur defectu regulæ ad honeſtè eligendum illud opus, de quo regulam certam non habemus: & obligamur indirectè ad aliud exercitium, de cuius honeſtate regulam certam habeamus, quidquid illud ſit. Cùm vero opiniones diſſident circa opus àn ſit præceptum, vel non, nec tunc tenemur præceptum dubium acceptare in regulam, eique vt præcepto parere, ſed quià ſcimus illud opus eſſe licitum, & honeſtum, & de hoc habemus regulam certam, de omiſsione vero neſcimus vtrum honeſta ſit, vel interdicta, àc proinde de illa non habemus regulam, inde defectu regulæ obligamur remotivè ad non omittendum, ſeu ad faciendum opus de quo ſcimus eſſe licitum, neſcimus vero vtrum ſit de præcepto.

415 Replicat ſecundò Terillus, recurrendo ad leges humanas, vbi ſic arguit: legiſlator humanus non comprehendit ſua lege ea, de quibus eſt probabile in illa non comprehendi: ergò quotieſcumque datur talis probabilitas de eo quod aliquod opus non comprehendatur in vniverſalitate legis, lex illa non prohibet illud opus. Antecedens probatur primò hoc exemplo: ſæpè Epiſcopus prohibens opera ſervilia neſcit àn pingere ſit opus ſervile, & conſequentèr neſcit àn tali lege ipſe prohibeat, vel non pingere in tali die: ergò interrogatus àn voluerit ſua lege comprehendere exercitium pingendi, nequit dicere, niſi, *neſcio, aut dubito*; ſed opus, de quo neſcit ipſe legiſlator ſe illud prohibuiſſe, re ipſa prohibitum non eſt ſubditis, nec illos poteſt obligare talis lex: ergò. Secundò, quià legiſlator humanus benè novit ſenſum ſuarum legem eſſe in multis dubium, multoſque ſe doctiores prudentèr exiſtimare talem legem ad talia obiecta non extendi: ergò manifeſta præſumptio eſt, eum nolle ſub lege ſua talia obligatoriè comprehendere; ſi enim

vo-

voluiſſet ea comprehendere, id expreſsiſſet; àt ſciens, & volens hæc non expreſsit: ergò cenſenda ſunt pro non incluſis in lege. Maximè vero id valet, quià favores ſunt ampliandi, & odioſa reſtringenda.

416 Hanc doctrinam extendit Terillus ad legem divinam. Hinc enim, inquit, evidens præſumptio oritur, Deum nolle nos ad ea obligare, de quibus habemus motiva prudentia ad exiſtimandum ea ab ipſo non fuiſſe per legem intenta. Deus enim, qui omnia comprehendit, ſi alitèr voluiſſet, id ipſum expreſsiſſet, cùm hoc ei facillimum fuiſſet; àt Deus hoc non expreſsit: ergò ea ſub obligatione cadere noluit. Ex quo confirmat ſic: Epikeia locum habet, quotiſcumque præſumitur prudenter legislatorem noluiſſe aliquid ſub præcepto comprehendere; ſed quotieſcumque eſt certo probabile practicè opus eſſe licitum, toties prudentèr præſumitur, legislatorem noluiſſe comprehendere tale opus in lege prohibente: ergò.

417 Reſpondeo diſtinguo antecedens: ſi ſit vnicè, aut magis probabile ea ſub tali lege non comprehendi, tranſeat antecedens: ſi ſit vtrumque æquè probabile, vel magis probabile ea comprehendi, quam non comprehendi, dubito de antecedenti, ſicut & quiſque dubitare debet. Nàm caſus præſentis quæſtionis eſt quando non ſolum probabile eſt ea obiecta tali lege non comprehendi, ſed etiam æquè vel magis probabile ea comprehendi. Procedendo igitur in conſideratione vtriuſque probabilitatis, dico, quod nec audeo aſſerere, nec negare in tali caſu legiſlatorem comprehendere ſua lege ea obiecta, de quibus vtrinque eſt probabilitas æqualis pro eo quod comprehendantur, & pro eo quod non comprehendantur. Nàm ex æquali probabilitate pro vtroque neutrum inferre, imò nec ſuſpicare, aut præſumere poſſum, ſed ſolum valeo prudentèr dubitare: hoc enim tantum eſt tutum, aliud vero ſecus.

418 Ad primam probationem antecedentis, dico, illud argumentum eſſe fallaciſsimum. Nàm dum Epiſcopus prohibet vniverſalitèr opera ſervilia, non tenetur ſcire quænam opera ſint ſervilia, vel non; nec per ſcientiam privatam Epiſcopi debet regulari vniverſalitas talis legis; alias, ſi Epiſcopus neſciret de pleriſque operibus àn eſſent, vel non eſſent ſervilia, nullum illorum prohiberet: ex quo rurſus fieret nullum omnino opus ſervile determinatum, & in particulari ſub tali lege comprehendi, quià forsàn Epiſcopus quãdo legem tulit de nullo opere particulari cogitavit àn eſſet ſervile, vel non, ſed ſolum prohibuit opera ſervilia vniverſalitèr.

419 Quænam igitur ſint opera ſervilia, pertinet ad examen ſubditorum, vel Theologorum, vel aliorum: & poſt tale examen, quæ certo inventa fuerint ſervilia certo comprehenduntur lege prohibente; quæ certò non ſervilia, certò non comprehenduntur; quæ æquè probabilitèr ſervilia, àc non ſervilia, manent probabilitèr comprehenſa, & æquè probabilitèr non comprehenſa: inter has tamèn æquales probabilitates, quis protinus pro libito ferat iudicium, niſi temerè? Solum ergò prudentèr dubitare poſſumus àn tale opus ſit prohibitum, vel non. Vnde diſtinguo illam minorem: *Opus, de quo neſcit ipſe legiſlator ſe illud prohibuiſſe, re ipſa prohibitum non eſt*; ſi tàm ipſe legiſlator, quam ſubditus dubitet poſitive, & prudentèr àn tale opus lege comprehendatur, dubito etiam ego, & quiſque non niſi dubitare poteſt. Si ſubditus ſciat certò tale opus non fuiſſe comprehenſum, concedo. Et hac diſtinctione ſemper vtendum eſt.

420 Ad ſecundam probationem diſtinguo antecedens: Legiſlator humanus benè novit ſenſum ſuarum legum eſſe in multis dubium, multoſque ſe doctiores exiſtimare talia obiecta non comprehendi, & per hanc rationem regulatur incondendis, aut promulgandis legibus, nego antecedens: & hec notio conſequens omnino eſt ad legiſlationem, & promulgationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quià vt ſuprà vidimus n. 118, eſt inſignis chimera cogitare, quod legiſlator in condenda lege regulatur per ſcientiam de opinionibus, aut ignorantijs futuris ſubditorum erga ſuam legem, vel ſenſum illius, & quod iuxta illas opiniones, aut ignorantias attemperet ſenſum, & vniuerſalitatem ſuæ legis, hoc enim vltra quam quod importat reflexionem chimericam legis ſuprà opiniones hominum de ſe ipſa, eſſet facere ipſam legem regulam leſbiam, vt ſuprà dicebamus: àc proinde legiſlator legem condit in eo ſenſu, & in ea vniverſalitate, in qua videt eſſe vtilem ad regimen reipublicæ, vel communitatis, & ad finem, cui communitas eſt inſtituta, & ex illo fine licet rimari ſenſum, & vniverſalitatem legis, quando non eſt adeò clara. Non tamen attendit legiſlator ad opiniones hominum futuras de ſua lege, nec ex illis opinionibus rimari poteſt ſenſus legis; ſed potius veritas, vel falſitas illarum opinionum examinan-

nanda eſt ad normam ipſius legis, vel ſenſus eius aliunde inveſtigati. Nàm lex ſecundum ſuum ſenſum eſt regula opinionum, non opiniones regula legis, aut illius ſenſus. Vndè imprudens eſſet præſumptio ſubditorum, ſi exiſtimarent legiſlatorem in lege condenda, aut promulganda attendiſſe ad ſuas opiniones futuras, & iuxta illas moderaſſe ſenſum legis, imò hæc præſumptio foret fatua, aut chimerica.

421 Cùm autem dicis: ſi voluiſſet ſua lege hæc obiecta comprehendere, aut hoc ſenſu illam intelligi, id expreſsiſſet: ergò ſi non expreſsit, eſt quià noluit. Reſpondeo, quod leges oportet eſſet breves, vt facile à ſubditis addiſci valeãt; àc proinde non oportere, quod legiſlator in ipſa lege omnes ſenſus, quibus intelligi poteſt, exprimat; nec id eſſet poſsibile, & indè non vitaretur adhuc diverſitas opinionum, imò plures ſine numero exurgerent. Si enim ſuper quatuor verba vnius legis ſolent eſſe viginti, vel triginta opiniones, quòt opiniones eſſent, ſi lex exprimeretur mille verbis, vel innumeris, qualitèr eſſet opus, vt legiſlator in ipſa exprimeret omnes ſenſus, de quibus dubitare poſſunt homines. Nec item oportet quod legiſlator exprimat in particulari omnia obiecta particularia, & materialia legis; id enim etiam eſſet impoſsibile, ſed lex cùm debeat eſſe vniverſalis, ſufficit quod prohibeat aliquid vniverſale, ſeu aliquam rationem communem, v. g. operari ſervilitèr die feſto. Nec ſpectat ad legiſlatorem exprimere quænam opera ſint ſervilia, vel non. Ex quo iàm vides iſtam eſſe præſumptionem ineptiſsimam: *Epiſcopus, aut Deus, cùm iuſsit non operari ſervilitèr die feſto, non expreſsit opus pingendi: ergò noluit illud tali lege comprehendere: ergò tale opus cenſendum eſt pro non incluſo in lege. Legiſlator non expreſsit in ipſa lege, hunc eſſe ſenſum ſuæ legis: ergò non promulgavit legem in hoc ſenſu.* Aliunde enim præſumptio deſumenda eſt, vt ſit prudens.

422 Ad extenſionem autem quam Terillus facit ad legem divinam, imprimis nego quod in concurſu motivorum æqualium pro vtraque opinione contradicente habeamus motiva prudentia ad credendum vni potius quam oppoſitæ; imò ſæpiſsimè probatum relinquimus aſſenſum ſic præſtitum fore imprudentem: ſolum ergò ſupponi poteſt, quòd habeamus motiva probabilia. Loquendo igitur de motivis vtrinque æquè probabilibus, qui eſt caſus proprius quæſtionis, dico, me dubitare, àc decidere minimè poſſe, vtrum ea, de quibus habemus talia motiva comprehendantur, vel non comprehendantur lege divina. Nàm ſi pro vtraque parte ſunt motiva æquè probabilia, quis ſine temeritate dubium decidere valeat? Sed arguis, *quod Deus omnia comprehendit, & quod ſi alitèr voluiſſet, id ipſum expreſsiſſet.* Et quid ſi de intelligentia ipſius expreſsionis contradicentes poſtea exurgerent opiniones? Neceſſum ſanè eſſet quod Deus non ceſſaret expreſsiones ſuprà expreſsiones addere; & ſic nunquam vſque ad finem mundi legem ſuam ſufficientèr poſſet promulgare.

423 Ex quo iàm vides, quam abſurdum ſit, quod ait Terillus quæſt. 23. num. 25. & alibi ſæpè his verbis: *In his ergò tribuant ſibi legiſlatores, ſi ſua imperia aliquando violari viderint, cùm ſufficientèr non explicaverint voluntatem ſuam, cui ſufficientèr explicatæ ſubditi paratiſsimi erant obedire.* Sanè iuxta hanc Terilli evaſionem erit dicendum: *Tribuat ſibi Deus ſupremus legiſlator, ſi ſua imperia aliquando violari videat, cùm ſufficienter non explicaverit voluntatem ſuam. Tribuat ſibi Sancta Eccleſia; ſi ſua imperia aliquando violari videat, cùm ſufficientèr non explicaverit voluntatem ſuam,* Eſt nè ſententia, quæ ità veneratur legiſlatores, benigna?

424 Etenim in primis illud dictum involvit manifeſtam implicationem; nàm imperium non explicatum ſufficientèr, nec eſt imperium, nec à ſubditis violatur, potiſsimè in ſententia Terilli aientis in tali caſu nullam legem, nec materialitèr quidem violari, & item legiſlatorem ſua lege non comprehendere, nec ſubditum, nec opus, de quo ſubditus habet opinionem probabilem quod non eſt prohibitum; implicat autem legem violari per ſubditum, nec per opus tali lege non comprehenſum. Quomodo igitur in ſimilibus legiſlator videt ſua imperia violari per opera, & per ſubditos talibus imperijs à ſuperiore non comprehenſis. Non nè hæc eſt manifeſta implicatio?

425 Deindè, illud dictum eſt manifeſtè inſtabile. Nàm dicet legiſlator, dicet Eccleſia, & Deus pro ipſa: non nè plures ſapientes, & prudentes, tòt, vel plures, quam vos, qui hoc dicitis, æquè, vel magis ſapientes, & prudentes, quam vos, intellexerunt meam legem in hoc ſenſu, & hunc ſenſum iudicarunt ſufficientèr explicatum in lege, & propterea dixerunt in hoc ſenſu illam intelligendam, & eſſe obligatoriam? Ergò non mihi imputare debeo, ſi meam legem violari à vobis video, ſed vobis, qui inter rationes, & au-

tho-

thoritates æquales, vel inæquales meam legem pro libito interpretaſtis potius in ſenſu laxo, quam ſtricto: cùm tamen pro ſenſu ſtricto eſſet maior, vel ſaltèm æqualis ratio, & authoritas, quam pro laxo. In dubio oportebat vos ſuſpendere iudicium, & nihil temere iudicare, vitareque periculum probabile violandi verum ſenſum meæ legis, vſque dum certus vobis aliunde appareret.

426 Iàm denique ad confirmationem deſumptam ex Epikeia, in primis nego illam locum tenere in ſenſu, aut intentione legiſlatoris, quam habuit in ipſa legiſlatione, aut promulgatione, interpretanda, aut præſumenda: ſolum enim Epikeia conſiſtit in emendatione quadam legis prudentèr, & ex æquitate præſumpta, vi cuius præſumitur, quod in hoc caſu, vel illo, ſi legiſlator præſens adeſſet, emendaſſet ſuam legem, & illum caſum exciperet non prævisum à ſe, nec exceptum in ipſa legis conditione, aut promulgatione; & ſic ab omnibus ferè explicatur Epikeia: & quocumque modo explicetur, certum eſt Epikeiam non tenere, nec in lege naturali, nec in lege diuina, nec item in lege humana, quando legiſlator præſens adeſt, & ſcit quod geritur, & tamen non diſpenſat: hoc quidem certum eſt apud omnes. Exinde infero evidentèr Epikeiam inutilem prorſus eſſe ad præſumendum legiſlatorem proptèr opiniones vtrinque probabiles nolle comprehendere ſua lege, aut velle excipere illud obiectum, de quo ſunt opiniones. Nàm vel lex, de cuius ſenſu ſunt opiniones, eſt naturalis, vel poſitiva diuina, vel poſitiva Eccleſiaſtica, aut civilis. Si naturalis, non eſt locus Epikeiæ. Si divina poſitiva, ſimilitèr; quià iſtæ leges, vt ſtatim dicam, non admittunt Epikeiam. Si Eccleſiaſtica aut civilis, Eccleſia vel Reſpuplica præſens eſt, benè ſcit controverſias, & opiniones probabiles, quæ circa ſenſum legis ſunt, & controvertuntur, hic non eſt caſus aliquis ſubitaneus, aut repentinus, qui ad aures Eccleſiæ, vel Principis, aut Reipublicæ non pervenerit, perpetuus eſt, continue durat, omnibus patet; & tamèn Princeps, nec eccleſiaſticus, nec ſæcularis, proptèr varietatem opinionũ diſpenſat, nec excipit caſus opinionum, ſed tacet, legem in ſua vi relinquit, àc dicit, quod ſcripſi, ſcripſi, quod iuſsi, iuſsi, id ipſum præcipio, lex eſt regula, conſtans debet eſſe, non flecti proptèr opiniones: dicant quidquid voluerint opiniones, prius illæ falſæ erunt, quam lex non ſit eadem; Hoc ſanè dicit omnis legiſlator rectus, ſive Deus, ſive Eccleſia, ſive qui à Deo poteſtatem habet. Nàm omnis lex humana, ſi lex eſt, ex Deo eſt, participatio quædam eſt divinæ legis, in virtute divinę legis præcipit, vt ſæpè ait Div. Thom. Ac proinde ſicut divina non debet eſſe lesbia, nec regulari ad normam opinionum, ità nec humana, vt recta ſit. Falſum igitur eſt quod conflictus opinionum probabilium ſit fundamentum prudens Epikeiæ circa vllas leges.

427 Quibus adde, quod Epikeia ſolum habet locum, quando lex in aliquo caſu particulari peccat, ità vt ſi impleatur, malum certum immineat, aut ſequatur. Exemplum apponit Div. Thom. 22. quæſt. 120 art. 1. in lege vniverſali reddendi depoſitum, ſupponamus enim aliquem apud me depoſuiſſe gladium, ipſum tamèn poſtea amentem, gladium à me exigere: video periculum imminere, vt eo aliquem, aut ſe ipſum interficiat: tunc pro illo caſu peccat lex, quià malum imminet, ſi impleatur, & ideo indiget emendatione, quam prudens facit ex Epikeia, excipiendo illum caſum ab vniverſalitate legis. Quando autem lex non peccat, ſeu quando eius implerio tuta eſt à mali periculo, nullus eſt locus Epikeiæ; & hoc etiam ſi pro illo caſu ratio & finis legis non vrgeat, vt probat Caietanus in præcitatum locum Div. Th. quià alioquin, ſimplex fornicatio liceret illis, qui certificari poſſent de prole, & aſſecurare educationem honeſtam eius, & pollutio in nunquam generaturis, & vniverſalitèr, in omni caſu, in quo deficeret ratio, & motivum legis in particulari, lex non obligaret, quo nihil laxius excogitari poſſet: ſolum ergò eſt locus Epikeiæ, quando lex peccat modo dicto. Ex quo primo ſequitur, nec legem divinam, nec naturalem admittere poſſe Epikeiam, quià in nullo caſu lex Dei peccare poteſt, nec emendari per noſtrum iudicium, ſed ipſa lex divina de ſe præcavet omnes caſus particulares, & ſe ipſam, nõ quidem emendat, ſed dirigit, & deſignat modum tenendum in illis caſibus: & hæc eſt communis doctrina Theologorum, quià ſtultitia hominum eſſet velle emendare proprio iudicio legem Dei. Infertur ſecundo, & magis ad noſtrum propoſitum, nec eſſe locum Epikeiæ, quando in concurſu opinionum contradicentium pars pro lege eſt tuta, hoc eſt, quando non eſt periculum peccati in implenda lege, quià tunc lex illa probabilis non peccat, & vbi lex non peccat, non eſt locus Epikeiæ: cùm ergò caſus præſentis controverſiæ ſit huiuſmodi, ineptiſsimè Terillus vtitur Epikeia, vt ab vniverſali-

ſalitate legis excipiat caſum inter opiniones vtrinque probabiles controverſum.

§. IV.

Alia tria argumenta ſolvuntur.

428 OBIJCIVNT Quarto contrarij ex illa regula: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*; ſed inter opiniones æquè probabiles eſt dubium an quis teneatur, vel non; an obiectum ſit licitum, vel prohibitum; & interim ille ſuam libertatem poſſidet: ergò melior eſt eius conditio, & eximendus eſt ab obligatione. Diſtinguo maiorem: in dubio melior eſt conditio poſſidentis, in materia iuſtitiæ, quando poſſeſſio eſt certa, & dubium non eſt de poſſeſſione, ſed de proprietate & iure, concedo maiorem: in materia aliarum virtutum, nego ſuppoſitum, quod ſcilicet in dubio detur poſſeſsio certa: & conceſſa minori quo ad primam partem, nego quoad ſecundam, quod ſcilicet durante dubio de obligatione, ille poſsidet libertatem ab obligatione. Quæ ſolutio data, & efficaciſsime probata manet ſuprà quæſt. 21. per totam. Vnum tamèn addam, quod ſcilicet, dum diximus, quod in dubio de lege, vel obligatione erat ſimilitèr dubia poſſeſsio libertatis ab obligatione, id eſſe intelligendum de poſſeſsione obiectiva, & reali, quæ conſiſtit in eo quod quis re ipſa ſit exemptus à lege obligatoria. De hoc enim in dicto caſu eſt dubium, ac proinde talis poſſeſsio obiectiva, & realis libertatis à lege eſt dubia. Non autem de poſſeſsione formali & intentionali: nam poſſeſsio formalis intentionalis libertatis ab obligatione conſiſtit in bona fide, qua quis ſe exiſtimat immunem ab obligatione, & lege: exorto autem dubio, iàm non eſt dubia huiuſmodi poſſeſsio, ſed certò nulla; quià ille, qui dubitat de ſua immunitate, & libertate à lege, certum eſt quod non poſsidet formalitèr intentionalitèr talem immunitatem, cùm de illa formalitèr dubitet: poſſeſsio enim, aut tentio formalis intentionalis libertatis excluditur per dubium de libertate antecedentèr poſſeſſa; vbi autem certum eſt aliquem formalitèr intentionalitèr non poſsidere libertatem, qualitèr poteſt allegare libertatis poſſeſsionem.

429 Quinto obijciunt: nemo tenetur ad amplectendum perfectius, & honeſtius, ſed ſufficit ſi ſequatur perfectum, & honeſtum: ergò nemo tenetur ſequi opinionem probabiliorem, ſed ſufficit ſi ſequatur æquè, vel minus probabilem. Conſequentia probatur, quià ſequi opinionem minus, vel magis probabilem ſua contradicente, ſe habet, vt minus, & magis bonum; ſed per nos nemo tenetur ad magis bonum, ſed ſufficit minus: ergò. Reſpondeo, hoc etiam argumentum mera æquivocatione laborare, quam detego diſtinguendo antecedens: nemo tenetur ad perfectius, ſed ſufficit ſi ſequatur perfectum, quod certò à ſe exiſtimatur perfectum, concedo antecedens: ſufficit ſi ſequatur perfectum, quod æquè, vel magis probabilitèr eſt peccatum, quam perfectum, nego antecedens, & cõſequentiam. Ad cuius probationem, nego maiorem: quià potius ſe habent vt bonum, & malum. Sequi enim opinionem magis probabilem eſt per ſe licitum, & prudens, ſequi autem opinionem minus probabilem pro licito, relicta contradicente maiori cùm probalitate dicente opus eſſe illicitum & peccatum eſt aperte peccatum, & imprudentia. Tunc enim tantum eſt locus ſequendi honeſtum, & perfectum, relicto perfectiori, quando conſtat vtrumque eſſe honeſtum, & perfectum. At, quomodo mihi conſtabit hoc extremum eſſe honeſtum, quando mihi æquè, vel magis probabile eſt eſſe peccatum, illicitum, & prohibitum?

430 Sed inſtat Terillus ſequi partem probabiliorem pro libertate per nos eſt licitum: ergò etiam ſequi partem minus probabilem pro libertate. Probat conſequentiam, quià ſolum diſtinguntur penes magis, & minus in eodem ordine; ſed magis, & minus non variant ſpeciem, & conſequentèr ſi vnum eſt honeſtum, aliud etiam eſt honeſtum: ergò. Secundo, quià nemo tenetur ad partem probabiliorem pro lege: ergò poteſt ſequi partem oppoſitam pro libertate. Antecedens probat, quià non tenetur ad illam, quià tutiorem, quià nemo tenetur ad tutius eligendum; non quià rationabiliorem, quià nemo tenetur ad rationabilius, ſed ſat eſt ſi ſequatur id quod eſt rationale: ergò. Tertiò, quià ſi teneretur ad non ſequendam partem æquè aut minus probabilem pro libertate, eſſet, quià teneretur ad vitandum periculum peccati materialis, quod in illa parte reperitur; ſed ad hoc non tenetur: ergò. Probat minorem, quià etiam in opinione magis probabili pro libertate eſt periculum peccati materialis, & tamèn nemo tenetur illud periculum vitare, alias nemo poſſet ſequi opinionem magis probabilem: ergò nec tenetur vitare periculum peccati materialis, quod eſt in opinione minus, aut æquè probabili pro

liber-

libertate. Tota ergò diverſitas eſt, inquit Terillus, quod in vno caſu periculum peccati materialis ſit paulo maius, quam in alio: magis autem, & minus non variant ſpeciem. Quarto, quià raro conſtat àn opinio, quæ probabilior apparet, ſit re ipſa probabilior; apparientia autem, de cuius qualitate non conſtat, nullius momenti eſt ad regulandam conſcientiam: ergò ſi probabilior excuſat, vtique omnis opinio certò probabilis excuſabit, quià ratio excuſationis non eſt incertus gradus probabilitatis, ſed gradus certæ probabilitatis.

431 Ad primam reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: magis, & minus non variant ſpeciem in phiſicis, tranſeat minor: in moralibus, & prudentibus, nego minorem, & conſequentiam. Quià ſi iſta conſequentia teneret, liceret ſic arguere: comedere in menſura exacta ad ſuſtentationem vitæ eſt virtus temperantiæ: ergò comedere magis, & magis eſt virtus temperantiæ, & non vitium gulæ, quià magis, & minus non variant ſpeciem. Item: quarta pars vnciæ alimenti poteſt ſumi in die ieiunij licitè nè potus noceat, aut rogante amico ex condeſcendentia: ergò etiam media pars vnciæ. Si concedas: ergò integra vncia, Si concedas: ergò vncia, & media, Si concedas: ergò duæ vnciæ. Si concedas: ergò ſuprà duas media: ergò quatuor, & ſic vſque ad vnam libram, vel mille, ſi velis, quià magis, & minus non variant ſpeciem. Sanè hoc argumentum de *magis, & minus non variant ſpeciem* in moralibus, & prudentialibus ineptiſsimum eſt, nec viro docto dignum, vt in illo fundare velit ſuam ſententiam.

432 Vnde dico, quod maior, & minor probabilitas poſſunt habere ſufficientem exceſſum, vt vna ſufficiat ad prudentem aſſenſum de honeſtate operis, & ad prudenter operandum, alia vero non ſit ſufficiens, ſed potius, ſi quis illi aſſentiatur, imprudens erit in iudicando, & operando. Et hoc evidenter apparet in teſtibus. Iudex enim prudenter, & licitè credit, & ſequitur partē teſtium magis credibilē, & imprudenter, & illicitè crederet, & ſequeretur partem teſtium æquè tantum, aut minus credibilem parte contradicente; & tamèn ſunt in eodem ordine, ſolumque differunt penes magis, & minus fidedignum, magis, & minus credibile: ergò hoc argumentum inutile eſt.

433 Ad ſecundam nego antecedens: ad probationem, concedo antecedens: dico tamèn, teneri ad illam partem vt vnicè tutam, & vnicè rationalem, quià collatis ad invicem illis duabus partibus contradictionis pro lege, & pro libertate, non manet tutum, nec rationale ſequi libertatem contempta lege, cùm immineat periculum proximum, & probabile violandi legem, àc proinde vnicè eſt tutum, & ſine periculo vitare tale periculum, faciendo id, quod certò ſit licitum, & certò rationale. Vnde negamus quod minus probabile in conſpectu contradicentis magis probabilis, ſit tutum, aut rationale; & ſic ceſſat argumentum.

434 Ad tertiam, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: etiam in ſequela opinionis magis probabilis eſt periculum peccati materialis proximum, & verè probabile, nego maiorem: remotum & improbabile operanti, concedo maiorem. Vel alitèr: eſt periculum æquale nego: notabilitèr minus, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Et ad id quod ait Terillus, quod hæc duo pericula ſolum differunt penes magis, & minus, dico, quod differentia penes magis, & minus in moralibus ſufficientiſsima eſt ad variandas obligationes, potiſsimè in periculis, aliàs liceret ſic arguere: Qui decies acceſsit ad domum mulieris, & ſemel tantum peccavit, non habet periculum proximum, nec tenetur vitare illud periculum ergò ſimilitèr, ſi decies acceſſerit, & tèr peccaverit: quià hoc periculum eſt paulo maius, quam ſi peccaſſet bis. Quod ſi hoc concedatur: ergò idem dicendum ſi quatèr, ſi quinquiès, &, ſi ſexies, ſi ſepties, ſi novies, ſi decies peccaverit; quià vnum periculum ſolum eſt paulo maius alio præcedenti: ergo nullum eſt periculum proximum; quià ſolum differunt penes magis, & minus: ergò ad nullum vitandum quis tenetur. En tuum argumentum aperte fallax, & inutile. Quantus vero, & qualis exceſſus requiratur probabilitatis, vt quis prudenter procedere poſsit, infra declarabimus. Sufficiat nunc dicere, requiri exceſſum notabilem, & exercitè ſaltèm cognitum ab operante. Ex quo patet ad quartam: negamus enim ſufficere ad excuſationem exceſſum probabilitatis, qui nullius momenti ſit, ſed dicimus requiri exceſſum notabilem, & certò cognoſcibilem ſaltèm in actu exercito.

435 Sextò obijciunt: ſi obligentur homines ad ſectanda ſemper probabiliora, & tutiora, neceſsitantur ad peccandum. Nàm quis poſſet ſemper ſequi, quod eſt probabilius, & tutius? Quis cognoſcere poſſet ſemper probabiliora? Hoc ſanè

eſt

eſt inducere homines in deſperationem, illoſque impoſsibilitare ad viam ſalutis capeſſendam, & conſequentèr introducere hæreſim Ianſenianam in Eccleſia. Ità aliqui blaterant, & terrent pueros à ſequela noſtræ ſententiæ illos avertendo. Sed facile reſpondemus: in primis, nos non obligare ad hoc, vt quiſque diſcernat intèr probabiliora, & minus probabilia, ſed ſolum quod, vſquedum id agnoverit, ſequatur partem tutiorem, & quod nihil agat, quin prius certificetur, ſaltèm cùm maiori probabilitate, de honeſtate obiectiva eius, quod agendum occurrit. Hoc autem non eſt impoſsibile, &, ſi forsàn aliquo in caſu ſit per accidens impoſsibile, ipſa impoſsibilitas operantem excuſabit, quià nos ſolum obligamus ad ſequendam pro poſſe veritatem, & vitandum pro poſſe humano periculum errandi, & operandi contra legem Dei. Si igitur aliquando huiuſmodi periculum humanitùs vinci non poſsit, tunc ad illud vitandum non obligamus. Vbi ergò eſt hæreſis Ianſeniana? Vbi neceſsitare homines ad peccandum? Vbi eos impoſsibilitare ad viam ſalutis? Hæ tantum ſunt voces, & terriculamenta puerorum.

436 Sed dices: ad minus eſt valde difficile ſemper ſequi probabiliora, & nunquam æquè, aut minus probabilia; & conſequentèr hoc eſt reddere viam Cœli nimis arctam. Reſpondeo, quod pleriſque in caſibus facile eſt hominibus ſequi probabiliora; quod autem aliquibus in caſibus id difficile ſit, probat viam Cœli eſſe arctam, & anguſtam portam, & paucos qui ingrediuntur per eam: itemque virtutem non niſi intèr difficultates adquiri: quæ ſunt proloquia Evangelica, & veriſſima. Velle autem viam Cœli facere latam, & vniverſalitèr facilem, eſt velle commutare viam inferni in viam Cœli, & viam Cœli in viam tartari. De quo infrà.

437 Sed dices: ad minus conſcientias anxiari mille ſcrupulis oportere, ſi hominibus prohibeatur ſequela opinionis minus, aut æquè probabilis: ècontrà autem, data licentia ſequendi quamlibet opinionem probabilem, vitantur plura peccata, & conſcientiæ facile poſſunt ſedari.

438 Reſpondeo, quod ad vitandos ſcrupulos infœlix remedium eſt ſectari minus probabilia, & minus tuta, & AA. qui conantur mederi conſcientijs per opiniones minus probabiles, & laxas, loco auferendi ſcrupulos, illos augent. Medendum ergò eſt ſcrupuloſis, docendo eos ſectari tutiorem, & probabiliorem, quo pacto vitantur remorſus conſcientiæ; vnde in Clementina *Evivi* de verborum ſignificatione, Pontifex ſic ait: *In his, quæ ad ſalutem animæ reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda.* Si graves remorſus conſcientiæ non vitantur, niſi ſequendo partem tutiorem in dubijs, ſcrupuli qualitèr vitabuntur ſequendo intèr probabilia partem minus tutam, & minus probabilem? Et experientia ipſa docet, quod qui tales opiniones ſectantur, ſi tantillum timoris Dei habeant, nunquam quieſcunt, donec ſaltèm ad cautelam, vt inquiunt, ſe accuſent de opere illo, quod in fidem opinionis minus tutæ, & minus probabilis fecerunt: quod planè indicat lumèn ipſum naturale ſyndereſis reprobare talem modum operandi, & formandi dictamen conſcientiæ, & ſic procedentes interius arguere de peccato.

439 Ratio etiam id ſuadet: (loquor cùm Magiſt. Gonet in præſenti num. 181.) Nàm in ſincera ſolum veritatis inquiſitione quies, in ſola veritate ſecuritas perfecta eſſe poteſt; adque adeò, qui partem illam amplectitur, quam minus probabilem, & minus tutam, id eſt, falſitati, quam veritati, peccato, quam virtuti viciniorem iudicat, angi ſcrupulis, & ſtimulis conſcientiæ pungi, & torqueri neceſſe eſt: qui autem id quod verius, quod tutius credit ſequitur, is quietus, & tranquillus eſſe poteſt, licet omnino ſecurus non ſit. Nàm is vna vera, & perfecta ſecuritate fruitur, qui primam, & æternam veritatem & ſequutus, & aſſequutus eſt. Vnde in hac vita ſemper manet in iuſtis ſolicitudo quædam, & tremor, vt illud impleatur Apoſt. præceptum: *Cùm timore veſtram ſalutem operamini.* Pium timorem qui detrahit ſanctis, magnam detrahit humilitatis, & vigilantiæ, imò fœlicitatis ſuæ partem: nàm in ſancto illo timore ſapiens quandam huius vitæ fœlicitatem conſtituit, dum ait Prob. 28. *Beatus vir, qui ſemper eſt pavidus.* Sed de his infra. De conſcientia autem ſcrupuloſa medenda ad finem tractatus redibit ſermo.

§. V.

Solvitur ſeptimum argumentum, & explicatur àn lex obligans ad ſectanda probabiliora, vel tutiora ſit ſtulta, aut noxia?

440 OBIJCICIT Septimo Terillus: nulla datur lex obligans ad ſectanda tutiora, & probabiliora: ergò nemo ad id tenetur. Antecedens probat, quià talis lex eſſet no-

civa;

civa; ſed Deus nullam legem fert nocivam, nàm de eſſentia legis eſt quod ſit vtilis: ergò talis lex non datur. Maiorem probat, quià lex, quæ ſecum affert plura incommoda, quam commoda, eſt nociva; ſed talis lex plura ſecum affert incommoda, quam commoda: ergò eſſet nociva. Minorem probat, quià talis lex, morali quadam neceſsitate, incredibilem peccatorum copiam ſecum adduceret, quæ, tali lege ſublata, facile vitarentur: ergò plura ſecum affert incommoda, quam commoda. Confirmat primo, quià finis omnis legis eſt vitare mala alioquin oritura, per quæ ordo naturæ turbaretur; ſed talis lex non vitat, ſed multiplicat mala: ergò ſibi ipſi repugnaret: ergò Deo adſcribenda non eſt. Minorem probat, quià imprimis ſi ad aliquod malum vitandum ordinaretur, maximè ad vitandam tranſgreſsionem materialem legis directè, quæ foret in ſequela opinionis minus, aut æquè probabilis; ſed hoc nullum eſt malum comparativè ad innumera peccata formalia, quæ ſequerentur ex tali lege ſequendi probabiliora, quià tranſgreſsio materialis raro contingeret, & illa nulli noceret: àt vero peccata formalia eſſent continua, nimiumque nocerent: ergò.

441 Confirmatur ſecundo, quià lex, vltra eſſe vtilem, debet eſſe obſervatu poſsibilis; ſed talis lex eſſet obſervatu impoſsibilis, & imponeret ſubditis iugum intolerabile: ergò non datur. Confirmat tertio quæſt. 19. num 18. quià leges noxiæ, & ſtultæ Deo tribuendæ non ſunt; ſed lex prohibens omne periculum probabile peccati materialis eſſet noxia, & ſtulta: ergò Deo tribuenda non eſt. Minorem probat, quià imprimis eſſet noxia, quià plura ſecum incommoda, quam commoda adduceret. Deindè eſſet ſtulta, quià fini à ſe intento repugnaret, intenderet enim impedimentum peccati formalis, & conijceret hominem in neceſsitatem labendi in plura peccata formalia.

442 Reſpondeo, negando primum antecedens, quià lex charitatis, vt ſupra demonſtratum eſt, obligat ad ſectanda probabiliora pro lege in dubijs, & tamèn evidens eſt dari talem legem. Item ipſum lumen naturale ſyndereſis proponens Deum, vt ſumme pro poſſe amandum, & eius legem vt ſuper omnia pro poſſe obſervandam, vtque primam, & vniverſalem regulam in omni opere pro poſſe tenendã, eſt lex naturalis per ſe obligans ad ſectanda tutiora, vel probabiliora; & tamèn evidens eſt tale lumen ſyndereſis in nobis dari, ſic Deum nobis, & eius legem in actu exercito proponens: datur igitur lex obligans ad ſectanda probabiliora, vel tutiora. Ad probationem, nego maiorem, ad cuius probationem nego minorem, ad eius probationem nego antecedens. Nàm imprimis negari non poteſt, legem charitatis obligare nos vt pro poſſe humano obſervemus omnes leges particulares Dei, & Eccleſiæ, & ſuperiorum noſtrorum: àt etiam eſt evidens dari neceſsitatem moralem in mundo committendi innumera peccata contra talem legem vniverſalem, illamque ſæpiſsimè violandi. Nunc igitur ſic Deum arguere poteris, probando talem legem eſſe ſtultam, quià illa plura ſecum affert incommoda, quam commoda, quià ſi ipſa non eſſet lata, plurima, imò omnia vitarentur peccata formalia, quandoquidem Deus ad nullam legem ſervandam obligaret; nunc autem ſi talis lex datur, obligans ad ſervandas omnes leges particulares innumera ſequuntur peccata formalia in mundo: ergò ſtulta eſt huiuſmodi lex vniverſalis, & contraria fini intento, quandoquidem Deus per illam nihil aliud intendit, quam vitare peccata formalia, & tam longe abeſt vt illa vitet, quin potius ſi talis lex non eſſet, nullius legis tranſgreſsio eſſet peccatum formale, nunc autem omnis legis tranſgreſsio voluntaria peccatum formale eſt, & cùm innumeræ ſint huiuſmodi tranſgreſsiones, innumera ſunt peccata formalia, quæ facile vitarentur ſuppreſa, & ablata illa lege vniverſali. En argumentum Terilli.

443 Quo ſimilitèr Deum ſtultitiæ arguere poſſes eo quod tantarum legum cumulum nobis impoſuit: ablatis enim omnibus legibus, poſſes dicere, nullum eſſet peccatum, nec materiale, nec formale; poſito autem cumulo legum, ſequitur cumulus innumerabilium peccatorum materialium, & formalium in mundo: ergò talis cumulus legum repugnat fini à Deo intento, nimirum vitationi peccatorum. Similitèr Eccleſiam poſſes arguere ſtultitiæ, quod tantas leges condiderit ad ſuos filios coercendos à peccato, cùm potius ex cumulo tantarum legum innumera ſequantur peccata, quæ non ſequerentur, ſi nullam huiuſmodi legẽ promulgaſſet. At denique, Deum arguere poſſes ſtultitiæ eo quod potius feciſſet homines legibus ſubditos, quã exleges. Si enim, inquies, feciſſet homines exleges in nullo peccarent: nunc autem, quià innumeris legibus vndique vallantur, innumerè peccant. Et vlterius procedere poſſet adverſus

Deum querela, eo quod nos fecerit rationales, & non potius beſtias, quià ità non peccaremus. Quis hæc non rideat? Sed quis etiam non videat argumentum Terilli, vel hæc omnia probare, vel nihil.

444 Reſpondeo ergò negando, quod illa lex vniverſalitèr obligans ad ſectanda tutiora, vel probabiliora, adducat per ſe morali neceſsitate incredibilem illam copiam peccatorum; licet enim detur talis moralis neceſsitas ſæpè peccandi contra illam legem vniverſaliſsimam, tamèn hanc neceſsitatem non affert illa lex, ſed oritur ex fragilitate naturæ corruptæ, quæ diù & in multis individuis, vix vitam ſinè multis peccatis agere poteſt, niſi ſpeciali gratia præveniatur: nec hæc neceſsitas alia eſt, quam illa, de qua dixit Chriſtus: *Neceſſe eſt ſcandala eſſe.* Huiuſmodi autem neceſsitas moralis ſæpè peccandi, & impoſsibilitas moralis vitandi omnia peccata collectivè ortum non habet ex divina lege, ſed poſita lege, ex corruptione noſtræ naturæ: vndè falſiſsimum eſt quod illa lex ſecum afferat incredibilem illam copiam peccatorum, ſicuti quod afferat plura incommoda, quam commoda: imò nullum affert hominibus incommodum, ſed multa bona, adeò, vt qui illam obſervaverit, poſsit dicere: *Venerunt mihi omnia bona pariter cùm illa & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Et, ſi totus mundus illam obſervaret, terra transferretur in Cœlum. Nàm verè talis lex charitatis eſt lex ſanctiſsima, & immaculata convertens animas, à cuius obſervatione vniverſum naturæ humanæ bonum dependet: adeò, vt qui plus illam obſervaverit, melius ſe habebit, àc iuſtior erit; qui minus, minus de perfectione, de iuſtitia, & virtute participabit. Perfectè autem, & adæquatè illam obſervare, Beatorum eſt, non Viatorum, niſi ſpecialiſsimo muniantur privilegio, vti virgo intemerata, & immaculata ſemper; licèt illam non violare deliberate in materia gravi per totam vitam aliquibus alijs ſit conceſſum, non ſinè ſpecialiſsima gratia, potiſsimè, ſi vita fuerit diuturna, vti traditur de noſtro Paulitano Parenti, quod per vitam nonaginta annorum gratiam baptiſmalem illibatam ſervaverit.

445 Ex quo ad confirmationem primam, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, negò imprimis maiorem: nàm lex illa in quantum prohibet hominibus, nè ſe exponant periculis probabilibus violandi leges directas, ordinatur ad vitanda peccata formalia. Nàm ſe exponere voluntariè prædictis periculis, eſt peccare formalitèr, ſeu formalitèr contemnere leges directas. Lex igitur obligans ad vitandum id, obligat, & ordinatur ad vitanda omnia peccata formalia, quæ ſolent homines committere, ſe exponendo voluntarie ſimilibus periculis, quæ iuxta Terillum ſunt innumera. Quod ſi dicas: talia peccata non vitat, ſed multiplicat. Dico, falſiſsimum eſſe, quod illa multiplicet. Nàm ſi per ſe illa prohibet, & ad ea vitanda obligat, quomodo illa multiplicat? Si autem illa de facto non vitat, non eſt defectu ipſius legis, ſed pluribus ex capitibus, quorum non leve forsàn eſt, quod homines per multitudinem ſuarum opinionum illam legem quotidie obſcurant magis, àc magis, reddantque ignotam, licentiamque oppoſitam hominibus indulgent ſectandi quælibet probabilia, licet cùm periculo probabili violandi leges directas: & quod peius eſt huius licentiæ Deum Authorem faciunt, aiuntque Deum in hoc ſibi complacere, quod nimirum quiſque eligat obiectum directè prohibitum, licet ſibi appareat probabilitèr prohibitum, vt contendit Terillus, dicentes, quod in hoc nulla eſt culpa, nulla malitia, nullum peccatum formale. Qualiter autem lex charitatis immaculata vitabit huiuſmodi pericula, vel peccata formalia, ſi homines tali legi bellum indixerint, ſaltèm quoad punctum obligandi ad vitanda talia pericula?

446 Deindè minor etiam plura continet falſa: nàm primò falſo ſupponit quod ex prædicta lege innumera ſequantur peccata formalia, cùm potius ſequantur ex eo quod talis obligatio non prædicatur hominibus. Deinde etiam falsò ſupponit, quod ſi detur hominibus licentia ſequendi minus probabilia, & minus tuta, raro contingat violatio materialis legum, cùm potius ex tali licentia perſe ſequatur ſæpiſsimè violandas materialitèr ſaltèm omnes leges directas, cùm ſint innumeræ opiniones contra illas. Falſo etiam dicitur, quod violatio materialis legis nulli nocet, & quod nullum eſt malum, cùm ſit inverſio ordinis à Deo præfixi. De quo ſtatim.

447 Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo maiorem: lex debet eſſe obſervatu poſsibilis per ſe attenta humana natura adiuvata divina gratia, concedo maiorem: etiam per accidens collectivè ab omnibus indivi-

duis,

duis; & in omnibus caſibus, nego maiorem: & diſtinguo minorem eodem modo. Quià de ratione, & perfectione legis non eſt quod ſemper, & in omni caſu ſit obſervatu poſsibilis, vt nulli poſsit per accidens in aliquo caſu fieri impoſsibilis eius obſervantia. Hoc enim ſervari non poteſt in lege vlla; rara enim eſt lex, cuius obſervatio non poſsit in aliquibus caſibus per accidens alicui ſubdito fieri impoſsibilis. Item, nec eſt neceſſarium, quod moraliter ſit poſsibilis eius obſervatio collectiva ab omnibus, & in omni caſu. Nàm leges vniverſales ſemper oppoſito modo ſe habent, ità nimirum, quod ſit moraliter impoſsibile eas collective ab omnibus, & in omnibus caſibus obſervari: ſolum ergò requiritur, quod per ſe, attenta natura ſubditi, & aſsiſtentia divinæ gratiæ, plerumque, & fere in omni caſu ſit poſsibilis eius obſervantia à quocumque ſubdito, licet cùm difficultate. Hoc autem pacto quis neget eſſe obſervatu poſsibilem legem obligantem ad ſectanda tutiora, vel probabiliora, ſi quis timeat magis violare divinam legem, quam amittere bona temporalia. Nàm da mihi quencumque caſum particularem, in quo homo ſit conſtitutus inter duas opiniones æquè probabiles, vna pro lege, & alia pro libertate, quarum prima, v. g. dicat, illum contractum eſſe vſurarium, & lege divina prohibitum, ſecunda dicat, eſſe licitum. Da mihi item, quod homo ſic conſtitutus timeat magis tranſgredi divinam legem prohibentem vſuras, quam amittere bona temporalia, erit nè impoſsibile huic homini in tali caſu abſtinere à tali contractu? Quis tale dicat? erit forsàn difficile, ſi regnet in illo nimia, & occulta cupiditas lucri; ſed nec hoc eſt eſſe impoſsibile, nec eſſe per ſe difficile, ſed ſolum eſſe difficile per accidens. Idem prorſus continget in quolibet alio caſu ſimili, ſi ſumatur diviſive, àc proindè evidens eſt, quod in omni caſu diviſive ſumpto poſsibilis eſt obſervatio illius obligationis ſectandi tutiora in dubijs probabilibus. Si autem recurras ad omnes caſus collective, & ad omnes ſubditos, quid mirum ſit moraliter impoſsibilis eius obſervatio integra, ſemper & ab omnibus collective? Hoc minimè probat illam legem eſſe ſtultam, aliàs lex obſervandi Decalogum eſſet ſimiliter ſtulta, quandoquidem illam omnes, & ſemper collective obſervare eſt moraliter impoſsibile.

448 Deindè: nàm hoc inconveniens planè vitatur, ſi illa lex, & obligatio intelligatur, vt à nobis exponitur; ità, vt obliget ad vitandam pro poſſe humano tranſgreſsionem legis directæ, ſeu ad vitanda pro poſſe humano pericula probabilia talis tranſgreſsionis. Huiuſmodi enim obligatio ex terminis repugnat quod ſit ad impoſsibile; quandoquidem ſolum obligat te, vt pro tua poſsibilitate facias quod potueris ad vitanda ea pericula: quomodo autem eſt tibi impoſsibile facere, quod potueris? Vbi Ianſeniſmus? Quis non huiuſmodi calumnias contemnat? Quis hoc dicat iugum intolerabile? Nàm vel potes, vel non potes? Si potes, non eſt tibi iugum intolerabile. Si non potes, non te obligat lex. Nàm Deus, vt inquit Tridentinum, impoſsibilia non præcipit, ſed iubendo, monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis.

449 Ad tertiam confirmationem, nego minorem, vtpote abſurdiſsimam. Ad cuius probationem iam reſponſum eſt. Et vt videas quanta commoda ſecum afferat lex charitatis obligans ad vitanda pericula probabilia peccati materialis, ſeu ad ſectanda tutiora, vel probabiliora, & è contrà quanta incommoda per ſe afferat licentia ſequendi quæcumque probabilia, licet minus tuta, & cùm periculo probabili peccati materialis, Nota primo, leges Dei directas, & Eccleſiæ per ſe primo & directè non tendere ad vitanda peccata, quià cùm potius ſine omni lege nullum eſſet peccatum, implicat, leges ex ſua primaria, & directa intentione tendere ad vitanda peccata; aliàs leges ipſæ directè, & per ſe primo intenderent vitare tranſgreſsiones proprias, & ſibi contrarias, quod ſanè abſque reflexione, & per tendentiam directam ipſarum legum, omnino chimericum eſt. Ad quid ergò per ſe primo ordinantur? Vt id explicem.

450 Noto ſecundò; vniverſam hominem communitatem conditam, & inſtitutam fuiſſe propter Deum vt vltimum finem: àc proindè optimum bonum huius vniverſaliſsimæ Reipublicæ, & communitatis conſiſtere in eo quod partes eius, id eſt, homines, rectè, àc debitè ordinentur, tùm inter ſe, tùm ad ſuum finem, ſcilicet ad Deum. Noto tertio: hunc ordinem ſub nullius peculiaris hominis providentia cadere; quià vtpote ordo vniverſaliſsimus, in quo partes diſtantiſsimæ ad invicèm debent ſe correſpondere, ſæcula præſentia, ſæculis futu-

rus, & præteritis, ità vt ex omnibus reſultet quædam vniverſalis pulchritudo, nullus eſt homo, qui tam vniverſaliſsimum ordinem diſponere queat. Quis enim ſciet qualitèr ſe gerere debeat vt ordinem faciat in mundo cùm Indis, cùm Perſis, cùm ſæculis retroactis, & futuris? Ideoque ſoli Deo notus eſt hic ordo vniverſaliſsimus, arsque mundum gubernandi, & debitè ordinandi, tùm ordinando partes intèr ſe, tùm ad ſe ipſum tanquam ad finem.

451 Noto quartò, quod vt homines Deus in hac arte penitùs ignorantes inſtrueret, eos ſuis legibus erudivit, & communivit, vel per ſe, vel per Prophetas, vel per Eccleſiam, vel per alios legiſlatores rectos, qui poteſtatem, & intellectum condendi leges civiles ab ipſo, tanquam eius miniſtri, acceperunt. Ex quo noto quintò, quod optimum bonum huius communitatis, & cuiuſvis partis, ideſt, totius collectionis hominum & cuiuslibet hominis, in eo conſiſtebat, quod homines ſcire, àc diſcere procurarent huiuſmodi leges pro ſuo poſſe humano, vnuſquiſque quantum attinet ad officium, quod hac in Repuplica obtinet; quod pro poſſe vitarent errores in perfecta talium legum intelligentia, & ſecundum tales leges re ipſa viverent; quod ſibi alias regulas vivendi non fabricarent, quod in dubijs eligerent quod divinæ legi magis conforme eſſet, & cùm minori periculo aberrandi à vero divinæ legis inſtituto. Nàm hoc pacto ordo ille pulcherrimus à Deo inſtitutus, hominum Rempublicam penè angelicam faceret, & cœleſtem. Quo ſuppoſito ſic arguo.

452 Sanè negari nequit illum ordinem, quem Deus ſuis legibus re ipſa conſtituit in Eccleſia, eſſe optimum ſummumque bonum Eccleſiæ. Econtrà talis ordinis perverſionem eſſe peſsimum, maximumque eius malum. Nunc interrogo: qui eligit obiectum re ipſa prohibitum lege Dei, qui tale opus exercet, non violat, & tranſgreditur terminos, & ordinem conſtitutum à tali lege? Quis hoc neget? Ergò maximè nocet Eccleſiæ, quandoquidem invertit, & corrumpit ordinem optimum eius. Et ſanè neſcio qualitèr huic malo poſsit mederi probabilitas? Quid enim ad rem, quod ſit probabile in tali opere non inverti ordinem à Deo ſtatutum, ſi re ipſa invertitur? Quid intereſt quod ſit probabile medicamentum eſſe ſalubre, ſi revera corrumpit ordinem, & proportionem humorum, & infirmum necat? Sanè probabilitas non facit quod ſit optimus ordo, quem ego probabilitèr, ſed falſo, exiſtimo licitum. Nunquid Deus mundum gubernandum probabilitati tradidit, vt ordo ille ſit optimus, quem probabilitas elegerit? Quis tale credat? Tenendum eſt ergò mundum rectè non gubernari, niſi per ipſas veras leges Dei, quibus ipſe ſolus potuit præſtituere ordinem Eccleſiæ ſuæ optimum. Sed hic ordo neceſſario invertitur, & corrumpitur, ſi homines falſo, licet probabilitèr, opinentur contra veras leges Dei, & iuxta illas operentur opiniones; inde enim videmus tòt lites, iurgia, bella, fraudes, vitia, otioſitates, inde pulchritudo veræ virtutis obſcuratur, vitiaque plura nomina ſibi virtutum vſurpant, inde corruptela morum, & vitæ Chriſtianæ pulchritudo deperdita. Nàm ſi pro poſſe omnes contenderent addiſcere ordinem illum à Deo verè inſtitutum, & pro poſſe illum ſervare, abſdubio Eccleſia nunc pulchritudine vitæ Chriſtianæ vigeret ſicut olim, & appareret mirus ille ordo hyerarchicus ab Spiritu Sancto in primæva Eccleſia inſtitutus, quo cunctorum infidelium animos ad ſe alliceret, & converteret. Ergò dicere quod tranſgreſsio materialis legis divinæ per ſequelam probabilitatum incurſa nulli nocet, quod parum, vel nullum malum eſt, eſt planè non attendere ordinem illum à Deo ſuis legibus inſtitutum.

453 Sed tecum liberalis eſſe volo, indulgeo tibi, & nimis indulgeo, quod quiſquis ſequitur opinionem in aliquo gradu probabilem, licet falſam, & legi Dei veræ adverſam, non peccet formalitèr, ſed tantùm materialitèr, ſeu quod excuſetur à culpa. Demus quod Rex pro bello ineundo habeat opinionem probabilem, ſed falſam; quod illam ſequatur, & prælium adverſus vicinum Principem Chriſtianum committat. Quid indè? Solum materialitèr peccat Rex. Solum materialitèr tranſgreditur legem divinam, & ordinem æquitatis ab ipſa præſcriptum. Dices nè quod hoc nullum malum eſt, nulli nocet? Homines ſe ipſos hoſtilitèr necant, civitates exuruntur flammis, pauperes oprimuntur gabellis, cereraque contingunt, quæ bella inſeparabilitèr comittantur; & tu dicis: peccatum materiale nullum malum eſt, nulli nocet, & maiora mala ſecuntur, ſi Deus prohibeat ſequelam opinionis minus, aut æquè probabilis pro libertate? nunc autem probabilitatis omnia excu-

cuſat, omnia honeſtat? At per viſcera Chriſti rogò: probabilitas reſuſcitat mortuos in bello, erigit civitates deſtructas, maritat viduatas mulieres, ſublevat pauperes gabellis oppreſſos? Ergò peccatum materiale, licèt honeſtetur probabilitate, licèt excuſetur per probabilitatem, nihilominus tamèn magnum malum eſt, multis nocet, caveri debet pro poſſe. At qui ille, qui ſe exponit periculo probabili illud committendi, non cavet illud pro poſſe: ergò illi eſt imputabile, non ſolum iàm vt peccatum materiale, ſed vt voluntarium, & formale: ergò Deus lege charitatis obligat te, & omnes vt pro poſſe vitent talia pericula, & lex iſta non eſt ſatua, & noxia.

454 Nec dicas, alia eſſe peccata materialia, quæ nulli nocent. Nàm hoc falſiſsimum eſt; nullum enim eſt peccatum materiale, quod non corrumpat ordinem divina lege ſtatutum nunc magis, nunc minus, nunc in ipſo operante, nunc in alijs; cùm autem ordo ille ſit optimus, multum nocet peccatum, quod corrumpit ordinem optimum. Præterquamquod ſicut in bello, poſſem exemplificare in litibus, in contractibus, in alijs materijs, in quibus ex ſequela cuiuſvis opinionis probabilis, licèt falſæ, innumera ſequentur mala in Republica Chriſtiana, quæ licet daremus, quod per probabilitatem excuſarentur à culpa, nihilominus mala illa per probabilitatem minimè vitantur. Sicuti ergò omnes Probabiliſtæ docent, teneri Medicum ad ſectandam opinionem tutiorem, & nullus admittit quod licite poſsit ſequi minus probabilem, & minus tutam, quià per probabilitatem minimè vitatur corruptio ordinis intèr humores debiti ſecuta ex medicamento nocivo re ipſa, licet probabiliter ſalubri; ità pariter fateri tenentur, quod in ceteris materijs, nulli ſit licitum ſectari minus probabilia, & minus tuta, quià per probabilitatem minimè vitatur perverſio ordinis optimi debiti vniverſo, ſi re ipſa talis opinio falſa fuerit.

§. VI.

Cetera ſolvuntur argumenta.

455 OBIJCIES octavo, & immediate contra præcedentia: nemo tenetur ad vitandum peccatum materiale, nec ad conformitatem realem in moribus cùm vera Dei lege: ergò ruunt dicta, quæ in hac obligatione fundantur. Antecedens probatur, quià nemo tenetur ad id quod non eſt neceſſarium ad ſalutem æternam aſſequendam; ſed ad ſalutem æternam aſſequendam non eſt neceſſarium vitare peccatum materiale, nec ſervare conformitatem realem in moribus cùm vera Dei lege: ergò. Minor hæc probatur, quià dummodo quis excuſetur à culpa, & vitet peccatum formale, etiam ſi incurrat peccatum materiale, & deficiat à reali conformitate in opere cùm lege Dei, non ob hoc amittet ſalutem æternam.

456 Reſpondeo imprimis per inſtantiam, nàm ſi hoc argumentum verum teneret, æquo iure probari poſſet neminem teneri ad vitandum adulterium, homicidium, furtum, &c. quià dummodo excuſetur à culpa, & vitet peccatum formale, quanvis ſcortetur cùm aliena, quanvis hominem occidat, & res alienas vſurpet, non ob hoc amittet ſalutem æternam, quæ niſi ob culpam & peccatum formale amitti nequit. Deinde reſponderi poteſt facile, diſtinguendo antecedens, nemo tenetur ad vitandum peccatum materiale, &c. ſemper, & cùm effectu tranſeat antecedens; quantum in ſe fuerit, & ex parte ſui conatus negò antecedens. Ad cuius probationem omiſſa maiori, diſtinguo minorem: ad ſalutem æternam aſſequendam non eſt neceſſarium vitare peccatum materiale ſemper, & cùm effectu, concedo minorem; quantum eſt ex parte conatus, nego minorem, & conſequentiam, in eodem ſenſu. Quià licèt non ſit neceſſarium ad ſalutem obtinendam ſemper cùm affectu vitare peccatum materiale, eſt tamèn neceſſarium id procurare pro poſſe humano, vnde ad id tenemur; quod ſi faciamus, vt in plurimum peccatum materiale vitabimus.

437 Sed contra replicabis; quando non eſt neceſſum ad ſalutem aliquid conſequi cùm effectu, nec eſt neceſſum illud procurare; ſed per nos non eſt neceſſum ad ſalutem conſequi cùm effectu vitationem peccati materialis, aut conformitatem realem in moribus cùm vera Dei lege: ergò nec erit neceſſarium ad ſalutem illam procurare. Maior probatur, quià omne procurare eſt propter conſequi: ergò vbi non eſt neceſſum conſequi non eſt neceſſum procurare. Sed inſto etiam, quià eodem pacto probari poſſet Medicum non teneri ad procurandam ſalutem infirmi, ſic diſcurrendo:

non eſt neceſſum procurare quod non eſt neceſſum conſequi; ſed, vt Medicus proprio muneri ſatisfaciat, non eſt opus quod conſequatur ſalutem infirmi: ergò nec eſt neceſſum quod illam procuret. Et ſimili diſcurſu probari poſſet de Patribus, & Paſtoribus quod non tenerentur procurare educationem, & emendationem filiorum, & ſubditorum, quià non tenentur illam conſequi. Quod quidem abſurdiſsimum foret.

458 Deinde reſpondeo, diſtinguendo maiorem: quando non eſt neceſſum ad ſalutem aliquid conſequi, non eſt neceſſum ad ſalutem illud procurare, ſi ſit neceſſum illud conſequi, ad alium finem, ad quem homo per ſe primò ordinatur, nego maiorem: ſi ad hoc non ſit neceſſarium, tranſeat maior; & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Salus enim hominis conſiſtit in bona, & recta ipſius habitudine ad ſuum finem obiectivum, & primarium; vndè ipſa non eſt finis obiectivus, & primarius, ſed conſequitur ex eo quod homo benè, & rectè ſe habeat ad ſuum finem, cui fuit deſtinatus à Deo: finis autem iſte eſt ſervire & placere Deo in veritate: cùm autē homo teneatur per ſe primo procurare ſuum finē, & per ſe ſecundò ea, quæ ſunt neceſſaria ad illum finē, & aliàs ad illum finem ſerviendi Deo in veritate opus ſit ſervare veram Dei legem, & vitare peccatum materiale re ipſa, & cùm affectu, inde eſt quod homo tenetur id procurare, non quià illud conſequi ſit neceſſarium ad propriam ſalutem, ſed quià eſt neceſſarium ad finem ſuum primarium, nimirum ad ſerviendum Deo in veritate, ad quod per ſe primò fuit creatus. Sicut in exemplo Medici, licèt ſanare infirmum cùm effectu non ſit neceſſarium ad hoc vt Medicus proprio muneri ſatisfaciat, eſt tamèn neceſſarium ad finem, ad quem Medicus per ſe primò ordinatur; nàm iſte finis non eſt tantum implere ſuum munus, ſed per prius eſt ſanitas corporalis hominis; & quià ad hunc finem nihil magis neceſſarium, quam ſanare infirmum cùm effectu, ideò Medicus tenetur hoc procurare, quāvis non ſit neceſſarium illud conſequi vt proprio muneri ſatisfaciat. Vndè nec Medicus proprio muneri ſatisfaceret, ſi ſolum hoc procuraret, non curando ſanitatem infirmi, nec homo ſuam impleret obligationem, vt Chriſtianus, & creatura rationalis eſt, ſi ſolum procuraret propriam ſalutem, aut implere propriam obligationē, non procurando, ſed contemnendo veram obſervationem divinæ legis; quià finis, per ordinem ad quem per ſe primò metitur obligatio hominis nec eſt propria ſalus, nec ipſa obligatio ſubiectiva hominis, ſed alius finis ſuperior, nimirum ſervire Deo in veritate.

459 Sed non quieſces: primò quià adhuc ad ſerviendum, & placendum Deo in veritate non eſt opus ſervare Dei legem, nec vitare peccatum materiale cùm effectu: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur, quià quanvis aliquis incurrat peccatum materiale, dummodo excuſetur à culpa non diſplicet Deo, nec deficit ſervitio Dei: ergò. Secundò, quià non tenemur procurare in omnibus ſervire Deo, & ei placere in veritate: ergò quanvis ad hunc finem ſit neceſſum vitare peccatum materiale, non ideò tenemur procurare vitationem illius. Antecedens probatur, quià ſi aliquo titulo ad id teneremur, maxime ex lege & motivo charitatis; ſed lex & motivum charitatis non obligant vt ſemper, & in omnibus procuremus ſervire Deo, & ei placere in veritate: ergò ad id nullo titulo tenemur. Minor probatur, quià lex & motivum charitatis non obligat ſemper, & in omnibus, aliàs teneremur ſemper operari ex motivo charitatis, aut ſemper eſſe in actu dilectionis Dei, quod nullus admittit: ergò.

460 Reſpondeo ad primum negando antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens: non diſplicet Deo, nec deficit ſervitio Dei in intentione, concedo antecedens; in electione, & in opere ſub diſtinguo: voluntariè, & culpabilitèr, concedo; involuntariè, & ſinè culpa, nego antecedens, & conſequentiam; quià cùm electio illius operis, & ipſum opus, quod eſt peccatum materiale, ſit re ipſa diſcors, & contrarium legi Dei, & eius voluntati, abſdubio diſplicet Deo, & eſt contra obſequium Dei, vt ſufficientèr probatum manet ſuprà à num. 113. licèt quandò excuſatur à culpa propter bonam intentionem, tunc talis diſplicentia Dei ſit in voluntaria operanti: ex parte autem intentionis tunc non diſplicet Deo, ſed potius ei placet. Ad ſecundum, vel nego, vel diſtinguo antecedens; non tenemur procurare in omnibus, & ſemper, actu formali, placere, & ſervire Deo, tranſeat antecedens, actu vel conatu virtuali nego antecedens. Ad cuius probationem conceſſa maiori, nego minorem in ſenſu explicato, ſcilicet quantum ad procurare per actum, & conatum virtualem. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens lex & motivum charitatis non obligant ſemper & in omnibus ad actum ſpecialem

cialem charitatis, concedo maiorem; ad generalem obſervantiam mandatorum, & obſequium Dei, nego antecedens. Ex quo non ſequitur quod ſemper teneamur operari ex motivo formali charitatis, nec ex actuali Dei dilectione, ſed ſolum quod teneamur procurare obſervantiam vniverſalem veræ Dei legis, ſivè ex motivo actuali, ſivè virtuali charitatis, ſivè ex alio motivo honeſto, motivum enim determinatum non cadit ſub lege: ſed tantum realis obſervantia legis. Sed de hoc alibi.

461 Ex quo infertur eum, qui ſolum procuraret in ſuis operibus excuſari à culpa, non autem vitare peccatum materiale ex parte operis, eo ipſo minimè excuſandum fore, quanvis ſic ſe defenderet: Ad aſſequendam ſalutem æternam ſufficit mihi excuſari à culpa, non autem requiritur vitare peccatum materiale; quià dummodo excuſer à culpa, proptèr peccatũ materiale pręcisè eam non amittã: ſed ſufficit mihi procurare præcisè id quod requiritur ad aſſequendam ſalutem æternam: ergò ſufficit mihi procurare excuſari à culpa, quidquid ſit de peccato, vel non peccato materiali. Non, inquam, excuſandus foret, primò quià manifeſtè quæreret excuſationes in peccatis; qui autem quærit excuſationes in peccatis, non curans de cavendis ipſis peccatis, eo ipſo non excuſatur à peccato. Secundò, quià non excuſatur, niſi ille, qui conatur pro ſuo poſſe implere veram Dei legem; ſi enim contingat ob ignorantiam invincibilem, vel impotentiam fruſtrari eius conatum tunc ſanè excuſatur à culpa: ſed qui tantum quærit excuſari, non autem vitare peccatum materiale, eo ipſo non conatur pro ſuo poſſe obſervare veram Dei legem: ergò non excuſatur.

462 Obijcies nono: argumento illo importuno deſumpto ex opinionibus circa Immaculatam Conceptionem B. M. V. Nã Dominicanis non eſt probabilior opinio pia propugnans Conceptionem immunem à peccato: & tamèn licitè illam ſequuntur in praxi, exhibendo Cultum Conceptioni iuxta ritum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ: ergò licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore.

463 Hoc argumentum magni faciunt Terillus, Caram. & Moya contra Dominicos; quod tamẽ nullius eſt momenti. Vnde ad illud reſpondeo, imprimis negando maiorem, nàm ſi demente PP Dominicanorum circa Conceptionem B. V. poſt Decretum Alexandri VII. iudicare licear, piè præſumendum eſt ipſis iàm eſſe longe probabiliorem opinionem piam: nec contrarium vllo modo probari poteſt à Probabiliſtis. Vel ſecundò reſpondeo negando minorem; nàm Dominicani exhibendo cultum Conceptioni Marianæ non ſequuntur in praxi opinionem piam, nec per illam regulantur formaliter, ſed per aliam certiſimam, & infallibilem aſſerentem licitum eſſe cultum Conceptionis Marianę, quæ quidem extra controverſiam eſt. Tũ quià opinio pia de Immaculata Conceptione non eſt moralis, nec practica per ſe, àc per conſequens nec regula formalis ad honeſtè exhibendum cultum prædictum, quià non eſt opinio de licito, & honeſto, ſed eſt purè ſpeculativa circa immunitatem, vel non immunitatem realem conceptionis. Tùm quià cùm ſit certiſsimum, & extra controverſiam cultum conceptionis eſſe licitum; ècontrà verò Immaculata Conceptio B. V. iuxta argumentum ſolum ſit probabilis, & controverſa intèr opiniones vtrinque probabiles, ſecurius eſt in illo cultu exhibẽdo abſtrahere ab opinionibus, & tantummodo regulari per dictamen infallibile totius Eccleſiæ, de honeſto & licito cultu Conceptionis Marianæ; & ſic forsàn contingere poteſt illis, qui de neutra opinione circa conceptionem certitudinem habent.

464 Sed dices non poteſt honeſtè coli Conceptio Mariana, niſi credatur immunis à peccato: ergò ad exhibendum prædictum cultum opus eſt regulari per opinionem de immunitate eius à peccato. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, ſi maneat æquè, vel magis probabile Conceptionem non fuiſſe immunem à peccato, vt ſupponit arguens, nego antecedens; ſi illud non maneat probabile, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens in eodem ſenſu. Nàm, ſi opus eſſet credere Conceptionem Immaculatam ad exhibendum cultum præſcriptum ab Eccleſia, ſicuti nemo poteſt licitè non exhibere talem cultũ, ità nemo poterit licitè non credere, minuſque negare Conceptionem Immaculatam; non ergò manebit probabile Conceptionẽ fuiſſe peccato infectam; non enim eſt probabile quod à nullo Catholico prudentèr, aut licitè credi poteſt. Vnde vel dicendum eſt non manere iàm probabilem opinionẽ contrariam opinioni pię vel, ſi hoc dicatur, dicendũ eſt non eſſe neceſſarium aſſentiri opinioni piæ, & per illã regulari ad exhibẽdum prędictum cultum. Et cùm hac diſtinctione ſub conditione ſemper eſt reſpondendũ adverſarijs, recuſando ſemper examen opinionis piç, eiuſve probabilitatis, ſi-

cut & oppoſitæ;hoc enim valde periculoſum eſt; &, ſi contrarij contendant de hoc diſputare, ſtatim negandũ eſt ſuppoſitum, & reſcindenda diſputatio, nec audiendus qui ad hoc provocare conetur,quià vtpote periculoſum,vel non decèt, vel non licèt, proptèr decretum Alex. VII. diferere de huiuſmodi probabilitate. Vide ſuprà dicta quæſt.26.num.138.

QVÆSTIO. XXIX.

An opinio reflexa pro libertate ſit probabilior noſtra pro lege ſaltèm authenticè?

1 PRO Cuius reſolutione præmittendum duxi, primò quod motivum huius quæſtionis excitandæ eſt quià contrarij contra omnes leges rectæ diſputationis à principio huius controverſiæ ſupponere volunt ſuam reflexam eſſe magis probabilem noſtra contradicente; & ex maiori probabilitate ſuæ reflexæ omnia probant, omnia ſolvunt; licet autem hic ſit illegitimus modus procedendi, & examinandi veritatem, vt ſuprà evidenter oſtenſum manet,tamèn examinare non detrectamus quænam reflexa probabilior ſit,ſua,àn noſtra?

2 Secundò præmitendum eſt,contrarios ineptè,& contra leges etiam rectæ diſputationis appellare ſuam reflexam *Benignam ſententiam*; cùm enim, ſi falſa ſit, benigna eſſe non poſsit, ſed potius pernicioſa, & nociva, vt ipſi fatentur, ſicut eſſet contra leges rectæ diſputationis ipſam in limine nuncupare *ſententiam veram*, & hoc illi ſignum in fronte apponere,ità eſt contra prædictas leges illam à principio compellare *ſententiam benignam*, & noſtram *rigidam*. Motivum autem contrariorum, ni fallor, illud eſt quod cùm *benignitas* pium affectum ſibi conciliet, & animum quemque benè diſpoſitum ad ſe trahat, ei in fronte nomen *benignæ* impoſuerunt, vt ſaltèm ipſa benignitatis compellatione ad ipſius ſequelam aliciant.Itẽque quià cùm in dubijs benigniori ſententię ſtandum ſit,propterea ſuam benignam, noſtram rigidã compellare decreverunt, vt ſaltèm dubitantibus pro illa ſtare, noſtramque deſerere ipſa nominis compellatione ſuadeant.

3 Veruntamen, ſi ſuis convenire debent nomina rebus, potiori titulo noſtra, quam contraria ſententia benigna eſſet appellanda, & vt de contraria loquar, qualitèr benigna eſſe poteſt, quæ omnes leges controverſas intèr AA. in puncto controverſiæ ad nullum ſui reſpectum obligare contendit, *tribuant enim ſibi legiſlatores*, inquit, *ſi ſua imperia aliquando violari viderint, quod ſuam voluntatem non declararunt ſufficientèr*? Quododo benigna ſententia eſſe poteſt, quam ſi omnes ſequerentur, lites, bella, ſeditioneſque ſinè numero eſſent, aliaque innumera mala ſequerentur?Et,vt ſuprà dicebamus,quomodo benigna eſt ſententia, quæ licentiam exhibet vniverſalem exponendi ſe periculo probabili peccati obiectivi, & materialis,ſeu violandi in opere divinam legem, & in hoc ait nullum eſſe periculum peccati formalis, Deumque minimè in hoc ofendi, ſed potius ſibi complacere in eo quod quis eligat obiectum directè, & per ſe prohibitum,quod ipſi operanti probabiliter apparet prohibitum? Quomodo eſt benigna ſententia, quæ illativè ſaltèm à Deo aufert primatum regulæ morum, & probabilitati adſcribit, quod vni veritati debetur? quæ intra latiſsimam ditionem probabilitatis arguitivè ſaltèm facit divinam legem regulam lesbiam ad quod quiſque vult acommodabilem.

4 Benignitas igitur opinionis non eſt oſtendenda ex bono privato temporali cuiuſvis illam ſequentis, ex eo quod ſit in commodum privatum illius, alias benigniſsiſima eſſet ſententia,quæ doceret licitum eſſe cuilibet furari, vſuras exigere, & alia huiuſmodi;ſed potiſsimè attenda eſt ex bono ſpirituali in ordine ad Deum, ex eo quod pia ſit erga Deum, & legiſlatores, illoſque debite veneretur, & quod bono communi probideat. At nihil horum habet reflexa contrariorum, cùm potius ex illa ſequantur plura inconvenientia, quæ cedunt in maximum detrimentum boni ſpiritualis,dum hominibus ſuadet eis licere contentos eſſe cùm honeſtate probabili, nihil obeſſe ſi deficiat veritas,neminẽ teneri ad vitandum periculum probabile erroris in iudicio de moribus, nec peccatum materiale in opere ipſo & alia huiuſmodi. Cedit etiam in detrimentum pietatis erga legiſlatores, dũ ait *tribuant ſibi legiſlatores, &c.* in detrimentumque maximum boni communis, vt ſuprà oſtenſum manet; ergò illa nullo iure poteſt vocari benigna; ſed potius hoc nomen noſtræ convenit, quæ propriè præcedentibus malis medellam afferre curat.

5 Et quidem, quid benignius quam non amplius exigere ab hominibus, niſi quod tantam curam impendant in ſervanda vera lege Dei, quantam vel avarus impendit in ſervandis pecuniis? audi Apoſtolum 6. ad Rom. aientem *Humanum dico*

prop-

propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem. Humanum, ideſt, interpretatur Ang. Præceptor, *congruum imbecilitati humanæ. Ostendere volens*, exponit Chriſoſtomus, *nullum se postulare onus, quod humeris nostris impar sit, sed admodum moderatum, & leve. Quamquam magno inter se domini ipsi intervallo disident, tamen parem, inquit, servitutis modum flagito. Oportebat quidem multo amplius adferre, àc tanto etiam amplius, quanto ipsa etiam servitus dominatui illo, tum maior, tum melior est; sed tamen nihil ego amplius deposco propter infirmitatem.* Quid ergò humanius, quid benignius, quam præciſſe exigere illum conatum ad ſerviendum iuſtitiæ, quem vel improbi impendunt in ſerviendo iniuſtitiæ, illam curam, & ſolicitudinem in lege Dei ſervanda, quam vel impij impendunt in ſuis cupiditatibus implendis. Quis autem avarus non eligit media probabiliora ad ſervandas pecunias, omiſsis minus probabilibus? Quis ambitioſus non ſimiliter eligit media quibus magis tuto, & magis probabiliter exiſtimat dignitates adipiſci? Ergò ſententia obligans, & exigens præciſè hoc ipſum à Chriſti ſervis, vt ſcilicet eligant ſemper media tutiora, vel probabiliora, quibus ſit probabilius legem impleri, quam violari, non rigida, vt arbitrantur contrarij, ſed humaniſsima, benigniſsima, imbecilitati humanæ congruentiſsima eſt. Nullum imponit *onus quod humeris nostris impar sit, sed admodum moderatum, & leve*; quandoquidem, etſi magno intervallo diſideant, Deus, & homo, lex ſeu voluntas Dei, & humana cupiditas, nullam tamen maiorem ſolicitudinem poſtulat noſtra ſententia pro Deo ſerviendo, eiuſque voluntate, & lege implenda, quam quæ regularis eſt in avaro, ambitioſoque pro ſua cupiditate ſatisfacienda. Minus autem exigere non audemus, quià nobis potius videretur impietas erga Deum, quam benignitas erga homines.

6 Iàm ergò, vt non de nominibus concertemus, ſed de authoritate, & ratione, contrariam ſententiam appellabimus reflexam pro libertate, noſtram verò reflexam pro lege. In quo nulli parti præiudicatur, ſed cuique parti ſalvum & incolume ius manet ſub proprio nomine ſuam defendere, & oppoſitam impugnare, nàm periculum iudicamus in iudicio de moribus vtrinque eſſe, ſivè errare pro lege, ſivè errare pro libertate. Denique noto in hac concertatione neutri parti ſupponendum eſſe ſuam reflexam eſſe probabiliorem, tum quià contrarij id hucuſque non probarunt, vt ex dictis conſtat; tum quià id ipſum diſputatur, quænam ſcilicet ex his duabus ſit probabilior; àc proinde contra legem rectæ diſputationis erit id ipſum ſupponere, per id velle probare, aut reſpondere. His autem præmiſsis, duo reſtant examinanda, quænam ſcilicet ſit probabilior intrinſecè, & à ratione, & quænam ſit probabilior extrinſecè, authenticè, ſeu ab authoritate. A primò dubio facile me expediam, quià ex dictis deciſſum manet. Igitur.

7 Dico primò: *Atenta ratione, noſtram reflexam pro lege ad minus esse longe probabiliorem oppoſita reflexa pro libertate.* Patet, nàm probabilitas intrinſeca ſeu à ratione exercitè cognoſcitur in diſputatione, & examine veritatis, dum rationibus militat vtraque pars; illa enim pars, quæ aliam ſuperat & vincit probando, & ſolvendo, re ipſa eſt probabilior: quod ſi rationes pro ipſa inſolubiles maneant, ſolvatque facile rationes contrarias, illa ſaltem probabilior, eſſe convincitur; nàm inde infertur oppoſitam ſententiam in ſui comparatione nullo gravi fulciri fundamento; non enim eſt grave fundamentum quod facile ſolvitur, & quod nullo pacto ſolvit rationes adverſas. Sed quæſtio præcedens fuit diſputatio, & examen veritatis, in qua noſtra reflexa, vt conſideranti ſine ſpeciali affectu ad alterutram partem conſtabit, infinitis partibus ſuperat, àc vincit oppoſitam, adeò, vt fundamenta noſtræ ſententiæ nulla via ſolvi poſsint, illaque ſint graviſsima, nullo vitio laborant, non petunt principium, non committunt circulum, conſideranda recte conſiderant, nimirum, vtramque probabilitatem directam librando fideliter, contrariorum evaſiones fideliter expenſas enervant, & contra illas maiores vires ſumunt, nulla æquivocatione, ſed perfectiſsima diſtinctione directæ, & reflexæ probabilitatis, & inter ipſas reflexas debite diſtinguendo procedunt; nulla nova vtimur dialectica, ſed ex antiqua, ex legitimis eius principijs diſcurrimus: leges diſputandi in omnibus, & per omnia ſervamus, & hoc pacto oppoſita facile ſolvit. Econtrà verò oppoſita ſententia ſucumbit, àc vincitur, & hoc poſtquam illegitimè pugnat; nàm conſideranda non conſiderat, dum ſolum attendit ad probabilitatem pro licito, & fere nunquam conſiderat maiorem, vel æqualem pro illicito, nec librat fideliter vtramque, ſed vnam tantum penſat, probanda ſupponit, circulo manifeſto plerumque, & in multis laborat, leges diſputationis invertit, dum ex probabilitate veritatem examinare

nare contendit, inter reflexas non distinguit primam, & secundam reflexam, sed omnes confundit, nova dialectica nititur hucusque inaudita, contradictorias in materia morali practica vel negat, vel simul esse veras practicè contendit, probabile confundit cùm vero, milleque alios incurrit defectus, quorum examen, & iudicium legenti relinquimus, dummodo non affectu voluntatis inclinet stateram intellectus, sed fideliter omnia ponderet: ergò nostra reflexa, vel longe probabilior, vel vnice probabilis est à ratione, si cùm opposita fideliter libretur.

8 Mitto quod sententia contraria quandam legem introducit in Theologia hucusque inauditam, nimirum legem reflexam, qua Deus directè præcepta, reflexè prohibet, directè prohibita, reflexè permittit, aut præcipit, directè permissa, reflexè prohibere solet; hanc autem legem sine vlla authoritate antiquorum scholis invehere, & in illa fundare probabilismum, quis non videat, quod probabilismum declarat à fundamentis novum? Mitto etiam quod voluntatem in actibus directis regulandam censet per dictamina reflexa, quod contendit vltimum conscientiæ dictamen semper esse rectum, & practicè verum; quod proinde negat conscientiam propriè dictam invincibiliter erroneam, quinimò, & vincibiliter errantem, similiter videtur negare conscientiam dubiam, cùm asserat vltimum dictamen practicum, quod solum propriè est conscientia, semper esse verum, determinatum, & rectum. Omnia hæc, & plura alia novissima sunt, ab omnique Theologia antiqua discordant, & à quatuor solum modernis introducta; quomodo autem hæc, & alia similia possunt facere sententiam oppositam solidè probabilem?

9 Ex quibus iàm inferes, quo iure Terillus ante finitam præcedentem disputationem, in principio, in medio, & ante finem sæpissimè inculcet, & supponat, redatque pro ratione, quod licet directa prolicito sit directè minus probabilis, tamen reflexa ex argumentis reflexis ad minimum est probabilior opposita; idque ait: *Evidenter constat ex argumentis allatis, & in posterum afferendis.* Id quidem, si rationabiliter dici posset, in fine quæstionis, aut disputationis dicere oportebat; at quomodo ex illo principio probaret suam sententiam, si illud sileret vsque ad finem disputationis? Veruntamen, nec in fine disputationis id dicere posset, quià si illud nõ supposuisset in principio, & in medio, nihil habuisset, vnde probasset suam sententiã, vt legenti constabit: si autem non probasset, quomodo tunc diceret: *Evidenter constare suam reflexam, vt minimum esse probabiliorem nostra?* An autem nos id de nostra reflexa, attenta ratione, dicere possimus, iudices incorrupti sententiam proferant.

SECVNDA ET PRINCIPALIS CONCLVSIO.

10 DICO Secundo. *Nostram reflexam pro lege esse authentice, seu ab authoritate longe probabiliorem opposita reflexa pro libertate.* Pro cuius probatione notandum est, authoritatem, vel esse Sacræ Scripturæ, vel Sacrorum Canonum, vel SS. PP. vel antiquorum Theologorum; ab his omnibus censemus nostram reflexam, vel esse vnice probabilem, vel ad minus longè probabiliorem opposita. Vt autem clarius procedamus, præsentem etiam quæstionem in articulos secabimus: in vnoquoque specialem authoritatem examinantes, ac postremo quid sentiendum sit de Theologis modernis dicemus. Sit igitur.

ART. I.

An nostra reflexa pro lege sit probabilior ab Authoritate Scripturæ?

11 ANTEQVAM Nostri Probabilistis resisterent, ipsi pro se nullas Sacræ Scripturæ, nec SS. PP. authoritates afferebant; solum brevibus, & parum examinatis rationibus probabilismum fuit introductum; at nostri, vt resisterent, in primis ab authoritate Sacræ Scripturæ, & SS. PP. sumpserunt exordium, quo provocati adversarij, suæ opinioni plura loca Sacræ Scripturæ, & SS. PP. accomodare conati sunt: ea pro vtraque parte referam, quæ maioris momenti visa fuerint. Sit ergò

§. I.

Nostra sententia authoritate Scripturæ probatur.

12 DICO Igitur: *Quod, attenta authoritate Scripturæ, nostra reflexa, vel vnice probabilis, vel longe probabilior est opposita.* Probatur primò ex illa lege charitatis tam sæpè nobis intimata in Scripturis Sacris. Qua iubemur *Deum amare super omnia ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris.* Sed huiusmodi lex per se obligat ad non sequendam partem minus,

nus, aut æquè probabilem pro libertate relicta probabiliore pro lege; ſicuti, & ad vitandum periculum probabile peccati materialis, vt monſtratũ manet quęſtione præcedenti ar. 2. Ex Sacra igitur Scriptura conſtat non eſſe licitum ſequi partem minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori, vel æquè probabili pro lege.

13 Secundò, & clarius; nàm Deuteronomij 26. poſtquam Deus promulgaverat leges & præcepta particularia ſuo populo, tandem concludit hac lege vniverſali, quæ, vel eſt eadem cùm lege charitatis, vel immediate conſequens ad illam: *Hodie Dominus Deus præcipit tibi, vt facias mandata hæc, atque iudicia, & cuſtodias, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Sed qui ſequitur opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate relicta probabiliori pro lege, non cuſtodit, nec implet legem ex toto corde, & ex tota anima, cùm voluntarie ſe exponat periculo probabili, & proximè emminenti tranſgrediendi ordinem ſtatutum per legem, ſeu faciendi opus lege divina prohibitum: ergò in Sacro Textu ex vi dictæ legis vniverſalis prohibetur nobis ſequi opinionem minus probabilem pro libertate relicta probabiliori pro lege. Confirmatur hoc ipſum ex illo Pſalmi 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, id eſt. *Valde*; atqui, non cuſtodit valde mandata Dei, qui ſequitur minus probabilem pro libertate relicta probabiliori pro lege, cùm ſe exponat periculo probabili tranſgrediendi mandatum Dei propter ſuam libertatem: ergò idem quod prius.

14 Communis ſolutio contrariorum eſt quod his legibus vniverſalibus ſolum præcipitur nobis ſervare, & cuſtodire mandata Dei certa, ſcilicet Decalogum, non tamen incerta, & pure probabilia.

Sed contra eſt primò; quià inde ſequeretur per prædictas leges non prohiberi nobis operari cùm conſcientia dubia, nàm tunc non eſt certum mandatum Dei. Et vniverſalitèr ſequeretur quod omne non certò prohibitum eſſet certò licitum; quo nihil laxius, & abſurdius excogitari poteſt.

Secundò, quià illæ leges re ipſa nobis iubent ſervare pro poſſe noſtro vera Dei mandata, vt ex ipſo textu aparet; ſed qui ſolum ſervat mandata ſibi certa, non autem ea quæ ſibi apparent æquè, vel magis probabilitèr vera, quam falſa, non ſervat pro ſuo poſſe mandata Dei vera, quandoquidem ſe exponit periculo valde probabili operandi contra mandatum Dei verum: ergò.

15 Tertiò: quià non ſervat ex toto corde, & ex tota anima mandata Dei certa, qui facit opus, de quo æquè, vel magis probabile eſt eſſe contrarium legi Dei certæ, ſcilicet Decalogo, quam ei eſſe conforme; ſed iuxta ſolutionem leges illæ vniverſales expreſſæ in Sacro Textu obligant ad ſervanda ex toto corde mandata Dei certa, ſcilicet Decalogum: ergò obligant ad vitandum opus, de quo æquè, vel magis probabile eſt eſſe contra Decalogum, quam iuxta illud. Maior patet, tum ex terminis. Tum exemplo manifeſto, quià non ſervat, nec cuſtodit ex toto corde, nec ex tota anima propriam ſalutem, ſed illam contemnit, qui facit opus, vel ſumit potum, de quo æquè, vel magis probabile eſt eſſe ſuæ ſaluti contrarium, quàm conforme: ergò ſimilitèr non ſervat ex toto corde, & ex tota anima mandata Dei certa, ſcilicet Decalogum, ſed potius ea contemnit, qui elicit opus, de quo ſibi magis, vel æquè probabile eſt eſſe contra Decalogum, quam illi conforme.

16 Explicatur: quià omnis, vel fere omnis contrarietas opinionum ſupponit legem certam, & ſolum concertatio eſt àn hoc opus ſit illi legi contrarium, vel non. Admitto ergò quod, dum præcipit Deus mandata ſua cuſtodiri valde, ideſt, ex toto corde, & ex tota anima, locutus fuerit de mandatis certis tantummodo, v.g. de Decalogo. Sed ecce ortæ ſunt innumeræ opiniones circa plura opera, àn ſint, vel non ſint contra illa decem præcepta Dei certiſsima. Ponamus ergò aliquem inter duas opiniones, quarum vna dicit probabilitèr opus aliquod non eſſe contra Decalogum, alia dicit æquè, vel magis probabilitèr eſſe cõtra aliquod ex illis decem mandatis; iàm igitur magis probabile eſt, illud opus eſſe contra mandata Dei certiſsima, quam iuxta illa. Sed qui facit opus, de quo eſt magis probabile eſſe contra mandata Dei certiſsima, quàm iuxa illa, non ſervat ex toto corde mandata Dei certiſsima, ſed potius ea contemnit, quandoquidem ſe exponit periculo valde probabili præiudicandi illis; ergò

Secundò probatur aſſumptum, ex illo Eccleſiaſtici 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Quem textũ exponens Ianſenius Gandavenſis, ait *vocari conſilium ſtabile, quod firmis nititur rationibus, non enim omne verbum ſequendum eſt, ſed quod veritate fulcitur, & firmis rationibus*: at opinio minus, aut æquè tantum probabilis in concurſu probabilioris, nec eſt verbum verax cùm ſit magis probabilitèr falſa, quam ve-

ra,

ra, neque conſilium ſtabile, cùm ratio quà nititur ſit infirmior ratione ipſam impugnante: ergò in prædicto textu prohibetur ſequi opinionem minus probabilem pro libertate.

17 Reſpondet Terillus, quod ante omnem actum debet præcedere verbum verax, & conſilium ſtabile circa honeſtatem formalem operationis, quod recte compatitur cùm aliquo dubio de honeſtate obiectiva ſecundum ſe. Sed contra quià ad hoc exigitur, quod præcedat verbum verax, & conſilium ſtabile ante omnem actum, vt actus evadat honeſtus formaliter, & vt illud conſilium ſtabile ſit regula honeſtatis formalis; ſed conſilium quod requiritur, vt regula, ad hoc vt actus evadat honeſtus formaliter, debet eſſe conſilium de honeſtate obiectiva, quià ab honeſtate obiectiva ſumitur honeſtas formalis: non autem debet eſſe conſilium de honeſtate formali actus interioris; tum quià in ſimplicibus fere nunquam præcedit conſilium de honeſtate formali actus interioris; hoc enim eſt conſilium reflexum, quod illis plerumque deeſt: tum quià conſilium de honeſtate formali non eſt regula honeſtatis formalis, vt infra oſtendemus: àc denique quià conſilium ſemper eſt de agibili, aut eligibili; actus autem interior, qui eſt ipſa electio, non eſt agibilis, aut eligibilis propriè; vnde de illa non eſt propriè conſilium: ergò conſilium ſtabile quod debet præcedere omnem actum debet eſſe conſilium ſtabile, & firmum de honeſtate obiectiva obiecti eligibilis, vel agibilis.

18 Dices, hoc conſilium habere etiam illum, qui ſequitur opinionem minus probabilem de honeſtate obiectiva, quià ſequitur conſilium Doctorum, & Sapientium. Sed contra: quià quandò Doctores, & Sapientes ſe invicem contradicunt, circa illud, in quo ſe contradicunt, ab illis non poſſum accipere conſilium ſtabile, & firmum, potiſsimè ſi æquali authoritate, & probabilitate ſe contradicant; ſicuti neque à teſtibus ſe contradicentibus poteſt ſumi teſtimonium ſtabile, & firmum, & multo minus à Sapientibus minoris probabilitatis accipere poſſum conſilium ſtabile, & firmum dum tali conſilio cæteri Sapientes cùm maiori probabilitate contradicunt. Vbi enim firmitas conſilij, quod maiori authoritatis, & rationis vi quatitur, quam firmatur? Ergò qui ſequitur opinionem minus probabilem non ſequitur conſilium firmum, & ſtabile.

19 Tertiò probatur aſſumptum ex Epiſtola prima ad Theſalonicenſes cap. 5. vbi Apoſtolus ait: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Subdit Chriſoſtomus: *Non ab hac, aut illa, ſed ab omni, omnia probate tum falſa, tum vera, vt cum certa probatione diſcernatis, & ab illis abſtineatis, iſtis adhæreatis.* Sed qui ſequitur opinionem minus probabilem pro libertate præciſſe quià probabilis eſt relicta probabiliore pro lege, aperte violat regulam illam Apoſtoli, tum quià ſine examine veritatis, antequam certa probatione diſcernat quænam ſit vera quænam falſa, credit minus veriſimili, illam ſequitur relicta veroſimiliori. Tum quià non abſtinet ab omni mali ſpecie, cùm accipiat illam opinionem quæ maiorem ſpeciem falſitatis habet quàm veritatis, maiorem ſpeciem, ſeu apparientiam malitiæ in obiecto quàm honeſtatis: ergò eſt contra regulam Apoſtoli ſequi, aut credere coique opinioni probabili præciſſe quià probabilis eſt, ſivè ſit minus, ſivè ſit magis probabilis ſua contradicente.

20 Reſpondet Terillus primò quod illud: *Ab omni ſpecie mala abſtinete*, intelligitur de omni ſpecie mala quantum ad puritatem fidei ſpectat, non quantum ad mores. Sed hoc eſt contra Chriſoſtomum expreſsè, qui ait: *Non ab hac vel ab illa, ſed ab omni.* Secundò reſpondet, ſe non aſſerere quod in dubio àn opus ſit licitum, vel illicitũ liceat operari; ſed quod prius dubia probanda ſunt; tunc autem iàm probabilitèr, & prudenter decidetur dubium, & ante talem probationem, & deciſionem non convenit operari. Sed contra, quià dubia, vt exponit Chriſoſtomus, certa probatione diſcutienda ſunt, & probanda; ſed durante minori probabilitate, nulla eſt certa probatio pro opinione minus probabili, ſed ad ſummum probatio incerta, vtpote magis probabilitèr falſa, quàm vera: ergò durante minori probabilitate, non convenit operari, id quod eſt minus probabilitèr licitum. Rurſus: quià falſum eſt, quod quandò pars pro libertate eſt minus probabilis ante affectum voluntatis, probabilitèr, & prudẽter pro illa deciditur dubium; imò hoc expreſsè eſt contra regulã Apoſtoli proût exponitur à Chriſoſtomo; nã per illam iubemur certa probatione diſcutere quænam ſint falſa, quænam vera, adhærere veris, abſtinere à falſis; ſed hanc regulam expreſsè violat, qui decidit dubium pro parte minus probabili; ſiquidem ſine certa probatione adhæret parti, quæ ante affectum voluntatis magis apparet falſa quàm vera: ergò.

21 Tertiò dicit, quod illud dictum Apoſtoli non eſt præceptum, ſed conſilium. Sed contra; quià tria illic Apoſtolus dicit, ſcilicet: *Spiritum non extingua-*

tis,

tis, prophetias ne contemnatis, omnia probate, &c. Sed primum & ſecundum eſt præceptum, & non conſilium, quià non ſolum de conſilio, ſed de præcepto prohibetur ſpiritum extinguere, & prophetias contemnere: ergò pariter tertium debet intelligi de præcepto, & non ſolum de conſilio; mirum enim eſſet, ſi tria monens Apoſtolus, præciſſe quià tertium contradicit Probabiliſtis, intelligeretur tantum de conſilio, duo vero, quiâ non contradicunt, intelligerentur etiam de præcepto.

Secundò: quià vt bene novit Terillus, ibi Apoſtolus docet regulam dignoſcendi veras, & falſas prophetias, quæ non ſine Eccleſiæ damno permiſcebantur; ſed regula dignoſcendi veras, & falſas prophetias in Eccleſia non eſt de conſilio tantum, ſed de præcepto, quià ſicut tenemur de præcepto credere veras prophetias, ita prohibemur credere falſis: ergò Apoſtolus loquitur de præcepto, & non de conſilio in illis verbis. Vrgetur; quià ſic ſe habent nunc in Eccleſia opiniones veræ, & falſæ, ſicut tunc prophetiæ veræ, & falſæ; ſicut enim tunc tenebantur fideles non contemnere veras, & reſpuere falſas prophetias, ita nunc in materia morum, & fidei tenemur non contemnere veras opiniones, & reſpuere falſas: ergò ſicut tunc tenebantur fideles examinare prophetias, & certa probatione diſcernere quænam eſſent veræ, & quænam falſæ, & ante huiuſmodi probationem neutris credere, neutras contemnere, ita nunc ſimiliter tenemur pro poſſe ad examinandas opiniones, & certa probatione diſcernendum quænam ſint veræ quænam falſæ, & ante certam probationem neutris adhærere, neutras contemnere. Sed ad illum primum tenebantur fideles de præcepto, vnuſquiſque pro ſuo poſſe, & ſtatu: ergò ad hoc ſecundum tenentur fideles de præcepto, & non tantum de conſilio, vnuſquiſque pro ſuo poſſe, & ſtatu.

22 Quartò probatur aſſumptum ex illo Sermone Chriſti domini apud Matheum 7. in quo perſpicue docuit: *Eſſe arctam viam, & anguſtam portam, quæ ducit ad vitam, & paucos eſſe qui ingrediuntur per eam; eſſeque ſpatioſam viam, & latam, quæ ducit ad perditionem, & multos eſſe qui ingrediuntur per eam.* Sed via probabilitatis per quam licet hominibus quidquid in aliquo gradu probabilitatis ſit probabiliter licitum, non eſt via arcta, nec anguſta porta, per quam pauci ingrediuntur, ſed via ſpatioſa, & lata porta, per quam multi ingrediuntur: ergò via probabilitatis, ſivè maioris, ſivè minoris non eſt via ad vitam, ſed ad perditionem. Vnde formidandum eſt valde ne via iſta ſit illa, de qua Proverbiorum 14. dixit Sapiens: *Eſt via, quæ videtur homini iuſta, noviſſima autem eius deducunt ad mortem.* Quod ſanè prudenter cavent plures ex contrarijs, qui aſſerunt non licere in hora mortis ſequi minus, aut æquè probabilem opinionem pro libertate, relicta probabiliori pro lege; hi ſanè prudentiſsime formidant ne via iſta, quæ videtur homini iuſta, ſit talis, quod noviſsima illius ducant ad interitum, & perditionem, & propterea aſſerunt in hora noviſsima eſſe relinquendam. Sed quis non videat eſſe malam viam illam, in qua mori nolumus? Nec deſunt alij, qui conſequentia principiorum ducti, ne pravam, & obliquam viam probabilitatis dicant, illam eſſe licitam in articulo mortis propugnant, & illo formidabili momento licentiam indulgent hominibus ſectandi etiam minus probabilia, & minus tuta. Hi ſanè, ne convincantur dicere viam probabilitatis eſſe in principio pravam, illam propugnant in fine etiam rectam. Sed quid ſi contingat eos falli? O contingentia! O via *in qua* (vt ait Lactantius libro tertiò cap. 7.) *ſi quid erratum fuerit, vita omnis evertitur.*

23 Egrè fert P. Terillus quod ex his ſcripturæ locis argumenta contra Probabiliſtas eliciamus. Vnde ait: *Iſta coram vetulis, & rudibus declamari poſſunt, non tamen movere Theologum, niſi forte ad riſum, vel compaſſionem.* Item inquit: *Iàm vero applicare iſtius modi interpetrationem contra Doctores ortodoxos, qui vnanimiter docent vſum opinionis directè minus probabilis, minuſque tutæ eſſe licitum, quid aliud, eſt quam abutè Sacra Pagina per interpretationes à ſenſu litterali alienas, & horribilem, àc non ferendam cenſuram in doctiores, & ſanctiores ſe ipſis inferre. Putida enim ſunt, & futilia huiuſmodi argumenta, cùm nulla probabili interpretatione fulciri poſsint, vt ſententiam noſtram impellant.*

24 Sed nos, qui longe abſumus à cenſuris & convitijs in oppoſitos Authores, licèt facile poſſemus vim vi repellere, iniurias iniurijs, convitia convitijs propulſare, malumus tamen ratione, quam ira & bili excandeſcente vincere adverſarios in hac pervtili controverſia. Et ſanè, ad hæc aliter melius reſponderi non poteſt, quam cùm Auguſtino lib. de Vnitate Eccleſiæ cap. 5. aiente: *Hæc ſivè in illos à nobis, ſivè ab eis in nos dicantur, niſi prius probentur manifeſtiſsimis documentis, convitiante magis levitate, quam convincente veritate, dici, quis mediocriter ſanus ignorat?*

25 Sic igitur argumentor: via, quæ ducit ad vitam, non ſolum vetulis, & rudi-

rudibus, ſed Theologis etiam, & ſapientibus arcta eſt: ſed via probabilitatis, ſivè maioris, ſivè minoris, in quocumque gradu, non eſt arcta: ergò via probabilitatis, ſivè maioris, ſivè minoris, ſeu in quocumque gradu, non eſt via vitę. Maior eſt teſtimonium Salvatoris. Minor in primis probari poſſet ex ipſorum Probabiliſtarum confeſsione, potiſsimè ex Caramuele, cuius verba refert in præſenti, M. Gonet n. 21. ſed his omiſsis.

26 Efficacius probatur ex Divo Thoma, qui exponens illud Mathei 7. *Arcta eſt via.* Sic ait: *Hæc eſt arcta lege divina, & per hanc debemus intrare ſecundum legem, & præcepta*, & item: *Hæc eſt arcta quià arctata ſecundum regulam legis.* Sed via probabilitatis non eſt arctata ſecundum regulam legis, ſed manifeſtè dilatatur vltra terminos à lege præſcriptos: ergò via probabilitatis non eſt via arcta, quæ ducit ad vitam; ſed via lata iuxta expoſitionem Divi Thomæ. Minor probatur, quià probabilitas ad plus ſe extendit, quàm lex divina, plura enim re ipſa ſunt prohibita lege divina, quæ per probabilitatem licent, imò iuxta Terillum per probabilitatem licet eligere obiectum directè, & per ſe prohibitum, quod operanti probabiliter apparet prohibitum, licet probabilius ei ante affectum ſuæ voluntatis ſit prohibitum: ergò via probabilitatis non eſt arctata ſecundum regulam legis, ſed dilatata vltra terminos à lege præſcriptos.

Confirmatur: inter omnes opiniones contradicentes, pro licito, & illicito, neceſſum eſt quod tot ſint falſæ, quàm veræ, quià ex contradicentibus neceſſario vna eſt vera, & altera falſa, ſed dici nequit quod probabiliores pro lege ſunt falſæ, & quod minus probabiles pro libertate ſunt veræ; hoc enim eſt aperte contra ipſum lumen naturale, quod de ſe propenſius inclinat ad iudicandas veras probabiliores quã oppoſitas minus probabiles: ergò ſi de re omninò incerta aliqua eſt ferenda præſumptio, vt implurimum eſt præſumendum eſſe falſas minus probabiles pro libertate, quàm probabiliores pro lege. Sed ſi ſunt falſę, manifeſtè ſequitur illas extendere licitũ, ſeu licentiam operandi vltra terminos præſcriptos à lege; alias enim falſæ non eſſent: ergò verosimilius eſt, & præſumendum opiniones minus probabiles pro libertate, vt implurimum extendere licentiam operandi vltra regulam legis, ſeu vltra terminos à lege præſcriptos: ergò via per quàm licet operari ſecundum quamlibet opinionem, ſivè minus, ſivè magis, ſivè quocumque in gradu probabilem, eſt via, quæ latius extenditur quàm regula legis, quæque ſua latitudine prætergreditur terminos à lege præſcriptos: ergò eſt via lata, & ſpatioſa, non vero arcta ſecundum regulam legis.

27 Vrgetur: quià negari non poteſt probabilitatem, ſivè maiorem, ſivè minorem latius patere quàm veritatem; quandoquidem veritas ſolum vni opinioni ex contradicentibus convenire poteſt, probabilitas vero, ſivè maior, ſivè minor, vtrique opinioni contradicenti convenit, & neſcio ſanè quid magis amplum, & latum excogitari poſsit, quàm id quod vtrumque contradictorium amplectitur, & ad vtrumque ſe extendit: ergò via probabilitatis, ſivè minoris, ſivè maioris eſt lata, & valde lata comparatione ad viam veritatis; ſed via arctata ſecundum regulam legis eſt via veritatis, nàm ipſa lex iuxta Regium Prophetam Pſalmo 118. eſt veritas, iuxta illud: *Et lex tua veritas: & omnia mandata tua veritas*: ergò via probabilitatis, ſivè minoris, ſivè maioris non eſt arctata ſecundum regulam legis, ſed multo amplior, & magis lata; ſed ſola via arctata ſecundum regulam legis iuxta Divum Thomam eſt quæ ducit ad vitam: ergò via lata ſecundum probabilitatem, ſivè maiorem, ſivè minorem in quocumque gradu eſt quæ ducit ad perditionem. Eſt ne hoc argumentum quod vnicè coram vitulis, & rudibus, non coram Theologis proponi poteſt? Eſt ne putidum & futile? Eſt ne verum quod nulla probabili interpretatione fulciri poteſt? Eſt ne tale quod Theologum movere non poſsit, niſi ad riſum, vel compaſsionem? Ad compaſsionem quidem movere poteſt, eo quod via illa lata probabilitatis tales radices miſerit, dicente Salvatore: *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, lata, & ſpatioſa quæ ducit ad perditionem.*

28 Sed objicit Terillus hoc pacto: *Peto*, inquit, *ab adverſarijs: ànvia vitæ non eſſet arcta ab initio Eccleſiæ quandò præter fidem, & obſervationem Decalogi, àc dignam Sacramentorum Suſceptionem nulla præcepta obligabant? vtique dicent, erat arcta. Sed peto iterum, vtrum qui nihil ageret, niſi quod eſſet ad minimum certò probabile, & iuxta laxiorem viam inter certò probabilia incederet, peto in quàm, àn iſte non tam rigidè, imò longe rigidius viveret, quàm vivere obligabantur fideles in primitiva Eccleſia? Indubitanter via operandi nunc certò probabilis longe arctior eſt quàm tunc erat via ſub præcepto neceſſaria: ergò Caſuiſtæ non effecerunt, vt via illa arcta vllatenus laxata fuerit.*

29 Reſpondeo ad primam interrogationem, vt in argumento. Ad ſecun-

dam

dam reſpondeo contra reſponſionem Terilli, illum qui ſequeretur viam laxiorem inter certò probabilia, minimè vitam acturum, nec magis, neque æquè arctam, àc Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ tenebantur agere, nàm imprimis fallum eſt quod in primitiva Eccleſia præter fidem, & obſervationem Decalogi, & dignam Sacramentorum ſuſceptionem nulla præcepta obligabant; indubitabile enim eſt tunc, ſicut nunc, fuiſſe præcepta Eccleſiæ ab Apoſtolis ad regendos fideles in Sancta Societate impoſita, fuiſſe leges civiles, fuiſſe etiam vota particularia, vel ſolemnia, quibus omnibus ſtrictè obligabantur primi fideles.

Secundò dico quod, dato caſu quod in primitiva Eccleſia tantum illa tria obligaſſent, qui ea tunc implerent, longe arctiorem vitam ageret, quàm Catholicus, qui nunc obſervaret illa tria, & ceteras leges ſecundum viam laxiorem inter certò probabilia probabilitate communi vtrique contradictorio, ſivè maiori, ſivè minori, in quocumque gradu, de hac enim loquitur Terillus. Nàm imprimis præceptum fidei confitendæ, & tenendæ firmiter adeò tunc difficile erat, vt qui illud tantum obſervare vellet, arctius vivere cogeretur, quàm vel obſervantiſsimus quiſque Catholicus nunc vivit; ſiquidem tenebatur, vel vitam profundere, vel divitias omnes, & poſſeſsiones abdicare, ſæpè patriam fugere, affinibus, & conſaguineis abrenuntiare pro Chriſto, proùt occaſio exigeret, & ad alia plura cogebantur ex fide primi illi Chriſtiani, quæ longe ſuperant omnes obligationes in vnum collectas, quibus vrgentur Chatolici, nunc inter Catholicos viventes.

30 Deinde, quantum attinet ad Decalogum, tunc antequam exurgeret multitudo opinionum, incorruptum erat, ſincerè, & genuinè intelligebatur ab omnibus, & ad talem ſtrictam, & genuinam intelligentiam tenebantur omnes; quàm obſervantes, arctius viverent opus erat, & longe arctius, quàm in præſenti opus eſt, ſi laxiorem viam etiam inter certò probabilia ſequi tantum vellemus; quandoquidem negari non poteſt per multitudinem opinionum probabilium Decalogum, & fere omnes leges nimis quotidie laxari.

31 Sed, quod magis miror in Terillo, eſt quod conetur patrocinare Caſuiſtas, dùm ſic infert: *Ergò Caſuiſtæ non effecerunt vt via illa arcta vllatenus laxata fuerit.* Cùm tamen ipſe in præfatione ad lectorem aperte dicat cauſam dediſſe præſenti controverſiæ *Nimiam aliquorum Theologorum, & Caſuiſtarum in opinando laxitatem*, de quibus talia dicit quæ vix ego ex proprio cerebro proferre contra ipſos auderem. Ea forsàn infra referam, hoc vnum tantum in præſenti. *Vidi ego* (inquit) *ex hiſce recentioribus nonnullos viros, cæteroquin egregios, qui cùm in rebus ſummi momenti ad Dei legem & conſcientiæ obligationem pertinentibus ab vnanimi omnium ſententia ad intolerabilem laxitatem declinaſſent, aliud tamen quo moverentur, quàm argumentum à ſimili non habebant, vidi, & exorrui. Neque hic ſtetit quorundam audacia, plurimi enim, etſi doctrinæ longe inferiores, ſimilem quoque arguendi modum ſibi licitum ex ſtimantes, ex laxis reſolutionibus ad alias laxiores iter ſibi, rectius dixerim, & ſibi, & alijs præcipitium, aperuerunt: atque ita brevi effectum eſt, vt plures laxitates, verè non ferendæ, in oculos legentium non ſine plurimorum ſcandalo frequenter incurrerent. Nec defuere, qui laudi ſibi verterent laxiores ſententias in vnum colligere, eaſque tanquam legitimas conſcientiæ regulas, ſub ſpecioſo probabilitatis tegmine venditare. Cùm enim apud Authores ob ſuam laxitatem celebres reſolutionem aliquam vidiſſent, illico eam pro verè probabili habuerunt, &c.* Hæc ad litteram Terillus. Attende ſanè lector, qualitèr cùm his congruit iſta conſequentia: ergò *Caſuiſtæ non effecerunt, vt via illa arcta vllatenus laxata fuerit.*

32 Circa illud etiam Proverbiorum: *Eſt via quæ videtur homini recta, &c.* Ait Terillus locum illum applicari poſſe Hæretico, Mahumetano, Idolatræ, &c. Similitèr viro, qui impiorum, àc imprudentium conſilia exequitur, vt ſuam poſsit paliare malitiam; minimè vero Authoribus ſententiæ reflexæ pro libertate. Sed imprimis nos, nec talem textum, nec alios præcedentes applicamus Authoribus contrarijs, quaſi dicamus eos ingredi per viam latam, aut per viam, quæ videtur homini recta, & noviſsima eius ducunt ad interitum; imò potius cenſemus eos in actu exercito viam tutiorem inter opiniones controverſas in praxi ſecutos; nec diſsidium hoc movemus adverſus Authores, ſed adverſus viam illam probabilitatis communis vtrique opinioni contradicenti, & conſequenter indifferenti ad veram & falſam legem Dei. An autem huic viæ applicari poſsit vel non, præcedens textus, dicant expoſitiones ſequentes. Imprimis Caldæus ſic illa verba vertit. *Eſt via, quàm putant filij hominis eſſe rectam, & fines eius via mortis.* Item Salazar ex mente aliorum ſic exponit: *Eſt quædam vivendi ratio, quæ quià homo in illam propenſus eſt, illi recta videtur, etiam ſi prava, & diſtorta ſit. Nàm voluntatis propenſio, vt tradit Auguſtinus Ser-*

mone

mone 12. de tempore authoritatem vitijs quærit, & quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet. Huius vero viæ arbitrio peccantis rectæ, & iuſtæ noviſsimi fines in mortem ducunt. Exquibus ſic argumentor: via probabilitatis, ſivè maioris, ſivè minoris in quocumque gradu, eſt via, quam putant filij hominis, ſeu quam opinantur eſſe rectam, illa autem ſæpiſsimè errat, quià inter omnes opiniones probabiles pro lege, & pro libertate, vel tot, vel plures pro libertate ſunt falſæ, & errantes, quàm pro lege, & potiſsime minus probabiles pro libertate plerumque ſunt falſæ: ergò via illa plerumque errat: ergò plerumque ducit ad mortem, & non ad vitam.

Secundò: quià ratio vivendi ſecundum minus probabilia pro libertate eſt talis vt attenta præciſſe ratione, & authoritate tàm in pro, quàm in contra, & bene ponderata, vel librata, potius apparet via errans, quàm via recta, ideò vero exiſtimatur recta iuxta Terillum, & Probabiliſtas, quià voluntas per ſuum affectum in illam propendet; vnde ex affectu voluntatis accipit maiorem probabilitatem: ergò eſt via, quæ, quià homo in illam propenſus eſt, illi recta videtur etiam ſi forte prava, & diſtorta ſit, vt eſt probabilius independenter à tali propenſione, & pro priori ad illam: ergò eſt via arbitrio peccantis recta, & iuſta: ergò noviſsima illius ducunt ad mortem. Nec obeſt quod hoc idem argumentum poſsit fieri contra Hæreticos, nàm etiam fieri poteſt contra illos qui non ex maioritate rationis, ſed ex maiori propenſione voluntatis exiſtimant viam rectam eſſe, quæ ipſis ante voluntatis propenſionem magis probabilitèr apparebat erronea, etſi iſti ſint Catholici.

33 Ab exemplis Sacræ Scripturæ plura etiam pro noſtra ſententia deſumi poſſunt fundamenta; cæterum quià contrarij antiquos omnes qui in Sacra Pagina leguntur peccaſſe, probabilitate deſtitutos fuiſſe tenacitèr affirmant, ideò vnum tantum adijciam exemplum. Matthei 15. Salvator improperat Scribis, & Phariſæis eo quod docebant, filios quàm optime poſſe deferre ad ſacrificia quæ ad patres alendos neceſſaria forent, nàm aiebant patribus etiam prodeſſe, quod in ſacrificio offerebatur, ex quo fiebat quod patres penuria, & egeſtate afficiebantur; propter hoc inquàm increpat Chriſtus Dominus Scribas, & Phariſæos hoc pacto: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*; àc proinde illos appellat: *cæcos, & duces cæcorum*, & ait: *quod ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Sanè authoritas Scribarum, & Phariſæorum apud illum populum non erat minor, quàm Authoritas Theologorum noſtri temporis: ergò illi opinioni, quàm docebant de ſacrificijs offerendis, licet oblatio cederet in detrimentum patentum, ad minus conciliabant authoritatem, & probabilitatem in aliquo gradu probabilitatis: ergò iàm illa opinio, & doctrina habebat aliquem gradum probabilitatis: & nihilominus increpantur à Chriſto Domino, quod per ſequelam, & traditionem illius doctrinæ irritum fecerunt mandatum Dei, quod ſunt cæci, & duces cæcorum: ergò non omnis doctrina probabilis, ſivè minus, ſivè magis in quocumque gradu eſt tuta, & recta regula conſcientiæ, vt quicumque illam ſequantur, & doceant, rectè operentur, & irreprehenſibilitèr.

34 Reſpondet Terillus quod manifeſtum eſt Scribas, & Phariſæos doctrina illa perverſa peccaſſe, quià ex cupiditate rerum temporalium docebant populum contra expreſſum Dei præceptum lumine naturæ notiſsimum: quod ſi poſt modum aliqui ex eorum diſcipulis non alitèr quàm plebs in eandem doctrinam bona fide lapſi ſunt, idem de ipſis àc de plebe dicendum eſt; plebs autem ſi vincibilitèr fuit ſeducta, peccavit ſequendo illam doctrinam, ſi invincibilitèr non peccavit; putat autem ipſe maiori ex parte vincibilitèr fuiſſe ſeductam.

Sed contra eſt: nàm omnes Scribæ, & Phariſæi tunc exiſtentes diſcipuli erant aliorum præcedentium, qui multis retro temporibus eandem doctrinam tradiderant; ideò enim illa doctrina appellatur traditio, *propter traditionem veſtram*. At qui negari non poteſt iuxta regulas Probabiliſtarum quod tot Phariſæi, & Scribæ præcedentes aliquem gradum probabilitatis illi doctrinæ conciliaſſent: ergò iàm illa doctrina ex præcedentibus erat probabilis ſaltèm ab extrinſeco in aliquo gradu probabilitatis. At qui iuxta Probabiliſtas, qui docet, aut ſequitur doctrinam certæ probabilitatis, ſi errat, invincibilitèr errat, ſi fallitur, invincibilitèr fallitur: ergò iuxta ipſos dicendum erit quod Scribæ, & Phariſæi, qui tunc aderant ſequentes, & docentes illam doctrinam errabant, & fallebantur invincibilitèr: non erant ergò reprehenſibiles, contra ſententiam Salvatoris.

Vel alitèr: certiſsimum eſt quod Scribæ, & Phariſæi, qui tunc aderant præſentes, erant culpabiles, & reprehenſibiles, & quod culpabilitèr, & vincibi-

cibiliter errabant in illa doctrina quam populo docebant; ſed etiam eſt certum quod ſequebantur opinionem præcedentium in aliquo gradu probabilitatis probabilem, ſaltèm ab authoritate Scribarum, & Phariſæorum præcedentium, qui tunc erant æqualis, vel maioris authoritatis, quam nunc Theologi periti: ergò falſum eſt quod quicumque, ſequitur probabilem ſivè minus, ſivè magis in aliquo gradu probabilitatis, ſi erret, inculpabiliter errat, & invincibiliter, & item quod inculpabilis, & irreprehenſibilis eſt, vt contendunt Probabiliſtæ.

35 Vrgetur: certum eſt quod illa doctrina reſpectu diſcipulorum & plebis ex authoritate Scribarum, & Phariſæorum habebat aliquem gradum probabilitatis: & nihilominus tamèn fatetur Terillus, quod diſcipuli, & plebs maiori ex parte culpabiles erant talem doctrinam ſequentes: ergò falſum eſt quod quicumque ſequitur doctrinam certò probabilem in aliquo gradu probabilitatis eſt inculpabilis, & non peccat, & quod ſi errat, inculpabiliter errat.

36 Nec valet dicere, vt inquit Terillus, quod Phariſæi, & Scribæ, *ex cupiditate rerum temporalium docebant populum contra expreſſum Dei præceptum lumine naturæ notiſsimum.* Contra enim eſt, quià vel nunc licet id præſumere de aliquibus Theologis, & Doctoribus noſtri temporis tradentibus doctrinas morales, vel non? Si non licet nunc: ergò nec tunc licebat de Scribis, & Phariſæis, qui ſimilem, vel maiorẽ authoritatem præferebant apud illum populum: ergò eorum doctrina ſemper remanebat certò probabilis, ſaltèm in aliquo gradu probabilitatis apud illum populum. Si licebat: ergò nunc etiam licebit de Theologis noſtri temporis præſumere, quod ſimilibus motivis aliquas doctrinas doceant contra præcepta Dei lumine naturæ notiſsima. Quod ſanè prædictus Patèr Terillus aperte fatetur in Prologo ad Lectorem; ibi enim de pluribus Recentioribus, & Caſuiſtis ſic fatetur: *Cùm enim plus æquo famæ, vanæque de ſua doctrina exiſtimationis eſſent cupidi, mirum eſt quo ardore, atque animi contentione adſcripta ſua Typis mandanda incubuerint :: Quid autem facerent, vt ad famam quam aucupabantur pervenirent? Ergò ad nova promenda animoſiores effecti, in opiniones laxiores oculos, animumque coniecerunt.* Et tandem concludit. *Quis non horreret Dei præceptum ab omnibus prius agnitum, ſolidiſsimiſque argumentis comprobatum frivolo argumento à ſimili è legis divinæ, & eccleſiaſticæ tabulis non minus impudentèr quam imprudentèr eradi.* Ergò iàm de aliquibus Recentioribus Theologis, & Caſuiſtis licet præſumere, imò iuxta Terillum & aperte dicere, quod ex cupiditate vanæ æſtimationis, & famæ, & ad plauſum popularem aucupandum doctrinas tradiderunt, quibus notiſsima Dei, & Eccleſiæ præcepta irrita fecerunt: ergò ſi hanc ob cauſam olim non licebat fidere authoritati Scribarum & Phariſæorum, niſi prius examinata veritate; paritèr & nunc credere non licebit vniverſaliter, & ſinè examine doctrinis Theologorum recentiorum, & Caſuiſtarum: & qui eorum authoritati, & probabilitati inde ſumptæ ſivè maiori, ſivè minori crediderit ex affectu voluntatis, quæ potiſsimè cœca eſt, culpabilis erit, & ſi erret, culpabiliter errabit. Non ergò probabilitas in quocumque gradu eſt regula infallibiliter excuſans à culpa. Hoc igitur, & nihil aliud nos docemus.

§. II.

Solvuntur obiecta.

37 OBIjCIT Primo Terillus illud Proverbiorum: *Habe fiduciam in Domino, & nè innitaris prudentiæ tuæ.* Ex quo infert iuxta S. Dorotheum apud Cornel. à lapide obediendum eſſe Superiorum, & Prælatorum iudicio, etſi minus probabilia præcipiant, cùm fiducia in Deo, quod ipſe per eos nos reget. Sed hoc non eſt ad rem, quià nos id ipſum fatemur; inde tamèn minimè ſequitur eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem pro libertate; imò ſequitur, quod ſi liceret ſequi minus probabilem pro libertate, liceret potius non obedire Prælato etiam ſecundum probabiliorem præcipienti, vt infra demoſtrabo, cùm de hoc Terilli argumento ſermonem inſtituam.

Secundò adducit expoſitionem Hyeronimi ſic dicentis: *Prudentia ſua innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.* Ex quo ſic inquit. *Quomodo non eſt prudentiæ ſuæ inniti, ſiquis inſurgat contra communem doctrinam, & vnanimem omnium ferme doctorum conſenſum dicentium licitum eſſe ſequi opinionem directè minus probabilem, & minus tutam? Quomodo enim proprium iudicium non proferunt, qui oppoſitum cùm magna publicæ tranquilitatis perturbatione docent.* Reſpondeo Teril. ſemper ſupponere quod probandum eſt, nimirum ſuam reflexam, pro libertate eſſe vnanimem, & com-

munem doctrinam, omnium fere Doctorum, hoc enim in poſterum eſt examinandum, & non tàm immature ſupponendum. Et quid ſi illa doctrina, aut ſententia reflexa contra vnanimem antiquorum Doctorum conſenſum, à Recentioribus, & Caſuiſtis fuerit non tàm in ſcholis, quàm in ſummis caſuum moralium introducta? Quid ſi contra Sanctos Patres, contra Sacros Canones illa doctrina fuerit recenter tradita? Quinam erunt qui ſuæ prudentiæ innituntur? Quinam qui ſuum iudicium Patrum decretis anteponunt? Quinam qui contra communem doctrinam, & vnanimem omnium ferme Doctorum cõſenſum inſurrexerũt? Quinam qui publicam quietem perturbarunt? Ergò prius examinandum eſt primum, vt poſsit dici ſecundum.

28 Præterea: nàm ſi Doctores, etſi numero plures, & per integrum ſæculum inſurgerent, qui dicerent eſſe licitum, & prudens anteponere iudicium paucorum Sapientium, & Doctorum minorique authoritate pollentium, iudicio plurium, maiorique authoritate pollentium, qui hoc dicerent, licet numero plurimi, licet per integrum ſæculum, eſſent ne audiendi vti ſapientiores, & doctiores. Eſſet ne propriæ inniti prudentiæ, eis ex diametro contradicere? Sanè, licet pauci eſſent, qui mille huiuſmodi Authoribus in illo puncto contradicerent, his prudenter aſſentire poſſemus ex ipſorum contrariorum confeſsione, ſiquidem dicerent eſſe vere prudens, & iuxta regulas prudentiæ poſt ponere dictum plurium, & maiorum ſapientium dicto paucorum minoris authoritatis. At Probabiliſtæ quid docent? Docent eſſe verè prudentem illum qui ſententiam minus probabilem magis probabili anteponit, illum, qui relicta ſententia plurium Authorum, & maiori authoritate pollentium, aſſentitur ſententiæ paucorum, & minoris authoritatis: ergò ex ipſorum confeſsione poterimus eis prudenter diſſentire, quanvis millenario numero computentur, & noſtris licet paucis prudenter aſſentire.

39 Rurſus, nam ſi id de alterutris dici liceat, contrarij potius ſunt qui docent vti licitum propriæ inniti prudentię. Nàm qui aſſentitur opinioni pauciorum, & minori authoritate pollẽtium, nõ innititur ſapientiæ, & authoritati illorum, ſed proprio iudicio: ſed hoc aſſerunt Probabiliſtę eſſe licitũ & prudens; ſiquidem dicunt eſſe licitum, & prudens aſſentiri opinioni minus probabili, relicta probabiliori: ergò docent eſſe licitũ & prudẽs proprio inniti iudicio. Mai. prob. nã ſi ille inniteretur authoritati ſapientũ, potius crederet pluribus, & ſapientioribus, quàm paucioribus minoris authoritatis, nã propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergò ille qui aſſentitur opinioni pauciorum & minoris authoritatis, non innititur authoritati Sapientium, nec propter illã credit, ſed potius innititur proprio iudicio. Mirum igitur debet videri, ſi contrarij ex illo textu, *ne innitaris prudentiæ tuæ* velint nos obligare, vt ſtatuamus pro licito, & prudenti credere opinioni minoris probabilitatis & authoritatis, relicta magis probabili, & magis authorizata, quod eſt proprijſsimè inniti propriæ prudentiæ.

40 At inquiunt, magis authorizatam eſſe ſuam reflexam præ noſtra, àc proinde, ſi tenemur credere, ceteris paribus, maiori authoritati, ne propriæ prudentiæ innitamur, tenebimur aſſentire reflexæ cõtrariorũ. Sed contra: nã quomodo poteſt eſſe magis authorizata opinio quæ docet eſſe prudentiam, credere opinioni minus authorizatæ, relicta oppoſita maioris authoritatis? Hæc ſanè eſt inſignis chimera, quã ſupponunt, & nõ probant contrarij? Rurſus: nàm dato caſu, quod noſtra opinio ſit minus authorizata, prudẽtia erit credere noſtræ ſententię, ſiquidem per cõtrariã reflexam, iuxta contrarios magis authenticam, licitũ eſt, & prudens credere opinioni minus authorizatæ relicta oppoſita maioris authoritatis: ergò contrarij contra propriã ipſorum ſententiam nos notant imprudentię, eo quod credimus, & ſequimur noſtrã reflexã relicta oppoſita, magis iuxta ipſos authorizata.

41 Ex quo etiam patet, quã inepte Terillus in ſui favorem adducit illud Tobię 4. *Cõſiliũ ſemper à ſapiente perquire.* Hanc enim regulam adeò nos obſervandam cenſemus, vt quo quis ſapientior habeatur, tãto potius illi ſit credẽdum, imprudẽtiamque cenſemus, relicto ſapientiori, credere minus ſapienti; at contrarij qualiter id obſervandũ docere poſſunt? Quandoquidẽ docent eſſe prudentiam credere minus ſapienti contradicẽte ſapientiore, ſapientiori relicto. Inepte etiã in ſui favorẽ adducit illu 1 Eccleſiaſt. 7. *Noli eſſe nimis iuſtus, qui perit in ſtultitia ſua*, quẽ locũ ſupponit exponi à D. Anton. tanquã conſiliũ accipiendi ſententiã benignã, ideſt reflexã pro libertate, in regulã operandi; nàm qui noſtrã reflexã pro lege acceptaverit in regulã, dum nimium vult iuſtus eſſe, conijcit ſe in periculum ſæpiſſimè peccandi, & ſic non raro perijt in iuſtitia ſua nimia, quæ vt minus diſcreta, hominem aliquando in peccato illa queat.

42 Sed hæc expoſitio longe abeſt à mẽte D. Antonini, & à veritate; textus enim ille ad hoc adducitur ab Antonino, & ab

alijs,

alijs, vt docerent ſcrupuloſis non quærere nimiam ſecuritatem, & ſatisfactionem de ſua iuſtitia, ſed contenti ſint ſecuritate, & certitudine morali, & humana, quæ ex ſapientium, & prudentium conſilijs haberi poteſt; ceterum huiuſmodi certitudo minimè invenitur in opinione minus, aut æquè tantum probabili ſua contradicente, ſed ſolum in opinione vnice probabili, vel probabiliori, vt perſe patet.

§ III.

Explicatur qualitèr iugum divinæ legis ſit ſuave, & onus eius leve.

43 OBIJCIT Secundò Terillus ex illo Mathæi 11. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Etenim inquit, onus graviſsimum foret, & iugum duriſsimum in omnibus debere ſequi tutiora, aut probabiliora: ergò huiuſmodi obligatio, quam nos imponimus, cùm hac meliflui Salvatoris ſententia non congruit. Confirmatur: ex illo Ioannis in Epiſt. 1. cap. 5. *Mandata eius gravia non ſunt*; atqui forent graviſsima, ſi in omnibus obligaremur ad ſectanda tutiora, vel probabiliora: ergò. Reſpondeo etiam huiuſmodi loca inepte adduci, & ex illis probari ſimilitèr poſſet, Deum non obligare ad diligendos inimicos, ad reſiſtendum gravi tentationi, ad confeſsionē fidei coram tyrano, ad confitenda peccata etiam turpiſsima, & ad innumera alia, quæ ex prima apparientia videntur difficillima, & re ipſa graviſsima ſunt non diligentibus Deum, vel tepide illum amantibus. Nec defuerunt, qui dixerunt in his, & ſimilib⁹ præceptis *Plus à Deo præcipi quàm humana natura patiatur*; ſed vt eis reſpondet Hyeronimus in cap. 5. Mathei: *Chriſtus non impoſsibilia præcipit, ſed perfecta.*

44 Vnde facile reſpondeo, explicando ſententiam illam Salvatoris; iugum Chriſti ſuave eſt, & onus eius leve diligenti Deū ex toto corde concedo; non diligenti Deum, vel illum tepide diligenti, nego quod in hoc ſenſu intelligatur. Et ſimilitèr diſtinguo illud Ioannis: *Mandata eius gravia non ſunt amanti* cōcedo; *non amanti* nego: diſtinctio eſt expreſſa Auguſt. qui ſic exponit prędicta verba: *Mandata eius gravia non ſunt amanti, ſed nō amanti gravia ſunt.* Deinde diſtinguo minorem: onus graviſsimū foret, & iugum duriſsimum in omnibus debere ſequi, aut tutiora, aut probabiliora, eſſet inquam duriſsimum, & graviſsimum non amanti Deum, concedo: vere, & ex corde amanti Deū, nego minorem, & conſequentiā. Et, vt videas hanc expoſitionem non eſſe ex proprio cerebro, audias oportet imprimis Auguſt. idem argumentum ſic ſibi proponentem. *Ait ergò aliquis. Quomodo iugum eius ſuave eſt, & ſarcina levis, quandoquidem illud iugum, & ſarcinam ferre nihil eſt aliud quàm pie vivere in Chriſto Ieſu; ſcriptum eſt autem: Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Cui interrogationi, vt à ſimili reſpondeat, inter alia hęc habet: *Quibus tempeſtatibus & procellis quàm horribili ſævitia Cœli, & maris in portū eunt mercatores, vt divitias venturas acquirant, maioribus, quā quibus acquiſturæ ſunt, periculis, & tempeſtatib⁹ plenas? Quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab aquis, à foſsis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? Quē laborem eſuriēdi & ſitiendi, quantas villiſsimi, & ſordidiſsimi cibi, & potus anguſtias, vt beſtiam capiant? Quantis cruciatibus prope quotidianarū plagarum tenera puerorū ætas ſubditur? Quantis etiā ſcholis vigiliarū, & abſtinentiæ moleſtijs exercentur, non propter diſcendam ſapientiam, ſed propter opes, honoreſque vanitatis, vt numeros, & litteras, & diſſertas fallacias alloqui diſcant? Sed in omnibus* (attende) *qui hæc nō amant eadem gravia patiuntur, qui vero amant, eadem quidē, ſed non gravia pati videntur. Omnia ſæva, & immania prorſus facilia, & prope nullæ efficit amor. Quanto ergò certius, ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miſeriam quantum potuit cupiditas fecit: Ecce* (concludit) *vnde iugum illud ſuave eſt, & ſarcina levis. Et ſi anguſta eſt paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Pſalmiſta: propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras; ſed quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſis miteſcunt amantibus.*

45 Concinit Chriſoſtomus in illud Matthæi 11. ſic ſibi obijciens: *Sed quomodo inquis leve hoc onus eſt, cùm dicatur: Niſi quis odio habuerit patrem & matrem; & Niſi quis tollat crucem ſuam, & ſequatur me, non eſt me dignus; & Niſi quis omnibus renuntiaverit rebus ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus; &, cùm iubeat ipſam quoque animam eſſe tradendam, quomodo, inquam, leve eſt? Doceat te Paulus dicens: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, &c. Doceant te illi, qui à ſynagogis Iudæorum poſt mille flagella, ac verbera ſummo gaudio affecti redibant, quià videlicet digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quod ſi adhuc iugum, ac onus audiendo formidas, nimium atque per horreſcis, non naturæ rerum huiuſmodi timorem, ſed ignaviæ totum attribuas.* Sed melius ni fallor rem explicat homilia 28. imperfecti. Vbi explicans differentiam inter iugū legis ſcriptæ, & iugum legis gratiæ, ſic diſcurrit: *Apud Iudæos quædam erat lex levis, & iuſta, ideſt, Decalogus, quē ante idolatriā acceperunt, ſed ſine gratia inveniebatur gravis; ſine gratiæ enim auxilio omnis iuſtitia hominibus gravis eſt, quià lex præceptum eſt nudum, gratia autem virtus eſt Dei. Lex in libro conſcribitur, gratia autem in corde plantatur,*

ur, ideò lex inſufferibile pondus eſt, gratia autem delectatio cordis eſt, dicente Domino per Salomonem: Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, ſpiritus meus ſuper mel dulcis: ergò lex non ſolùm ideò gravis eſt, quià gravia præcipit obſervationis mandata, ſed quià præcipit fieri, & faciendi non præſtat auxilium. Nec ideò ſolum gratia levis eſt, quià levia ponit mandata, ſed quià præcipit fieri, & ipſa in nobis faciendi operatur virtutem. Ecce enim lex præcipit: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Gratia autem iubet: Diligite inimicos veſtros. Nonnè gravius eſt mandatum gratiæ, quàm legis? Et tamen facilius eſt nobis per gratiam hæc impoſsibilia adimplere, quam Iudæis per legem illa poſsibilia, quià in gratia Dei totum poſſumus, ſine gratia nihil: dicente Apoſtolo: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Accedit Salvianus libro 1. de Providentia non longe ab initio ſic dicens: *Labor itaque, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas, nõ omnibus ſunt oneroſa tolerantibus, ſed tolerare nolentibus. Sive enim gravia hæc, ſive levia animus tolerantis facit; nàm ſicut nihil eſt tam leve, quod ei non ſit grave, qui invitus facit, ſic nihil eſt tam grave, quod ei, qui id exequitur libentèr, non leve videatur.*

46 Ex quibus omnibus patet obligationes non eſſe metiendas per comparationem ad vires naturę corruptæ ſolius, aut comparativè ad noſtram diſsidiam, vt reſpectivè ad ipſam ſint iugum ſuave, & onus leve, nàm hoc pacto iugum legis ſcriptæ ſuavius eſſet, quàm iugum legis gratiæ; ſiquidem minus ardua, & minus perfecta præcipiebat; lex autem gratiæ, ſicut ad perfectiora obligat, ità difficiliora præcipit; ſed faciendam eſſe comparationem ad naturam, vt divina gratia adiutam, vt ſpiritu Chriſti imbutam, & vt charitate, & amore Chriſti flagrantem. Et hac facta cõparatione, iugum Chriſti ſuave dicitur, & onus eius leve. Iam igitur cum ſubſumis, onus fore graviſsimum, & iugum duriſsimum, ſi obligarentur homines ad ſequenda, vel tutiora, vel probabiliora, dico quod hoc foret quidem durum, & grave torpentibus diſsidiã, & ſocordia ergà divinæ legis obſervationem, & plus iuſto inhiantibus pro rebus temporalibus honoris, cõmoditatis, & lucri; quià affectiones prę maturę ad bona tẽporalia, ſunt quæ reddunt difficile iudicare de moribus ſecundum probabiliora ſemper, vt vidimus q. præcedenti n. 85. attamen diligentibus Deum pluſquã omnia bona temporalia, & conantibus ex amore Dei eius mãdata cuſtodire valde, pro poſſeque non affici ad tẽporalia ante iudicium de honeſtate obiecti eligibilis, his, inquam, iugum ſuave, & onus leve eſt ſequi ſemper vel probabiliora vel tutiora, iuxta illud: *Ambulabam in latitudine quià mandata tua exquiſivi. Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Imò eis erit impoſsibile in ſenſu cõpoſito dilectionis Dei minus tuta, & minus probabilia ſectari cũm periculo probabili, vel probabiliori violãdi in opere legem veram Dei. Hoc enim incompoſsibile eſt cùm dilectione vera Dei ſuper omnia, vt loco citato commoſtratum manet. Non igitur neganda eſt talis obligatio, quià iugum ſit, aut onus intolerabile.

47 Replicare conatur Terillus, & ait: quod inimicos diligere, fidem in tormentis confiteri, & alia quæ enumerant Auguſt. & Chriſoſt. re ipſa ſunt difficilia, ſed per accidens ea ſunt reſpectu legis evangelicæ; lex enim, inquit, evangel. perſe, ſemotà propria, aut aliena malitia, eſt onus leve, & iugũ ſuave, ad quod ſuavitèr ferendũ, ordinaria gratię auxilia abũde ſufficere debent: ſed reflexa noſtra pro lege iugum eſſet intolerabile, hominique in gratia conſtituto, & Deũ valde amanti eſſet onus grave, & ad illud ferẽdum ordinaria gratię auxilia, vix, aut ne vix quidẽ ſufficerent; quod qui negat nunquã viva mente aprehendit omnes opiniones tutiores, de quibus nõ conſtat àn ſint probabiliores; quas, ſi aprehendiſſet, & onus earum conſideraſſet, vel invitus cogeretur exclamare: O onus intolerabile! Ergò non datur onus, ſeu obligatio ſequendi tutiora, vel probabiliora.

48 Sed huiuſmodi replica in multis peccat. Primò in eo quod ait, quod diligere inimicos, fateri fidem in tormentis, & alia huiuſmodi per accidens ſunt legi evangelicę; quis enim vnquam tale dixit? Sanè talia prę cepta ſunt ſpecialiſsima in lege evangelica, expreſsiſsima, & potiſsima, per quę illa prę eminet legi ſcriptę; & ideò illud prę ceptum diligendi inimicos, tanquam ſuę legis ſpecialiſsimum poſſuit Chriſtus Dominus dicens: *Audiſtis quià dictum eſt antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicũ tuũ; ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Ergò abſurdum eſt dicere huiuſmodi præceptum per accidens eſſe reſpectu legis evangelicę, & non perſe; idem que de alijs prę ceptis arduis, quę continet Evangelium.

49 Secundò in eo quod inſinuare videtur, ideò huiuſmodi prę cepta cõfitẽdi peccata propria, diligendi inimicos, confitendi fidẽ in tormẽtis eſſe per accidens, quià ſupponunt malitiã propriam, vel alienã, & inde ſumunt occaſionẽ. Nàm ſi hęc regula ſit vera, nullum ferè erit præceptũ in toto Evangelio per ſe; quià cùm præcepta evangelica data ſint ad reformandam naturã humanã

per

per peccatum, & per vitia corruptam, fere nullum eſt quod nõ ſupponat malitiam, vel propriam, vel alienam; ac proinde dicendũ erit omnia fere præcepta evangelica eſſe peraccidens, & non perſe, quod quis audiat? Tertiò, nã ſi hæc appellat peraccidens, quià difficilia redduntur ex malitia propria, vel aliena; ego tamen maiori cùm ratione dicã, imò & veriſsime, quod ſequi inter ęquè probabilia partem tutiorem ſolum poteſt eſſe difficile, & gravè peraccidens ratione ſcilicet propię malitię, ſeu peccati ſaltim venialis; nàm vel ante iudicium de honeſtate, vel inhoneſtate obiecti agibilis voluntas afficitur erga illud agibile, vel nõ; ſi non eſt affecta ad illud, nullã omninò patietur difficultatem in omittendo illud opus, vel obiectũ, quod æquè, aut magis probabilitèr apparet prohibitum, quàm licitum, nec in ſuſpendendo iudicium propter periculum errandi contra legem Dei: Si autem ſit iàm affecta voluntas erga opus ante iudicium de illius honeſtate, iàm peccavit voluntas ſaltim venialitèr in tali affectu, vel affectione irregulata, & ſine lege concepta circa obiectum non quia honeſtum, nàm de hoc nihil iudicaverat, ſed pure quià delectabile, vel alio inferiori motivo: ergò ſi vi talis affectionis fiat difficile poſtea abſtinere ab illo opere ſuſpenſo iudicio circa eius honeſtatem, & ſequi partem tutiorẽ, id erit difficile peraccidens, ideſt ratione paſsionis, vel affectionis rationis iudicium prævenientis; minimè autem perſe. Vide à nobis dicta quæſtione præcedenti numero. 84.

50 Quartò: quià vincere gravem tentationem carnis eſt difficile, & obligatorium perſe; ſiquidem illa tentatio abſque propria, & aliena malitia contingere ſolet; & tamen illa victoria conſequi non poteſt per auxilia ordinaria gratiæ, cùm iuxta communem Theologorum ſententiam indigeat auxilio ſpeciali ad ſui conſecutionem: ergò errat Terillus in eo quod ait legem Evangelicam perſe, ſemota propria, aut aliena malitia, eſſe onus leve, & iugum ſuave, ad quod ſuavitèr ferendum ordinaria auxilia gratiæ ſufficere debent; cùm hoc iugum obliget ad vincendam gravem tentationem carnis, v.g. cui vincendæ minimè ſufficiunt auxilia ordinaria gratiæ. Quintò errat in eo quod ait obligationem ſequendi partem tutiorem inter æquè probabilia eſſe onus intolerabile, cui ferendo non ſufficiunt auxilia ordinaria gratiæ; nàm licet poſsit contingere aliquis caſus, in quo, v.g. aliquis ſit gravitèr tentatus ad ſequendam opinionem minus probabilem, aut æquè tantum pro libertate, aut alia circunſtantia, quæ reddat illam obligationem maximè difficilem, hoc ad ſummum probat, quod in illo caſu ſpeciali indigebit homo ſpeciali auxilio, quod & in alijs quibuſlibet obligationibus contingere poteſt; attamen regulariter loquendo minimè illa obligatio eſt adeò difficilis, vt ponderat Terillus, nullamque aliam maiorem difficultatem præſefert, quàm lex charitatis obligans ad diligendum Deum ſuper omnia, & vt velimus pro poſſe iudicare, & operari conformitèr ad eius legem veram, ipſique ſervire in veritate; hæc autem lex, dicat Terillus, àn ſit onus graviſsimum, & iugum duriſsimum? Diligat quiſque Deum ſuper omnia, & cupiat pro poſſe ei ſervire in veritate, & tunc quiſque experietur, quàm ſuave ſit eligere partem tutiorem inter ęquè probabilia, & conſequenter dico, quod illa dilectione ſuppoſita, niſi gravis tentatio in contra exurgat, ordinaria gratiæ auxilia ſufficiunt ad ſequendam partem tutiorem inter æquè probabilia, ſicuti omnes fateri tenentur de caſu conſcientię dubię, qui plerumque contingit, quàm æqualis vtrimque probabilitas, & tamen omnes tenentur admittere, & re ipſa admittunt obligationem ad ſequendam partem tutiorem durante conſcientia dubia.

51 Sextò deficit Terillus in illa vltima ponderatione, qua ad deterrendos forsàn lectores à ſequela noſtræ ſententiæ, ait quod qui viva mente conſideraverit omnes opiniones minus, aut æquè probabiles prolibertate, ſi ei omnium prohibeatur ſequela vel invitus exclamare cogetur? *O onus intolerabile!* Fallitur, inquam, in hac ponderatione: nã quaſi omnes dictę opiniones ad vnicum ſubiectum pro vno momento pertinerent, omnes aggregat, & tandẽ concludit? *O onus intolerabile!* Sanè licet plures ſint huiuſmodi opiniones, & caſus morales cõtroverſi, non omnes pertinent ad idem ſubiectum, nec ad eundem ſtatũ, alię enim ſunt pro Regibus, alię pro Iudicibus, alię pro Advocatis alię pro Confeſſoribus, alię pro pęnitentib⁹, alię pro mercatoribus, alię pro coniugibus, alię pro Religioſis, &c. Nec ea, quæ pertinent ad vnicum ſtatum ſemper, & pro ſemper omnes occurrunt, ſed nunc vna, nunc alia: Terillus autẽ vt onus faceret intolerabile, omnes huiuſmodi cõtroverſias, & opiniones in vnũm collegit, & per modũ vnius oneris cuiuſq; humeris imponit, quaſi quiſque totũ illud onus ſolus portare teneatur in vnico momento, & in vnico caſu, & tunc exclamare: *O onus intolerabile!* Sed quis non videat hoc onus eſſe fictitium? Dividat, partiaturque Terillus totum illud onus per ſtatus, per perſonas, per varioſque caſus, ſupponatque dilectionem Dei ſuper omnia, ad

quàm omnes tenentur,& tunc videbit quã minutam particulam illius oneris cuilibet, in particulari quocumque caſu pertineat,& quàm ſuaviter illa particula oneris, ſi amor Dei regnet in corde,ferri à quolibet poſsit, quàmque ineptè exclamare poterit: *O onus intolerabile!*

52 Imò cenſeo,&ità eſt re ipſa,quod ſectarè tutiora, & probabiliora eſt iugum ſuavius,quàm ſi detur licentia ſectandi minus probabilia, & minus tuta, & ratio eſt, nàm facilius eſt abſtinere à peccatis,ei qui abſtinet à periculis, quàm ei qui pericula nõ cavet, ſuaviuſque àc facilius eſt abſtineri à periculis,quàm inter pericula abſtinere à peccatis. Nàm ante pericula homo quodammod› eſt indifferens,& ſolutus,poteſtque proinde facile illa cavere; attamẽ inter pericula iàm eſt propenſus, & quodammodo illaqueatus,vt difficillimè à peccato liberari poſsit. Sit exemplum: ſit opinio Caramuelis, vel aliorum dicentium eſſe licitum homini ingredi domum mulieris, vbi ſcit ſibi imminere periculum probabile peccandi cùm illa, & quod non tenetur vitare periculum probabile peccandi,& hæc opinio eſt minus probabilis, & minus tuta: eſt opinio dicens hominem teneri ad vitandum periculum probabile peccandi,& hęc eſt magis probabilis, & magis tuta. Nunc rogo quidnam erit difficilius,ſequendo primam,vitare peccatum,aut ſequi ſecundam? Ingredi domum illam,& abſtinere à peccato, vel penitùs abſtinere ab ingreſſu? Quis neget hoc ſecundum eſſe facilius, & ſuavius? Ergò ſectari tutiora, & probabiliora, non eſt onus intolerabile,imò intolerabilius eſt ſectari minus tuta abſque peccato.

53 Idemque in alijs opinionibus ſæpè contingit, nàm in quacumque materia ſectari tutiora,vel probabiliora eſt maxime facilitare obſervantiam legis, ſiquidem eſt vivere cùm maiori elongatione à periculo, & huiuſmodi vita multo facilius obſervat legem, quam quæ interè diſcrimina frequenter verſatur: ergò ſuavius ſit iugum Chriſti ſectantibus tutiora, vel probabiliora, quam ſectantibus minus tuta, & minus probabilia:ergò obligatio ſectandi tutiora, vel probabiliora ineptiſsime repellitur eo quod iugumChriſti ſuave ſit,& & onus eius leve. Nunquid obligatio vivendi, & obſervandi legem modo facilliori, & tutiori facit iugum Chriſti onus importabile?Quis tale dicat?

54 Et inquiro, àn Apoſtolis, Diſcipulis, & Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ fuerit iugum Chriſti ſuave, & onus eus leve?Sanè, ſi ſolum eſt leve, & ſuave ſectantib⁹ minus tuta,& minus probabilia, Apoſtolis, Diſcipulis, & Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ iugum Chriſti duriſsimum fuit, ſiquidem certiſsimum eſt illos non ſectaſſe vnquam minus probabilia, & minus tuta; nunc autem ſectantibus quæcumque probabilia iugum Chriſti erit ſuavius, quam fuit primævis Chriſtianis. Conſentit in hoc vltimo Caram. dum ait quod *Eccleſia Catholica fœlicior debet dici, quod exuberet Sanctiſsimis Doctiſsimiſque viris, qui introduxerunt benignas opiniones, quià damnarentur plurimi, quos ſententiæ probabilitas ſalvat. Nec indè Eccleſia infœlix quod Doctores opinentur paſim,ſed indè fœlicior, quod benignius, & fœlicius ſuos poſsit ad lauream æmpiream promovere.*

55 Sed,vt aptiſsime reſpondet Inquiſitor Mercorus: *Si novæ huic fœlicitati Eccleſiæ eſſet plaudendum, eſſet ſimul condolendum infœlicitati Eccleſiæ ſæculorum antecedentium,quibus hæc Ianua Cœli fuit clauſa, & cùm magno Guigone Cartuſianorum quondam Generali exclamandum! O Apoſtolorum tempora infœliciſsima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſsimos,qui vt ad vitã pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant!* Cùm igitur ſit abſurdum dicere hoc de primitivis Chriſtianis, abſdubio credendum eſt iugum Chriſti minimè fieri ſuave per probabilitatum introductionem, nec per licentiam ſectandi quæcumque probabilia minuſtuta, ſeu pro libertate, ſed potius hoc pacto aggravari, ſolumque eius ſuavitatẽ conſiſtere in Dei ſuper omnia ſincero amore, in voluntateque abſoluta, & pro poſſe efficaci ſervandi veram Dei legẽ in vero eius ſenſu,qua quidem volũtate nihil facilius excogitari poteſt,vt enim inquit Auguſtinus poſt verba relata ex ſerm. 49. de tempore:*Nihil enim tàm facile eſt bonæ voluntati,quàm ipſa ſibi,& hæc ſufficit Deo.*

§. IV.

Duo exempla obiecta à Terillo enodantur.

56 DENIQVE Objcit Terillus exẽplo deſumpto ex libro tertio Regum cap. 13. vbi refertur quomodo Propheta,qui contra Ieroboam, & Altare ab eo extructum prophetaverat, accepit mandatum à Deo ne in illo aut panem ederet, aut aquam biberet: qui tamen deceptus fuit à ſene quodam,qui ità illi dixit: *Ego Propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini dicens:reduc eum in domum tuam vt comedat panẽ & bibat aquã.* Credidit propheta ver⁹ & comedit,atque bibit in domo ſenis; & poſtea propter inobe-

inobedientiam interfectus eſt à leone, dùm rediret. Tunc ſic arguit Terillus: Propheta iſte ex motivo minus probabili operatus eſt contra Dei expreſſum præceptum; & tamen excuſatus eſt à peccato mortali: ergò qui ſequitur opinionẽ minus probabilem contra probabiliorem à fortiori excuſatur. Ad probandum autem quod ille Propheta excuſatus fuerit à peccato adducit Patrum expoſitiones ſuper illum textum, qui tamen, ſi ſincerè intelligantur, ſolum denotant Prophetam illum damnatum non fuiſſe ad pœnam æternam; quandoquidem leo ipſe, qui illum interfecerat, cadaver eius cuſtodiebat poſtea reverenter; at ex eo quod damnatus non fuerit, ſed in gratia deceſiſſet, minimè infertur illum non peccaſſe mortaliter, potuit enim Deus, vt ſæpè facit, poſt peccatum commiſſum, dùm redibat ad propria, eum commovere ad contritionem, & dolorem, tantum, àc talem, vt ipſe peteret à Deo puniri, Deuſque annuerit, & mediante leone eum occideret, ipſo Propheta libenter acceptante mortem in pœnitentiam ſui peccati: vel aliter potuit contingere quod Propheta ex quo exit à convivio ſenis, pœniteret interius de peccato, & quod poſtea acceptaret mortem in pœnitentiam.

57 Sed demus Terillo quidquid optat, quod nimirum non peccavit mortaliter: ad minus negari non poteſt quod peccavit ſaltim venialiter intra ſphæram peccati venialis maximè; cũ tàm atroci pœna, & morte fuerit punitus pro inobedientia, vt fatetur ipſe Terillus: ergò commiſit peccatum inobedientiæ intra lineam peccati venialis magnum; & tamen ſecutus eſt opinionem probabilem, licet minus: ergò qui ſequitur opinionem probabilem pro libertate relicta probabiliori pro lege non excuſatur totaliter à culpa, ità vt non mereatur à leone diſcerpi.

58 Reſpondet Terillus credibile eſſe illum ante affectum ſuę voluntatis, & aſſenſum præſtitum ſeni, ſolum habuiſſe apparientiam probabiliter probabilem de eo quod mandatum eſſet revocatum à Deo. Sed hoc purè voluntariè aſſeritur à Terillo. Nàm ad habendam apparientiam probabiliter probabilem, eſt neceſſum habere probabilitatem de probabilitate talis apparientiæ; quod fieri nequit ſine duabus, vel tribus reflexionibus, vt conſideranti patebit; incredibile autem eſt Prophetam illum tot reflexionibus laboraſſe; vnde incredibile eſt illum habuiſſe apparientiam, quę ſibi tantum probabiliter appareret probabilis: àc proinde recurſus ad huiuſmodi probabilitatem probabilitatis eſt longe alienus ab illo Propheta, qui potius peccavit ex nimia ſimplicitate, quàm cùm illis reflexionibus. Contra ſecundò, quia iuxta contrarios idem eſt probabile, àc prudentiale: ergò idem eſt probabiliter probabile, àc prudentialiter prudẽtiale: ergò ſi Propheta ſecutus fuiſſet opinionem probabiliter probabilem, ſecutus fuiſſet iudiciũ prudẽtialiter prudentiale; cùr ergò diſcerpitur à leone? Sed de his infra.

59 Nunc facile Reſpondeo Prophetam illum peccaſſe peccato inobedientię, vt fatetur Terillus; huiuſmodi autem peccatum non fuiſſe ex certa malitia, alias fuiſſet graviſsimum, & mortale; ſed ex conſcientia erronea de eo, quod ſenex ille eſſet verus Propheta, & verum diceret: huiuſmodi autem conſcientiam non fuiſſe invincibiliter erroneam, alias à tota culpa illum excuſaſſet, ſed fuiſſe vincibiliter & culpabiliter erroneam, non errore affectato, quià alias aggravaret potius, quàm minuiſſet peccatum; ſed ex quadam negligentia ſciendi & inquirendi veritatem; etſi enim dictum ſenis propter eius authoritatem probabilitatem haberet, non debuit eſſe contentus probabilitate, ſed iuxta dictum Apoſtoli examinare, & probare veritatem: quod quià neglexit facere, & aliqua affectione non plenè deliberata, aut appetitu ſimili comedendi, vel quieſcendi prœventus diſſidioſus fuit, & neglexit orare, & magis veritatem examinare, propterea conſcientia ſic errans eum excuſavit à tanto, ſed non à toto, ideſt ab eo quod peccatum eſſet mortale, ſed non ab eo quod mereretur diſcerpi à leone; ſed ſi Deus ità hoc factum punivit, quid foret, ſi advertens dictum ſenis eſſe minus probabiliter verum, & magis probabiliter falſum, nihilominus relicta probabiliori apparientia pro mandato Dei, divertiſſet ad comedendum, & bibendum in domum ſenis? Sanè tunc caſus iàm error videretur affectatus, & nedum non minueret, ſed forsàn culpam augeret. Conſtat igitur ex prędicto textu ſolam probabilitatem ſine veritate non eſſe regulam rectam, & tutam, ſed vltra probabilitatem nos teneri pro poſſe ad inquirendam veritatem, & vſque dùm appareat veritas in vna parte prę alia, ità vt invincibiliter credatur vera illa pars præ oppoſita, minimè dari tutam regulam conſcientiæ, quæ omninò liberet à culpa.

60 Aliud exemplum adducit Terillus quæſt. 22. n. 201. ex Beata Virgine eiuſque ſponſo, *quos*, inquit, *ſola* probabilitas excuſavit, quãdò ipſis Hieroſolymam redeũtibus puer Ieſus remanſit in Ieruſalem; nàm vt habetur Luc. 2. ℣. 44. *Exiſtimantes eum eſſe in comitatu venerunt iter diei & requirebant eum inter cognatos, & notos.* Ecce, inquit,

integrum diem progressi sunt absque amantissimo Iesu. Peto iàm quid eos excusavit, quominus illum citius quærerent? Non aliud quàm probabilitas, quod esset in comitatu. Hactenus Terillus. Sed ab ipso ego peto, àn probabilitas minor, vel æqualis pro eo quod esset in comitatu iuncta cùm maiori, vel æquali probabilitate pro eo quod illum relinquerent in Hierosolyma? Vel àn probabilitas in solidum, aut maior pro eo quod esset in comitatu? Si hoc secundum, argumentum, aut exemplum non est ad rem, quià solum probat maiorem probabilitatem, aut probabilitatem in solidum excusare. Si primum, quis non miretur Terillum intrepide velle asserere Sanctissimam Virginem ità parum curasse de Sanctissimo puero Iesu, vt cùm maiori vel æquali probabilitate quod esset in Hierosolyma, illum amissum relinqueret? O qualia dicuntur, vt honestetur probabilissmum! Sanè, si piè, si devotè, vt decet de Sanctissima Virgine loquendum sit, credendum est firmiter ei per integrum illum diem aliud non occurrisse menti, nisi quod puer Iesus veniebat in comitatu, & quod statim àc ratio dubitandi menti oblata fuit, cæperunt diligentissimè illum quærere, & redierunt Hierosolymam, dicere autem quod Beata Virgo cùm maiori probabilitate, quod maneret in Hierosolyma, & minori quod esset in comitatu, securè, & quietè veniebat, indebotum omninò est, si non impium.

Scio etiam contrariorum aliquos probabilissmum Cælo inferre conatos fuisse, àc ipsos Sanctos, & Beatos Angelos opinionibus æquè vel minus probabilibus suas actiones regulare interdum probare voluisse; sed hos, & similes ausus melius contemnendos duxi, quàm pro eis enervandis tempus terere. Certum enim mihi est, nec in statu Beatitudinis, imò nec in statu Innocentiæ, & iustitiæ originalis, errorē vllum, imò nec opinionē, quæ erroris periculo laboraret, esse potuisse; àc proinde, nec Beatos Angelos, nec Sanctissimam Virginem similibus opinionibus suas regulasse actiones.

61 Ex quibus iàm patet quantum excedat nostra reflexa pro lege in probabilitate desumpta ex Sacra Pagina reflexam contrariorum pro libertate, cùm contrarij pro se nihil momenti ex Sacra Scriptura afferant, nos autem loca vrgentissima adduxerimus, eaque interprætati sumus, non ex proprio captu, sed ex mente Patrum, & meliorum Expositorum; àc proinde attenta Sacra Pagina, nostra reflexa est absdubio longe probabilior opposita, quod legentis iudicio remittimus.

ART. II.

An ex Sacrorum Canonum Authoritate sit probabilior nostra reflexa?

62 INVITVS De Sacrorum Canonum intelligentia sermonem instituo, quià video non licere mittere falcem propriam in messem alienam; ceterum quià video Probabilistas modernos, qui penè omnes Theologi sunt, contendere, sine causa quidem suam sententiam Sacris Canonibus esse conformiorem, ideò, licet breviter, probandum assumo nostram potius eis esse conformem, contrariam autem eis adversam. Sit ergò.

§. I.

Probatur ex Sacris Canonibus nostra sententia.

63 DICO Igitur: *Nostram sententiam de sequenda parte tutiori inter æquè probabilia esse valde conformiorem Sacris Canonibus, quàm contraria.* Probatur primò, nàm de intelligentia, & mente Sacrorum Canonum potius credendum est Canonistis, quàm Theologis; atqui Antonius Merenda in Academia Bononiensi Primariæ Iuris Cathedræ Moderator insignis; nec non Prosper Fagnanus, vt inquit Magister Gonet, vir insignis, & Romæ vtriusque signaturæ Referendarius, qui tribus Summis Pontificibus Vrbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. in gravissimis negotijs inservivit, apertè sentiunt nostram sententiam Sacris Canonibus esse conformem, & oppositam reijciunt vti illis adversam: ergò ita reipsa esse credendum est; quandoquidem non dabunt contrarij alios Canonistas pro sua sententia, qui ità rem à fundamentis examinaverint, & tractaverint ex professo.

64 Secundò probatur assumptum ex capite *Ad audientiam*; & ex capite *significasti* secundò: & ex capite *petitio*. In quibus, vt supra vidimus quæst. 16. à num. 5. Summi Pontifices, seu Ius Canonicum expressè decernit, aut supponit, quod in dubijs semitam debemus eligere tutiorem, & ex hac regula tres illos casus resolvit: sed quandò sunt æquè probabiles opiniones contradicentes circa licitum, & illicitum sumus in dubio de licito, vel illicito: ergò tunc constat ex iure Canonico nos debere semitam eligere tutiorem. Quæ ad hoc contrarij respondent, satis superque impugnata manent loco citato.

Ter-

65 Tertiò probatur ex capite: *Inquisitioni.* In quo Pontifex cuidam dubio de petendo, vel reddendo debito sic respondet: *Inquisitioni tuæ respondentes, credimus distinguendum, vtrum si alter coniugum pro certò sciat impedimentum coniugis, propter quod sinè mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quanvis illud apud Ecclesiam probare non possit; an nesciat pro certò, sed credat. In primo casu debet potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus vtrum habeat conscientiam huiusmodi, ex credulitate levi, & temeraria; an probabili, & discreta. Et quidem ad sui Pastoris consilium conscientia levi, & temerariæ credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum coniugale. Verum cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quanvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, nè alterum vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.*

66 Idem asserit Summus Pontifex Lucius III. in capite *Dominus* de servandis nuptijs, vbi ait, quod *si aliquis, vel aliqua de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; quod à se tamèn noverit nullatenus exigendum: Quod si post hoc de prioris coniugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur.* Ex quibus verbis sic argumentor; qui ex credulitate probabili animum pulsante dubitat de valore sui matrimonij non potest licitè exigere debitum: sed si esset licitum in dubijs conscientiæ sequi partem æquè, aut minus probabilem licitè posset exigere debitum, quamvis in contra pulsaret animum credulitas probabilis, & discreta: ergò sentit Summus Pontifex Innocentius III. cuius est caput: *Inquisitioni.* non esse licitum sequi in conscientia opinionem minus, aut æquè probabilem, dum in contra pulsat animum credulitas probabilis, & discreta.

67 Huic textui, evidenter apud me intentum convincenti respondet primo Terillus quæst. 26. n. 65. quod caput: *Inquisitioni.* non obstat, quia Sanchez, tom. 1. de matrimonio lib. 2. disputatione 41. solidissime probat coniugem dubium de valore matrimonij, si post debitam diligentiam adhibitam dubium perseveret, licitè posse non solum reddere, sed etiam petere debitum, pro se citans aliquos Authores, qui cùm ipso Sanchez asserunt caput illud: *Inquisitioni.* esse intellegendum cùm non fuerit adhibita debita diligentia.

Sed sanè huiusmodi solutio Terilli videtur anteponere Sanchez, & illos Authores textui allato, quasi dicat *Respondeo textum Pontificis non obstare*; quia Sanchez cùm aliquibus sentit contrarium. Dicere autem quod Pontifex non loquitur, nisi antequam fuerit facta debita diligentia, est purè voluntarium; imò contra evidentiam textus, nàm re ipsa facta iàm erat possibilis diligentia pro veritate detegenda, & tunc quia nondum veritas haberi potuit, recursus fuit ad Sedem Apostolicam; nec enim credibile est, quod aliquis recursum faciet ad Sedem Apostolicam in dubio aliquo, nisi post factam debitam diligentiam: ergò Pontifex supponebat in illa sua decisione factam debitam diligentiam pro posse humano; & nihilominus tamèn decidit quod si credulitas probabilis, & discreta pulsaverit animum in contra, non possit petere debitum: ergò sensus expressus Pontificis intelligendus est, etiam si id contingat post factam debitam diligentiam.

68 Contra secundo, quia Pontifex statuit regulam illam vniversalem, quod *si conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, non evidenti, nec manifesta, non potest petere debitum*, cuius rationem reddit, *nè contra conscientiam committat offensam*: ergò sentit Summus Pontifex quod quotiescumque conscientia ex credulitate probabili, & discreta pulsaverit animum, erit agere contra conscientiam, petere debitum: ergò si adhuc facta diligentia, perseveret credulitas discreta, & probabilis in contra, adhuc facta diligentia non potest coniux petere debitum.

69 Vidit forsàn in suficientem hanc evasionem Terillus, & ideò secundò respondet caput illud: *Inquisitioni.* intelligendum esse, casu quo solum sit probabile impedimentum dirimens matrimonium; non autem casu quo sit etiam probabile oppositum, scilicèt validitas matrimonij; verum autem est, quod si non sit probabilitas pro valore matrimonij, sed solum probabilitas pro impedimento, tunc nequit petere debitum, quia pro hoc non habet probabiliterem; hoc autem non præiudicat Probabilistis, qui solum dicunt esse licitum sequi partem verè & certò probabilem.

Sed etiam hæc expositio est contra textum, qui vniversaliter asserit non posse petere debitum, si pro impedimento *pulset animum credulitas probabilis, & discreta, quæ non sit levis, & temeraria*, & in hoc fun-

fundat totam suam rationem Summus Pontifex; sed etiam quando est probabilitas æqualis, vel minor pro valore Sacramenti, si tamèn maneat verè, & certò probabile impedimentum contra petitionem debiti, adhuc pulsat animum credulitas probabilis, & discreta, siquidem vera æqualis, vel maior probabilitas pro impedimento est credulitas non levis, & temeraria, sed probabilis, & discreta: ergò adhuc in eo casu valet ratio, & sententia Pontificis.

70 Secundo: quià in illo casu, de quo erat interrogatio, supponitur vtraque pars probabilis, supponitur enim probabile impedimentum, eo quod coniux visla fuit cùm consanguineo mariti nudus cùm nuda in loco suspecto. Supponitur etiam probabile matrimonium fuisse validum, tùm quià pacificè fuit contractum, & in pacifica possessione diù duravit. Tùm quià credibile erat coniugem, si contraxisset antea cùm consanguineo mariti impedimentum, non tam pacificè matrimonium contracturam. Tùm denique quià honor coniugis, & incertitudo de opposito, exigebant nè malè præsumeretur de ipsa, & sic, omnibus inspectis, vtrimque erant motiva æqualia, pro impedimento, & pro non impedimento; ac proindè vtrimque erat probabilitas, & motivum grave, seu gravis momenti, cuius signum evidens est recursus factus ad Summum Pontificem, qui sanè factus non fuisset nisi vtrimque militarent motiva gravia, & verè probabilia; si enim tantum pars vna, nimirum impedimentum, fuisset certò probabilis, valor autem matrimonij esset improbabilis, non esset locus prudenti dubio; nemo enim prudenter dubitat inter partes contradictionis, quarum vna est certò probabilis, altera improbabilis: ergò cùm negari non possit dubium illud pro cuius decisione factus fuit recursus ad Sedem Apostolicam fuisse prudens, supponendum est fuisse vtrimque probabile.

71 Propterea Terillus tertio respondet, quod *si Canon intelligatur pro casu quo vtraque pars post diligens examen inveniatur certò probabilis, si coniux aut formet iudicium probabile, quod nullum sit impedimentum, vti potest si velit, aut suspendat iudicium, manendo in dubio negativo, dicit, quod licitè potest petere debitum, quià titulus, & favor possessionis in tali casu prævalet.* Sed contra; nàm si coniux posset, si vellet, formare iudicium probabile, & prudens quod nullum esset impedimentum, vel suspendere iudicium, & manere in dubio negativo, cùr Summus Pontifex id non arbitratus est, quo facile omnia componeret; cùr dixit tunc solum posse deponere dubium, quando illud esset ex credulitate levi, & temeraria, & tunc quidem non pro libito, sed de consilio sui Pastoris? cùr ad hoc non impertivit licentiam etiam si conscientia pulsaret animum ex credulitate probabili; quandoquidem etiam in hoc casu poterat coniux iuxta Terillum, si vellet, prudenter deponere illam credulitatem probabilem, & conscientiam positive dubiam, iudicando prudenter nullum esse impedimentum? Cùr demum coniugem in tali casu obligavit ad non postulandum debitum? Consideret quisque solutiones Terilli cùm verbis Canonis, & iudicet àn expresse Canoni contradicat?

72 Quartò denique respondet Arriaga apud Terillum, quod Canon intelligendus est per modum præcepti, non per modum decisionis moralis, & doctrinalis; àc proinde solum probare, quod in illo casu non liceat sequi partem minus, aut æquè probabilem pro libertate, quià id prohibitum fuit à Summo Pontifice pro illo casu. Ceterum ante talem decisionem in illo casu, & post illam, in quolibet alio, semper manet licitum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam. Sed etiam huiusmodi evasio est expresse contra textum. Nàm Pontifex in illo, vt legenti constabit, procedit modo doctrinali respondendo inquisitioni, & interrogationi factæ, distinguendo, & dividendo per partes suam resolutionem. Nemo autem respondet consulenti, & interroganti in dubio aliquo, imponendo præceptum, vti superior subdito, sed dando resolutionem, vti Doctor discipulo: ergò textus ille, non continet præceptum novum Pontificis, sed declarationem iuris naturalis, & positivi antiqui, servandi in similibus dubijs. Secundò, quià talis intelligentia Arriagæ est nova, & contra communem sensum Antiquorũ omnium; imò & reliqui omnes præter ipsum agnoscunt talem textum esse decisionem moralem, & doctrinalem, non præceptum.

Tertiò: nàm si independenter à tali præcepto liceret coniugi petere debitum tuta conscientia, imprudenter Pontifex imponeret præceptum non petendi debitum, & contra ius naturale ipsius coniugis; cõiuges enim quandoquumque licitè, & tuta conscientia possunt petere debitum, ius habent illud exigendi, cùm petitio licita debiti in iure fundari debeat: ergò si tunc casus coniugi interdicit Pontifex petere debi-

debitum, contra ius coniugis præciperet. Hoc autem quis credat de Summo Pontifice? Quando enim vnquam coniugi potenti licitè, & tuta conſcientia exigere debitum, & ad id ius poſsidenti interdixit nè debitum exigeret? Sane, ſi id aliquando contingeret, foret in pœnam alicuius maximi delicti certi: & nec tunc quidem legimus Pontificem talem pœnam impoſſuiſſe; attamen in caſu prædicti Canonis, nullum tale delictum commiſerat coniux, nec Pontifex ſententiam pœnalem profert, cùm cauſam criminalem non ſupponat formatam adverſus illum: ergò alieniſsimum eſt à veritate dicere coniuges in eo caſu ante deciſsionem Pontificis poſſe quidem licitè petere debitum, ideò autem poſtea non potuiſſe, quià prohibitum fuit à Summo Pontifice. Ac denique, quià Pontifex reddit rationem ſuæ deciſsionis. *Ne alterum, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ commitat offenſſam*: ergò ſentiebat Pontifex, vnum è duobus illis malis neceſſariò ſequi, ſi peteret debitum, vel ſi illud negaret, & ideò decidit, nec eſſe negandum nec poſtulandum: ergò eſt deciſsio doctrinalis circa ius præexiſtens, non præceptum novum.

73 Ex quibus patet, quantum nobis faveat caput illud, *Inquiſitioni*, quandoquidem mille modis tentant contrarij illi reſpondere, & nullam ſolidam evaſionem inveniunt, quæ ipſo textui non contradicat, & ex ipſo facile non convincatur. Nota tamèn valde caſum illum, vt fatetur Terillus, ſupponere poſſeſsionem antecedentem pro matrimonio, & nihilominus tamèn coniugi habenti credibilitatem probabilem in contra, non profuit titulus poſſeſsionis præcedentis, nè Pontifex declaraſſet teneri ad non poſtulandum debitum; quanto ergò minus prodeſſe debet poſſeſsio antecedens pro libertate, quam plerumque allegant contrarij in conflictu opinionis probabilis.

74 Caput etiam *Dominus* relatus, aptiſsime facit ad noſtrum intentum, nàm vt Panormitanus interpretatur, & Terillus approbat, intelligi debet *Vbi quis veroſimilitèr dubitat de morte prioris coniugis*: ſed tunc veroſimilitèr dubitat, cùm vtrimque adſunt rationes, & motiva probabilia æqualia, vel ferè æqualia: ergò Canon ille debet intelligi vbi vtrumque eſt æquè probabile, & priorem coniugem vivere, & interiiſſe. Et tamèn tunc caſus decidit Summus Pontifex coniugem ſic intèr vtramque partem probabilem conſtitutum non poſſe exigere debitum: ergò ſentit non licere ſequi partem æquè, vel minus probabilem pro libertate, ſivè minus tutam relicta probabiliori, & tutiori.

75 Tandem confirmatur quià Sedes Apoſtolica in omni caſu dubio, vbi vtrimque eſt ratio dubitandi prudens, ſemper reſolvit partem magis tutam, & quę magis periculo caret, & reſolvit ex illa regula, quod in dubijs tutior ſemita eſt eligenda. Ità in cap. *Ad audientiâ, de homicidio*. In capite *ſignificaſti, ſecundo, eodem titulo*. In capite, *petitio, eodem titulo*. Item in capite *veniens* de Præsbitero non baptizato. Item in capite. *Iuvenis*, de Sponſalibus, vbi expreſſe Pontifex ait: in his quæ dubia ſunt, *quod certius exiſtimamus tenere debemus*. Demum in capite *Illud* de clerico excomunicato. In omnibus his locis Pontifices reſolvunt quid faciendum ſit in caſibus dubijs, per illam regulã, quod in dubijs ſemitam debemus eligere tutiorem: atqui omnis caſus in quo tam pro lege, quam pro libertate ſunt opiniones æquè probabiles, eſt caſus dubius durante æquali probabilitate pro vtraque parte contradictionis: ergò in omnibus his non alitèr poteſt formari conſcientia, niſi decidendo, & iudicando ſemitam tutiorem eſſe eligendam.

76 Reſpondet Terillus quæſtione 26. num. 21. prædictam regulam continere quidem præceptum iuris naturalis, cui contravenire eſt peccatum, quoties intellectus propriè dubitat de honeſtate operationis hic & nunc exercendæ, & in hoc omnes convenire; ſi autem illa regula intelligitur de dubio, ſivè iuris, ſivè facti, ſivè operis, ſivè operationis, ſivè proprio, ſivè improprio, hoc eſt, pro aliquo formidoloſè credito, *audacter dico illam regulam ſolum continere conſilium, non præceptum*. Pro quo citat Tabienam, Sylveſtrum, Sanctium, Antoninum, & alios, eo quod dicunt *tutiora quidem ſectanda eſſe non ex præcepto, ſed ex conſilio*, eo quod ſi tutiora vniverſalitèr eſſent ſectanda, obligarentur plurimi ingredi Religionem; imò nec probabiliora minus tuta ſectari liceret; inde alia plura aggerat omnino extra propoſitum.

77 Sed contra eſt, & imprimis concedo Pontifices non loqui de caſibus, in quibus non ſit dubium propriè dictum, ſeu in quibus prudentèr credatur vna pars vt vera etſi cùm levi formidine alteriuss imò ſentit in cap. *Inquiſitioni*, quod tunc levis formido ſeu credulitas de oppoſito explodenda eſt de conſilio ſui Paſtoris. Concedo ergò quod ſolum loquitur in caſibus verè dubijs, in quibus rationes vr-

gen-

gentes pro vtraque parte graves & probabiles reddunt veritatem ambiguam: huiuſmodi autem erant omnes caſus de quibus fiebat conſultatio. His autem in caſibus, nego ſecuriſsimè quod Pontifices intelligant illam regulam de conſilio & non de præcepto; hoc enim falſum eſſe iàm probavi quæſt. 16. num. 8. Sed dum quis verſatur intèr opiniones contradicentes circa licitum & illicitum, æquè, aut ferè æquè probabiles, eſt caſus verè & propriè dubius in ſenſu dicto: ergò pro illo caſu intelligenda eſt regula de tutiori parte eligenda, vt præceptum & non vt conſilium.

Secundò, nàm quantum ad diſtinctionem de dubio operationis & dubio operis, inconſequentèr omninò, & etiam contra veritatem ait Terillus illam regulam ſolum eſſe præceptum in dubio operationis, non vero in dubio operis. Inconſequentèr quidem, nàm circa operationem vt hic & nunc exercendam nunquam admittit Terillus dubium, ſed ſolum certitudinem & evidentiam reflexam, vt conſtat ex eius doctrina ſupra relata, quæſt. 6. num. 11. & quæſt. 5. num. 24. & quæſt. 16. num. 74. ſuppoſito enim dubio directo circa opus vel obiectum, ait, ex natura rei reſultare certitudinem reflexam vel de honeſtate operationis, vel de eius inhoneſtate. Ergò in conſequenter ait regulam pontificiam intelligendam eſſe de præcepto, quando eſt dubium de honeſtate operationis, cùm tale dubium ipſe non admittat. Eſt etiam contra veritatem, quia regula Canonica intelligenda eſt de dubijs perſeveraturis poſt talem regulam intimatam fidelibus, aliàs non eſſet doctrinalis, nec vnquam perveniret caſus, in quo illa teneret in poſterum. Sed poſt illam regulam intimatam fidelibus non perſeverat, nec perſeverare poteſt dubium de honeſtate formali operationis in caſibus dubijs, nàm per illam regulam certificamur de honeſtate formali operationis, ſi eligatur pars tutior; & certificamur de inhoneſtate formali operationis, ſi eligatur pars dubia: ergò illa regula intelligenda eſt de caſibus, in quibus ſit dubium directum de honeſtate operis, non de caſibus, in quibus ſit dubium reflexum de honeſtate formali operationis, nàm de hac ſolvitur dubium per ipſam regulam.

Explicatur, Pontifices per talem regulam certum faciunt fore inhoneſtam formalitèr electionem partis dubiæ in dubio, ſiquidem obligant ad electionem partis tutioris: ſed non faciunt certam inhoneſtatem formalem operationis pro caſu in quo ſit dubia inhoneſtas formalis operationis, quià implicat caſus in quo ſit ſimul dubia & certa inhoneſtas formalis operationis: ergò ſolum faciunt certam inhoneſtatem formalem operationis pro caſu dubio de honeſtate vel inhoneſtate operis: ergò regula illa intelligenda eſt in caſu dubio, in quo dubitetur directè de honeſtate operis, & pro eo caſu certificat reflexè de obligatione ſectandi partem tutiorem & de inhoneſtate formali electionis, ſi eligatur pars dubia directè dubia. Nec aliter niſi implicatoriè intelligi poteſt ea regula, quià eſt regula reflexa ſupra dubium, certificans reflexè de obligatione in caſu dubio: ergò non in caſu dubio reflexè, alias certificaret reflexè in dubio reflexo, & coniungeret dubium reflexum de honeſtate formali cùm certitudine reflexa de illa, quod eſt chimericum: ſolum ergò rectè intelligitur de dubio directo circa honeſtatem operis vel obiecti, quià cùm hoc dubio rectè cohæret certitudo reflexa de obligatione ſequendi partem tutiorem, & de inhoneſtate formali electionis, ſi eligatur pars dubia.

Tertiò, quià diſtinctio illa de dubio iuris & dubio facti etiam eſt inutilis, quià vt ſupra oſtendimus, quæſt 16. num. 20. Vtrumque dubium tam iuris, quam facti inducit dubium practicum conſcientiæ. Sequitur ergò apertè regulam dictam Canonicam intelligendam eſſe de præcepto in dubio probabili directo, ſivè iuris, ſivè facti, circa honeſtatem vel inhoneſtatem operis, nec audiendum eſſe Terillum, quanvis audacter dicat oppoſitum.

78 Iàm Authores, quos adducit Terillus dicentes non eſſe præceptum ſectandi ſemper tutiora, & quod alias tenerentur plurimi ingredi religionem, & quod non liceret nec ſectari probabiliora, importune omnino opponuntur contra prædictos Canones, quià Canones, vt exprimitur in ipſis, loquuntur in caſibus dubijs; Authores vero illi loquuntur in caſibus, in quibus pars minus tuta pro libertate non eſt dubiæ honeſtatis, ſed certò licita, vt patet in exemplo quod adducunt de eo quod non tenemur ingredi religionem, nàm prætèr religiones, plures ſtatus ſunt in ſæculo certò liciti, & honeſti.

79 Iàm item quod ait non eſſe caſum dubij, quando pars minus tuta eſt directè probabilis æquè, aut minus, quam oppoſita, quià tunc reflexa eſt longe probabi-

lior oppoſita tutiori. Reſpondeo id eſſe falſiſsimum, cùm potius ex præ dictis Canonibus manifeſtè ſequatur partē minus tutam eſſe reflexè improbabilem in illo bivio æqualis probabilitatis; Pontifices enim reflexè loquuntur ſupponentes illud dubium directum, & reflexè definiunt in ſimilibus dubijs nos debere partem eligere tutiorem: ergò iàm eſt reflexè improbabile quod poſsit eligi minus tuta in illis, & ſimilibus dubijs directis, ſupra quæ faciunt reflexionem: ergò pars minus tuta manet reflexè improbabilis; vndè igitur, vel ex quo Canone ſupponit Terillus partem minus tutam in ſimilibus caſibus dubijs eſſe reflexè probabiliorem?

80 At forsàn nos incuſabit Terillus, quod eum non intelligimus; ſiquidem ipſe loquitur caſu quo dubitans deponat prudenter dubium, & bona fide credat opus eſſe licitum, nos autem loquimur durante dubio, vndè nec ipſi contra dicimus, nec eum in ſenſu, quo loquitur, impugnamus. Sed contra, eſt quià tota difficultas eſt in depoſitione dubij, & in credendo bona fide opus eſſe licitum, hic labor, hoc opus; ſcimus enim, & fatemur omnes, quod qui prudenter deponit dubium, & bona fide credit opus eſſe licitum, licitè illud aggreditur, ab hoc enim nullus Theologus vnquam diſſenſit. Ceterum negamus, quod inter æqualia motiva pro vtraque parte contradictionis, æquèque probabilia, quæ fidelitèr librata ſunt formaliſsimè rationes dubitandi, poſsit quiſque pro arbitratu prudenter deponere dubium, & credere opus ſibi eſſe licitum. Quod quidem ex præcedentibus capitibus confirmamus; nàm ſi inter rationes dubitandi vtrimque æquales poſſet quiſque pro libito prudenter deponere dubium, Pontifices in prædictis dubijs facile reſpondiſſent in illis debere quemlibet, vel poſſe prudenter deponere dubium, & credere bona fide opus ſibi licere, qua reſponſione iuxta contrarios omnia eſſent in tuto. Ità tamèn minimè reſpondent, niſi quando conſcientia pulſat animum ex levi, & temeraria credulitate; tunc ſanè aiunt eſſe deponendum dubium ad conſilium ſui Paſtoris; cùm autem conſcientia animum pulſaverit ex motivo probabili, & gravi, vti contingit quãdo quis dubitat inter motiva vtrimque æque probabilia, tunc minimè dicunt eſſe deponendum dubium, ſed aliam reſolutionem non inveniunt, niſi eligendam eſſe ſemitam tutiorem, profecto declarantes, tunc non eſſe ad manum deponere dubiũ pro arbitratu, nec id forè medium, aut modum licitum procedendi, ſed non eſſe aliud medium licitum in ſimilibus dubijs, niſi eligere partem tutiorem.

81 Confirmantur denique dicta ex Clementina de *verborum ſignificatione* capite *exivi*. Vbi cùm Patres Minores interrogaſſent Pontificem, àn tenerentur ſub vi præcepti ad ea, quæ in regula per verbum imperativi modi ſignificabantur? Pontifex ſic reſpondet. *Nos itaque, qui in ſinceris horum conſcientijs delectamur, attendentes, quod in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda: dicimus quod licet fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æquipolentium obſervantiam teneantur, expedit tamèn ipſis fratribus ad obſervandam puritatem regulæ & rigorem, quod ad ea ſicut ad æquipolentia præceptis ſe noverint obligatos, quæ hic inferius notantur.* Ecce caſum in quo erant opiniones vtrimque probabiles àn tenerentur vel non Fratres Minores ad ea, quæ ponebantur in regula ſub verbo imperativi modi, & nihilominus Pontifex reſpondet, quod ad vitandos graves remorſus conſcientiæ pars ſecurior eſt tenenda, & quod expedit ipſis Fatribus, quod *ſe noverint obligatos, tanquam ad præcepta, ad ea quæ ibi notantur*, quæ ſic exprimit Summus Pontifex. *Vt autem hæc quæ videri poſſunt æquipolentia præceptis ex vi verbi, vel ſaltèm ratione materiæ, de quæ agitur, ſeu ex vtroque ſimul ſub compendio habeantur, declaramus, &c.* Ergò reſolvit Summus Pontifex, quod quià in dubijs ſecurior pars eſt eligenda, expedit quod fratres noverint ſe obligatos tanquam ad præcepta, ad ea quæ videri poſſunt æquipolentia præceptis: ergò in quocumque dubio probabili expedit ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, quod quiſque noverit ſe obligatum ad partem tutiorem eligendam.

82 Reſpondet Terillus ex Palavicino, quod Pontifex potius declaravit, quod per illud verbum imperativi modi non imponebatur præceptum in regula, quo declarato, iàm non remanebat amplius controverſia, adeòque fratrum conſcientiæ poterant eſſe tutiſsimæ. Sed contra nàm Pontifex minimè tale declarat; ſolum enim ſupponit, quod fratres, *non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur, tamquam ad præceptorum obſervantiam teneantur*. Hoc autem non eſt abſolutè declarare quod per verbum illud imperativi modi non imponitur præceptum in regula, alias declararet, quod

ad

ad nulla, quæ sub tali verbo ponebantur in regula, tenerentur; quod tamèn non facit, sed solum supponit quod non teneantur ad omnia, quasi dicens ad aliqua teneri tanquam ad præcepta, vel præceptis æquipolentia, ad alia non: sed quià opiniones erant diversæ circa ea, quæ haberent vim præcepti, vel non, propterea Summus Pontifex ait, quod quià in dubijs securior pars est eligenda ad vitandos graves remorsus conscientiæ, & ipse non vult quod tales graves remorsus habeant, sed potius delectatur in sinceris eorum conscientijs, propterea *expedire*, ait, *quod se noverint obligatos ad ea, quæ videri possunt æquipolentia præceptis, ex vi verbi, vel ratione materiæ, vel ex utroque simul*; quænam autem ista sint, ibi declarat per compendium: ergò falsissimum est, quod Summus Pontifex ibi declarat vniversaliter: *Per verbum imperativi modi non imponi præceptum, & quod iàm non remanebat controversia, sed conscientiæ poterant esse tutissimæ.* Quandoquidem, *quià ad graves remorsus conscientiæ vitandos pars securior est tenenda, expedire, ait, ipsis fratribus, vt se noverint obligatos ad ea, quæ videri possunt æquipolentia præceptis*, quæ ibi assignat. Vnde semper confirmatur, quod in dubio vtrimque probabili necessum iudicavit Pontifex partem tutiorem eligere, & aliter vitari non posse graves remorsus conscientiæ, nec conscientiam posse esse tutam, & quietam.

§. II.

Solvuntur obiecta.

83 PRIMO Obijcit Terillus in sui favorem illam regulam iuris: *In dubio melior est conditio possidentis.* Sed hanc solum tenere in materia & foro iustitiæ, minimèque extendi ad possessionem libertatis iàm suprà ostendimus quæst. 21. àc proinde non est ad rem. Secundò obijcit caput *Nè initaris.* dicens nostram sententiam esse contra Scripturam, Patres, & ferè omnes Doctores, àc proinde nos illi inhærentes propriæ prudentiæ inniti, & in prædictum Canonem peccare. Sed illud erat probandum, non supponendum: quantum enim attinet ad Sacram Scripturam, articulo præcedenti vidimus quænam potius illi contradicat, nostra, àn opposita sententia. Quoad Patres, & Doctores examinandum est in posterum, nec iàm supponendum, quod oppositæ sententiæ faveant, & nostræ cõntradicant.

84 Tertiò obijcit ex capite? *Ego solis, distinct.* 9. in quo Augustinus ait rationes probabiles sufficere ad regulandum iudicium prudens. Sed hoc nos etiam dicimus, dummodo non concurrant magis, vel æquè probabiles pro contrario: sicut testimonium credibile, & fidedignum apud omnes sufficit ad prudentèr credendum; ceterum intelligitur dummodo in contra non sit aliud testimonium æquè, vel magis credibile, & fidedignum.

Quartò obijcit ex cap 12 de homicidio in 6. circa finem, in quo Innocent. IIII. expressè docet, quod *postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem scelus commisisse*, ille habendus sit excomunicatus, & ipsofacto sit depositus ab officio, & beneficio. Sed textus hic potius est contra Terillum; ex illo enim sic argumentor: etsi aliquis foret in possessione suæ famæ, officij, & beneficij, statim àc constiterit probabilibus argumentis illud scelus execrabile commisisse, manet excomunicatus ipsofacto, depositusque ab officio, & beneficio: ergò etiam si aliquis fuerit in possessione libertatis, & licentiæ ad aliquid faciendum, statim àc constiterit probabilibus argumentis illud sibi esse prohibitum, debet se gerere circa illud vt prohibitum, & ipsofacto privatur licentia, & libertate illud faciendi; sed quando est opinio æquè, vel magis probabilis dicens esse prohibitum, iàm constat probabilibus argumentis illud esse prohibitum: ergò.

85 Quintò obijcit omnes Canones, & iura, quæ præscribunt standum esse Antiquæ consuetudini, & communi proborum sententiæ: *Sed ante Iansenium*, inquit, *reflexa pro libertate eiusque vsus instàr consuetudinis, & doctrinæ legitimæ in Ecclesia viguit, quod nè quidem adversarij audent negare*: *ergò*. Sed quis æquo ferat animo similia argumenta? Omnes Authores nostræ sententiæ, nullo excepto, negant, & millies negant, quod reflexa contrariorum pro libertate audita fuerit in Ecclesia ante præsens sæculum; probantque esse doctrinam novam à Recentioribus, pleriſque Casuistis, quam Theologis, introductam novissimis his temporibus. Quomodo ergò aut quo iure inquit Terillus nostros nec audere quidem negare quod opposita sententia viguerit in Ecclesia ante Iansenium instar consuetudinis, & doctrinæ legitimæ? Sed de hoc infra.

86 Sextò obijcit Terillus ex capite, *sicuti quædam*, distinctione 14. in quo

Leo

Leo Papa hæc habet *In his, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adverſum*; ſed reflexa pro libertate non ſolum non eſt nec præceptis evangelicis contraria, nec Decretis Sanctorum Patrum adverſa, ſed etiam communi omnium Antiquorum, & Recentiorum praxi conformis: ergò. Reſpondeo diſtinguendo minorem, formaliter & expreſsè, tranſeat minor: illativè, ſeu implicitè, nego minorem; quæ non debet ſupponi, ſed probari, nàm eſt ipſa de qua in præſenti litigamus: nos probabiliter aſſerimus ipſam eſſe præceptis evangelicis, & apoſtolicis, ſaltèm illativè, contrariam, ex Apoſtolo dicente: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, & ex illa regula evangelica: *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam*, & ex alijs ſupra adductis. Item in præſenti articulo probare conamur illam eſſe Sacris Canonib. adverſam, in ſequenti ſuadebimus eſſe menti Sanctorum Patrum, & antiquorum Theolog. oppoſitam: ergò, dum litigium hoc durat, non eſt ſupponendum, ſed probandum oppoſitum.

87 Septimò arguit ex capite finali de *ſponſa duorum*. adiuncto capiti *Licet*, quià in capite *Licet* declarat Pontifex matrimonium antecedens ratum non irritari per ſubſequens, ſed ſponſam priori viro reſtituendam, quanvis aliqui Pontifices priores contrarium iudicaſſent, hoc eſt, vt interpretatur Covarrubias in 4. Decretalium capite 7. §. 3. num. 5. opinati fuiſſent, quià legem oppoſitam per abſolutam declarationem non condiderunt. Et caput finale declarat eamdem ſeparationem debere fieri, non obſtante conſuetudine contraria, quæ vigebat in Eccleſia Mutinenſi: indeque ſic primo arguit Terillus: in re ſummi momenti Pontifices ipſi, ſaltèm vt privati Doctores, ſentiebant oppoſita; & tamèn illi tuti fuerunt in conſcientia: ergò tutus erit in conſcientia, qui quam maluerit ex opinionibus probabilibus contradicentibus opinaverit veram. Secundo: quià poſtquam caput *Licet* dictatum fuit ab Alexandro III. multis annis duravit conſuetudo in Eccleſia Mutinenſi, vt matrimonium conſummatum præferretur priori rato; poſtea autem Epiſcopus Mutinenſis dubitavit de honeſtate huius conſuetudinis coram Innocentio III. & reſpondit Innocentius illam eſſe abrogandam: nihilominus tamèn non damnat peccati eos qui bona fide iuxta prædictam conſuetudinem cohabitabant; ergò ſolum probabile iudicium eos excuſabat.

Confirmat, quià tunc erant oppoſitæ opiniones Doctorum circa illam conſuetudinem, & tamèn interhanc contrarietatem opinionum excuſabãtur, qui manebant in ſecũdò matrimonio conſummato, priori rato: ergò opinio probabilis excuſat à culpa. Minorem probat ex Covarrubia qui loco citato ait: *communis eſt Doctorum ibi ſententia, quod matrimonia ſecunda carnali copula conſummata, ante illum textum præferenda ſint primis non conſummatis, quibus accedit quod conſuetudo, cuius ille textus meminit, honeſta àc iuſta communiter credebatur.*

88 Reſpondeo, conceſſo textu, & primo antecedenti, negando conſequentiam, quià ſi Pontifices ſenſerunt oppoſita, ideò fuit quià ex vi illorum quæ potuerunt conſiderare priores Pontifices, illis fuit longe probabilius, vel vnicè probabile quod matrimonia conſummata præferri deberent non conſummatis. Poſteriores vero aliâ potuerunt conſiderare, experientia docti, quibus ipſis oppoſitum longe probabilius, vel vnicè probabile viſum fuit: & hoc pacto vtrique Pontifices contrariè ſentientes excuſantur; non vero quià ſecuti ſunt quæ ipſis ante affectum ſuæ voluntatis apparebant minus probabilia præ oppoſitis; quis enim credat de Summis Pontificibus, adhuc vt privatis Doctoribus, quod eam doctrinam ex affectu voluntatis tradebant, quæ ipſis ante affectum voluntatis erat magis probabiliter falſa, quam vera, minuſque tantum probabilis quam oppoſita? Certè, ſi piè ſentiendum ſit, ſentire debemus quod adhuc vt privati Doctores nullam doctrinam tradebant, niſi quæ ipſis poſt omnia, quæ potuerant, motiva conſiderata ante affectum ſuæ voluntatis, vel vnicè probabilis, vel longe probabiliot oppoſita viſa fuit. Differentia vero fuit, quod vnus Sum. Pontifex potuit conſiderare, quod alterius conſiderationem invincibiliter latuit.

89 Ad ſecundum pariter reſpondeo quod in Eccleſia Mutinenſi ante caput *finale* non vtcumque probabile fuit eſſe honeſtum permanere in matrimonio conſummato relicto rato, ſed hoc fuit longe probabilius oppoſito; vndè iuxta Covarrubias illa conſuetudo communiter exiſtimabatur honeſta, & hæc erat communis ſententia Doctorum: ergò longe probabilior, quam oppoſita. Quid ergò mirum quod Summus Pontifex non damnet tanquam reos peccati eos qui interèr

ter duas opiniones sequebantur illam; quæ apud illos longe probabilior erat opposita; aut quid hoc interest ad probandum quod Sancti Pontifices approbarunt, vt licitum, vsum opinionis minus probabilis, relicta probabiliori? Addo vlterius quod in illo bivio opinionum vtraque erat pro lege, neutra pro libertate, neutra tuta; nàm permanere in matrimonio consummato erat periculosum propter iniuriam primi matrimonij rati, si forsàn illud de iure divino, aut naturali erat præferendum: redire ad primum ratum erat etiam periculosum nè iniuria fieret matrimonio consummato, si forsàn hoc debebat præferri: certum erat quod vnum ex illis erat contra legem matrimonij: prima opinio contendebat, quod perseverare in matrimonio consummato: secunda, quod redire ad ratum, & vtraque opinio erat pro lege; si autem illic habitantes ex duabus opinionibus pro lege sequebantur illam, quæ tunc magis probabilis erat, & communitèr honesta habebatur, quid amplius facere poterant? Casus nostræ quæstionis longe alius est, nàm est inter opiniones, quarum vna sit pro libertate, alia pro lege, ità vt tutum sit facere quod dictat opinio pro lege, periculosum autem facere pro libertate oppositum: quod opinio pro libertate sit minus, aut æquè tantum probabilis, quam opinio pro lege: & in hoc casu dicunt contrarij licere sequi minus probabilem, & minus tutam pro libertate, relicta tutiori, & probabiliori pro lege; hoc autem qualitèr inferri potest ex illo? Imò inde in nostrum favorem argumentum desumo, quod in Ecclesia Mutinensi nullus audebat regredi ad matrimonium ratum non consummatum relicto consummato, nec vtebantur pro libito vtraque opinione, ità vt, quando vellent, manerent in consummato, & quando vellent, redirent ad ratum, & qui hoc faceret, aut dictaret vt licitum, foret scandalosus; & tamèn iuxta Terillum de vtroque erat opinio probabilis: ergò tunc habebatur pro scandaloso sequi pro libito quam quisque mallet ex opinionibus probabilibus.

90 Octavo arguit ex capite *ex parte de censibus*. In quo extat casus, quod incolæ cuiusdam regionis solvebant vota Ecclesiæ, & interrogatur, in qua mensura exigenda sint à fidelibus talia vota? Respondet autem Summus Pontifex, quod si incolæ illius regionis consueverunt in eadem mensura solvere vota, ad eandem sunt cogendi; si vero consueverunt in diversis mensuris, *non sunt cogendi vt ad maiorem persolvant; quoniam, cùm huiusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à viris ecclesiasticis exigenda, nè tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* Sed perpende quæso Lector, quid hoc ad rem? imprimis Pontifex non declarat àn incolæ teneantur, vel non ad vota reddenda in maiori mensura, sed solum, quod ecclesiastici non debeant illa exigere plusquam in minori mensura; hoc autem potius est prohibere ecclesiasticis, nè sequantur in favorem suæ libertatis, & sui commodi opinionem minus probabilem ipsis, quam eis impertire licentiam sequendi minus probabilia. Solum enim vult Summus Pontifex quod exigant sibi certo debitam mensuram, prohibetque nè exigant mensuram solum probabilitèr ipsis debitam: ergò potius prohibet ipsis viam probabilitatis. At inquit, Terillus Pontificem supponere quod incolæ tantum teneantur ad minorem mensuram, & consequentèr quod tantum teneantur ad minus probabile, quià si tenerentur ad maiorem mensuram, non reputaret contra benignitatem Summus Pontifex ab illis exigere maiorem mensuram, cùm ad ipsam tenerentur ipsi sub sacrilegio.

Respondeo tamèn Pontificem, nec supponere ipsos teneri ad maiorem mensuram, nec non teneri nisi ad minorem, sed id non tangere: quidquid autem sit àn illi teneantur, vel non, dicit, ecclesiasticos non debere ab illis exigere nisi in maiori mensura. Et quidem in dubio àn incolæ deberent in maiori, vel minori mensura, ecclesiastici non poterant exigere maiorem mensuram: ergò Pontifex ad prohibendum ecclesiasticis exigere maiorem mensuram non indiget supponere, nec decidere, quod incolæ teneantur ad maiorem mensuram, sed ab hoc præscindere, vt præscindit, vel hoc relinquit sub dubio.

Deinde dato casu quod supponat illos non teneri ad maiorem, quid mirum si de obligatione ad maiorem mensuram nulla erat vera probabilitas, nec ex consuetudine, quia potius consuetudo erat in contra, vt quisque in maiori, vel minori, prout vellet, redderet votum, vt supponit Pontifex; nec ex ratione, quia ratio non prævalet in rebus gratuitis contra consuetudinem; illa autem vota, vt inquit Summus Pontifex, à principio fuerunt gratuita ergò non est ad rem argumentum Terilli.

91 Nono arguit Terillus caput: *Apostolicæ Sedis de Clerico ex comuni-*

nicato. Vbi Gregorius IX. hæc habet ad Canonicos Pragenſes: *Verum quià tempore ſuſpenſionis ignarè celebraſtis divina, vos reddit ignorantia probabilis excuſatos. Ceterum, ſi forte ignorantia craſa, & ſuppina, aut erronea fuerit, proptèr quod gratia diſpenſationis egeatis, eam vobis de benignitate Apoſtolica indulgemus.* Ecce, inquit Terillus, ignorantia probabilis excuſat à peccato; àt aliud nec docemus, nec intendimus.

Reſpondeò ignorantiam probabilem illam eſſe, quæ nititur motivo probabili, ſeu quando quis cogitat legem non eſſe, ex motivo probabili abſque æquali, vel maiori probabilitate in contra; nàm ſi habet æqualem, vel maiorem probabilitatem pro exiſtentia legis, quam pro non exiſtentia, minimè dici poteſt, quod habet ignorantiam probabilem, ſed ſolum, vel quod habet notitiam probabilem legis, vel quod habet dubietatem probabilem. Fatemur ergò, quod ignorantia probabilis legis excuſat à peccato; negamus tamèn, quod dubium probabile magis, vel æquè pro lege quam pro non lege excuſat: in illo autem, in cuius mente concurrit æqualis, vel maior probabilitas pro lege, quam pro non lege, ad ſummum dari poteſt dubium probabile de lege, non tamèn ignorantia probabilis; ſi autem velit ille avertere conſiderationem à motivo probabilitèr ſuadente legem, & interius ignorare, vel negare legem, tunc erit ignorantia affectata, non probabilis; ſi autem hoc fiat, non ex induſtria ad ignorandam, vel negandam legem, ſed ex negligentia inquirendi veritatem, erit ignorantia craſa. Quià igitur Pontifex dubitabat àn forsàn ignorantia illa fuiſſet huiuſmodi, propterea ſub conditione indulget diſpenſationem. Contrarijs autem incumbit probare quod ignorantia illius, qui habet pro lege motiva magis, vel æquè probabilia, quam pro non lege, & nihilominus ex affectu voluntatis non vult dubitare, prout ratio exigit, ſed potius negare legem, ſit ignorantia probabilis, & non potius affectata, vel craſa; quod cùm probare non poſſint, nec apparentèr quidem, nihil eis omnino prodeſt, quod ignorantia probabilis excuſet à culpa.

92 Alia plura adducere ſolent contrarij in quibus Pontifices in ſuis deciſionibus, vel in praxi ſecuti ſunt opiniones probabiles. Sed hoc argumentũ quam debile ſit, patet ex eo quod nunquam poſſunt probare ipſis Pontificibus eas opiniones ante affectum voluntatis viſas fuiſſe minus, aut æquè tantum probabiles ſuis contradicentibus; imò veriſimile eſt ideò iuxta illas opiniones Summos Pontifices decidiſſe, aut diſpenſaſſe, quià ante affectum ſuæ voluntatis, ex meritis motivorum apparuerunt illis, vel vnicè probabiles, vel probabiliores oppoſitis: ex eo autem quod Sum. Pontifex ſequatur opinionem, quæ poſt diligens examen, independenter ab affectione voluntatis, ex meritis motivorũ eſt ſibi vel longè probabilior oppoſita, vel vnicè probabilis, quis niſi ineptiſſimè inferat eſſe licitum nobis ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori oppoſita? Sed contra hoc replicant ſemper, & pro ſemper, & hic ſiſtunt, quod opinio benigna ſeu reflexa pro libertate eſt longe probabilior noſtra reflexa pro lege. Sed in hoc manifeſte declarant ſe omni penitus fundamento ſolido deſtitutos, quandoquidem alitèr nequeunt ſuam reflexam oſtendere probabiliorem, niſi ſupponendo illam eſſe probabiliorem, quaſi non eſſet hoc ipſum de quo diſputatio procedit.

ARTIC. III.

An ex Sanctis Patribus, reflexa pro libertate ſit probabilior noſtra pro lege.

93 INTER Sanctos Patres, potiſſimum locum intèr Latinos obtinet Auguſtinus: ex Græcis eminet Chriſoſtomus: ad Scholas excellit Angelicus Præceptor. Horum mentem potiſſime examinabimus.

§. I.

Examinatur mens Auguſtini.

94 DICO Igitur: *Auguſtinum expreſsè reprobare licentiam ſequendi quælibet, ſivè magis, ſivè minus probabilia.* Itaque magnus Doctor Auguſtinus libris tribus compoſitis contra Academicos plura docet, quæ probabiliſmum paritèr impugnant. Erat autem Academicorum error, veritatem inveniri non poſſe; àc proinde omnem aſſenſum, quo aliquid crederemus vt verum, eſſe expoſitum periculo proximo errandi; errorem autem adeò ſapienti procul fugiendũ exiſtimabant, vt eũ dicerent nulli dicto debere aſſentire vt vero, nè forsàn erraret, ſed omnia habenda vt probabilia, & in ſola probabilitate quieſcendum; quo

pacto ſecuros ſe putabant ab errore. Contra hos igitur agit Auguſtinus elegantiſsime per tres libros ſuadens veritatem eſſe invenibilem, àc proinde pluribus eſſe aſſentiendum vt veris, & non ſemper manendum in ſola probabilitate. Igitur lib. 3. cap. 15. adverſus illos hoc fortiſsimum tellum iacit: *Qui nihil approbat, nihil agit*, quaſi dicat: nullus facit nec agit, niſi quod iudicat faciendum; atqui per vos ſapiens de nihilo poteſt ferre iudicium, nihil poteſt approbare vt verum, ſed debet ſuſpendere iudicium: oportet igitur quod nihil omnino agat, ſed veluti truncus inanimatus ſit. Reſpondet autem ex perſona eorum, quod licet nihil approbent vt verum, habent tamèn probabilia plura, & quod ſufficit ad aliquod agendum, quod illud ipſis videatur probabile.

95 Sed contra inquit Auguſtinus; ſe diù cogitaſſe quomodo iſtud probabile, àc veriſimile poſsit actus noſtros ab erroré liberare; & primo inquit, *ſibi viſum fuiſſe belle tectum, & munitur*, hoc effugium. *Deinde tamèn, vbi totum cautius, circunſpexit, vidiſſe vnum aditum, quà inſecuros error irrueret.* Et hoc exemplo Academicos erroris convincit. Ponamus duos homines ſimul iter agentes ad eandem civitatem in bivio dubios ſtetiſſe. Vnus Academicus erat, alter ruſticus. Adfuit paſtor. Cui ruſticus: Qua itur ad civitatem? Et paſtor: Hac ibis, & non errabis. Aſſenſit ruſticus, & peregit iter. Academicus autem contepſit ruſticum, eo quod dicto paſtoris non habenti probabilitatem tam cito credidit, eumque damnavit erroris. Interim advenit per aliam partem, ſeu viam quidam, qui Politici & diſcreti habitum præſeferebat, cui Academicus. Qua itur, interrogat, ad civitatem? Et ille, qui illuſor, & ſinè charitate erat, inquit: Ego ex tali civitate venio, hac itur. Fefellit eum, & diſcefit. Academicus autem, qui iàm habebat ſuum probabile, iter probabile arripuit, & interea contigit, vt ille, qui dicto paſtoris cito crediderat vt vero, iàm in loco, quo tendebat, reficiebatur. Academicus vero ſecuros ſe non erraſſe, quià nihil approbaverat vt verum, ſed probabile ſequebatur, interea per ſilvas, & invia iter amiſsit, & nec invenit cui notus eſſet locus, quo tendebat. *Vere vobis dicam*, inquit tunc Auguſtinus, *cùm iſta cogitarem riſum tenere non potui*, & concludit: *Neſcio quomodo fieri poſsit per Academicorum verba, vt erret ille qui veram viam vel caſu tenet, ille autem, qui per devios montes probabilitèr ductus eſt, nec petitam regionem invenit, non videatur errare*: quaſi inde colligens probabile minime poſſe actus noſtros, ſive vitam noſtram ab errore liberare.

96 Aliud autem argumentum adverſus Academicos formar ſic. *Quid, ſi aliquis adoleſcentium hos audierit dicentes: Turpe eſt errare, & ideò nulli rei aſſentire debemus, ſed tamèn cùm agit quiſque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat? Id igitur audiens adoleſcens inſidiabitur pudicitiæ vxoris alienæ.*

Et tunc introducit Marcum Tulium Academicorum principem reſpondentem, *ſibi non eſſe probabile, vt id faciat adoleſcens.* Ac proinde ex eo quod adoleſcens ſinè errore, & ſinè peccato poſsit ſequi probabile quodlibet, non ſequitur quod poſsit inſidiari pudicitiæ vxoris alienæ.

Sed contra inſtat Auguſtinus, quod licet ipſi Tulio non ſit probabile inſidiari pudicitiæ vxoris alienæ. *At ipſi adoleſcenti probabile eſt, & ille non tenetur vivere ex alieno probabili, alias nec tu debuiſſes adminiſtrare Rempublicam, quià Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum. Adulterabit igitur ille iuvenis coniugem alienam.* Et poſtquam, facto quodam argumento, Academicos quaſi per iocum illudit, proſequitur. *Sed vos me iocari arbitramini. Libet deierare per omne divinum, neſcire me prorſus, quomodo ille peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat. Taceo de homicidijs, ſacrilegijs, omnibuſque quæ fieri, aut cogitari poſſunt, flagitijs, & facinoribus, quæ paucis verbis, &, quod eſt gravius, apud ſapientes iudices defenduntur. Quomodo enim non facerent, quod ſibi probabile viſum eſt.*

97 Quià tamèn poſſet aliquis reſpondere homicidia, adulteria, & alia huiuſmodi eſſe adeò aperte, & certè mala, vt nunquam probabilitèr bona, & honeſta fieri poſſent; contra inſtat Auguſtinus: *Qui autem non putant iſta probabilitèr poſſe perſuaderi, legant orationem Catilinæ, qua patriæ parricidium, quo vno continentur omnia ſcelera, perſuaſit.* Quaſi ſic arguens: Nullum eſt maius ſcelus, quam patriæ parricidium, quo vno continentur omnia ſcelera; & tamèn Catilinæ fuit probabile illud, illudque civibus probabilitèr perſuaſit eſſe tunc conveniens & rationi conſonum: ergò nullum eſt ſcelus

adeò

adeò clarum, quod probabilitèr honeſtari aut probabile fieri non poſsit. Ità diſcurrit Auguſtinus.

98 Et tandem proſequitur: *Jàm illud quis non ridet: ipſi dicunt nihil ſe in agendo ſequi, niſi probabile, & quærunt magnoperè veritatem, cùm eis ſit probabile non poſſe inveniri. O mirum monſtrum? Sed hoc omittamus, minus id ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimen pertinet, illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique timendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit: cùm probabile cuique viſum ſit, eſſe faciendum, non ſolum ſinè ſceleris, ſed etiam ſinè erroris vituperatione committatur.* Quaſi dicat: formidoloſum eſt dicere quod omne nefas committi poſsit ſinè erroris, aut ſinè ſceleris vituperatione; ſed hoc ſequitur, ſi ſit probabilis hæc ratio, *quod probabile cuique viſum fuerit, illud eſt faciendum*: ergò prædicta ratio non eſt probabilis, ſed formidanda.

99 Hucuſque Auguſtinus, cuius, licet ſcopus principalis ſit contra Academicos, nihilominus tamèn probabiliſmum de medio tollit. Quod vt caleas, in quo conveniat, & in quo differat probabiliſmum ab Academicis ſic declaro. Academici dicebant in nullo, ſeu circa nihil veritatem invenibilem eſſe; attamen Probabiliſtæ ab ipſis differunt, quià dicunt circa prima principia, circa articulos fidei, & circa alia vel per ſe evidentia, vel omnino infallibilia veritatem eſſe invenibilem; in pleriſque tamèn dubijs moralibus cùm Academicis conveniunt, nàm circa ea ſolam probabilitatem haberi poſſe dicunt; veritatem autem invenire iudicant impoſsibile. Secundò dicebant Academici nulli dicto, vel aſſerto ſapientem debere aſſentiri vt vero; nàm cùm, vbi veritas eſſet, neſciretur, eſſet exponere ſe periculo errandi, ſi tali dicto vt vero aſſentiretur: adeò autem ſapientes illi timuerunt errorem intellectus, vt eius periculo ſe exponere contra regulas ſapientis iudicarent, vndè concludebant, ea quæ vera apparerent, habenda tantum vt probabilia, in quo nullus erat error; minimè tamèn credenda vt vera. Attamen Probabiliſtæ minus timidi erroris intellectualis ſunt, quià licet fateantur inter probabilia eſſe impoſsibile invenire veritatem, & ſe neſcire vbi veritas ſit, potiſsime inter opiniones contradicentes æquè probabiles, nihilominus tamèn dicunt non eſſe contra regulas ſapientis, nec prudentis, ſed potius poſſe ſapientem & prudentem prudenter aſſentiri cuilibet opinioni probabili, non ſolum illam habendo vt probabilem, ſed etiam opinando illam eſſe veram; vndè inter vtroſque hoc diſcrimen adverto quod Academici nimis cauti erant erroris intellectualis, Probabiliſtæ vero nimis ſunt incauti; nàm & illi propter periculum quodam generale, & remotum errandi, quod in omni ferme cognitione humana reperitur, nolebant aſſenſum præſtare vllum. Econtrà Probabiliſtæ non obſtante periculo proximo errandi in aſſenſu præſtito opinioni minus probabili, aut æquè tantum, in concurſu ſuæ contradicentis probabilioris, cuilibet intrepide aſſenſum præſtari poſſe dicunt. Vtrumque autem eſſe contra regulas prudentiæ mihi certum eſt: illud quidem, dum timent errare vbi prudenter timendum non eſt: iſtud, dum errare non timent vbi timendum eſt; nàm ſicut prudentia dictat eſſe cavenda pericula probabilia, & proxima mali, ità dictat non eſſe cavenda omnia pericula remota, & non probabilia mali; alias nec in domo liceret vivere, nè ruina nos opprimeret, nec ſub regulas per calles ambulare, nè aliqua decidens capitale vulnus inferret.

100 Jàm quod attinet ad regendos actus voluntatis Academici dicebant probabile ſufficere ad hoc vt tales actus eſſent recti, & non requiri verum, nec quod operans crederet illud probabile eſſe verum, ſed ſolum quod ſibi eſſet probabile; Probabiliſtæ tamèn aliqui aiunt ſe maxime diſcriminari ab Academicis, quià Academici adſtruebant pro regula voluntatis probabile ſinè aſſenſu; econtrà ipſi aſſerunt ſolum probabile, cui aſſentitur vt vero, eſſe regulam voluntatis. Primum autem reprobari ab Auguſtino, quià eſſet operari in dubio, ideſt ſinè aſſenſu determinato; vnde qui notis marginalibus Auguſtinum illuſtravit, ſic ad marginem mentem Auguſtini expoſuit: *Facere quod videtur probabile, citra aſſenſum nefarium eſt.* Secundum autem minimè reprobari ab Auguſtino, quià eſt facere quod videtur probabile cùm aſſenſu, & ſinè dubio. Ità Terillus quæſt. 27. num. 39.

101 Sed non obſtantibus his differentijs, cenſeo Auguſtinum vtriſque contradicere, & vtroſque ſuis argumentis petere, & incipiendo ab hoc vltimo, ſic argumentor: non omnes Probabiliſtæ requirunt aſſenſum præſtandum opinioni probabili vt veræ, ſed plures dicunt ſufficere quod illa habeatur vt probabilis: ſed iuxta Aug. nefarium eſt facere, quod videtur probabiſe citra aſſenſum, ſeu quod idem eſt, ſequi opinionē probabilem

non præſtando aſſenſum illi vt veræ: ergò iuxta Auguſtinum nefarium eſt quod iſti Probabiliſtæ aſſerunt eſſe licitum. Maior probatur, nàm ea eſt expreſſa ſententia Patris Moya tom. 2. ſelect. quæſt. 7. num. 39. pro qua citat Caramuelem. Alijque plures cenſent ſufficere quod quis certò ſciat opinionem eſſe probabilem, ſivè minus, ſivè magis ſua contradicente, vt illam in praxi ſequatur; conſequenterque non eſſe neceſſarium talem opinionem exiſtimare veram. Secundò nàm plurimi ex Probabiliſtis aſſerunt poſſe quem libet in praxi agere contra ſuam opinionem probabilem, ſequendo contrariam, licet minus probabilem, quos citat, & ſequitur Moya loco citato tota quæſt. 3. hoc autem nedum eſt ſequi quod videtur probabile citra aſſenſum, ſed contra aſſenſum; ſi ergò illud nefarium eſt iuxta Auguſtinum, quanto magis iſtud.

Tertiò, nàm tam Moya loco citato, quam Terillus quæſt. 30. reputant vt vniverſalem ſententiam Probabiliſtarum affirmantem quod qui exiſtimat opinionem pro lege eſſe directè probabiliorem, dummodo ſuſpendat iudicium circa eius veritatem, poteſt operari, & conſulere ſecundum oppoſitam, quià directè eſt probabilis ex alijs Authoribus; ſed hoc eſt ſequi probabile, quià probabile, citra aſſenſum veritatis: ergò eſt communis ſententia Probabiliſtarum quod licet ſequi probabile citra aſſenſum. Sed hoc eſt quod ipſe Terillus iudicat ab Auguſtino reprobari vt nefarium: ergò.

102 Dicunt ſecundò, quod ipſi ſemper requirunt aſſenſum, non quidem directum circa obiectum opinionis directæ, ſed reflexum circa honeſtatem formalem operationis vt veram. O confuſionem! Certè, ſi ſerio veritatem inquirere velimus, antequam ſupponatur certitudo reflexa de honeſtate formali operationis, examinandum eſt, quænam cognitio directa exigatur circa obiectum, vt operatio re ipſa ſit formaliter honeſta; in hoc autem examine ſumus, & erat Auguſtinus cùm Academicis, & ſentiebat operationem tendentem in agibile quod ſolum probabile, & non verum, ſeu quod probabile citra aſſenſum videretur, eſſe nefariam, & non honeſtam: & de hoc erat certus Auguſtinus certitudine reflexa: ergò expreſsè contradicit eis Probabiliſtis, qui ſe exiſtimant certos reflexè de honeſtate operationis, quando obiectum operationis, à quo operatio ſuam honeſtatem deſumere debet, ſolum probabiliter appareret honeſtum, & æquè vel magis probabiliter inhoneſtum, citra omnem aſſenſum circa veritatem.

103 Et quidem, quod Auguſtinus ibidem ſolum agat, licet reflexè, de cognitione directa obiecti agibilis exacta ad honeſte operandum, minimè autem de cognitione reflexa honeſtatis operationis exacta ad honeſte operandum, eſt mihi evidens; tum quià ad honeſtatem formalem operationis nulla exigitur cognitio reflexa talis honeſtatis formalis, vti infra demonſtrabimus. Tum quià Auguſtinus totus eſt in eo, quod ad aliquid honeſte faciendum, non ſufficit quod illud quod faciendum eſt, ideſt ipſum obiectum agibile, appareat vt probabile, ſed requiri neceſſariò quod iudicetur vt verum, ideſt vt vere honeſtum, & bonum: ergò Auguſtinus ad honeſtatem formalem operationis exigit cognitionem directam circa obiectum agibile; non quæ tantum illud repræſentet vt probabile, ſed quæ repræſentet illud vt verum bonum, & honeſtum.

104 Ex quo ſecundò ſic argumentor: Auguſtinus expreſsè tradit ſolam probabilitatem ſine veritate non eſſe regulam obiectivam ſufficientem, ad rectificandum actus noſtros. Probabiliſtæ docent eam eſſe regulam rectam ſufficientem rectificare actus noſtros, etiam ſi opinio falſa ſit: ergò contradicunt expreſsè Auguſtino. Maior probatur primo, quià Auguſtinus exigit quod opinio, quam ſequimur, credatur vera, & quod ei vt veræ aſſenſum præſtemus, & non contentus eſt cùm eo, quod ſolum vt probabilem eam habeamus: ergò ſentit ſolam probabilitatem ſinè veritate non eſſe regulam. Secundò quià in illo exemplo de viatoribus ſapiente, & ruſtico aperte probat Auguſtinus probabile falſum non poſſe actus noſtros ab errore liberare; vnde licet Academicus ille ſecutus ſit dictum ſibi probabile, quià tamèn dictum illud erat falſum, re ipſa erravit in via, & non potuit probabile eum ab errore liberare: ergò ſentit Auguſtinus ſolam probabilitatem ſinè veritate non eſſe regulam ſufficientem liberare actus noſtros ab errore.

105 Dices forsàn, probabilitatem ſinè veritate opinionis non poſſe liberare ab errore phiſico viæ, attamen poſſe liberare actus voluntatis ab errore morali, ſeu à peccato.

Sed contra eſt, quià hoc idem poſſet reſpondere Academicus ille, nimi-

nimirum ſe non erraſſe moraliter, quia ſecutus eſt probabile, & ſolum erraſſe phyſicè: ergò, qui hoc reſpondet, defendit Academicos contra Auguſtinum. Secundò, quia argumentum Auguſtini eſt à paritate rationis, ex motu phyſico ad motum moralem: quaſi ſic argueret: Probabile regulans motum phyſicum, præcisè quia probabile, non poteſt librare motum phyſicum ab errore phyſico in via phyſica: ergo probabile, præcisè quia probabile, regulans motum moralem, non poteſt liberare motum moralem ab errore morali. Nunc rogò vel argumentum, & paritas Auguſt. eſt ad rem, vel non? Si dicas hoc ſecundum: ergò detrahis Auguſtino, vt probabilitatem defendas. Si primum: ergò illa eſt recta conſequentia de motu phyſico ad motum moralem: ergò ſicut Probabile ſinè veritate non poteſt liberare motum phyſicum ab errore phyſico, ità probabile non verum nequit liberare motum moralem ab errore morali.

106 Explicatur. Nàm ſicut in motu phyſico ad civitatem quis movetur pedibus, ità in motu morali ad vltimum finem movetur anima non pedibus, ſed affectibus, vt ſæpè ait Auguſtinus: ſed, ſi quis in motu phyſico regulet pedes per probabile falſum in via phyſica, probabile non liberat pedes ab errore phyſico: ergò in via morali, qua tendimus ad vltimum finem per affectus, & motus voluntatis, nequit probabile non verum liberare affectus morales voluntatis ab errore morali: ergò ſicut qui in via ad civitatem ſequitur probabile falſum, errat in via ad civitatem, & obliquatur à via recta, quæ ad civitatem ducit, ità qui in via ad vltimum finem ſequitur probabile falſum, errat in via ad vltimum finem, & à recta via obliquatur. Et hoc eſt ipſiſsimum argumentum Auguſtini.

107 Cui minimè ſatisfacies, ſi dicas, illum argumentum fieri ab Auguſtino contra Academicos, qui ſequebantur probabile ſinè aſſenſu, non contra Probabiliſtas, qui requirunt aſſenſum. Contra enim eſt, quia plerique Probabiliſtæ non requirunt aſſenſum præſtandum opinioni vt veræ, vt vidimus. Secundò quia ex eo quod probabili falſo intellectus præſtet aſſenſum, ſequitur duplicatus error, ſequitur enim non ſolum quod erret voluntas in via ad vltimum finem, ſed quod erret intellectus aſſentiendo viæ erroneæ, vti viæ rectæ. Academici autem vitabant primum errorem, ſed non vitabant ſecundum, vt probat Auguſtinus, attamen Probabiliſtæ, vt ſecundum errorem vitent, incurrunt vtrumque. Quod manifeſtè probat exemplum Auguſt pone enim Probabiliſtam in illo bivio, qui nedũ dictum veriſimile, vt probabile acceptet, ſed contra illum Academicorum illud dictum vt verum approbet: liberabitur nè ab errore viæ, ſi re ipſa illud dictum monſtrans viam, falſum ſit? In quo deſcrimina-bitur Probabiliſta ab Academico? Sanè non in alio, niſi quod Academicus tantum admiſit errorem in via, ſequendo probabile, non tamèn errorem in intellectu; attamen Probabiliſta vtrumque errorem incurrit: ergò ſi exemplum Auguſtini eſt ad rem, peioris conditionis videtur quoad hoc facere Probabiliſmi ſectatores, quam Academicos, ſi quidem probat illos duplicatum errorem, iſtos ſimplicem tantum incurrere.

108 Inſtant importune contrarij, hoc argumentum Auguſtini minus probare, quia probat nec opinionum probabiliorem, imò nec certam liberare hominem à peccato, nec illum excuſare à culpa, ſi contingat eſſe falſam. Sed contra eſt, quia de huiuſmodi opinione inquantum erronea, & falſa, idem dicimus, quantum ad hoc quod non liberet voluntatem ab errore in via ad vltimum finem; re ipſa enim voluntas illam ſequens errat in via ad vltimum finem, & obliquatur à via recta, & tunc motus voluntatis, quatenus regulatus per falſam opinionem, non eſt rectus, ſed obliquus, & defectuoſus; licet, ſi error ille ſit invincibilis, qualis eſt, cùm quis ſequitur poſt debitam conſultationem opinionem longe ſibi probabiliorem, totum illud excuſetur à culpa, & à peccato voluntario, & formali; non tamèn liberatur ab errore viæ. Sicuti, qui in via phyſica ſequeretur probabiliorem viam, ſed falſam, re ipſa erraret viam ad civitatem, licet errore inculpabili; ſi tamèn ſequeretur viam minus probabilem, quæ probabilius eſſet falſa, iàm erraret viam errore ſibi imputabili, ſic ſimiliter qui ſequitur opinionem in via ad vltimum, quæ probabilius eſt falſa, quam vera, ſi erret, iàm errat culpabiliter, & imputabiliter, vndè argumentum Auguſtini efficax eſt, minimeque nimium probat.

Sed dices: ergò poſſet quis inculpabiliter errare viam Cœli, & ſinè culpa Tartarum verſus ire: ergo poſſet ſinè culpa ad Gehennam pervenire, & æterno puniri ſupplicio; quod quis, niſi hæreticus, credat. Reſpondeo, diſtinguendo primum conſequens: poſſet inculpabiliter errare viam Cœli, intentivè, ſeu ex

parte intentionis, nego conſequentiam: electivè ſeu executivè, hoc eſt, ex parte electionis & operis, concedo conſequentiam; & nego quod poſſet ad Gehennam à per venire: aut æterno ſupplicio puniri. Qui imprimis ex parte intentionis circa vltimum finem nemo poteſt errare inculpabiliter; quià cùm vltimus finis in moralibus ſit primum principium, & circa prima principia repugnet error invincibilis, vt ſupra vidimus quæſt. 9. inde eſt, quod ſi quis erret practicè intentivè, ſivè ex parte intentionis circa vltimum finem debitum, non inculpabiliter, ſed culpabiliter errabit viam Cæli. Deinde, vt error in electione & in opere ſit culpabilis, requiritur quod præcedat bona & recta intentio, àc perconſequens quod non erret intentivè ſivè in intentione; tunc autem, licet quis erret in electione & in opere viam Cœli præſcriptam à lege Dei, & decliner in viam Tartari, non ideò perveniet ad Gehennã, nec ad ſupplicium æternum; quià illa tendentia in viam Tartari eſt involuntaria, & materialis, & ideò non punienda; tendentia vero intentiva ex parte intentionis in Cœlum eſt voluntaria, & ideò præmianda; non ergò ille punietur Gehenna, ſed præmiabitur gloria, ſi non proptèr electionem, & excutionem, ſaltèm proptèr intentionem.

109 Tertiò tamèn ſic ex ipſo Auguſtino argumentor. *Nàm, ſi aliquis adoleſcens audiat Academicos dicentes: quiſque facere poteſt ſinè peccato, quod ſibi viſſum fuerit probabile, ille inſidiabitur pudicitiæ vxoris alienæ*, & hoc abſque peccato, vnde inquit, Auguſtinus, *ſe neſcire prorſus, quomodo ille adoleſcens peccet, inſidiando pudicitiæ vxoris alienæ, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat.* Idemque cenſet dicendum de homicidijs, & ſacrilegijs, & omnibus alijs facinoribus: ergò ſi verum ſit vniverſalitèr quod quiſquis ſequitur probabile, ſivè minus, ſivè magis, in quocumque gradu probabile, non peccat, ſequitur non peccare eos qui plura facinora ſibi probabilia committunt. Confirmatur: iuxta Auguſtinum, ſi ſemel ſtatuatur pro regulà quod *quiſquis facit quod ſibi probabile viſſum fuerit, non peccat, ſequitur id quod eſt capitale, formidoloſum, & optimo cuique timendum*, ſcilicet, *quod nefas omne ſinè ſceleris vituperatione commitatur*: ergò probabile in vniverſum non poteſt conſtitui pro tuta regula conſcientiæ, alioquin nefas omne ſinè ſceleris nota commiti poterit.

110 Reſpondent contrarij, nullum ſcelus, nec homicidium, nec adulterium eſſe probabile probabilitate practica, & Theologica, aut certò probabile, quià omnia ea ſunt certò mala, & prohibita, & de illis nequit dari certa probabilitas. Sed contra hoc replicat Auguſtinus, primo quod nemo tenetur vivere ex alieno probabili, ſed ex proprio, quià alias, nec Tulius debuiſſet adminiſtrare Rempublicam, quià Epicuro fuit probabile id non eſſe faciendum. Et quidem nec contrarij ſectari poſſent minus probabilia, quià id nobis non eſt probabile: ſequitur ergò quod quiſque ſolum teneatur ad probabile proprium. At, quis vitare poterit quod iuveni adulterium ſit probabile non eſſe adulterium? Ecce non de fuerunt in Eccleſia quibus probabile fuit copulam cùm vxorata, conſentiente marito, non eſſe adulterium: ergò tandem ſequitur quod ſi quælibet probabilitas ſtatuatur pro regula tuta, rarum ſcelus erit, quod ſinè ſceleris vituperatione commiti non poſsit. Secundò, quià nullum eſt maius ſcelus quam patriæ parricidium: & tamèn illud probabile fecit, & perſuaſit Catilina vt licitum; ergò nullum eſt ſcelus, quod volenti illud patrare, probabile fieri non poſsit. Tertiò, quià non paucis ab hinc omnis vt probabile habeatur eſſe licitum vti reſtrictione mentali, eſſe licitum cùm tali reſtrictione iurare, eſſe licitum cupere mortem Patris proptèr pinguem hæreditatem, occidere furem pro conſervatione vnius aurei, & alia plura, quæ re ipſa ſcelera ſunt. Ergò plura ſunt ſcelera, quæ ſaltem aliquibus probabilia fieri poſſunt.

111 At dices: omnia illa iàm ab Eccleſia damnata ſunt. Fateor; ſed quid ſi Eccleſia Taceret? abſdubio nedum illa, ſed multo peiora intèr probabilia numerarentur, & tandem ſequeretur quod Auguſtinus infert, nimirum, omne nefas committendum ſinè ſceleris vituperatione. Vnde, ſi id de facto non ſequitur, non ideò eſt, quià probabiliſmum occaſio ad id non præbeat, ſed quià Sancta Mater Eccleſia non vult permittere vſum omnium probabilium, ſed plura prohibet, àc proſcribit, plane indicans non eſſe ſemper licitum vſum cuiuſvis probabilis, vniverſaliter loquendo.

112 Dicent forsàn alij Auguſtinum ſolum negare probabile, quod tantum videtur probabile, ſeu quod tantum eſt probabilitèr probabile, non autem probabile certò probabile. Primum enim erat probabile Academicum, ſecundum eſt Catholicum. Sed contra

quià

quià etiam inter Catholicos Probabiliſtas non deſſunt qui pro re gula tuta conſcientiæ aſſignant probabile, ſivè quod certò, ſivè quod ſolum ſit probabiliter probabile; Cardenas enim id ſe demonſtrare ait, decem fundamentis adductis: ergò iſti ſaltèm contra Auguſtinum militant. Secundo, quià probabile Academicum, ipſis etiam erat certò probabile: vnicuique enim experientia certum eſt, quid ſibi ſit vel non ſit probabile, conſiſtit enim huiuſmodi probabilitas in ipſa apparientia interna, quæ cuilibet experimentalitèr nota & certa eſt, & hoc pacto erat etiam ipſis Academicis certum ſuum probabile: & nihilominus tamèn reprobantur ab Auguſtino: ergò. Tertiò quià ideò reprobatur illud probabile Academicorum ab Auguſtino, quià ipſi non curabant de veritate, ſed tàntũ de probabilitate, vndè ſinè iudicio de veritate procedebant ad faciendum quod ſibi videbatur probabile: atqui, illiqui eligunt minus probabile, ſuo contradictorio magis probabili relicto, minus curãt de veritate, ſiquidem vtuntur probabilitate tali; quæ magis inclinat in falſitatem quam in veritatem; nàm facta reflexione ſuper contradictoria inæqualiter probabilia, magis veroſimile eſt eſſe falſum quam eſſe verum contradictorium minus probabile: ergò qui tali probabilitate contenti ſunt pro ſecuritate conſcientiæ Auguſtino contradicunt.

113 Tandem ſic argumentor, repetendo illa Auguſtini verba: *Iàm illud quis non videat? ipſi dicunt nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile, & quærunt magnoperè veritàtem, cùm eis ſit probabile non poſſe inveniri. O mirum monſtrum?* Tunc ſic, ſed Probabiliſtæ in dubijs moralibus ſæpè clamant veritatem inveniri non poſſe, ſolum Deum ſcire vbi illa ſit, nos ad ſumum poſſe aſſequi probabilitatẽ, & illam in agendo ſequi: rurſuſque dicunt ſe ſerio veritatem inquirire prout Deus iubet, magis quam nos illam quærere: qualitèr ergò niſi monſtruosè hæc cohærere poſſunt? Si veritas in dubijs moralibus inveniri nequit, quomodo magnoperè quæritur veritas? Quis niſi monſtruosè quærit ininvenibile? Qui quærit, ſi ſerio quærit, quærit invenire: quis autem quærit invenire quod ſibi exiſtimat impoſsibile inveniri? quis tendit ſerio ad finem ſibi in conſequibilem? *Omirum monſtrum*, inquit Auguſt.

114 Sed, vt mireris, ex hac Auguſtini doctrina conatur Terillus ſuam reflexam probare, & Auguſtinum ei fauere, nimirum ex illa clauſula Auguſtini, *Illud optimo cuique timendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit*, cùm probabile cuique viſum ſit, eſſe faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, *non ſolum ſinè ſceleris, ſed etiam ſinè erroris vituperatione commitatur.* Ex qua ſic ſubſumit argumentum: ſi hoc effatum: *Licitum cuique eſt ſectari quamlibet opinionem vere probabilem, ſit probabile*, qui talem opinionem ſectatur iuxta Auguſtinum non peccat: ſed evidens eſt illud effatum eſſe probabile: ergò per Auguſtinum ſic operans non peccat.

115 Sed imprimis hanc minorem deberet Terillus probare ex Auguſt; nàm de hac minori eſt præſens quæſtio: hanc autem minorem ſupponere aliunde evidentèr probabilem, & aliud diſtinctum probare ex Auguſtino, non capio qualitèr poſsit eſſe ad propoſitum. Vndè ſi minor intelligatur de probabilitate conſcientiæ, illam penitus nego, quià illud effatum eſt contra Auguſtinum, & nullum effatum contra Auguſtinum, reputo probabile evidentèr probabilitate conſcientiæ. Si autem intelligitur de probabilitate ſumpta pro veroſimilitudine, vi cuius aliquibus illud effatum perſuaſum fuerit, non negabo illud effatum reſpectu illorum fuiſſe probabile in hoc ſenſu; nàm ſi parricidium patriæ talibus argumentis ſuaderi potuit à Catilina, vt probabile fieret cunctis audientibus iuxta Auguſtinum, quid mirum quod illud effatum non ità aperte falſum aliquibus fuerit probabile.

116 At ex hoc minimè ſequitur, quod qui ſecutus fuerit illud effatum non peccet, nec hoc inquit Auguſtinus, imò inquit formidandum eſſe, ſi illud effatum ſit probabile, quod omne nefas ſinè ſceleris vituperatione commitatur: non dixit, ſinè peccato commitatur, vt falſo interprætatur Terillus, alias enim ſentiret Auguſtinus, quod Academici, quibus illud effatum erat probabile, poſſent commitere omne nefas ſinè peccato, quod quis credat Auguſtinum dixiſſe. Et item quià hoc minimè eſſet formidandum, ſed optandum, nimirum non peccare in quocumque ſcelere commiſſo: Auguſtinus autem dicit id eſſe *formidandum, id optimo cuique timendum.* Quid? Sanè quod ſi illud effatum probabile ſit, apud illos quibus probabile fuerit, *omne nefas commitatur ſinè ſceleris, nec erroris vituperatione*: quod quidem eſt malum maximè formidandum, nàm eſt ex vna parte peccatum committere, ſcelus, & nefas, & exalia id non vituperare, ſed aprobare vt licitum; hoc autem malum, vèl eius periculum imminet iuxta Au-

guſtinum, eis, quibus probabile fuerit illud effatum; *quod quiſque licitè ſequi poſſit quodcumque probabile.* Nàm ſi tale effatum ſit falſum, vt actu probamus ex Auguſtino, qui tale effatum ſecutus fuerit in praxi re ipſa peccabit, & quidem formalitèr, & huic malo additur aliud peius, quod ſcilicet tale peccatum apud illos, quibus fuerit probabile tale effatum, committetur abſque vituperatione; non enim erit qui tale factum, licet peccaminoſum, vituperet, imò laudabunt rectè factum. Vide igitur quam longe ſit Auguſtinus à mente Terilli.

§. II.

Alia Auguſtini teſtimonia Expenduntur.

117 SECVNDO Probatur aſſumptum, ex illa regula Auguſtini, quæ refertur *in cap. ſiquis autem: de pœnitentia diſt. 7.* quæ dicit: *Tene certum, & dimitte incertum*, quæ licet ab Auguſtino dicta fuerit pro eis, qui differunt facere pœnitentiam ad extremum vitæ, communitèr tamèn accipitur circa mores, quando aliquid non eſt certò licitum, ſed incertum àn ſit peccatum, vel non ſit peccatum; tunc enim ſi ſit aliud agibile certò licitum, tenendum eſt certum, & dimittendum incertum iuxta hanc regulam Auguſtini. Quod confirmatur ex ipſo lib. 1. de Baptiſ. contra Donatiſtas, cap. 3. vbi, poſtquam ſupponit Donatiſtam convictum, & certum, quod Baptiſmum rectè in Chatholica Eccleſia ſuſciperetur, ſed incertum àn etiam rectè in parte Donati ſuſciperetur, ex eo quod Catholici negabant, Donatiſtæ aſſerebant, inquirit vtrum licitum eſſet, aut ſinè peccato ſuſcipere Baptiſmum in parte Donati. Cui quæſtioni ſic reſpondet: *Si dubium haberet non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, gravitèr peccaret in rebus ad ſalutem animæ, vel ex eo ſolo quod certis incerta præponeret.* Et c. 5. ſic ait: *Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum, quis dubitet certum eſſe peccatum non ibi potius accipere vbi certum eſt non eſſe peccatum.* Sed qui ſequitur opinionem minus aut æquè tantum probabilem relicta probabiliori in materia peccati mortalis, certis incerta præponit in negotio ſalutis: ergò iuxta Auguſtinum peccat gravitèr. Minor probatur, nàm quandiù ſunt opiniones, àn opus aliquod ſit licitum, vel prohibitum ſub mortali, ſi opinio pro licito eſt minus, aut æquè tantum probabilis cùm ſua contradicente, incertum eſt omnino àn illud opus ſit vel non ſit peccatum mortale, certum tamèn eſt quod abſtinere ab illo opere licitum eſt, & honeſtum: ergò ſi tunc caſus eligat illud opus exercere ſequendo opinionem minus, aut æquè tantum probabilem, potius quam tale opus omittere, certis incerta præponit in materia peccati mortalis, ſivè in negotio ſalutis: ergò peccat gravitèr iuxta regulam Auguſtini.

118 Huic efficaciſsimo teſtimonio, imprimis aliqui reſpondent, quod illa regula, *tene certum, & dimitte incertum* ſolum eſt conſilium non præceptum. Sed contra eſt, nàm iuxta Auguſtinum, qui in negotio ſalutis violat illam regulam dimittendo certum, & tenendo incertum, ſeu anteponendo incerta certis, peccat gravitèr; ſed qui violat conſilium, & non præceptum non peccat ſaltèm gravitèr: ergò illa regula iuxta Auguſtinum eſt præceptum, & non purum conſilium.

119 Reſpondet ſecundò Terillus ſermonem ibi eſſe de dubitante, de quo certum eſt quod ſi operetur in dubio peccat. *Quid autem* (inquit) *hoc contra nos, qui docemus neminem excuſari ſectando partem minus tutam, quandiù de eius honeſtate dubitat. Quoties etiam dictum eſt ſolam probabilitatem non ſufficere, niſi mens conſurgat ad certitudinem, nè certis incerta præponat.* Sed contra, quià minor probabilitas de licito nunquam ſufficit vt mens conſurgat ad certitudinem; id enim quod eſt minus probabile, quam contradictorium, quomodo poteſt ſufficere ad certitudinem, cùm ipſum de ſe ſit incertiſsimum?

120 Dices, minus probabile quam contradictorium eſſe incertum directè; incertum autem directè benè poſſe fundare certitudinem reflexam de honeſtate operationis. Sed contra; quià iuxta Aug. incertitudo directa de peccato, vel non peccato fundat certitudinem reflexam de peccato: ergò militat Terillus contra Auguſtinum, dùm cenſet incertum directè, àn ſit, vel non ſit peccatum, fundare certitudinem reflexam de non peccato, ſeu de honeſtate formali operationis. Antecedens probatur. Nàm Auguſtinus expreſsè infert, *quod ſi accipere in parte Donati incertum eſt àn ſit peccatum, indubitabile, & certum eſt eſſe peccatum non ibi potius accipere vbi certum eſt non eſſe peccatum*, id eſt, in Eccleſia Catholica. En vbi Auguſtinus ex incertitudine de peccato, vel non peccato, infert certitudinem de peccato: ſed

non

non poeeſt intelligi quod certitudo, & incertitudo vtraque ſit reflexa, & circa honeſtatem formalem operationis; quià implicat certitudo, & incertitudo vtraque reflexa, & circa idem: ergò Auguſtinus ex incertitudine directa de peccato, vel non pecc ato in opere, ideſt, in ſuſceptione Baptiſmi, infert certitudinem reflexam de peccato formali operationis in eo, qui cum tali incertitudine directa elicit opus: ergò iuxtà Auguſtinum incertitudo directa de peccato, vel non peccato in opere fundat certitudinem reflexam de peccato formali operationis. Qualitèr ergò fundabit (vt in toto ſuo tractatu contendit Terillus) certitudinem reflexam de honeſtate formali operationis? Quid magis contrarium excogitari potuit Auguſtino.

121 Et quidem ſi doctrina Probabiliſtarum eſt vera, cùr non poſſet Donatiſta reſpondere Auguſtino. *Imò ex eo quod ſit incertum àn ſit peccatũ, vel non ſuſcipere in parte Donati baptiſmum, licitum eſt mihi illud ibi recipere, quià vel non datur lex prohibens, vel illa non eſt ſufficientèr promulgata.* Cùr item non poſſet reſpondere: *Incertum quidem eſt dicere àn ſit, vel non ſit peccatum, ſed reflexè certa eſt mihi honeſtas formalis operationis, ſi iuxtà Donatiſtarum ſententiam ibi recipiam?*

122 Reſpondet Terillus ſententiam illam Donatiſtarum fuiſſe improbabilem, quandoquidem Eccleſia Catholica oppoſitum ſentiebat, àc proindè ex illa minimè Donatiſta potat fundare certitudinem reflexam de honeſtate operationis. Sed contrà, quià Auguſtinus directè ſolùm arguit ex terminis incertitudinis, ſeu ex ſuppoſitione quod incertus ſit Donatiſta, àn licitum, vel illicitum ſit ſuſcipere baptiſmum in parte Donati. At qui ille qui verſatur inter opiniones contradicentes, quarum vna probabilitèr dicit eſſe licitum tale opus, alia dicit æquè vel magis probabilitèr eſſe illicitum, nullam certitudinem directam poteſt habere de eo quod tale opus ſit licitum, ſed omnino incertus eſt àn ſit licitum, vel peccatum: ergò certum eſt iuxtà Auguſtinum, certitudine, ni mirùm reflexa, peccaturum illum, qui cum prædicta incertitudine directa exercuerit tale opus.

123 Et quidem Auguſtinus non arguit ex eo quod ſit peccatum improbabilia præponere certis, *ſed ex eo ſolo, quod in negotio ſalutis incerta certis præponere ſit peccatum*, nec alitèr poterat arguere Auguſtinus Donatiſtam incertum inter ſententiam Catholicorum, & Donatiſtarum, quià illi non erat improbabilis ſententia ſuorum, aliàs iam eſſet convictus quod eſſet falſa, & nihil opus eſſet argumento Auguſtini ad illum convincendum; erat ergò Donatiſtæ, vel minus, vel æquè probabilis ſententia ſuorum comparata cũ oppoſita Catholicorum, & ideò incertus erat; & ex hac incertitudine convincit illum Auguſtinus, eumque obligat vt dimittat incertum, & teneat certum: ergò quotieſcumque ex contrarietate opinionum incertum eſt directè àn aliquid ſit peccatum, qui ſic incertus eſt obligatur reflexè illud dimmittere, & tenere quod certo ſit honeſtum, & non peccatum, & hoc ex doctrina expreſſa Auguſtini.

124 Sed arguit Terillus ex illis verbis: *Si dubium haberet, &c. graviter peccaret*: ergò Auguſtinus videtur inſinuare, quod ſi non eſſet dubius; ſed prudentèr crederet id ſibi licere, non peccaret illud amplectendo. Concedo conſequentiam. Sed quomodo qui incertus omnino eſt directè ex contrarietate opinionum, àn opus ſit peccatum, vel licitum, prudentèr, & ſine temeritate iudicare poterit determinatè illud ſibi eſſe licitum? Imò oppoſitum probat textus Aug. ſiquidem exiſtimat hominem ſic incertum non poſſe licitè illud opus elicere, de cuius honeſtate incertus eſt: ergò ſentit illum non poſſe cum tali incertitudine componere iudicium prudens determinatum de honeſtate: Atqui conſtitutus inter opiniones æquè probabiles contradicentes circà honeſtatem, vel inhoneſtatem operis, incertus omnino eſt directè de honeſtate potius quàm de inhoneſtate: ergò imprudentèr, & temerè iudicabit ſibi licitum illud opus, imo potiùs iuxtà regulas Auguſtini certum eſt reflexè ipſum peccare, ſi voluerit tale opus exercere.

125 Confirmatur ex eodem Auguſtino lib. principiorum Rethoricæ, c. 8. vbi ſic ait: *Cum eadem vtrimque dicuntur, & nulla re, nè parva quidem, diſcernentur, tamen huiuſmodi concertatio ſtatum implicat: vt vicini adoleſcentuli, qui ſpecioſas vxores habebant, noctu alter alterum obvium habuerunt, accuſant ſe invicem. Nàm quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat neceſsè eſt. Veriſimile eſt te adulterium voluiſſe committere, quià adoleſcens es: veriſimile eſt, quià ſpecioſam vxorem habeo, facultatem tibi vicinitas præbuit. Et tibi eandem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem nocte etiam in me incidiſti?* Hanc cõcertationem inquit Auguſtin. ſtatum implicare, quià vel pro vtraque parte ſimul, vel pro neutra iudicium ferri poteſt, & nemo

mò niſi temerè, & imprudentèr, & irrationabilitèr iudicaret pro vna, & non pro alia quià vtrobique militat eadē ratio: At qui inter partes contradictionis æquè probabiles militat eadem ratio aſſentiendi, vel diſſentiēdi: ergò irrationabilitèr, temerè, & imprudentèr fertur pro vna, & nō pro alia.

126 Reſpondebis eſſe diſparem caſum, nàm in caſu æqualis probabilitatis diſtinctæ ſunt rationes, & diſſimiles, quæ militant pro vna parte contradictionis, àc rationes, & motiva, quæ militant pro alia. Sed contra: quià ſi probabilitas ſit ab auctoritate æquali pro vtraque, ſimillima eſt ratio, nàm quatuor Authores pro vna, & quatuor Authores pro alia eiuſdem authoritatis, ſolùm numero differunt, àt in authoritate non differunt, ſi ſunt æqualis authoritatis in eadem facultate: ergò iàm nemo rationabilitèr poterit aſſentire iſtis quatuor, diſſentiendo alijs quatuor eiuſdem authoritatis contradicentibus: ergò inter opiniones contradicentes æquè probabiles ab authoritate, qui non invenit inæqualitatem inter rationes non poterit vni potius quàm alteri aſſentire: ergò tenetur iuxtà Auguſtinum manere dubius.

127 Secundò, quià rationes, & fundamenta ſolùm movent propter vim ſuaſivam, quam reſpectu intellectus habent: ſi ergò in vi movendi ſint æquales, diſſimilitudo omnino de materiali ſe habebit. Nàm cùr interrogo aſſentiris parti affirmativæ? Quià eſt probabilis, inquis, vt quatuor. At etiam negativa eſt probabilis vt quatuor. Sed ſunt, inquies, diſſimiles rationes pro negativa. At ego etiam dico, ſunt diſſimiles rationes prò affirmativa; cùr ergò aſſentiris rationibus pro affirmativa? Quià rationes pro ipſa, reſpondes, ſufficientèr me movent: quià me movent energia gravi, vt quatuor. At etiam rationes pro negativa te movent ſufficientèr energia gravi, vt quatuor: ergò controverſia inter opiniones vtrinque æquè probabiles ſtatum implicat, vt vel neutri, vel vtrique aſſenſum præbere debeas. Dicere autem: credo hāc eſſe veram, quià volo, non credo aliam eſſe veram, quià nolo, paritèr quilibet in concertatione illorum adoleſcentium, poſſet credere hunc commiſiſſe adulterium, quià vellet id credere, & id non credere de alio, quià nollet id credere. At quis non videat hunc modum iudicandi ex mente Auguſtini eſſe irrationalem, imò & ex ipſo evidentiſsimo lumine naturæ.

128. Reſpondet P. Moya, quòd in caſu Auguſtini, vtriuſque adoleſcentis adulterium poterat eſſe ſimul verum, àt inter opiniones contradicentes non poſſunt eſſe ſimul veræ. Item, quod ibi rationes, quæ probant adulterium vnius, probant adulterium alterius, àt rationes, quæ probant veritatem vnius opinionis, non probant veritatem, ſed potius falſitatem alterius. Sed contra primum facit, quod exindè ſolùm ſequitur, quòd in caſu Auguſtini poſſet quis credere ſimul vtrumque voluiſſe adulterium committere, ècontrà verò in noſtro non poſſe credere ſimul vtramque opinionem vt veram: ſed cum aliàs, vel neutra, vel vtraque credenda ſit, quià vtrovique militat eadem ratio, ſicut in caſu Auguſtini pro vtroque adulterio; clarè infertur neutram credi poſſe, ſed manendum eſſe in dubio. Contra ſecundum facit, quod in caſu iuvenum rationes, quæ probant adulterium vnius, non erant æedem numero, quæ probant adulterium alterius, quià ſpecioſitas vnius mulieris non erat eadem numero, àc ſpecioſitas alterius, nec adoleſcentia vnius iuvenis, eadem numero, àc alterius, ſed numero diverſæ, licèt ſimiles, & æquales in vi probativa adulterij: àt qui hoc pacto, rationes quę probant vnam opinionem eſſe veram, paritèr probant, non ipſæ numero, ſed aliæ ſimiles, & æquales, aliam contradicentem eſſe veram: ergò ſicut in caſu illo rationes, quæ probant adulterium vnius, probant adulterium alterius, ità rationes, quæ probant vnam opinionem eſſe veram, probant aliam contradicentem eſſe veram: ergò ex hac parte nulla eſt diſparitas. Minor patet, nàm ratio probans vnam opinionem eſſe veram, eſt quià habet quatuor Authores graves dicentes eam eſſe veram, quià habet probabilitatem vt quatuor à ratione; ſed etiam oppoſita habet quatuor Authores æquè graves, & probabilitatem à ratione vt quatuor: ergò ratio, quæ probat vnam eſſe veram, ſimilis, & æqualis probat oppoſitam eſſe veram. Vbi ergò diſparitas.

129 Tertiò probatur aſſumptum ex Auguſtino, lib. 2 de Doctrina Chriſtiana, cap. 8. quod etiam habetur, cap. *in Canonicis*, diſt. 19. vbi ſic ait Auguſtinus: *In Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum, quam plurium authoritatem ſequatur: inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebis igitur hunc modum in ſcripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſijs, præponat eis, quas quædam non reciptunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat*

nat eas, quas plures, graviores que accipiunt eis, quas paucioris minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri vix poſsit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Ex qua Auguſtini regula manifeſtè conſtat Authoritatem plurium, & graviorum ſemper eſſe præponendam authoritati paucorum, & minus gravium: ergò maior probabilitas ſemper eſt præponenda minori probabilitati. Sed qui credit opinioni minus probabili illam acceptando pro regula, & iuxta illam operando, diſcredendo opinioni magis probabili, & contra illam opinando, & operando, manifeſte præponit minorem probabilitatem maiori probabilitati: ergò peccat contra prædictam regulam Auguſtini.

130 Sed Terillus, vt aſſolet, hanc regulam Auguſtini ſuam ſententiam continere, noſtræque contradicere ſuadere conatur. Primo ex vltima clauſula, iuxta quàm ſcripturæ, quæ à pluribus, collatæ cùm eis, quæ à gravioribus acceptantur Eccleſijs, æqualis authoritatis eſſe habendas dicit: ex quo ſic infert: *Ergò neutra alteri ſingularitèr præferri meretur: ergò alterutra eligi poteſt pro libito: ponamus iàm libros aut Canones æqualis authoritatis in aliquo ſibi contradicere, aut Eccleſias æqualis authoritatis in aliqua interpretatione pugnare, quænam illa eligenda eſt? Iuxta Auguſtini regulam quævis eligi poteſt pro libito.* Sed quis non videat hunc, & ſimiles diſcurſus, quibus plerunque contrarij nituntur, penitùs indignos eſſe, vt pro re gravi ſuadenda adducantur. Te iudicem, lector, appello: eſt ne recta iſta conſequentia: *Neutra alteri ſingularitèr præferri meretur; ergò alterutra eligi poteſt pro libito?* Quid rogo eſt vnam eligere præ alia? Sane eſt vnam alteri ſingularitèr præferre: ergò illa conſequentia ſimilis eſt huic: *Neutra alteri ſingularitèr præferri meretur: ergò alterutra præferri ſingularitèr poteſt pro libito.* Auguſtinus dicit: *vtraque æqualis authoritatis habenda eſt: neutra præferenda eſt alteri*: & Terillus infert: *Ergò alterutra pro libito eligi, id eſt, præferri poteſt iuxta Auguſtinum*, eſt ne, lector, recta iſta conſequentia, in qua ex vno contradictorio infertur aliud, & quod peius eſt, ex eo quod Auguſtinus dixerit primum, infert Terillus dixiſſe ſecundum primò ex diametro oppoſitum? Igitur, ſi oculis apertis legamus Auguſtinum, eius regula dicit, ſcripturas illas æqualis authoritatis habendas eſſe, hoc eſt neutram alteri præferendam; ſed qui vni crederet, contra aliam, vnam alteri præferret: ergò violaret regulam Auguſtini.

131 Sed contra, inquit Terillus, quià Eccleſiæ tenebantur aliquos libros ex Canonicis dubijs accipere, nàm certum erat aliquos eorum eſſe Canonicos, licet incertum quinam eſſent. Reſpondeo, iuxta ipſam regulam Auguſtini Eccleſias obligatas fuiſſe acceptare libros Canonicos, & non alitèr, ideſt, eos qui ab omnibus Eccleſijs acceptabantur, recipere ſine controverſia, eos præferendo alijs, ſeu credendo ipſis præ ceteris; eos autem, qui à pluribus & gravioribus acceptabantur, accipere cùm minori authoritate reſpectu primorum, ſed cùm maiori reſpectu eorum, qui à paucioribus acceptabantur, ità vt illis præ iſtis credere tenerentur. Et tandem alios, qui à pluribus, collatos cùm eis, qui à gravioribus acceptarentur, tenebantur acceptare, vt æqualis authoritatis, ità vt neutris contra alios credere poſſent, ſed in vtrorumque contradictione ſuſpendere iudicium ob eorum æqualem venerationem, & reſpectum, niſi aliunde accederet alia ratio, vel authoritas pro dicto vnius præ dicto alterius. In eis vero, in quibus convenirent, vtriſque abſolute, & æquali certitudine credendum erat. Et hoc præcipit regula illa Auguſtini. Vnde igitur, vel vbi invenit Terillus in Auguſtino, quod ex interpretationibus contradicentibus Eccleſiarum æqualis authoritatis, quævis pro licito eligi poteſt, relicta oppoſita, ſeu, quod idem eſt, quælibet pro libito alteri præferri poteſt?

132 Secundò probat aſſumptum. *Quià regula illa Auguſtini continet conſilium, & non præceptum: ergò admittit libertatem ſectandi partem minus probabilem, relicta probabiliori.* Sed nec iſta conſequentia infertur, quià dato caſu quod eſſet conſilium, & non præceptum, non ſequitur Auguſtinum negaſſe præceptum, qui enim conſulit alteri vt aliquid faciat, non ex eo negat eſſe præceptum illud faciendi. Nec antecedens eſt Auguſtini, nec ex Auguſtino probari poteſt, nàm nec ſignatè dixit eſſe conſilium, nec exercitè ex modo illam regulam aſsignandi id innuit, quia non dixit hoc eſt melius, hoc eſt conſultius, ſed abſolutè: *Tenebit igitur hunc modum, &c.*

Sed ex alijs coniecturis probare conatur illam regulam eſſe purum conſilium, nàm ſi contineret præceptum, omnes illæ Eccleſiæ particulares peccaſſent, quæ proprias traditiones, interpretationes, & libros retinebant, relictis traditionibus, gloſsis, ac libris, quos Eccleſiæ maioris authoritatis habebant. Atqui certum eſt eas, etſi ſcirent Eccleſias plures, & maioris authoritatis aliàs Scripturas Canonicas admittere, non ideò obligatas fuiſſe ſuas traditiones alterare. Neque oppoſitum, vtpote

aperte

aperte falſum ſentit Auguſtinus: ergò Eccleſiæ illæ non fuerunt obligatæ ad ſectanda probabiliora. *Sed quæro iàm*, inquit Terillus, *quid illos ab obligatione ſectandi probabiliora liberavit? Quid? Sola probabilitas, etſi revera minor, & iuxta regulam Auguſtini, cognita vt minor. Quià iuxta illam, evidens eſt quænam Eccleſia ſit maioris authoritatis, quàm alia. Ecce iuxta hanc Auguſtini doctrinam licitum cuique eſt ſequi in materia fidei, & morum pro regula quamlibet opinionem minus probabilem.*

133 Sed iterum, lector, veritatis amice, te iudicem appello. Quænam eſt iſta doctrina Auguſtini, in qua nec verbum Auguſtini retulit Terillus; & tunc dicit: *Ecce iuxta hanc doctrinam Auguſtini?* Item, in qua parte illius regulæ dixit Auguſtinus eſſe evidens quænam Eccleſiæ eſſent maioris authoritatis? Auguſtinus ſolum dixit Eccleſias maioris authoritatis præferendas eſſe, ſicut ego dico opinionem magis probabilem præferendam eſſe; at non dixit evidens eſſe quænam ſint maioris authoritatis, ſicut nec ego dico evidens eſſe quænam opinio ſit magis probabilis: ergò hoc falſo, & voluntariè imponitur Auguſtino.

134 Igitur regula Auguſtini obligabat quamlibet Eccleſiam, vt, ſi aliquam traditionem haberet, & illa in aliquo contradiceret Eccleſijs, quas ipſa reputaret, ſine paſsione, & affectione propria, maioris authoritatis, in illa contradictione præferret traditionem magis authenticam traditioni minus authenticæ, licet illa eſſet alterius Eccleſiæ, hæc propriæ; quià veritas non eſt diiudicanda penès frigidum illud verbum *meum, & tuum*, ſed penès maioris authoritatis teſtimonium, cuiuſcumque illud ſit. Dicere autem quod hoc *non ſenſit Auguſtinus, vtpote aperte falſum*, eſt omninò præpoſtere diſcurrere in præſenti: quià, dùm veritatem inquirimus per Auguſtini authoritatem, non eſt dicendum: hoc dixit Auguſtinus, quià aperte verum eſt, nec hoc non dixit, quià aperte falſum eſt; ſed è contrà: hoc eſt verum, quià id ſentit Auguſtinus: hoc eſt falſum, quià contra ſenſum Auguſtini.

135 Iàm ergò quod regula illa Auguſtini non ſit purum conſilium, ſed præceptum, patet, tùm quià inſerta iuri Canonico, in quo non inſeruntur vt in plurimum, niſi præcepta obligantia, alias omnia ſtatuta iuris Canonici poſſemus interpretare tanquam pura conſilia. Tùm quià quotieſcumque adfinem, ad quem tenemur ex præcepto, conſequendum apponitur vnica regula, illa obligat ſub præcepto, ſicut finis. Sed ad recte intelligendas pro poſſe ſcripturas ſine errore, aut falſitate tenemur ex præcepto, & non tantum ex conſilio, & ad hunc finem ſtatuit Auguſtinus, tanquam regulam neceſſariam, præponendas eſſe traditiones, & interpretationes plurium, & graviorum Eccleſiarum eis, quæ ſunt Eccleſiarum minus gravium, & pauciorum; quaſi dicens: *Qui noluerit errare, ità ſe gerat*: ergò Auguſtinus eam regulam tradit, vt præceptum, & non vt conſilium tantum.

§. III.

Explicatur mens Chriſoſtomi.

136 QVARTO Probatur aſſumptum ex Chriſoſtomo, quià homilia 44. in Matthæum hæc habet. *Si veſtimentum empturus, vnum giras negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inveneris, & præcio viliori, ab illo comparas; àn non oportet populum circuire omnes doctores, & inquirere vbi veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?* Ergò iuxta Chriſoſtomum quiſque tenetur quærere veram doctrinam, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum.

137 Reſpondet primò Terillus, textum non eſſe Chriſoſtomi, ſed authoris operis imperfecti, qui non eſt tantæ authoritatis. Sed licet author operis imperfecti in dubio ſit, àn ſit Chriſoſtomus, vel alius, tamen communiter reputatur eius authoritas, vel æqualis, vel paulò minor Chriſoſtomo, & à nullo, niſi temere contemnitur.

Reſpondet ſecundò, textum prædictum ſolum continere conſilium, & non præceptum. Sed contra eſt manifeſtè; quià quærere magis, maiorique ſolicitudine veriorem doctrinam ad fidem, & mores, quàm melius veſtimentum, non eſt purum conſilium, ſed præceptum. Quis enim dicat nos non teneri ex præcepto adquærendam magis veram doctrinam ad fidem, & mores, quàm bonum veſtimentum; idque tantum eſſe conſilium ad melius? Quis dicat nos non obligari ex præcepto ad ſolicitandũ magis verè credere, & bene vivere, quàm ſolicitamus bene veſtire? Quis autẽ, ſi vult ſerio bene veſtire, non girat vnum, & alterum negotiatorem, & curat pro poſſe non falli inveſtimento? Sed dicere quod hoc non eſt præceptum, ſed purum conſilium, eſt dicere quod non tenemur ex præcepto curare magis de bona vita, quàm de bono veſtitu: ergò hoc dicere expreſsè eſt contra Chriſoſtomum. Secundò quià Chriſoſtomus ſic ait. *Quid? excuſabilis erit*

popu-

populus ignorans? Abſit, ſi enim veſtimenta empturus, &c. Ergò ſentit expreſsè Chriſoſtomus, quod niſi populus veram doctrinam inter Doctores quæreret pluſquam veſtimentum inter mercatores, & veriorem eligeret pluſquam veſtimentum, in excuſabilis eſſet: ergò ad id obligat ſub culpa, & per præceptum.

138 Reſpondet tertiò, quod dato caſu quod textus Chriſoſtomi contineat præceptum, hinc potius infertur nos obligari ad tenendam ſuam ſententiam reflexam, quià illa eſt verior, & probabilior. Sed qua lege ſupponitur probabilior ſua, dum diſputamus quænam re ipſa ſit probabilior, & Chriſoſtomus ſtat pro noſtra?

139 In huius confirmationem adhiberi poſſunt verba Chriſoſtomi ſupra expreſſa num. 19. & infra expendenda quæſt: ſequenti num. 34. quibus addo ipſum tom. 5. de Provid. & fat. ſerm. 5. ſic aientem, *Oportet eorum quorum rationes ſcire non poſſumus, ignorantes manere, & non malo errori adhærere; ſatius enim eſt ignorare benè, quàm ſcire male, nàm vt illud reprehenſione caret, ità hoc veniam non meretur.* Ex quibus patet, quod ſiquis non habens maiorem rationem pro vna quàm pro contraria opinione, aſſentiatur opinioni affirmativæ pro licito, v.g. veniam non meretur; ſatius enim eſt in tali caſu ignorare benè, hoc eſt ſuſpendere iudicium, quàm aſſentire male, cùm periculo ſcilicet adhærendi errori. Sed ſemel quod aliquis ignoret, & dubitet àn aliquid ſit licitum, vel illicitum nequit illud facere: ergò nemo poteſt facere quod minus probabiliter eſt licitum, & magis probabiliter illicitum, aut æquè probabiliter licitum, quàm illicitum.

§. IV.

Explicatur mens D. Thomæ.

140 CELEBRIS Eſt textus D. Thom. ex quodlibeto 8. art. 13. ſivè iuxta alium computum quæſt. 6. art. 3 in quo ſic procedit. *Videtur quod ille, qui habet plures præbendas peccet ex hoc ipſo quod opiniones Magiſtrorum ſunt in contrarium. Quicumque enim committit ſe diſcrimini in his, quæ ſunt ad ſalutem, peccat: ſed iſte committit ſe diſcrimini, vt videtur, cùm faciat contra multorum peritorum ſententiam: ergò videtur quod peccat.*

141 *Sed contra*, inquit, *poteſt eſſe quod in tali caſu aliquis adhibet diligentiam inquirens, àn habere plures præbendas ſit licitum, nec invenit aliquid quod eum moveat ad hoc quod ſit illicitum: ergò videtur quod ſine peccato poſsit plures præbendas habere.*

142 *Reſpondeo dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Vno modo faciendo contra legem, vt cum aliquis fornicatur. Alio modo facieudo contra conſcientiam, etſi non ſit contra legem, vt ſi conſcienti a dictet alicui quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſivè habeat certam fidem de contrario eius quod agit, ſivè etiam habeat opinionem cùm aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam. Et ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quanvis non ſit contra legem. Quod autem, nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergò, quod, quandò duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam. Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, vtpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic, cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quànvis non faciat contra conſcientiam, ſic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quàm iſte ſequitur, ità quod verè licet habere plures præbendas, & tunc diſtinguendum eſt, quià aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam, quanvis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem* (legendum puto *ſeu certitudinem*) *ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & ſic ſi manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, vtpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat; vnde patet ſolutio ad obiecta.*

143 En articulum D Thom. qui penitùs evertit probabiliſmum. Nàm in primis negari nequit D. Thom. in eo expreſsè tractare præſentem controverſiam. Titulus enim, quẽ ipſe Angelicus Præceptor præmiſit huic articulo, vt inquit Mercorus, eſt huiuſmodi: *Vtrum quandò ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto qui ſequitur minus tutam peccet, ſicut de pluritate præbendarum.* Vnde miror Magiſtrum Ferre in præſenti num. 338. ſic adverſus Mercorum inſurgere. *Vnde falſitatis convincitur hic Caſuiſta circa titulum articuli, quià D. Thomas non inquirit: vtrum quandò ſunt diverſæ opiniones, &c. Sed ſolum inquirit: vtrum ille qui habet plures præbendas peccet?* Miror ſanè tum quod Mercorum inurat hac compellatione, *hic Caſuiſta*, quàm certe non mere-

mererur, nec modeſtia Mercori, qua cùm omnibus agit authoribus, nec eius peritia in Theologia, qua nulli ex RR. Diſcipulis D. Thom. inferior eſt, imò ſtilo, claritate, ac brevitate præ omnibus ſui Angelici Magiſtri imitator. Miror item, quod errorem, quem ipſe M. Ferre paſſus eſt, imputaverit Mercoro. Nàm re ipſa D. Thomas in ſummario quæſtionis 6. quodlibeticæ, vbi ſolum ipſe titulos articulis aſsignat, illum titulum præmiſsit articulo præſenti, quem Mercorus; quod ſummarium, ſi legiſſet M. Ferre, non ità erraſſet in ipſo titulo articuli. Nec obſtat quod ipſi articulo immediatè alius titulus præponatur, quià D. Thomas ſolum ſcripſit titulos in ſummario, in reliquo autem proceſſu quæſtionis non ſcripſit titulos, ſed abſolute procedit: *Circa primum videtur, &c. Circa ſecundum videtur, &c.* abſque novis titulis, vt videre eſt in editionibus antiquioribus. Vnde tituli, qui interſeruntur articulis, claritatis gratia ab alio quàm à D. Thom. inſerti ſunt, ac proinde titulus D. Thom. ille eſt, qui legitur in ſummario, non ille qui eſt proximus articulo. Convincitur ergò M. Ferre dupliciter erraſſe in ipſo titulo articuli, & quià negat titulum expreſſum à D. Thom. & quià ſuum errorem imputat Mercoro, qui non erravit.

144 Quo prælibato, iàm ſic argumentor, & primò ex illis D. Thom. verbis. *Ex conſcientia obligatur aliquis ad peccatum* (ideſt, fit reus peccato) *ſivè habeat certam fidem de contrario eius quod agit, ſivè habeat opinionem cùm aliqua dubitatione.* Sed dùm adeſt in intellectu opinio magis, vel æquè probabilis dicens opus elicendum eſſe illicitum, & prohibitum, ille qui ſic agit habet opinionem de contrario eius quod agit, nimirum de illicito, ſaltim cùm aliqua dubitatione: ergò obligatur ad peccatum, ſeu fit reus peccati, ſi illud faciat.

Confirmatur. Iuxta Probabiliſtas, quiſque poteſt licitè agere contra propriam opinionem, ſequendo oppoſitam probabilem, ità vt habens opinionem propriam de eo quod opus ſit prohibitum, poteſt illud licitè facere ſequendo opinionem probabilem aliorum dicentium quod opus eſt licitum; ſed hoc expreſsè negat D. Thomas, dùm ait peccare contra conſcientiam, qui habet opinionem de contrario eius quod agit, licet cùm aliqua dubitatione: ergò D. Thomas expreſsè contradicit Probabiliſtis.

145 Proſequitur D. Thom. *Quod autem agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam.* Circa hæc verba omnes conveniunt quod non ſunt intelligenda abſque exceptione, nàm ipſe D. Thom. vt ſupra vidimus quæſt. 4. num. 2. expreſsè docet conſcientiam invincibiliter errantem excuſare à culpa, ſolum ergò intelligendus eſt D. Thom. cùm hac exceptione, *niſi error conſcientiæ ſit invincibilis, & inculpabilis*: hæc interpretatio ab omnibus admittitur. (Mitto alias, quià non ità acceptas) Ex hac autem conſtat iuxta D. Thom. illud quod agitur contra legem ſemper eſſe peccatum, nec excuſari per hoc quod ſit ſecundum conſcientiam, niſi forsàn conſcientia erret invincibiliter, & inculpabiliter. At, qui format conſcientiam ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem, ſi illa ſit falſa, errat culpabiliter: ergò non excuſatur à peccato.

146 Proſequitur D. Thom. ad reſolutionem quæſiti, & imprimis ait: *Quandò ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe falſam, alteràm veram*: ergò falſa eſt illa doctrina Probabiliſtarum, dicentium vtramque opinionem contrariam moralem probabilem eſſe ſimul practice, & moraliter veram, & non repugnare duas opiniones probabiles contradicentes ſimul practicè, ſeu moraliter veras. Si enim id ità eſſet, D. Thom. principium falſum aſſumeret, vel ineptum. Nàm ſi ſenſus D. Tho. eſt quod oportet vnam eſſe falſam, & alteram veram practicè, hoc falſum eſt iuxta Probabiliſtas, qui vtramque dicunt poſſe eſſe ſimul veram practicè. Si ſenſus eſt quod vna debet eſſe falſa, & altera vera ſolum ſpeculativè, hoc principium eſt ineptum ad reſolvendum àn peccet, vel non qui ſequitur talem opinionem, quià ſola veritas, vel falſitas practica, & non pure ſpeculativa, conducit iuxta Probabiliſtas ad inferendum peccatum, vel non peccatum in ſequela alicuius opinionis: ergò iuxta Probabiliſtas, vel D. Thom. aſſumpſit principium ineptum, vel negavit contra ipſos vtramque opinionem moralem contradicentem poſſe eſſe ſimul veram practicè.

147 Proſequitur D. Thom. *Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic, cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam, ſic enim contra legem Dei facit*: Ex vbi ſupponit Angelicus P. quod qui ſequitur opinionem Magiſtrorum falſam, contra aliam Magiſtrorum veram, facit contra legem Dei: ergò falſum eſt quod inquit Terillus, & cùm illo alij Probabiliſtæ, nimirum, illum qui ſequitur opinionem minus probabilem, licet falſam,

nullam

nullam Dei legem violare, nequidem materialitèr; quomodo enim nullam Dei legem violat, qui iuxta D. Thom. facit contra legem Dei?

148 Secundò ſic argumentor; ſi opinio probabilis falſa eo ipſo quod ſit probabilis, ſivè minus, ſivè magis ſua contradicente, excuſaret à peccato, qui ſequitur opinionem Magiſtrorum falſam, contra aliam Magiſtrorum veram, eo ipſo excuſatur à peccato, quià ſequeretur opinionem probabilem; ſed contrarium aperte docet D. Thom. nimirum ipſum non excuſari à peccato, ſi opinio quam ſequitur eſt falſa: ergò D. Thom. non ſenſit opinionem probabilem, ſivè minus, ſivè magis excuſare à peccato, ſed oppoſitum.

149 Proſequitur D. Thom. ad deciſionem articuli in ſecundò caſu; quandò nimirum opinio, quàm quis ſequitur, ſit vera, & contraria falſa, *ità quod verè liceat habere plures præbendas. Et tunc*, inquit, *diſtinguendum eſt, quià aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat, contra conſcientiam faciens, licet non contra legem.* Circa hæc verba noto, quod iuxta D. Thom. etiam ſiquis ſequatur opinionem probabilem Magiſtrorum, adhuc habere poteſt conſcientiam de contrario: ergò non ſtatim aliquis excuſandus eſt à peccato eo preciſè quod ſequitur opinionem probabilem Magiſtrorum, ſed examinandum eſt, vti examinat D. Thom. àn habuerit in tali ſequela conſcientiam de contrario, quià ſi habuerit conſcientiam de contrario (vt factibile ſupponit D. Thom.) nihil ei proderit ſequi opinionem Magiſtrorum, imò peccabit contra conſcientiam iuxta D. Thom.

150 Proſequitur D. Thom. ad ſecundum membrum diſtinctionis, & ait: *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum.* Circa hanc hypotheſim D. Thom. variant RR. in explicando quomodo ſit poſsibile, quod aliquis non habeat conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, & item *quod in dubitationem in ducatur.* Et re ipſa ſi ſic legatur textus, inexplicabilis eſt. Nàm imprimis implicat quod quis non habeat conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; ſi enim non habet conſcientiam de contrario, nec de illo certitudinem habere poteſt, quomodo enim certus eſſe poſſum de eo quod opus eſt prohibitum, & non habere de hoc ipſo conſcientiam?

Dices ly *ſed certitudinem* non eſſe intelligendum circa idem, circa quod dicit non habere conſcientiam, ità quod *non habeat conſcientiam de contrario, ſed certitudinem de ipſo contrario*, ideſt de illicito: ſed circa oppoſitum, ità vt ſenſus ſit, quod non habeat conſcientiam de contrario, ſed certitudinem de eo quod ſit licitum id quod agit. Sed hoc etiam inintelligibile eſt, tum quià, cùm ly *ſed certitudinem* adverſativè ponatur ad *conſcientiam*, & non legatur aliud in præcedentibus diſtinctum à *contrario*, de quo poſsit eſſe illa certitudo, nec ibi aſsignatur, non habet alium ſenſum, niſi quod illa certitudo intelligatur de ipſo contrario, de quo dicitur, *non habere conſcientiam, ſed certitudinem.* Et quidem, ſiquis diceret, *non habeo conſcientiam de peccato, ſed certitudinem*, nihil aliud deſignando de quo eſſet certitudo, alium ſenſum habere non poſſet, niſi quod haberet certitudinem de peccato, de quo diceret, non habere conſcientiam, & ideò tale dictum cenſeretur implicatorium: ergò ſi ità legatur textus, non poteſt aliter intelligi.

151 Tùm etiam, quià adhuc admiſſo quod illa certitudo intelligatur de licito quod quis ſequitur, explica mihi, quomodo cùm certitudine de licito componitur quod in quandam dubitationem inducatur ex contrarietate opinionum? Hoc quidem plures explicare conantur, ſed nullus aſſequitur intentum, vt patebit cuique legenti explicationes eorum, quas prolixitatis timore omitto. Cenſeo enim errorem fuiſſe typographi. Nec hanc putes evaſionem voluntariam difficultatis, tum quià licet ſic legerem textum, nihil inde contra meam ſententiam, quod potius non ſit contra oppoſitam. Tum quià nõ deficeret habilitas cudendi explicationem æquè, vel magis apparentem præ ceteris. Solum igitur eſt ingenua veritatis, ſeu ſaltim proprij ſenſus confeſsio. Igitur ità legendum puto; *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſeu certitudinem; ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum.* Tùm quià grammatica evadit congruentior. Tùm quià ità hypotheſis evadit poſsibilis, & intelligibilis: qui enim non habet conſcientiam, ſeu certitudinem de contrario eius, quod agit, rectè poteſt habere dubitationem ex contrarietate opinionum, àn liceat, vel non. Tum quià ſic perfectè correſpondet reſponſio D. Thom. cùm prænotatis ab ipſo; prænotaverat enim, quod *quis ex conſcientia obligatur ad peccatum, ſivè habeat certam fidem de contrario eius quod agit, ſivè habeat opinionem cum aliqua dubitatione*, & ideò per correſpondentiam ad hoc prænotatum nunc ponit duos caſus, vel hypotheſis: vnam in qua quis habeat conſcientiam, ſeu certitudinem de con-

contrario eius quod agit, & tunc aſſerit illum peccare contra conſcientiam, & hæc hypotheſis correſpondet primæ parti notabilis, in qua dicit peccare contra conſcientiam qui habet certam fidem de contrario eius quod agit. Ponit demum ſecundam hypotheſim, in qua quis non habeat conſcientiam, ſeu certitudinem, aut certam fidem de contrario eius quod agit, ſed tamen ex contrarietate opinionum inducatur in quandam dubitationem, & hæc hypotheſis correſpondet ad ſecundam partem prænotati, in qua ait peccare contra conſcientiam, qui habet opinionem de contrario eius quod agit cùm aliqua dubitatione. Sic igitur omnia cohærent, & textus manet clarus, alioquin inexplicabilis.

152 Sed dices, in nullo exemplari inveniri textum, vt à nobis legitur, ſed oppoſito modo; non licere autem corrigere exemplaria ità voluntarie. Sed contra eſt, quià in his quodlibetis, vt bene notat P. Ioannes Nicolai in præfatione ad eorum editionem factam Lugduni, anno 1660. plura ſcatebant errata, etiam in omnibus exemplaribus antecedentibus, quæ quidem implurimum ipſe correxit, licet non omnia; nàm, vt ipſe fatetur, *excidit, quod in quodlib. 12. art. 1. in corp. omnia exemplaria vniformitèr corruperant*, deſideratur. *Vbi conſideratur legendum eſt*: ſic ergò ſimilitèr excidere potuit, quod in noſtro quodlib. omnia corruperint exemplaria, *ſed*, vbi *ſeu* legendum eſt, potiſsimè cùm facilimum fuerit in vna littera errare commutando d pro u: poſſumus ergò exemplaria omnia, non quidem voluntarie, ſed vrgentiſsima de cauſa corrigere, quandoquidem tot nobis adſunt iuſtiſsima motiva.

153 Vindicato igitur D. Thom. ab errore typographi, qui eius doctrinam, alioquin limpidiſsimam, diſcipulis obſcuram reddiderat, conſtat iàm hypotheſim hanc vltimam ab ipſo factam, eſſe, quando quis *non habet conſcientiam, ſeu certitudinem de contrario*, ideſt de illicito, *ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*. In qua quidem hypotheſi ſic reſpondet Angelicus P. *Et ſic, ſi manente tali dubitatione, plures præbendas habeat, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, vtpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem*: Sed ille, qui verſatur inter duas opiniones contradicentes æquè ſibi probabiles, durante tali æqualitate, non poteſt non induci in quandã dubitationem ex contrarietate talium opinionum, nec poteſt talis dubitatio ſolvi, durante æqualitate probabilitatis vtrimque: ergò ille qui verſatur inter tales opiniones periculo ſe committit, & proculdubio peccat, ſi ſequatur æquè probabilem, & minus tutam: ergò multò magis periculo ſe exponit, & peccat, ſi ſequatur minus probabilem, & minus tutam. Minor patet, nàm vt ſupra vidimus quæſt. 26. iuxta D. Th. æqualitas motivorum pro vtraque parte contradictionis eſt diſpoſitio dubitantis: ergò durante tali æqualitate ſemper manet in intellectu diſpoſitio dubitantis.

154 Proſequitur denique D. Thom. *Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat. Vnde patet ſolutio ad obiecta.* Ex quibus verbis iàm inferunt contrarij: ergò poteſt quis ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adduci, ſed determinatè, & abſque dubitatione, credere opus eſſe licitum; ſed iuxta D. Thom. hoc pacto licitè, & ſine peccato poteſt tale opus elicere, ſeu ſequi partem minus tutam: ergò iuxtà D. Th. ex contrarijs opinionibus licitè poteſt quiſque ſequi partẽ minus tutam. Sed diſtinguo primũ conſeq. ergò poteſt in nullã dubitationẽ adduci, ſi facta debita dili gentia, nihil inveniat, quod eum moveat pro parte legis, concedo conſequent. ſi inveniat rationẽ, aut motivum, æquè, vel magis probabilem pro lege, quam contra legẽ, nego conſequent. & hæc ſolutio eſt expreſſa D. Th. in præſenti art. in argum. *ſed contra*. Vel alitèr diſtinguo: ſi veritas expreſsè appareat in vna opinione præ alia, concedo conſeq. ſi veritas ſit ambigua inter vtrãque nego conſeq. & ſimilitèr diſtinguo vltimũ conſeq. poteſt ſequi partem minus tutam, ſi veritas non ſit ambigua, ſed expreſsè apparet in illa parte, concedo: ſi veritas ſit ambigua, & æqualitas pro vtraque parte, nego conſeq. Quis autẽ non videat veritatem eſſe ambiguam quando pro vtraq; parte contradictionis eſt æqualis probabilitas? Aut quomodo veritas expreſsè habetur in parte minus tuta, quando illa eſt minus probabilis, & oppoſita probabilior?

155 Et hæc ſolutio etiam eſt expreſſa D. Th. quodlib. 9. art. 15. in corp. *Reſpondeo dicẽdum, quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur, præcipuè autẽ periculoſum eſt, vbi veritas ambigua eſt.* ergò iuxtà D. Th. in quæſt. ſeu in bivio opinionũ còntradicentium, vbi litigium eſt de peccato, vel nõ peccato mortali, periculosè intellectus determinatur, dum adhuc veritas ambigua eſt: ergò tunc intellectus non poteſt tuta conſcientia decidere dubium determinatè, abſque vlla dubitatione affirmando vnam partem cõ-

tra-

traditionis, ſed tenetur in conſcientia manere cũ aliqua dubitatione, alioquin iuxta D. Th. periculo ſe committit, ſeu periculosè determinatur, & conſequenter peccat.

156 Reſpondent aliqui D. Tho. in hoc art. 15. loqui cũ Doctoribus Theologis, quantum ad reſolvendas queſtiones, & dubia moralia pro alijs, non autem cũ quolibet individuo, quantum ad propriam conſcientiam formãdam, quià quilibet tuto poteſt in conſcientia ſolvere dubium pro parte æquè vel minus probabili, quanvis veritas ſit ambigua, & non expreſsè habeatur. Sed contra eſt evidenter, quià D. Thom. vniverſaliter loquitur dicens: *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi veritas expreſsè habeatur, periculosè determinatur, &c.* Ergò cùm omnibus loquitur.

157 Confirmatur: nàm ratio D. Thom. hæc eſt: *Quià error, quo nõ creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatũ mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè excuſet à tanto. Error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale.* Sed hoc ipſiſsimum periculum, & hęc ipſiſsima ratio vrget ad hoc, vt quiſque ad formandã propriam conſcientiam non poſsit determinare dubium quando veritas eſt ambigua: ergò.

158 Confirmatur ſecundo ex ipſo Angelico Præcept. opuſc. 73. aliàs 42. de vſuris, in cuius prœmio invocat Angelicus Præceptor divinam ſapientiam his verbis: *Invoco ergò ipſam nè me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum: quoniam vero in dubijs, quorum veritas agnita ſalutaris eſt, & incognita periculum ingerit humanæ ſalutis, ad modum vtile eſt veritatem inveſtigare: & temporibus noſtris audivimus multas controverſias inter Doctores, non ſolùm in naturalibus quæſtionibus, ſed etiam in moralibus, in quibus periculum eſt diverſa ſentire, & opinari, & præcipuè in illa parte iuſtitiæ, quæ commutativa dicitur, &c.* Ex quibus verbis ſic primo argumentor, ſi opinio quælibet probabilis, licèt falſa, eſſet tuta, & recta regula conſcientiæ, vti ſentiunt Probabiliſtæ, imprudenter formidaſſet Ang. Præcept. propter periculum animæ ſuæ, & laqueum aliorum, nè Deus permitteret ipſum errare in deciſionibus moralibus, falſumque eſſet, quod veritas incognita in ſimilibus dubijs periculum ingerit humanæ ſaluti; ſed de primò formidat A. P. aſſeritque ſecundum: ergò iuxta D. Th. ſola veritas, & non probabilitas præciſivè à veritate eſt regula recta conſcientiæ, ac proindè ſola probabilitas nõ poteſt reddere conſcientiam tutam, & ſecuram.

159 Vrgetur iuxta D. Th. *in moralibus periculum eſt diverſa ſentire, & opinari*: ſed iuxtà Probabiliſtas nullum in hoc eſt periculum; imò convenit eſſe opiniones probabiles oppoſitas, vt diverſis vijs pateat ſecurum ad Cœlum iter, quià omnis opinio probabilis eſt via ſecura: ergò probabiliſmum ex diametro opponitur D. Th. Vrgetur ſecundo, nã qui determinat dubiũ pro opinione æquè, aut minus probabili; quæ in rei veritate eſt falſa, iuxta D. Th. errat culpabiliter: ergò ſi ſequatur talem opinionem peccat. Probo antec. nàm vel ignorat culpabiliter quęnã opinio ſit vera; vel ignorat invincibiliter, & inculpabiliter. Si primũ abſdubio peccat, ſiquidẽ errat ex ignorantia vincibili, & culpabili, & hoc iuxtà D. Th. & omnes. Si ignorat invincibiliter quęnã opinio ſit vera, iuxta D. Th. peccat, quià errat ex temeritate, & præſũptione quod aliquis de ignoratis ſententiam ferat, vnde talis error manifeſtè habet rationẽ peccati, vide D. Th. ſuprà expenſũ, q. 28. n. 90. & quidẽ ſi quis ignorat invincibiliter quænã opinio ſit vera, àn illa quæ dicit opus eſſe licitũ, àn illa, quæ dicit eſſe illicitũ: ergò invincibiliter ignorat àn opus ſit licitum, vel illicitum: ergò temerariè dictat eſſe licitum: ergò præſumptuosè decidit dubium pro licito. En argumentum D. Th. mihi penitùs inſolubile, quo probatur quod quandò veritas inter opiniones eſt ambigua, non niſi temere determinari poteſt dubium; atqui iuxta ipſum, ſi manente dubitatione plures præbendas habeat, proculdubio peccat: ergò.

160 Denique confirmãtur dicta argumento negativo. Nàm ſi D. Th. fuiſſet in ſententia Probabiliſtarum, facilimè ſolvere potuiſſet, imò & debuiſſet præcitatã queſt. inquirentem, *vtrum qui ſequitur opinionem Magiſtrorum minus tutam contra oppoſitã etiã Magiſtrorum peccet?* Vel negativè reſpondẽdo, quià opinio Magiſtrorũ eſt probabilis; & qui ſequitur opinionem probabilem non peccat. Vel diſtinguendo: ſi ſit certo probabilis, dicendo quod non peccat, ſecus autẽ ſi tantum dubiè, aut probabiliter ſit probabilis. Vel aliter diſtinguendo, ſi ſit practicè probabilis non peccat, ſecus autem ſi ſolum ſpeculativè ſit probabilis. Hi ſanè ſunt primi termini, primęque diſtinctiones Probabiliſtarum, quæ ignorare non potuiſſet D. Th. ſi in eorum fuiſſet ſententia. At D. Th. nihil horũ meminit, cùm tamen ità facilimè, & clarè ſoluta maneret queſt. ergò evidẽtiſsimum eſt D. Th. longè ab fuiſſe à doctrina Probabiliſtarum, ipſamque vnicè à modernis introductam, præter. vel[illegible] quos

verũ cenſeo) contra mentem D. Th. Rurſus. Nàm D. Th. non diſtinguit ità: *Vel illa opinio, quam quis ſequitur, probabilis eſt, vel improbabilis*, ſed ità: *Vel eſt vera vel falſa*, & per veritatem, vel falſitatem opinionis regulat peccatum vel non peccatum, minime vero per probabilitatẽ vel per non probabilitatem: ergò penitus eſt contra D. Th. ponere pro regula peccati vel non peccati probabilitatem, vel non probabilitatem præciſive à veritate vel falſitate opinionis.

161 Ac denique, vbi invenies in D. Th. illam diſtinctionem legis directæ, & legis reflexæ, probabilitatis reflexæ, vel directæ, probabilitatis practicæ vel ſpeculativæ in opinionibus de licito vel illicito de peccato vel non peccato, invariatis circunſtantijs? Vbi illam regulam de lege non ſufficienter promulgata, quandiù adeſt certa probabilitas in aliquo gradu contra ipsã, de poſſeſsione libertatis in dubijs vtrinque probabilibus? Sanè per has regulas, quę ſunt cardines, quib⁹ volvitur doctrina Probabiliſtarum, facilimè potuiſſet D. Th. ſolvere quæſtionem præcitatam, vel dicendo quod ille, qui ſequitur opinionem probabilem falſam, non facit contra legem, ſed potius conformatur legi reflexæ: quod licèt talis opinio ſit minus, aut æquè tantum probabilis directè, illa tamèn reflexè eſt certa, & evidens: quod licèt ſit falſa ſpeculativè, eſt tamèn practicè vera, & probabilior ſub eiſdem circunſtantijs: quod lex incontra eo ipſo quod eſt controverſa inter opiniones, vel non datur, vel non eſt ſufficienter promulgata: quod in dubio vtrimque probabili quiſque poſsidet ſuam libertatem; ità ſanè, ſi D. Th. eſſet Probabiliſta, debuiſſet ſolvere quæſtionem illam. Ceterum nihil horum meminit, ſed oppoſitum omnino docet, nimirum quod ſi opinio Magiſtrorum, quam iſte ſequitur, eſt falſa, & contraria vera, re ipſa operatur contra legem, & peccat: ad veritatem vel falſitatem attendit, nec nomen probabilitatis aſſumit: ergò tota doctrina de ſequela cuiuslibet opinionis probabilis ſivè veræ ſivè falſæ, eſt contra mentem D. Th. noviter à RR. invecta.

162 Econtrà vero potiſsima noſtræ ſententiæ fundamenta exprimit Ang. P. nimirum, quod ſi opinio, quam quis ſequitur, re ipſa eſt falſa, qui illam ſequitur re ipſa operatur contra legem Dei. Quod in ſequela opinionis minus aut æquè probabilis, qui illam ſequitur, committit ſe periculo, vel diſcrimini violandi legem divinam, ſeu diſcrimini propriæ ſalutis; quod ſequitur amare magis bonum temporale, quam Deum, ſeu ſuam ſalutem, quod inter opiniones contradicentes, dum veritas eſt ambigua, hoc eſt, dum vtrimque adeſt æqualis probabilitas, non poteſt ſolvi dubium, niſi temerè, & periculosè: quod non poſſumus manere niſi in dubio: quod manente dubitatione nemo poteſt ad opus procedere, niſi committendo ſe periculo. Hæc ſanè ſunt noſtra fundamenta vt ex diſcurſu præcedentis quæſtionis patet, hæc ſimiliter fundamenta Div. Thomæ, nos igitur nihil innovamus, antiquam doctrinam Div. Thom. nunquam antiquandam, exprimimus. Quid ergò novitatis nos incuſſant, ipſi novitatis defenſores? Sed audiamus iàm, quid ex D. Th. pro ſe afferant.

§. V.

Solvuntur obiecta contrariorum, & explicatur qualitèr contingat contrarietas inter Doctores opinantes.

163 OBIJCIVNT Primo: ſi eſſet contra Div. Thom. ſententia de licito vſu cuiuſvis opinionis probabilis, ſivè minus ſive magis, talem ſententiam non docuiſſent innumeri diſcipuli Div. Thom. & veri Thomiſtæ: ſed talem ſententiam docent Bannez, Medina, Serra, Martinez, Ioannes à Sancto Thom. & innumeri alij Thomiſt. verique diſcipuli D. Thom. ergò non eſt contra mentem D. Thom. Reſpondeo, imprimis inſtando, quià ſi oppoſita ſententia eſſet de mente D. Thom. nequaquam illi contradixiſſent D. Antoninus, Sylveſter, Sotus, Caietanus, Contradus, Contenſon, Mercorus, Baronius, Petrus à Sancto Dominico, Gonet, & alij diſcipuli Div. Th. tam ex Antiquis, quam ex modernis, quorum textum infra dabimus: ergò illa ſententia non eſt de mente D. Thom. Secundo Reſpondeo cùm Magiſtro Gonet, in præſenti, quod licèt plures Thomiſtæ in contrariam ſententiam inclinaverint, eo ità contigit, quià plerique illorum non meminerunt doctrinæ Div. Thom. quam tradit in quodlibetis, vbi vnicè quęſtionem reſolvit, nihil autem mirum quod diſcipuli à Magiſtro devient, quando non ex eius doctrina, ſed ex doctrina RR. diſcurrunt. Nec doctrina Div. Thomæ, penes doctrinam recentium diſcipulorum regulanda eſt, potiſsime cùm inter illos ſit vtrimque diſſenſio, ſed potius illorum doctrina per textum Div. Thomæ examinanda venit, & illa eligenda, quæ magis textui conſonat, quod nos facimus.

164 Secundo obijcit Terillus D. Thom. tenet licitum eſſe ſequi opinionem, quam ipſe poſt maturam deliberationem prudenter reſolvit eſſe veram, alio-

alioquin fruſtrà in eius reſolutionem deſudaret. At evidens eſt S. Thomam ſæpiſſimè reſolvere quæſtionem, de qua ſunt cõtrariæ opiniones in favorem partis minus tutæ: ergò eſt evidens Sanctum Thomam exiſtimaſſe licitum cuique ſequi opinionem minus tutam, quanvis oppoſita ſententia tutior ab alijs doceretur. Minorem probat Moya 1.p. ſelect. q. 1. adducens viginti reſolutiones D. Thomæ in materia morali pro parte minus tuta. Hoc argumentum magni faciunt Probabiliſtæ, & quaſi triumphum reportare ſe putant vi illius de noſtra ſententia.

165 Sed, vt ingenuè fatear, non poſſum non mirari, quod in re tam gravi Authores, & Theologi alioquin graves, hoc argumentum validum iudicent, quod ſanè mihi, quantum poſſum conſideranti, nullius momenti apparet. Imprimis enim difficultatem præſentis controverſiæ non tangit, quià nos minimè dicimus vniverſaliter, quod quandocumque ſunt opiniones contradicentes circà peccatum, vel non peccatum in aliquo opere, nunquam poſsimus ſequi partem minus tutam. Hoc ſanè procul diſtat à noſtro ſenſu: ergò contrarij qui innumeras paginas replent probando D. Th. alioſque Doctores ſæpè decidiſſe reſolutiones morales pro parte minus tuta, aerem verberant, fruſtraque conantur.

166 Quid ergò dicimus? Sanè quod non ſemper licet decidere dubia moralia pro parte minus tuta, nec ſequi partem probabilem minus tutam, ſed ſolùm quãdo in illa veritas, vel expreſsè habetur, vel non eſt ambigua, ſed notabilitèr in ea magis probabilis. Hoc dicimus, hoc docet D. Thom. hæc eſt ſententia, quam deberent impugnare contrarij; ſed nihil minus præſtant. Vndè in forma. Omiſſa pro nunc maiori, diſtinguo minorem: evidens eſt D. Thom. ſæpè reſolvere pro parte minus tuta, quando illa ſibi non eſt ambigua, ſed longè probabilior præ oppoſita, concedo minorem: quando ſibi proximè ante affectum, & aſſenſum erat minus, vel æquè tantùm probabilis cum ſua contradicente, nego minorem; & diſtinguo conſequens in eodem ſenſu, quià quotieſcumque D. Thom. pro parte minus tuta reſoluit quæſtionem moralem, vel agnovit expreſsè veritatem in illa parte, vel ſaltim longe maiori probabilitate apparebat illi vera illa pars, quam eius oppoſita; ità vt vel ſibi nullum eſſet periculum errandi, vel leviſsimum, & remotum. Nunquàm autem D. Thom. ſententiam ſuam protulit pro parte minus tuta, & minus, aut æquè tantùm ſibi probabili ſua contradicente, ità vt pro libito, vel ex affectu voluntatis decideret pro parte qua vellet ex contradicentibus; id enim iniurioſum puto Ang. D. qui cum magna certitudine, & firmitate ſuas proferebat ſententias. Ex hoc autem quid ſequitur? Sanè everſio Probabiliſmi, nimirùm non eſſe licitum ſequi, nec in reſolutionibus moralibus, nec in operando partem minus tutam, niſi vel in illa expreſsè veritas habeatur, vel ſaltim in illa cum maiori probabilitate veritas appareat, quam in ſua contradicente.

167 Sed forsàn replicabis: plures opiniones docuit D. Thom. vel ſaltim aliquas, quæ non ſunt magis probabiles inter Authores, & tamen eas docuit, vt licitè ſequibiles: ergò ſenſit D. Thomas eſſe licitè ſequibilem non ſolùm partem minus tutam, ſed etiam minus probabilem. Reſpondeo hoc argumentum eſſe manifeſtè ſophiſticum. Quod ſimili forma inſto. Sanchez docuit plures, vel aliquas opiniones, quæ inter Authores reputantur improbabiles, & ab Eccleſia ſunt damnatæ, & tamen eas docuit, vt licitè ſequibiles in praxi: ergò Sanchez ſentit eſſe licitè ſequibiles in praxi opiniones improbabiles, & damnatas ab Eccleſia. Concedes nè conſequentiam? Non ſanè: & tamen præmiſſæ veræ ſunt, & notoriæ: ergò forma tui argumenti fallax. Et quidem fallacia eſt illa communis de variatione appellationis, quam ſic in forma detego, diſtinguendo maiorem: plures opiniones docuit D. Thom. quæ non ſunt magis probabiles inter Authores, nec ſibi, nego maiorem: quæ tamen ipſi Angelico Præceptori fuerunt, vel expreſsè, vel longè cum maiori probabilitate veræ præ ſuis oppoſitis, concedo maiorem; & diſtinguo minorem: & tamen eas docuit vt ſequibiles ab eis, quibus ita apparent ſicut ſibi, concedo minorem: ab eis, quibus alitèr apparerent, nego minorem, & conſequentiam:

168 Itaque ſi D Th. vti refert Teril. tenet quod vbi invaluit conſuetudo non ſolvendi quotam decimalem, excuſantur illam non ſolventes; & hæc opinio iuxta ipſum Teril. apud Canoniſtas eſt quaſi hæretica; erit ne bona conſeq. *Ergò Div. Th. docuit eſſe licite ſequibiles opiniones quaſi hæreticas?* Quis non rideat hanc, & ſimiles conſequentias? Solum ergò infertur illam opinionem in ſenſu quo ab ipſo Ang. Magiſt.

docetur, apparuiſſe ſibi expreſsè veram, vel longè probabiliorem oppoſita, & ideò eam tradidiſſe exprimendo motiva, quæ ipſum ad ità ſentiendum movebant, vt ipſis motivis viſis, alij veritatē diſcerent, vel expreſsè, vel cùm maiori probabilitate ſicut ipſe, & tunc caſus eis eſſet licitū talem opinionē ſequi in praxi. Non tamèn fuit ſenſus nec conatus, quod eis, quibus appareret quaſi hæretica, vel falſa, vel improbabilis, vel minus, aut æquè tantum probabilis cùm ſua contradicente, ab eis inquam eſſet licite deducibilis ad praxim; nihil enim magis alienum à mente D. Th. ex cogitari poteſt, cùm ipſe à ſequente in praxi aliquam opinionem veram talem certitudinem de illa expoſcat, vt ex contrarietate opinionum in nullam dubitationem inducatur.

169 Sed inſtabis ſecundo: quicumque Author docet aliquam opinionē pro licito, illam proponit vt regulam ab omnibus vniverſalitèr ſequibilem, præcipue ſi doctrinam poſteris tradat, vti D. Th. aliàs enim in vanum laboraret: ergò ſentit illam opinionem eſſe licite ab omnibus ſequibilem in praxi: ſed D. Th. & quilibet alius Author, benè ſciebat ſuas opiniones ab alijs reputari minus probabiles: ergò ſenſit eſſe ſequibiles in praxi opiniones minus probabiles. Reſpondeo replicam eamdem fallaciam repetere. Vnde diſtinguo conſequens: ergò cenſuit eſſe licite ſequibiles in praxi opiniones minus probabiles, ab eis, quibus minus probabiles apparent, nego conſequentiam: ab eis, quibus ità probabiliores apparerent, vt in nullam dubitationem adducerentur, concedo conſeq. & propterea laborabat Angel. Præcept. exprimendo motiva, & rationes pro ſuis ſententijs, vt ſecūdum illa quiſque ferret iudicium, ſicut ipſe, abſque vlla dubitatione, ſaltem maiori cùm probabilitate, & tunc eam licitè poſſet ſequi.

170 Inſtat tertiò Teril. quià inter DD. ſanctitate, & ſcientia maximos, in materia morali aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria, ſunt contrariæ opiniones, vt docet D. Antoninus, & alij: tūc certè nequit vtraque opinio eſſe probabilior, multoque minus vtraque certa, aut expreſsè vera: ergò ſaltē aliqui ex illis DD. ſanct. & ſcientia maximis docuerunt opiniones non probabiliores, ſed vel minus, vel æquè tantum probabiles: & tamèn eas opiniones docuerunt vti regulas ad praxim: ergò ſentiebant quamlibet opinionē licet minus, aut æquè tantum probabilem poſſe licitè deduci ad praxim. Reſpondeo conceſſa maiori diſtinguendo minorē: tunc certe nequit vtraque opinio eſſe probabilior eidem intellectui concedo minorem, vna vni, & altera alteri ſecundum diverſam lucem, & diſpoſitionem vtriuſque nego minorem, & conſequentiā; quià Doctor quilibet ſanctitate & ſcientia maximus non docet opinionē, niſi prout illam habet in ſuo ſenſu, & intellectu; optimè autem componitur quod duo DD. ſanct. & ſcientia præſtantes docuerint ſententias oppoſitas, & quod vnaquęq; ſuo D. apparuerit longè probabilior oppoſita, & ità illam docuerit; quo pacto, nullus ex illis DD. docet opinionē ſibi minus aut æquè tantum probabilem, ſed ſolum probabiliorem notabilitèr præ ſua oppoſita, quià ità ſibi apparet.

151 Sed inſtabis quarto: ergò nullum eſt periculum in moralibus contraria ſentire, ſed vnuſquiſque poteſt licite ſentire pro libertate, adverſus alium ſentiencem pro lege, dummodo ſibi perſuadeat vt probabiliorem ſuam opinionem pro libertate. Tunc ſic, ſed facile quiſque ex imperio, & affectu voluntatis poteſt ſibi perſuadere vt probabiliorem quamlibet opinionem probabilē pro libertate, licet illa ante affectū, & aſſenſum ſit minus probabilis: ergò quiſque pro libito poteſt ſequi quamlibet opinionem probabilem. Reſpondeo quod in hac inſtantia, ni fallor, latet totum malum contrariæ ſententiæ. Cùm enim contrarij videant DD. ſanctitate, & ſcientia magnos contraria ſentire in moralibus, & alias eos non poſsint reos facere peccati, exiſtimant cuilibet licere in moralibus contra alios ſentire, & quamlibet opinionem pro libito ſectari, licet adverſus aliam probabiliorē; & putant id arbitrio cuiuslibet eſſe relictum, & non perpendunt modū illum internum, quo contingere potuit Doctores illos Sanctitate magnos contraria ſenſiſſe.

172 Quod quidem vt explicem; dico imprimis, ipſos non pro libito, aut ex affectione voluntatis contradixiſſe alijs, non habendo maiorem rationem pro ſua, quam pro oppoſita opinione, id enim exiſtimare iniurioſum iudico Sanctis DD. Dico ſecūdo illam contrarietatem ſæpè contigiſſe, quià vnus D. inſcius de opinione alterius, & non conſiderans motiva, quæ alter conſideravit, quià, facta ab ipſo inquiſitione, nō occurrerunt menti eius, ſuam opinionē exiſtimavit vnicè veram, vel vnicè probabilem; quod idem ſimul potuit contingere altero Doctori ſanctitate præclaro circa contrariam opinionem, quià ſæpè vnus Doctor conſiderat, quæ invincibilitèr alteri non occurrunt. Et quando ita contingit contrarietas opinionum, reſpectu vtriuſque caſualis eſt omnino, & penitus involuntaria, & contingit abſque pec-

ca-

cato tam veniali, quam mortali vtriuſque. Quia abſque omni peccato Doctoris poteſt non occurrere menti eius motivum aliquod, quod menti alterius occurrit, licet non contingat ſinè imperfectione aliqua, vel privativa, vel ſaltèm negativa inconſiderationis. Ceterum, quando ità contingit contrarietas opinionis, certiſsimũ eſt quod nullus ex illis DD. ſequitur opinionem probabilem in concurſu probabilioris, aut æquè probabilis, cùm potius eius menti invincibiliter non occurrat probabilitas, aut motivum oppoſitæ opinionis.

173 Dico tertiò, illam contrarietatem contingere etiã poſſe inter DD. Sanctitate, ſcientiaque præclaros, quorũ vnus, vel altèr laboraverit aliqua inconſideratione veniali; licèt enim D. aliquis ſit Sanctus & præclarus, certiſsimum tamèn eſt nullũ fuiſſe ità impeccabilem, vt laborare non potuerit aliqua inconſideratione veniali, vel ex aliqua affectione nimia ad aliquam creaturam, vel ex aliqua levi negligentia, vel ex imperfecta deliberatione. Nec eſt iniuriosum Sanctis eos cenſere aliquando lapſos in huiuſmodi venialia, vt fatetur ipſe Teril. ſupra relatus q. 9. n. 38. Ex tali tamèn levi inconſideratione potuit contingere quod ſibi appareret vera ſinè contradictione, cuius oppoſitam altèr D. expreſsè agnoſcebat eſſe verã, vel ſaltẽ cũ maxima probabilitate; & in tali caſu etiã certum eſt neutrũ D. ſequi minus probabilẽ in concurſu probabilioris, quià neutri apparuit motivum, vi cuius altera eſſet ſibi probabilior, ſed potius ſua vnicè apparuit probabilis, & vera.

174 Quartò etiam poteſt contingere talis cõtrarietas opinionũ, etiam ſi vterque D. conſideraverit motiva alterius, ſi nimirũ diſtincta luce, & diſtincta diſpoſitione, talia motiva cõſiderent; ſæpè enim duo intellectꝰ ità difformitèr ſunt diſpoſiti, & diverſa luce affecti, vt motivũ quod vni apparet efficax, & convincens, alteri videatur inefficax, & nullius momẽti, & ècontra. Huiuſmodi autem diverſa diſpoſitio aliquãdo contingit ſinè culpa D. vtpote quando eſt omnino involuntaria. Aliquando cum aliqua culpa veniali ex parte alterius, vel vtriuſque, ſi nimirum illa diverſa diſpoſitio proveniat ex aliqua affectione levitèr inordinata, & imperfectè deliberata, quę iudicium perfectum rationis præveniat, aut ex negligentia purgandi animũ affectionibus impedientibus agnitionem veritatis. Nihilominus, tali diſpoſitione præſuppoſita, qualiſcumque, & vndècumque illa ſit, opinio D. ipſi apparet longè probabilior oppoſita, & ideò illã docet, in qua ſi erret, venialitèr errat, quando indiſpoſitio intellectus eſt venialitèr culpabilis. Verumtamèn nunquã credã Doct. vllum Sanct. & ſcientia præclarũ deliberatè docuiſſe opinionem probabilem in concurſu oppoſitæ ſibi probabilioris, ità vt ex affectu deliberato eligeret aſſentire opinioni, quæ ſibi proximè ante talem affectum, & aſſenſum eſſet minus, aut æquè tantũ probabilis; quià iàm periculum illud errandi in re gravi eſſet deliberatè voluntariũ, & peccaret graviter. Quibus ſuppoſitis, valdeque notãdis,

175 Reſpondeo ad inſtantiam, negango conſeq. quià ſemper eſt periculum contraria ſentire, cùm enim evidens ſit alterũ ſentire falsò, ſeu docere doctrinã falsã; doctrinaque falſa in moralibus nociva ſit, neceſſario adeſt periculũ in tali contrarietate opinionum; tale tamèn periculũ aliquando poteſt eſſe omnino involuntarium, aliquãdo imperfectè voluntarium, aliquando deliberate, & perfectè voluntarium. Tunc eſt omnino involuntariũ, quando nullatenus à Doct. prævidetur, etiam facta debita, & ingenua veritatis inquiſitione in parte quã ſequitur: quod tunc contingit, quãdo facta tali inquiſitione pura, & ingenua, illa opinio vnicè apparet vera, abſque ratione dubitandi in contra.

176 Tunc autem tale periculum eſt imperfectè voluntarium, quando in veritatis inquiſitione miſcetur aliqua affectio, vel negligẽtia imperfectè deliberata, vi cuius tale periculum non prævidetur, quanvis de facto ſit. Et contingit, quando ex vi talis affectionis vel negligentiæ apparet vt probabilior quæ alioquin purè, & ſinè illa affectione, cum ſolicita diligentia veritatẽ inquirẽti appareret falſa, vel minus, aut æquè tantũ probabilis. Tunc denique eſt perfectè voluntarium tale periculum, quando alicui apparet opinio minus, vel æquè tantũ probabilis, & ex affectu deliberato contendit aſſentiri illi, & ſecundum illam iudicare. Tunc enim iſte benè pręvidet periculum errandi, cũ videat veritatem eſſe ambiguã, & vtrimque probabilem, adeſſeque rationem gravem dubitandi pro vtraque parte vel maiorem pro parte oppoſita. Vnde ignorare nequit, niſi ignorantia affectata, periculũ errandi in qualibet parte, & maius in parte minus probabili ac proindè ſi tunc caſus parti æquè, vel minus probabili affectu deliberato conetur aſſentiri, & ſecundum illam opinari, iàm ſibi voluntarium eſt tale periculum.

177 Vnde iàm vides quam fallax ſit ille diſcurſus contrariorum: ego video Doctorem doctrina, & ſanctitate preclarũ ità ſententem: ergò mihi licitum eſt ità ſentire: ego video alium D. etiam doctrina, & ſanctitate præclarũ oppoſitum ex diametro ſententem: ergò mihi etiam eſt licitũ,

ſi voluero, oppoſitũ etiam ſentire. Nunquid enim ſanctiorẽ, aut ſapientiorẽ me putabo tantis Doctoribus, aut non potero contentus eſſe, ſi vel pedes illorũ attigerim? Ergò ſecuriſsime poſsũ, & abſque omni periculo, hoc, vel oppoſitũ cum quovis illorũ ſentire.

178 Eſt inquam fallax hæc obiectio; vnde diſtinguo antecedens: ego video D. doctrina, & ſanctitate præclarum ità aſſentientẽ, quià hoc ſibi ingenuè, & purè inquirenti veritatem vnicè apparuit verum, vel longe probabilius oppoſito ante affectum ſuæ voluntatis, concedo; quià occurrente ſibi vtraque parte vt æquè probabili, pro libito voluit ità sẽtire, nego antec. Et diſtinguo conſeq. ergò mihi licitum eſt ità ſentire, ſi mihi ſic occurrit ſicut Sancto Doct. concedo; ſi alitèr nego; & ſimiliter diſting. ſecundum antec. & ſecundũ conſeq. & fateor, quod mihi valde optabile eſſet illud ſentire quod Sanctus D. ſentiebat, ità pure inquirendo veritatem ſicut ipſe, & caſu quo in contra mihi nulla occurreret ratio, vel authoritas ſufficiens ad dubitandum, ſicut ipſi non occurrebat. At ecce mihi occurrit authoritas alterius Sancti D. & ratio, quæ ipſum coegit ad non aſſentiendum, & hunc occurſum vitare non poſſum, imò ſi illum vellẽ, vitare peccarem, quià teneor inquirere vtriuſque opinionis motiva, ſi dubium decidere velim. Et quidem ſcio quod ſi in mente Sancti D. occurriſſet æqualis authoritas, & æqualis ratio pro vtraque parte, minimè dubium decidiſſet, ſed tantũ manifeſtaſſet ſuam dubitationẽ, & oraret, laboraretque vſquedum Deus in aliqua parte præ alia veritatẽ manifeſtaret, aliqua nova ratione, vel authoritate addita: ergò ſi voluero Sanctum D. imitari, non poſſum illi in hoc cõflicto pro libito aſſentiri, nec alteri Doctori oppoſito, ſed debeo orare, pulſare, quærere, vſquedum aliqua authoritas, vel ratio dubium ſolvat, & ſi nõ occurrit vſque ad mortẽ, iudicium ſuſpenſum tenere dum duraverit vita: ergò ex ipſo exemplo DD. ſibi invicem contradicentiũ neutrius ſententiæ adhærere, vel aſſentire poſſum, niſi illa ante affectum, & aſſenſum ex meritis motivorum fuerit mihi notabilitèr, aut longe probabilior oppoſita, & tunc minimè erit mihi licitum aſſentire oppoſitæ.

179 Sed inſtabis quinto ſpecialitèr cõtra doctrinam Sancti Th. Nàm vel vterque Sanctus, & D. veritatem expreſsè agnovit, vel non? Si primum, eſt impoſsibile quod ſe invicem contradicerent, quià vbi expreſsè veritas habetur, nulla poteſt eſſe contradictio. Si ſecundũ: ergò determinarunt quæſtionẽ, quin expreſsè veritas haberetur. Atqui nequit dici de tantis Doctoribus quod periculosè determinarunt quæſtionẽ; alias peccaſſent mortaliter; quod dicere, ipſis eſt iniurioſum: ergò quanvis veritas expreſsè nõ habeatur, poteſt quis determinare quæſtionẽ moralem tuta, & ſecura conſciẽtia, etiam quãdo quæritur de peccato mortali.

180 Reſpondeo quod quilibet Sanctus Doct. quando determinavit quæſtionem moralem, vel expreſsè veritatem agnovit, vel cùm longe maiori probabilitate in ſua ſententia quam in oppoſita. Si expreſsè veritatem agnovit, omnimoda ſecuritate, & abſque omni periculo quæſtionẽ determinavit. Si non expreſsè, ſed cùm maiori probabilitate, non omnino ſecurè, ſed aliquantulum periculosè determinavit quæſtionem, periculo nimirum remoto errandi, quod quidem periculum in ratione periculi non eſt grave, ſed leve, & plerumque eſt inevitabile, aut ſaltem non tenemur illud vitare. Si autem veritas non ſolum expreſsè non habeatur, ſed ambigua ſit inter opiniones, tunc *præcipue*, inquit D. Th. *periculoſum eſt*, id eſt maximè periculoſum, quià tunc periculum non eſt leve, ſed grave, non remotum, ſed proximum, & ideò tunc determinare quæſtionem valdè periculoſum eſt periculo proximo errandi in materia gravi peccati mortalis. Vndè ſemper manet verum dictum D. Th. quod in concernentibus ad mores ſemper eſt periculoſum inter contrarias opiniones determinare quæſtionem, niſi expreſsè veritas habeatur, & maximè, id eſt gravitèr periculoſum, quando veritas eſt ambigua inter opiniones vtrinque æquè probabiles. Ex quo non ſequitur illum vel illos Sanctos DD. qui deciderunt ſimiles quæſtiones non habita expreſsè veritate, peccaſſe mortaliter, nàm ipſis non erat veritas ambigua, ſed longè probabilior in eà parte, & ideò nec periculum errandi erat gravè, ſed leve; non proximum, ſed remotum quod non ſufficit ad peccatum mortale.

181 Objcit tertiò Teril. ex D. Thom. quodlib. 9. art. 15. in argumẽto *ſed contra*: vbi ſic arguit Ang. Doct. *Quod vergit in cõmune periculum, non eſt ab Eccleſia ſuſtinendũ: ſed Eccleſia ſuſtinet, vt aliqui cõmuniter habeant duas præbendas*: ergò *in hoc non eſt periculum peccati mortalis*. Ex quo ſic ſubſumit: ſed Eccleſia à multis annis toleravit, & tolerat opinionem ab Authoribus practicè propoſitam pro regula conſcientia, *quod liceat vnicuique ſequi quamlibet opinionem minus probabilem, minuſque tutam*: ergò in hac regula, eiuſque vſu nullum eſt periculum peccati mortalis. Maior, inquit, eſt D. Th. minor eſt evidens, concluſio eſt in forma.

182 Reſpondeo argumentum illud *ſed contra* eſſe rationem dubitan-

tandi, quam Div. Thom. ponit pro parte affirmante licitum eſſe habere plures præbendas, minimè autem illud argumentum eſſe mentem D. Th. vt cuicumque legenti patebit, alias etiam concluſio illius ſylogiſmi eſſet de mente D. Tho. cùm tamèn expreſſe ſit ſibi contraria: mirum autem eſt quod velit nobis Ter. obtrudere eſſe mentem Div. Th. argumentum quod proponit contra ſuam concluſionem.

183 Sed inquit Teril. quod in articulo non contradicit Div. Thom. nec in dubium revocat illam, maiorem. Sed in hoc fallitur primo. Nàm in corpore articuli, poſtquam reſolvit quæſtionem quantum ad ius naturale, ſic ait *Nunc autem certum eſt per antiqua iura id eſſe prohibitum. Patet autem huic prohibitioni conſuetudinem eſſe contrariam* (id eſt tolerantiam Eccleſiæ) *per quam quidem dicunt illa iura eſſe abrogata, nàm per contrariam conſuetudinem iura humana abrogantur. Quidam vero dicunt per hanc conſuetudinem antiqua iura non abrogari, eò quod quædam decretalis dicit, multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in iudicium fuerint deducta, iuſtitia corrigente, caſſarentur, & hæc controverſia Iuriſtis eſt relinquenda.* Ergò D. Th. vel negat vel in dubium revocat illam maiorem in ſenſu Terilli, quod ſcilicet nihil ex his, quæ Eccleſia ſuſtinet, vergere poſsit in commune periculum, imò potius adducit in contra decretalem dicentem multa per patientiam tolerari, &c. imò cùm D. Th. concedat expreſsè minorem illius Syllogiſmi, nequid non negare maiorem, alias concluderetur illo argumento.

184 Secundò errat, quià Div. Thom. immediate proſequitur dicens, quod quantum ad ius naturale per nullam conſuetudinem in contra abrogari poteſt, imò nec per diſpenſationem Eccleſiæ: vnde concludit articulum: *Diſpenſatio humana non aufert ligamen iuris naturalis, ſed ſolum ligamen iuris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt. Et ex his de facili poteſt patere reſponſio ad obiecta.* Si ergò per diſpenſationem Eccleſiæ abrogari nequit ius naturale: ergò multo minus per Eccleſiæ tolerantiam. Cũ ergò quęſtio pręſens vnicè pertineat ad ius naturale, inde eſt quod Eccleſiæ tolerantia nihil omnino probat. Nõ enim tenetur Eccleſia ſemper, & pro ſemper damnare, & proſcribere omnia, quæ in commune periculum vergere poſsint.

185 Sed inquit Terillus, teneri quando de facili poteſt, facilime autem, & abſque vllo inconvenienti potuiſſe damnare illam regulam, ſi illa vergeret in commune periculum. Sed contra eſt; quià reflexa de iudice, quòd poſſet ſequi in iudicando opinionem minus probabilem, certiſsimũ eſt, etiam iuxta ipſum Teril. ceſsiſe in cõmune periculũ, fuiſſeque valde periculoſam; & tamen multis annis fuiſſe toleratam ab Eccleſia nemo dubitat: idem de alijs opinionibus per ſæculum integrum toleratis, poſtea damnatis, quas facilimè Eccleſia dãnare potuiſſet multis retro annis: ergò veriſimũ eſt quod Eccleſia multa per patientiam tolerat, quę, ſi in iudicium adducta fuiſſent caſſarentur: igitur non dũ illa regula conſciẽtiæ plenè in iudicium eſt adducta, nondum eſt plenè detectũ quantorum ſit radix malorum; cùm hoc impletum fuerit, forsàn Eccleſia illam damnabit.

186 Et quidem iuxta contrarios noſtra ſententia vergit in cõmune periculũ animarum: cùr ergò Eccleſia illam ſuſtinet, àc tolerat? Ergò vel tuum argumentũ probat noſtram ſententiam non eſſe periculoſam, vel ſi id de noſtra non probat, nec de tua. Sanè noſtra ſententia non minus antiqua, imò ſola eſt antiqua in Eccleſia, plus tẽporis habuit Eccleſia ad illam damnandam, quam contrariã, diutius illam toleravit: ergò ſi tolerantia eſt aprobatio, diutius illam approbavit. Sed his contemptis, quæ nullius roboris ſunt, nec pro vna, nec pro alia.

187 Ex dictis apertiſsime colliges noſtram ſententiam eſſe expreſſam Div. Th. contrariam ab ipſo reiectã, contrarios nihil adducere ex ipſo, quod vel tenuem probabilitatẽ habere poſsit, noſtrãque ſententiã vnicè eſſe probabilẽ ab ipſius authoritate.

188 Denique authoritati Div. Th. & aliorũ PP. addimus D. Ber. quem cõmunitèr citant pro noſtra ſententia, & merito illam tenet. Relegendus eſt ſupra quæſt. 5. n. 7. vbi mire docet ad rectè operandũ requiri bonitatem in intentione, & in electo veritatem; oculũque ſimplicem, qui debet reddere opus bonum, requirere veritatẽ in intellectu; itẽ quod ſinè malo quocumque non erit decepta ſimplicitas. Legantur eius verba, quià nihil excogitari poteſt nec magis doctrinæ Div. Thom. conforme, nec magis probabiliſmo adverſum.

ARTIC. IV.

An ex mente Theolog. antiquorum & RR. ſit probabilior noſtra reflexa pro lege.

189 ANTEQVAM Inſurgerent Theologi RR. qui probabiliſmo novitèr invecto bellum indicerent, vſus non erat Probabiliſtis pro ſua ſententia Theologos, aut Summiſtas antiquos allegare, imò contra ſuam ſententiam de minori probabilitate

ſequenda in conſpectu probabilioris contradicentis ingenuè citabant S. Antoninum, Sylveſtrum, Cayetanum, Conradum, Cordubam, Adrianum, Armilam, Sotum, Navarrum, Gabrielem, Maiorem, Comitolum, & alios, vt videre eſt apud Ioannem Sanchez, in ſelect. diſp. 42. num 12. Caſtropal. tom. 1. de conſcientia opinante, diſp. 2. punt. 1. Dian. tom. 8. tract. 1. reſol. 1. & alios. Attamen poſtquam, Deo, vt exiſtimo, inſpirante, cæperunt noſtri ſæculi Theologi vehementius invehi in illam novitatem, antiquorumque Theologorum authoritatem contra magnum Caſuiſtarum numerum, & RR. Theologorum in dies exurgentium cathalogum in ſubſidium ſibi adſciſcere; videntes Probabiliſtæ novitatem iure debere antiquitati cedere, cæperunt contentiosè antiquitatem nobilem Theologorum in ſui favorem compellare. Factumque eſt vt Authores, quos antea ingenuè pro noſtra ſententia citabant, in poſterum pro ſua, iàm contra noſtram militare contendant, adeò vt neminem ex Antiquis noſtræ, omnes ſuæ parti faviſſe decertent. Quod idem in ſpecie contigit in doctrina illa, rationeque conciliandi noſtram libertatem cùm divina gratia, & prædeſtinatione, quam vti noviter à ſe inventam introduxit Molina, & primi eius Authores; in poſterum autem eius Sectatores eam antiquam, & Auguſtinianam eſſe contendunt. Idem, & in alijs quibuslibet doctrinis de novo inductis ſæpè contingit. In quibus vnum mihi notiſsimũ eſt, eas noſtris ſæculis minimè traditas fuiſſe quià antiquas, quià ex PP. & Antiquis Theologis erutas; alias primi eius Authores id allegaſſent; ſed ècontrà, Sectatores illarum, vt ſemel iàm traditas tuerentur, curaſſe authoritatem Antiquorum eis doctrinis accommodare & attemperare. Circa præſentem vero concertationem certum mihi eſt ità contigiſſe, veruntamen, quià noviſsime factum eſt, vt expoliari videamur Antiquorum authoritate, quam in noſtræ ſententiæ ſubſidium, veluti præſcriptione legitima poſsidebamus, operæ pretium duxi tabulas brebitèr recitare, vt veritas conſtet.

***

§. I.

Exploratur mens Antiquorum, & oſtenditur omnes exegiſſe maiorem probabilitatem pro ſecuritate conſcientiæ.

190 GVILLELMVS Altiſiodorenſis iuxta Terillum floruit ann. Dom. 1235. Hic apud Gerſonem tractatu de pollutione nocturna inquit: *Regulam illam magiſtralem, quod dubitans de aliquo àn ſit illicitum, & ſtante dubio illud agens, peccat, quià diſcrimini ſe committit, eſſe intelligendam de dubio tali, quod eſt vehemens, & magis, aut ſaltèm æquè inducit mentem credere quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum, ſætus eſt vbi mens plus inclinatur & iudicat quod eſt licitum, quam quod eſt illicitum, quanvis non habeat vſquequaque certitudinem evidentem aut fixam, quià nec hoc ipſum requiritur*: Atqui, quando quæritur mens duplici opinione, vna probabili pro licito, alia magis vel æquè ſibi probabili pro illicito, *dubium eſt tale quod eſt vehemens, & magis, aut ſaltèm æquè inducit mentem credere quod eſt illicitum, ſicut quod eſt licitum, minimè autem mens ex illis opinionibus inclinatur magis, vt iudicet quod eſt licitum, quam illicitum*, cùm maiorem rationem & probabilitatem habeat pro eo quod ſit illicitum, quam licitum: ergò iuxta Altiſiodorenſem in dubio, vel bivio opinionum non licet ſequi probabilem pro licito, quando contradicit in mente probabilior, vel æquè probabilis pro illicito.

191 HENRICVS Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis citatus à Ioanne Nyder vbi infra, iuxta Teril. floruit circa ann. D. 1260. Extravag. de cognatione ſpirituali in Gloſſ. ſuper cap. *Sed vix* ait *Vbi ſunt diverſæ opiniones, & diverſa iura, ſemper humanior eſt præferenda, id eſt rationabilior; imò & æquior.* Nota quam benè ly *humanior* expoſuit, per ly *rationabilior*; cùm enim homo per rationalitatem talis conſtituatur, & à ratione talis dicatur, illa eſt opinio humanior, quæ rationabilior, quæ magis rationi conſona; patet autem quod ſola opinio probabilior eſt rationabilior, & æquior: ergò opinio probabilior ſemper eſt præferenda iuxta Hoſtienſem.

192 HENRICVS de Gandavo floruit iuxtà Terillum an. D. 1285. Hic igitur iuxtà ipſum Terillum in quodlib. 4. expreſsè quærit, vtrùm Doctoribus contrariantibus circà aliquod eligibile, mortaliter peccet qui agit illud, de quo eſt dubium, àn ſit peccatum mortale. Caſu pro-

po-

poſito, ſapientèr reſpondet, eius reſolutionum pendere à qualitate Doctorum, ab efficacia rationum, à qualitate auditorum, àn ſint imperiti, qui eas nequeant diſcernere; & tunc àn Doctorum auctoritates æqualitèr, aut inæqualitèr ſint illis perſpectæ. Quibus poſitis ſubdit. *Et ſecundum hoc convinando prædicta, variè tenentur conſcientias ſuas ipſi auditores informare. Et ſecundum hoc eſt aliquando vni peccatum mortale exponere ſe illi dubio, & periculo, & non alteri.* Ità refert Terillus in præſenti. Ex quo evidentiſsimè infertur Gandavenſem non exiſtimaſſe licitum ſequi quamlibet opinionem probabilem ex contradicentibus, ſive magis, ſivè minus probabilem; nàm ſi hoc exiſtimaſſet, ſtatim quæſito reſpondiſſet, quod ex opinionibus Doctorum contrariantium licebat quamlibet eligere, ſivè magis, ſivè minus efficaciter probaretur. At ità non reſpondit, ſed primò qualitatem Doctorum ponderandam. Secundò, efficaciam rationum. Tertio, qualitatem, & diſpoſitionem auditorum. Quartò, quam exiſtimationem habeant de authoritate Doctorum. Sanè, ſi quælibet opinio probabilis, ſivè minus, ſivè magis, eſt tuta in conſcientia, non ſatis capio ad quid ſit neceſſarium, quod auditores comparent, & ponderent authoritatem Doctorum, & efficaciam rationum; hoc enim ad aliud non dirigitur, niſi vt ſciant quænam opinio ſit probabilior, & veroſimilior: hoc autem ſcire opus nõ eſt, ſi, vt clamitant Probabiliſtæ, nemo teneretur ad inquirendas, nec ſectandas opiniones probabiliores. Et tandèm falsò diceret, quod Authores variè tenentur ſuas conſcientias informare, quià iuxtà Probabiliſtas vniformitèr poſſent omnes formare ſibi conſcientiam de licito, ſiquidem pro hoc eſſet opinio probabilis, ſivè minus, ſivè magis, quod nihil intereſt. Falſum item eſſet, quod vni eſſet peccatum, quod non eſſet alteri, quià vel omnes in illo facto ſequerentur probabilem opinionem Magiſtrorum, vel nullus iuxtà contrarios: ergò vel omnes, vel nullus peccarent Nec eſt ad rem, quod vni ſit magis probabilis illa opinio, alteri minus, quià hoc nihil interſt iuxtà Probabiliſtas, dummodo ſit in aliquo gradu probabilis.

193 Sed proſequitur Gandavenſis. *Si auditor peritus ſit, & novit ſtatum Doctoris, qui ſententiat contra partem periculoſam (ideſt contra partem pro libertate) habere omnes bonas conditiones prædictas, aut plures ex eis quam alius, novit etiam rationes eius eſſe efficaciores, & expreſsiores authoritates, quas adducit, iſte proculdubio exponens ſe illi periculo mortalitèr peccat, quià quod agit nõ eſt ex fide, ſicut nec ex conſciẽtia, ſed contra dictamen conſcientiæ, & rationis rectæ.* En ipſiſsimam D. Thom. & noſtram ſententiam, in qua expreſsè diffinit eſſe proculdubio peccatum agere contrà opinionem probabiliorem ab authoritate, & à ratione, ſequendo minus probabilem.

194 *Si verò*, proſequitur: *auditor ſimplex ſit, qui neſciat, non potens diſcernere Doctorum determinationes, neque conditiones prædictas circà Doctorem, qui ſtat contra partem periculoſam, ſed novit probos eſſe illos, qui ſententiant contrarium, aut præſumit eos magis eſſe fidedignos, iſte exponendo ſe illi periculo non peccat mortalitèr, quià non reputat illud periculum, etſi ſit in rei veritate.* En vbi reſolvendo quæſtionem de ſimplici auditore, ſolùm ei concedit facultatem ſequendi opinionem minus tutam, ſi non cognoſcat qualitates, & conditiones authoris contradicentis, ſciat verò authores talis opinionis eſſe probos, aut magis fidedignos. Sed in hoc caſu abs dubio talis opinio, licèt minus tuta, vel vnicè ſibi probabilis eſt, quando nimirùm ignorat qualitates, & conditiones authoris contradicentis, quià tunc opinio contradicens nullam apud ipſum authoritatem, aut probabilitatem habere poteſt; vel eſt magis probabilis, vt quando præſumit eſſe magis fidedignos authores illam tenentes: ergò vnicè concedit facultatem ſimplicibus, ſequendi opinionem minus tutam, quando ipſis ſit, vel ſola probabilis, vel magis probabilis, quàm oppoſita.

Rurſus ſolùm concedit facultatem exponendi ſe illi periculo ei, qui tale periculum ignorat, aut non reputat ex ignorantia invincibili, vt evidenter patet ex eius textu: àt, qui ſcit eſſe magis probabile, quod opus ſit mortalitèr illicitum, quàm quod ſit licitum implicat quod ignoret invincibilitèr periculu illud, ſolùm enim poteſt per voluntariam mentis averſionem illud non conſiderare: ergò iuxtà Gandavenſem, iſte, nemoque poteſt illud opus eligere, de quo ſcit eſſe magis, vel æquè probabile quod ſit illicitum, quià tunc nequit ignorare periculum errandi, & agendi contra legem.

195 SCOTVS Iuxtà Terillum floruit circà ann. Dom. 1300. Ex illo autem nullum omnino textum adducit, quod vel apparenter quidem ſibi faveat. Contrà autem D. Merenda in 2. appendice pluſquam viginti loca adducit ex Scoto, quibus demonſtrat ipſum reprobaſſe

ſe vſum probabilitatis, ſive maioris, ſivè minoris, aliqui referam. Primum ſit ex prologo in lib. Sent. in fine ſecundæ quæſtionis, vbi ſic ait: *Et ſi obijcias multa in actibus humanis ſunt dubia vtrùm ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum. Reſpondeo tamen, quod non eſt dubia via ſalutis, quià à talibus tanquàm periculoſis debet homo ſibi cavere, & ſe cuſtodire, ne, dùm exponit ſe periculo, incidat in peccatum: quod ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando exponit ſe periculo, vbi fortè actus de genere ſuo non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, ſeſe periculo exponendo.* Sed vbi eſt ò Doctor ſubtilis illa regula: *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis libertatem.* Vbi illa conſequentia Terilli, & ſuorum. *Si lex eſſet ſufficienter promulgata, poſt tantam diligentiam Theologorum patuiſſet: ergò quandoquidem nondum patet, ſed dubia manet, vel non datur, vel non eſt ſufficienter promulgata?*

196 At obijcit Terillus, quod Philippus Faber, Scotiſta inſignis, tract. de Pœnitentia, diſp. 6. num. 46. exponit prædictum textum Scoti, quaſi dicat *Multas veritates neceſſarias virtualiter contineri in Sacra Scriptura, circà quarum inveſtigationem iam eſt inutilis labor Expoſitorum, & Doctorum. Vult ergò Scotus, quod in rebus dubijs, locum habeat labor Doctorum, & Expoſitorum. Ergò quando Doctores doceant aliquam opinionem eſſe probabiliorem altera, etſi ſit minus tuta, ſtandum eſt illi definitioni abſque vllo periculo peccandi, alioquin ſi pars tutior ſemper eſſet amplexanda, non liceret recurrere ad conſilium peritorum, quià vnuſquiſque per ſe cognoſcit quænam ſit pars tutior, & quæ minus tuta.* Sed quid hoc in favorem Terilli? Imò apertè eſt contra ipſum, ſiquidem Faber expreſsè requirit maiorem probabilitatem in parte minus tuta, vt pro illa ſolvatur dubium, vt ſinè periculo peccandi quis illam ſequi poſsit. Vndè ergò probatur ſufficere æqualem, imò & minorem probabilitatem.

197 Sed pergit Faber, inquit Terillus. *Hoc ipſum apertè tradit Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 6. vbi ait, quod cum dubium ſit àn materia ex amido ſit conſecrabilis, & pars negativa ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio. Vult ergò Scotus, quod probabilior opinio in dubijs locum habeat, & quod liceat illam ſequi, ſicut faciendo contra illam quis peccat. Hoc autem verum eſt, tàm de litterato, quàm de illitterato.* Ex quo concludit Terillus: *ergò Scotus nobiſcum eſt.* Et ego concludo evidentiſsimè: *ergò contra ipſum eſt.* Nàm Scotus ex mente ſui inſignis diſcipuli, exigit maiorem probabilitatem pro parte minus tuta, vt licitè poſsimus illam ſequi, itemque ſenſit, quod qui operatur contra opinionem magis probabilem peccat: ergò iuxtà ipſum ſolùm licet ſequi minus tutam, quando fuerit magis probabilis, ſi autem fuerit minus probabilis contra magis probabilem peccat illam ſequendo, vide dicenda infrà num. 287.

198 Reſpondent alij ſecundo: illam opinionem de materia ex amido conſecrabili, eſſe improbabilem. Sed contrà, quià illo tempore probabilis cenſebatur, & pro illa erant Paludanus, & maior, & alij. Secundò, quià Scotus non reddit rationem, quià affirmativa improbabilis ſit; *ſed quià negativa probabilior eſt*: ergò ſentit operantem contra probabiliorem, ex eo quod probabilior ſit, peccare. Dicunt tertio: hoc eſſe verum in opinionibus de valore Sacramenti, qualis eſt ille caſus, in quibus non licet iam ſequi partem probabilem, imò nec probabiliorem minus tutam, quando adeſt certa. Sed contra eſt, quià Scotus in caſuli non exprimit materiam circà quam ſit opinio, ſed tota eius ratio eſt, quià pars negativa probabilior eſt, quod Philippus Faber dicit habere locum in dubijs, ſine reſtrictione illa. Ergò vniverſaliter id verum eſt in quacumque materia.

199 Tertius locus Scoti, eſt in 4. Sententiarum, diſt. 17. quæſt. vnic. lit. G. vbi ſic ait: *Vbi eſt via facilior, ideſt, magis in poteſtate hominis, & certior ad recuperandam gratiam, tenetur quilibet ad illam viam, ità quod non attentet aliam difficiliorem, & incertiorem, quià tunc ſe exponeret periculo ſalutis ſuæ, & videretur eſſe contemptor vitæ ſuæ.* Quid clarius in noſtrum favorem?

Quartus locus ex 3. diſt. 35. quæſt. 1. §. *Dico tunc ad propoſitum*, vbi docet, quod quando Doctores altercantur de aliquo, àn ſit, vel non ſit credendum, viro ſimplici tutius eſſe nulli parti fidem ſtare, donec conſtiterit quod Eccleſia teneat. *Sicut in moralibus*, inquit, *quando ſunt altercationes de aliquo peccato àn ſit mortale, vt ſi vnus peritus in ſcientia dicat, quod non licet ſic mercari, & alius dicat quod licet, tutum eſt non procedere ſic, nec ſic, ſed expectare quouſque pateat aliundè; ſi enim ita eſſet quod vnus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret, & alius quod peccaret, ſi ſic faceret, tunc ſimplex foret perplexus, ideò benè videndum*

dum eſt in moralibus ante quam aliquid aſſeratur. En vbi Scotus planè docet virum ſimplicem in contradictione Doctorum fore perplexum; atqui, ſi quiſque poteſt ex imperio voluntatis aſſentiri cuilibet ex partibus contradictionis æquè probabilibus, quam facilè poteſt vir ſimplex cuilibet Doctori aſſentire, cuiuslibetque ſententiam ſectari, minimèq; foret perplexus, ſed liber, & ſolutus ad quamlibet partem credendam, & ſequendam: ergò iuxtà Scotum in æquali contradictione Doctorum neceſſariò ſimplex manet dubius; atqui, manente dubio, partem minus tutam ſequi non valet: ergò iuxtà Scotum in contradictione opinionum æquè probabilium illicitum eſt ſequi partem minus tutam.

200 Sed inde arguit Terillus: ergò ſaltèm iuxta Scotum peritus, qui poſſet, auditis rationibus, de illis iudicare, poſſet abſque peccato ſequi partem minus tutam, modo de illius veritate abſolutè prudens iudicium formet. Reſpondeo ad hanc, & ſimiles replicas Terilli, quibus ſemper apponit illam conditionalem, *modo prudens iudicium de veritate abſoluta partis minus tutæ formet.* Quod cum hac conditionali, non ſolum perito, ſed imperito eſt licitum ſequi partem minus tutam, non ſolùm quando illa eſt minus probabilis, ſed etſi ſit improbabilis omnino. Evidentiſsimum enim eſt, *quod, ſi quis formet iudicium prudens de eo quod aliquid eſt abſolutè licitum, poterit ſequi tale iudicium.* Hoc à nullo in toto mundo negatum eſt, quo minus à noſtris. Vndè quicumque dicit non licere ſequi aliquam opinionem pro licito, ipſo facto aſſerit non poſſe formari prudens iudicium de veritate abſoluta illius, hoc eſt de licito, quod illa affirmat. Et hoc expreſsè aſſerit Scotus de imperito in caſu Doctorum contradicentium. Quod idem à fortiori ſequitur de perito, ſi diiudicans inter vtriuſque rationes, & fundamenta, ex nulla parte inveniat exceſſum, ſed æqualitatem, quià tunc perindè ſe habet vt imperitus, hoc eſt, abſque maiori ratione, aut motivo pro vna parte, quàm pro alia. Attamen poteſt contingere perito, quod nequit imperito accidere, nimirùm, quod diiudicans inter vtriuſque fundamenta inveniat eſſe efficaciora quæ militant pro vna parte, quàm pro alia, & tunc ſi illa pars ſit pro licito, poterit illam ſequi quià probabiliorem, ſi tamen illa ſit pro illicito, nequit contra illam operari, quià opinio probabilior, vt inquit Faber Scotiſta ex Scoto, locum habet in dubijs, vt quiſque licitè poſsit illam ſequi, peccet verò, ſi contra illam operetur.

201 Nec omittam brilem Scoti doctrinam, ex 3. Sent. d. t. 36. quæſt. vnic. lit. G. vbi docens duplicem modum, quo peccatum excæcat intellectum, primum ſic explicat. *Privativè*, inquit, *quià avertit à conſideratione rectæ. Voluntas enim eligens oppoſitum alterius rectè dictati, non permittit intellectum diù ſtare in illo recto dictamine, ſed avertit ipſum ab illo ad conſiderandum rationes pro oppoſito, ſi quæ poſſunt eſſe ſophiſticæ, vel probabiles:* ergò avertere conſiderationem à rationibus pro lege, & quærere rationes, ſivè ſophiſticas, ſivè probabiles contra legem, & has ſequi, illas autem contemnere eſt planè excęcatio intellectus: ergò niſi velimus intellectum excæcare, debemus non avertere conſiderationem à rationibus, & motivis pro lege. Mihi autem certiſsimũ eſt, quod ſi actu conſideremus motiva probabiliora pro lege, vel æquè probabilia, etiam ſi ſimul occurrant motiva minus, aut æquè probabilia pro libertate, impoſsibile erit, quod credamus potius libertatem, quàm legem.

202 MONALDVS Floruit iuxtà Terillum, ann. 1320. illum refert pro ſua ſententia Terillus, eoquod in Summa Aurea in eius prologo, ſic ait: *Opiniones antiquorum Doctorum, & etiam aliquorum modernorum proſequutus, quamvis plura diverſimode ab ipſis ſint notata, quæ inter ſe varietatem oſtendere videantur, non tamen auſus ſum ſcripta tantorum virorum reſpuere, ſed ea, licet diverſa, circa vnam, & eandem materiam in præſenti opuſculo conſcribens, duxi hic diſcretis lectoribus relinquendum, vt illam opinionem accipiant, quæ ipſis videtur magis conſona rationi, quià non credo poſſe præiudicium aliquid ergà veritatis ſententiam generari, quæcumque accipiatur ex eis, cum quælibet ſit à Magiſtris, & probatis Doctoribus in ſcriptis authenticis annotata.* Sed & hoc ego, & omnes aſſerimus, nimirùm quod inter ſimiles opiniones poſsit quiſque quamlibet accipere, dummodo *illa ſibi videatur magis conſona rationi*, hoc eſt, dummodo ſibi ſit probabilior oppoſita. Sed indè apertè probatur eſſe in contemptum, & præiudicium veritatis, ſi quis eligat illam, quæ ſibi eſt minus probabilis, hoc eſt minus conſona rationi, ſiquidem Monaldus exigit quod ſibi videatur magis conſona rationi.

203 DVRANDVS In 4. Sent. diſt. 17. quæſt. 13. inquirit, vtrùm qui cõfitetur ſine dolore, & ſine propoſito oporteat iterum confiteri de eiſdem peccatis,

&

& ponit duas ſententias oppoſitas, & poſitis rationibus pro prima, concludit. *Qui ſic confitetur*, ſcilicet ſine dolore, *& defacto abſolvitur, tenetur iterum eadem confiteri, & de illis abſolvi, nec eſt dubium quin hæc opinio ſit ſecurior, quià confitendo iterato nullum periculum ſequitur, ſed maxima ſecuritas; qui autem ommittit iterum confiteri, committit ſe dubio, quod eſt valde periculoſum in his, quæ tangunt ſalutem, vel damnationem animæ.* Et poſita ratione pro oppoſita ſententia, ait illam probabiliter poſſe ſubſtineri: nihilominus concludit, *illud tamen quod eſt tutius ſemper eſt tenendum.* Ecce Durandus inter duas opiniones probabiles vna pro lege, ſcilicet quæ obligat ad iteratam confeſsionem illorum peccatorum, alia pro libertate, quæ deobligat à tali confeſsione, quãvis vtramque fateatur probabilem, nihilominus aſſerit quod ſi quis ſequatur minus tutam pro libertate *Exponit ſe dubio, & eſt valde periculoſum.* Et item quod *illud quod eſt tutius ſemper eſt tenendum.* En vbi Durandus etiam ignoravit illam regulam: *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis libertatem.* Et illam: *Cùm ſunt vtrinque opiniones probabiles pro lege, & contra legem, vel lex non datur, vel non eſt ſufficienter promulgata.*

204 Contendit Terillus Durandum ſolum loqui in illa materia ſingulari, in qua *Si iterum peccata non confiteretur, in eo ſtatu moriens, exponeret ſe periculo damnationis propter probabilitatem opinionis, quæ ſpeculativè loquendo veroſimiliter perſuadet peccata eſſe remiſſa. In hoc ergò & ſimilibus caſibus tutiora ſunt amplectenda, quià licet opinio illa ſit ſpeculativè probabilis, non tamen practicè.*

Sed rogo, cur illa opinio negans obligationem iterum confitendi eadem peccata eſt ſpeculativè, & non practicè probabilis? Certè illa eſt de licito, & moralis Theologiæ, proponitque tanquam licitum ommittere iteratam confeſsionem, hoc enim aſſerit: ergò eſt opinio ex obiecto, fine, & modo tendendi de ſe practica, quales ſunt omnes opiniones Theologiæ moralis de licito vel illicito, de obligatione, vel non obligatione; cur igitur eius probabilitas eſt ſolum ſpeculativa, & non practica? Sanè non eſt alius titulus, niſi quià non eſt tuta conſcientia practicabilis, quià eſt nimis periculoſa, quià licet probabiliter poſsit defendi, & ſuſtineri diſputandi gratia, tamen practicari eſt ſemper periculoſum, quià eſt exponere ſe dubio in negotio ſalutis, in quo tutius ſemper eſt tenendum. Hęc eſt ratio Durandi. Hęc, vt vides, militat in quacumque contradictione opinionũ de peccato, vel non peccato mortali. Ergò iuxta Durandum opinio minus tuta æquè probabilis in conſpectu contradicentis probabilis non eſt practicabilis tuta conſcientia, quià valde periculoſa, & quià tutius ſemper eſt tenendum.

205 Et quidem, cùr non dicendum eſt idem de opinione negante obligationem confitendi circunſtantias notabiliter aggravãtes? Quod, ſcilicet, qui tales circunſtantias non confiteretur exponeret ſe periculo damnationis, ſi in illo ſtatu decederet, quià oppoſita opinio dicit gravitatẽ peccato additam per tales circunſtantias non remitti, niſi confiteatur? Cùr non idem de omnibus opinionibus, inquibus controvertitur àn teneamur aliquid confiteri, vel non, quæ ſunt innumeræ? Cùr in omnibus, vbi dubitatur de peccato mortali, non erit etiam periculum damnationis, vel ſaltem offenſæ Dei, eiuſque legis violandæ, quod magis timere debemus, quàm noſtram damnationem? Sanè omnino voluntariè Terillus diſtinguit inter vnas opiniones probabiles de licito, & alias. Ac denique Durandus vniverſaliter loquitur, inter opiniones contradicentes probabiles, quales erant illæ, & ait: *Quod tutius eſt, ſemper eſt tenendum*, hæc autem eſt noſtra ſententia.

206 ASTENSIS Iuxta Terillum floruit circa an. D. 1330. illumque citat Terillus pro ſua ſententia eo præciſe quià in ſumma plures opiniones docuit tantũ probabiles contra oppoſitas tutiores. Sed hoc motivum eſſe fallax omninò, conſtat ex ſupra dictis, & infra conſtabit amplius. Legi eum in Sylva nuptiali, in libro 6. qui totus eſt de electione opiniouum, in eo autem plures regulas ſtatuit, quæ noſtram ſententiam exprimunt. Num. 2. ait: *Stante opinionum ambiguitate, aut diverſitate, inſequenda eſt mens legis.* Num. 3. *opinionum differentium illa ſequenda eſt, quæ eſt magis iurium amica.* Num. 4. *Iudex tunc apud Deum & hominem excuſabitur, ſi in tanta varietate & dubio eligit illam opinionem, quàm ſecundum eius bonam conſcientiam credit eſſe veram.* Et ad marginem ait: *Sequatur quod ſibi iuſtius videtur in conſcientia.* Et n. 7. in ſummario: *Stante opinionum dubietate, ſtandum eſt ſaniori, & ſanctiori, & pugnandum eſt pro veritate.* Quod incorpore explicat. *Quod in conflictu opinionum Iudex debet ſequi illam, quæ magis iuſta videtur in conſcientia.* Et ſibi obijcit dictum Baldi & Innocentij, quod *indubijs opinionum vni adhærere non reputatur peccatum.* Et ait: *Tamen ſanctum eſt pro veritate pugnare.* (Quantum ad dictum Baldi, & Innocentij obiter cenſeo noſtræ ſententiæ non opponi, quià de-

ber

bet intelligi, vel quod in foro iudiciali non poteſt reputari peccatum, quià nemo ſcit àn illa opinio ſibi viſa fuerit probabilior & verior. Vel quod non eſt peccatum vni adhærere, quià poteſt contingere quod illa appareat ſibi vnicè vera, & longe probabilior oppoſita, quo in caſu non peccat illi vni adhærendo.)

207 Num. 8. aſſerit, quod *Iudex in dubio tenetur partibus ſuadere concordiam*, quod multis probat, & num. 21. quod in dubio adhærendum eſt regulæ iuris, & pro ea pronuntiandum. Et in fine: *In dubio tenendus eſt intellectus, per quem minus læduntur regulæ iuris communis.* Et num. 23 *In dubio amplectimur illam opinionem, quæ minus lædit ius commune.* Item num. 45. ait quod in *dubijs benignior via eſt eligenda.* Et num. 46. explicans quænam ſit benignior ait: *Item pro ea, quà evitatur peccatum, & ſic quæ favet animæ.* Illa ergò eſt benignior, quæ tutior, quæ magis vitat peccatum, & ſaluti animæ prodeſt; non minus tuta, quæ eſt pro licentia, pro libertate, pro appetitu. Igitur ſi omnes prædictas regulas ponderaveris haud dubito, quin Aſtenſem noſtræ ſententiæ Patronum, contrariæ oppugnatorem reputabis.

208 GVIDO DE MONTE CARMELO Iuxta Terillum floruit anno 1333. eum citat pro ſua ſententia eo quod in Manipulo curatorum anno prædicto editum parte 3. cap. 7. proponit tres opiniones diverſas circa obligationem confitendi, vel non confitendi iterum eadem peccata, & ſic concludit. *Quæ iſtarum opinionum ſit melior, & verior relinquo iudicio meliori, & vnuſquiſque quàm voluerit eligat*, intellige, ſi illam iudicaverit meliorem, & veriorem, ſi enim exiſtimaret quamlibet eligi poſſe licet minus, aut æquè tantum probabilem, non exigeret quod eligens iudicaret, *quæ ſit melior, & verior* antequam eligeret. Ex hoc autem tan longè ab eſt vt probetur oppoſita ſententia, quod potius ei contradicit, noſtram expreſsè adſtruit, nimirum ſolum eligi poſſe opinionem quàm eligens iudicaverit meliorem, & veriorem, ideſt, probabiliorem

209 ROBERTVS HOLCOT Iuxta Terillum floruit anno 1345. eum citat pro ſua ſententia, quià in diſquiſitione de imputabilitate peccati lit. R. ait *Ex dictis inferre poſſumus, quod tunc ſolum propriè & per ſe deſerit anima gratiâ, quandò ſcienter facit aliquid, per quod eſtimat ſe gratiam perdere, vel incerta eſt ſi gratiam perdat.* Et panlò poſt. *Quod ſi homo dubius, vel incertus ſit, nunquid ex commiſsione A perdat gratiam, vel non, & hoc non obſtante committit A iterum propterea deſerit gratiam, quià non celat pro ea, imò ommittit & renuit conſervare gratiam ex hoc quod vult facere illud, ex quo incertus eſt, ſi perdat gratiam. Ideò dici poteſt quod ſolus ille actus voluntatis ex ſe eſt peccatum mortale, quo quis eſtimat ſe gratiam perdere, vel dubius, vel incertus eſt àn gratiam perdat. Ex quo ſequitur, quod vt aliquid ſit peccatum mortale ex ſe requiritur, vt aliquis exiſtimet ſe gratiam perdere, vel incertus ſit nunquid illam perdat.* At nunc rogo, qui verſatur inter duas opiniones æquè ſibi probabiles, quarum vna dicit actum eſſe peccatum mortale, & conſequenter per illum amitti gratiam, alia negat, ſi eſt æquè vel magis probabilis, quæ affirmat amitti gratiam, nunquid erit certus quod gratiam non amittit? Vnde hæc certitudo? Nunquid quià affectu voluntatis contendit aſſentire parti neganti? Sed affectus voluntatis quàm certitudinem poteſt intellectui tribuere, quandò ex meritis motivorum incertiſsimum eſt àn gratiam perdat necne? Nullumque motivum, aut ratio datur certificans intellectum potius de vno quàm de alio: imò ſi opinio aſſerens illud eſſe mortale eſt probabilior, magis certus eſt quod deſerit gratiam, quàm de oppoſito. Si ergò incertus eſt àn deſerat gratiam, vel non, eo ipſo iuxta Holcot peccat mortaliter, & illam amittit: ergò iuxta ipſum qui ſequitur opinionem minus, aut æquè tantum probabilem pro non peccato mortali in concurſu probabilioris pro peccato mortali, peccat mortaliter.

210 Et quidem vbi illa regula, *In incertis, aut lex non datur, aut non eſt ſufficienter promulgata, & conſequenter non obligat. In dubio melior eſt conditio poſſidentis libertatem?* Sanè ſi iſtæ regulæ vigerent olim, Holcot per illas facile dixiſſet quod in dubio, vel incerto lex non obligat, & tuta conſcientia poteſt quis ſequi partem minus tutam; at contrarium omninò reſpondet: ſignum ergò evidens eſt tales regulas noviter à RR. excogitatas eſſe contra communem ſenſum Antiquorum.

211 IOANNES GERSON Vir profundiſsimæ doctrinæ, vt inquit Terillus floruit ante ann. 1420. mortuus eſt anno 1429. illum allegat Terillus pro ſua ſententia; ſed neſcio quo iure, nàm luce clarius eſt ipſum ſtare pro noſtra, atque adeò, vel ab ipſis Probabiliſtis pro noſtra citatur. Locus, quem citat, eſt in tractatu de præparatione ad miſſam, & de polutione nocturna cõſideratione 3. vbi ait: *Non omnis ſcrupulus, aut dubitatio de peccato mortali impediunt celebrantis dignitatem. Patet, quià certitudo moralis, qualem conſid. 2. diximus ſuffi-*

ſufficere compatitur ſecum vacillationem quandam animi, aut hæſitationem quandam, vel ſuſpicionem, ſeu ſcrupulum quod homo non ſit ſufficienter diſpoſitus, aut quod aliquo impedimento ligetur, &c. Et ſiquis oppoſuerit quod dubitans de aliquo àn ſit illicitum, & ſtante dubio illus, agens peccat, quià diſcrimini ſe ſcienter obijcit. Reſp. cùm Altiſsiodorenſi regulam illam magiſtralem intelligendam eſſe de dubio tali, quod eſt vehemens, & magis aut ſaltem æquè inducit mentem credere quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum. Secus vbi mens plus inclinatur & iudicat quod eſt licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat vſque quaque certitudinē evidentem, aut fixam, quià nec hoc requiritur. Deinde regulam generalem ponit his verbis. *Exponere ſe periculo peccati mortalis eſt peccatum mortale, vel ſic agere in certum, & dimittere certum in materia morali eſt peccatum mortale, ſi tale ſit incertum quod ſit mortale, non ſolum per coniecturas leves, aut ex ſuſpicione trepida, & ſcrupuloſa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei: ſed intelligitur dum tale eſt vehementer, & probabiliter incertum, æquè ſicut oppoſitum, vel magis, tunc enim illud quod agitur non carebit mortali culpa.* Nunc rogo: quandò incertus ſum àn hic actus ſit peccatum mortale, quià eſt mihi magis, vel æquè probabile quod ſit peccatum mortale, nunquid incertitudo illa eſt *per coniecturas leves, aut ex ſuſpicione trepida & ſcrupuloſa?* Nihil ſanè magis alienum à contrarijs ipſis, qui probabilitatem conſtituunt ſemper in fundamento gravi, ſolido, & magni momenti: ergò qui incertus eſt propter probabilitatem in contra æqualem, vel maiorem, non per coniecturas leves, aut ex ſuſpicione trepida, & ſcrupuloſa, ſed ex gravi, & ſolido, àc magni momenti fundamento incertus eſt: ergò incertum eſt ei vehementer, & probabiliter æquè, vel magis eſſe peccatum mortale, quàm non eſſe: ergò iuxta Gerſonem, ſi ſequatur opinionem minus probabilem, & minus tutam, quæ ſanè ità eſt incerta, peccat mortaliter. Mitto alia, & ſolum adverto Gerſonem ſemper requirere certitudinem moralem de non peccato, *quàm in moralibus dicit Ariſtoteles ſumendam eſſe groſe, & figuraliter, quæ certitudo non removet in vna parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad iſtam, vel ad aliam, quod ſufficit.* Eſſe iterum inquit Terillus maior Probabilitas vndecumque ſumpta, etiam relinquens oppoſitam partem apparenter probabilem, eſt certitudo probabilis, quæ per Gerſonem ſufficit ne ſectans minus tuta peccet, aut periculo ſe exponat: & ego dico, quod iuxta Gerſonem requiritur: ergò non ſufficit minor, nec æqualis tantum probabilitas, vt omnes Antiprobabiliſtæ tenemus.

212 IOANNES NYDER Floruit anno 1430. eum citat Terillus pro ſua ſententia eo quod in conſolatorio timoratæ conſcientiæ 3. part. cap. 11. ait. *Cum bona conſcientia poteſt quis tenere vnam partem alicuius opinionis, & ſecundum eam operari, ſaltem ſecluſo ſcandalo, quæ pars habet pro ſe notabiles, aut notabiliores doctores, dummodo talis opinio non ſit contra expreſſam authoritatem ſcripturæ, neque contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ, & dummodo ex contrarietate talium opinionum non inducatur quis ad dubitandum, ſed bonam conſcientiam, ſeu fidem ſibi formet de probabiliori parte. Præcipue vbi quis adhibet diligentiam quærendo àn liceat, nec invenit aliquid quod eum ſufficienter moveat quod ſit illicitum.* Et hoc aſſertum probat ex D. Thom. & rectè quidem non eſt ipſa eius ſententia. Ex qua patet eſſe conditionem neceſſariam ad licitè ſequendam aliquam opinionem quod ex contraria non inducatur ad dubitandum, ſed bonam conſcientiam, ſeu fidem ſibi formet de probabiliori parte, aut de parte vnice ſibi probabili, quandò ſcilicet nihil ocurrit quod eum moveat pro oppoſita ſufficienter. Ergò bona conſcientia formari nequit de parte minus, aut æquæ tantum probabili.

213 In reliquum Nyder citat pro ſua ſententia Altiſsiodorenſem eius textu relato, vt ſupra. Deinde allegat Vlricum in 2. ſent. diſt. 22. dicentem: *Quod ſiquis de aliquo agendo dubio magis peritos conſulerit, de quo nullam habet authoritatem expreſſam vtrum ità ſit vel non, dummodo formet ſibi bonam conſcientiam, poſtquam magis peritos conſulerit, etiam ſi res alitèr ſe habeat quàm ipſe ſentit, excuſatur, fecit enim quod potuit, Deus autem nihil impoſsibile requirit ab homine.* Sed quid inde pro Terillo? Imò contra ipſum, nàm ipſe non obligaret ad conſulendos magis peritos, ſed tantum adminus peritos, quos iuxta Terillum ſequi poteſt, licet contradicentibus magis peritis, quià licet ſequi minus probabile in concurſu magis probabilis contradicentis iuxta ipſum. Vlricus ergò ad formandam bonam conſcientiam exigit maiorem probabilitatem, non contentus minori.

214 Deinde Nyder citat Monaldum dicentem: *Non generatur aliquod præiudicium erga veritatis ſententiam, cùm inter opiniones à magiſtris & approbatis Doctoribus annotatas illam opinionem quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Refert deinde textum Hoſtienſis, vt ſu-

pra

pra à nobis. Deinde citat Albertum M. de quo in libris antiquis ordinis Prædicatorum legitur hunc dediſſe reſponſum. *Frater ſimplex, vel quilibet homo cùm ſalute poteſt ſequi in conſilijs quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius Magni Doctoris opinionem ſequatur.* Sed intellige, non contradicente altero æqualis, vel maioris Authoritatis, quià tunc ſimplex foret perplexus, vt tenet expreſsè Scotus, & alij. Citat deinde quoad punctum præſens Bernardum Claremontenſem dicentem. *Si ſint opiniones inter magnos dicentes quod peccatum eſt, alij vero dicunt quod non, tunc debet in tali caſu conſulere aliquos, de quorum iudicio confidit, & ſecundum conſilium diſcretorum facere, & peccatum reputare, vel non reputare.* Sed inde ego infero: ergò non ſufficit quæcumque opinio probabilis ex contradicentibus, alias ſuperfluum eſſet, & minimè quis teneretur conſulere peritos circa illas opiniones, ſed indifferenter poſſet qualibet vti, etſi minus probabili; ſi ergò poſtquam videt opiniones inter Magnos Doctores contradicentes debet ex mente Claremontenſis conſulere aliquos de quorum iudicio cõfidit, ſanè ideò eſt quià adhuc debet explorare quænam illarum ſit vera, aut magis probabilis, & alitèr illam non ſequi. Tandem cap. 13. & cap. 14. exigit ad rectè operandum certitudinem moralem de non peccato, relata doctrina Gerſonis: & ex Ppiloſopho ait certitudinem moralem conſurgere *Ex probabilibus coniecturis, quæ magis inclinant ad vnam partem, quàm ad aliam.* Patet autem quod opinio minus probabilis in concurſu probabilioris non habet hanc certitudinem, ſiquidem tunc coniecturæ probabiles magis inclinant in partem oppoſitam, quam in ſuam.

215 D. ANTONINVS Iuxta Terillum mortuus eſt Ann. D. 1459. ætatis 70. illum allegat pro ſua ſententia, part. 1. ſumæ titulo 3. cap. 10. §. 10. cùm tamen ferè ab omnibus Probabiliſtis citetur pro noſtra ſententia. Et merito; nàm dicto loco regula 6. ſic ait: *Cùm ergò in aliqua materia morali ſunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris vitæ, videtur ſe exponere periculo mortalis, quià in dubio poteſt illa opinio eſſe falſa, & contraria vera. Sed ad hæc reſpondeo quod vtique ille qui agit ſcienter, id de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam ſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo propriè & ſtrictè dubitationem, videlicet prout rationes ſunt æquè ponderantes ad vtramque partem, nec magis declinet ad vnam quàm ad aliam.* Allegat item hæc eius verba. *Sed ſiquis dubitat leuiter & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo, quià ità inhæret ipſi ſententiæ, vt formidet de oppoſito, ſic agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret opinioni alicuius Doctoris & habet rationes probabiles pro ipſa magis quam pro oppoſita opinione, &c. talis enim non operatur in dubio, ſed ſecundum opinionem probabilem.* Sed quiâ indè pro Terillo, cùm potius Div. Antoninus expreſsè exigat ad ſecuritatẽ conſcientiæ, quod qui ſequitur opinionem probabilem *habeat rationes probabiles magis pro ipſa quam pro oppoſita*, alias non poſſet opinari probabilitèr illam eſſe veram: ſed evidentiſsimum eſt quod qui ſequitur opinionem minus aut æquè probabilem in concurſu oppoſitæ probabilioris vel æquè probabilis, non habet rationes probabiles magis pro ipſa quam pro oppoſita, ſed minus vel æquè tantum quam pro oppoſita: ergò evidens eſt quod qui ſequitur talem opinionem in prædicto concurſu peccat iuxta Div Antoninum, nec iſte ſequeretur opinionem abſolutè ſibi probabilem, ſed ſibi propriè & ſimplicitèr dubiam, nàm propria & ſtricta dubitatio iuxta D. Antoninum conſiſtit in eo quod *rationes ſint æquè ponderantes ad vtramque partem, nec magis declinent in vnam partem quam in aliam.* Hoc autem contingit evidentiſsimè quando eidem intellectui vtraque opinio contraria eſt æquè probabilis. Ergò tunc vtraque eſt ei dubia ſtrictè & propriè.

216 Allegat etiam ipſum, quià regula 7. ait, quod infero conſcientiæ quiſque poteſt interpretare pro facto ſuo præcepta divina & humana, *ſi tamèn rationabiliter interpretetur.* Sed quomodo obſecro rationabilitèr interpretabitur, ſi contra ſenſum magis probabilem interpretetur ſecundum ſenſum minus probabilem, id eſt, magis probabiliter falſum? Sanè vt rationabilitèr interpretetur, debet interpretari ſecundum ſenſum magis conſonum rationi, hoc autem implicat, niſi ſequendo opinionem ſibi magis probabilem.

217 Allegat deinde eadem ipſiſsima verba Ioann. Nyder, quæ primo loco ex ipſo allegata relinquimus, quæ invariatis terminis repetit Antoninus, exigens pro conditione quod qui ſequitur opinionem aliquam Doctorum, *bonam ſibi conſcientiam formet de eo quod credit, tanquam de probabiliori parte.* Item Div. Antoninus allegat omnes textus authorũ, quos allegatos relinquimus, in quibus exigitur maior probabilitas. Et tandem exigit, ſicut ceteri omnes, ad rectè operandum certitudinem moralem, quam ait: *Non conſurgere ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabili-*

bilibus coniecturis, quæ magis inclinant in vnam partem quam in aliam. Dicitur autem probabile quod pluribus & maxime ſapientibus apparet verum. Ex *his igitur ſequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſt. & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abijciat, ſed ſufficit vt contemnat, ſeu ſuperet eos.* Ergò ſi contra opinionem, quam quis ſequitur, non ſcrupulos, ſed veram habeat probabilitatem æqualem, vel maiorem, quam minus probabilis opinio minimè ſuperat, & conſequenter, nec prudenter illam contemnere licet, vtpote ortam ex gravibus fundamentis, alias non eſſet vera probabilitas, tunc caſus iuxta Antoninum minimè datur certitudo moralis exacta ad non peccandum. Rurſus: ergò coniecturæ ſeu rationes probabiles non fundant certitudinem moralem, quando intellectum non magis inclinant in vnam partem quam in aliam, vti contingit quando intellectus verſatur inter partes contradicentes æquè probabiles. At denique: ergò requiritur quod quis exiſtimet partē, quā ſequitur, eſſe probabiliorem, vt de illa formet bonam conſcientiam. Hæc planè eſt ſententia Antonini, quem merito Probabiliſtæ communiter citant pro noſtra contra ſuam, quidquid dicant recentiſsimi.

218 ANGELVS CLAVASIVS iuxta Terillum floruit ann. 1480. illum allegat in ſuum favorem Terillus, quià in ſumma Angelica, verbo *opinio*, *num.* 2. docet *quod ſequens opinionem Doctorum non ſubtiliter inveſtigatam, quæ poſtmodum apparet falſa, excuſatur à peccato.* Sed ego idem dico, dummodo illa ſibi poſt diligens examen appareat vel in ſolidum probabilis, vel magis quam oppoſita: quod idē exigit Angelus, nàm immediate ait: *Nec obſtat illud cap. iuvenis de ſponſalibus, vbi dicitur quod in dubio tutior pars eſt eligenda & Eccleſiaſtici cap.* 3. *qui amat periculum peribit in illo*: ergò *videtur ſe exponere periculo, qui ex diverſitate opinionum non eligit tutiorem.* Non inquam obſtat, *quià hoc verum eſſet, quando propriè dubium eſt. Sed quando eſt opinio, ſecus eſt, quia tunc non ſumus in dubio*, ideſt, quando ipſe opinatur determinate ſuam partem eſſe veram. Sed quomodo prudenter opinabitur ſuam partem eſſe veram, ſi oppoſita ſit ei magis vel æquè probabilis? Aut quomodo tranſiet de dubitante in opinantem, niſi habeat rationes probabiles magis pro ea parte quam pro oppoſita? Sed audiamus Ang.

219 Sic proſequitur: *Item nec obſtat etiam illud Auguſt. de pœnitentia diſt.* 7. *ſiquis. Vbi dicitur dimitte certum & tene certum; quià alia eſt certitudo moralis, alia in naturalibus; propterea dixit Philoſophus primo æthicorum, quod diſciplinati eſt in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam materiæ; æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem, non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis groſſis, & figuralibus magis ad vnam quam ad aliam partem ſe habentibus: dicitur autem probabile quod pluribus & maxime ſapientibus apparet verum.* Ergò quod pluribus & maximè ſapientibus apparet falſum non eſt probabile. Sed opinio minus probabilis comparata cùm magis probabili pluribus & magis ſapientibus apparet falſa, ſiquidem eius contradictoria pluribus, quam ipſa & magis ſapientibus apparet vera: ergò in concurſu magis probabilis non eſt probabilis, itemque nec certa moraliter, vt per ſe patet, cùm attentis omnibus motivis, ipſa magis ſe habeat ad falſitatem quam ad veritatem.

220 ROSELLA Eſt quædam ſumma edita à Baptiſta Trobamala; qui floruit ann. 1483. hæc citatur à Teril. in ſui favorem, quià verb. *opinio* ex Monaldo ait. *In dubijs non generatur aliquod præiudicium veritati, cùm inter diverſas opiniones à Magiſtris approbatas, illam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Ideſt, quæ ſibi videatur magis probabilis, nàm idem formaliſsime eſt magis conſona rationi quam magis probabilis, & minus conſona rationi quam minus probabilis; ergò iuxta Roſellam præiudicium generatur veritati, ſiquis ſequatur opinionem minus conſonam rationi, ſeu minus probabilem relicta probabiliori, ſiquidem exigit, vt non generetur præiudicium veritati, quod ſequatur magis conſonam rationi.

221 Allegatur ſecundo à Teril. eo quod verb. *Communicare* n. 3. ſentit *conſcientiam probabilem de ſufficienti diſpoſitione excuſare hominem communicantem, ſi forsàn accedat cum labe peccati.* Sed hoc quid ad rem? Et egò admitto conſcientiam probabilem excuſantem à peccato. Sed tunc conſcientia erit probabilis, quando formatur ſecundum opinionem magis conſonam rationi, qualis tantum eſt magis probabilis, aliter præiudicium generatur veritati iuxta Roſellam, & conſcientia non erit probabilis, ſed temeraria; quià temere credimus minus probabiliter dicenti, contradicente alio cùm maiori probabilitate, vt per ſe notum eſt.

GA

222 GABRIEL BIEL iuxta Terillum floruit ann. Dom. 1490. quem etiam allegat Terillus pro ſua ſententia, eo quod in 4. diſt. 15. quæſt. 8. ad litteram S. ſic arguit ad probandum, quod habere plura beneficia ſit peccatum mortale: *In via ſalutis relinquere certum, & eligere incertum, eſt amare ſuum periculum, qui verò amat ſuum periculum, peribit in illo. Vndè Gerſon, &c.* (refert ad litteram regulam Gerſonis ſuprà traditam:) & concludit: *Nunc autem quod habere plura beneficia extrà dictos caſus ſit peccatum mortale eſt ſententia plurium, & famoſiorum Doctorum, plus commendans Sacræ Scripturæ, & Patrum Canonibus, quàm eius oppoſitum: ergò poſſe habere plura beneficia ſinè mortali eſt valdè incertum, & longè minus probabile, quàm oppoſitum: ergò tenens plura beneficia extra caſus dictos committit ſe incerto peccati mortalis, & dimittit certum: ergò peccat mortaliter.* Ecce Gabriel imprimis cum Gerſone exigit certitudinem moralem de non peccato, ità vt qui incertus eſt de peccato, vel non peccato, non ex ſuſpicione trepida, aut ex levibus conjecturis, ſed vehementèr, & probabilitèr ex rationibus probabilibus æquè, vel magis pro peccato, quam pro non peccato, ſi tali incerto ſe committit, peccat mortaliter. Ecce vbi expreſsè ait, tenentem plura beneficia peccare, quià ſequitur id quod eſt minus probabile oppoſito: ergò expreſsè ſentit eſſe peccatum ſequi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris.

223 Sed allegat Terillus, quod *in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 1. notando 3.* ait Gabriel, quod ſubditus *intentioni legiſlatoris non obviat, ſi in caſu, in quo probabilitèr credi poteſt, quod ſi legiſlator adeſſet, eum obligare non vellet, à verbis legis deviet, nec tunc reputandus eſt tranſgreſſor ſtatuti.* Sed quid ſi probabilius eſſet, quod ſi legislator adeſſet eum obligare vellet? Hîc eſt caſus quæſtionis, nunquid tunc poſſet probabilitèr credere, quod eum obligare non vellet? Sanè ſi ità crederet, temerè crederet: ergò contra opinionem probabiliorem nemini licet operari.

Allegat demùm, quod ibidem explicans cum Gerſone triplicem certitudinem, ſupernaturalem, naturalem, & moralem, Moralem ſic definit: *Certitudo moralis eſt, quæ habetur ex conjecturis groſis, & figuralibus magis ad vnam partem, quàm ad aliam inducentibus, ſeu perſuadentibus, & hæc certitudo ſufficit in moralibus ſecundum Philoſophum. Talis etiam moralis certitudo ſufficit ad cavendum mortale.* (Adit Gabriel) *& ad committendum, vt habens moralem certitudinem circa aliquod præceptum, agens ſecundum illam cavet mortale, & agens contra illam incidit in mortale.* Sed quid inde pro Terillo, imò ſequitur operantem contra magis probabilem manifeſtè peccare, quià opinio magis probabilis in concurſu minus probabilis eſt certa moraliter iuxta Gabrielem, certitudo autem moralis talis eſt iuxta ipſum vt qui operatur contra illam peccet mortaliter. Qualiter ergò, vel vnde ex Gabriele inferri poterit ſequentem opinionem minus probabilem contra magis probabilem non peccare.

224 PELBARTVS Iuxta Teril. floruit an. 1500. edidit *Aureum Sacræ Theologiæ Roſarium* in quo, verb. *opinio* num. vltimo, ait: *Non tenetur homo ſemper in diverſitate opinionum eligerè tutiorem, quià opinio eſt tuta cùm habet pro ſe Doctorem ſatis acceptum, & hoc ſufficit ad ſalutem cùm tali voluntate, quod non adhæreret ei, ſi non crederet illam eſſe veram. Vnde in tali non eſt comtemptus, nec periculo ſe exponit, & ſic nec peccatum in obedientiæ. Nàm, ſi Ioachim Abbas non fuit hæreticus, licet tenuit falſum contra fidem, vt patuit ſuprà, quià talis articulus non dum erat ab Eccleſia damnatus: ergò.* Sed inde quid pro ſententia Terilli? Imò infero: ergò vt quis ſequatur opinionem alicuius Doctoris ſatis accepti requiritur iuxta Pelbartum quod credat illam opinionem eſſe veram. At qualitèr credere poterit, niſi ſtultè, illam eſſe veram, ſi agnoſcat eſſe minus probabilem ſua contradicente? Et vt exemplum Ioachim Abbatis, quo plerique ex Antiquis vtuntur, declarem, quis credat Ioachim reputaſſe minus probabilem ſententiam ſuam, & magis probabilem oppoſitam, & nihilominus illam docuiſſe? Sanè, ſi Ioachim Abbas non peccavit docendo ſententiam contra fidem antequam ab Eccleſia damnaretur, ideò fuit, quià ipſe ingenuè exiſtimavit illam ſuam ſententiam valde probabiliorem oppoſitæ, & ideò illam tenuit vt veram præ oppoſita. Nec niſi impiè exiſtimari poteſt illum agnoviſiſſe illam ſententiam eſſe minus probabilem ſua contradicente, & nihilominus illam tenuiſſe vt veram præ ſua oppoſita. Igitur ſi Ioachim ex-

cuſatus fuit à peccato, fuit quià ex ignorantia inculpabili, vel ſolùm venialitèr culpabili fuit illi magis probabilis illa opinio, quæ reverà erat contra fidem, quam ignorantiam, vel non habuiſſet, vel mortalitèr culpabilis foret, ſi ab Eccleſia fuiſſet antè expreſsè damnata: ergò ſi ab illo exemplo argumentum deſumunt Antiqui, cenſent planè illum ſolum excuſari à peccato mortali in ſequela opinionis falſæ, qui ſequitur opinionem, quam ex ignorantia inculpabili, vel ſolùm venialitèr culpabili exiſtimat probabiliorem ſua oppoſita: ergò cenſent neminem excuſari à peccato, ſi ſequatur opinionem, quam exiſtimat, & cognoſcit eſſe minus probabilem ſua oppoſita.

225 CAIETANVS. Illum etiam allegat in ſui favorem Terillus. Cum tamen ferè omnes Probabiliſtæ pro noſtra ſententia eſſe fateantur. *In ſumma* enim, verb. *opinionis vſus*, ſic ait. *In operandis, niſi tutiorem partem eligendo non licet opinionem cuiuſque aſſumere in regulam operis, quià eo ipſo, quod operatio committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quià opinio omnis ambigua eſt, vtpotè cum formidine alterius partis.* Ecce plus docet quàm volumus. Sed dictum explicat: *Et hæc intellige de opinione propriè dicta, quæ eſt cum formidine alterius partis, & per ſe loquendo. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quià diverſi Doctores contraria ſentiunt, quoniam cum huiuſmodi contrarietate ſtat, quod vna pars ſit ratione ſufficiente ad moralem certitudinem fulta, & iam non eſt opinio apud capientes rationem illam; ſed quià neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus. Dixi quoque per ſe loquendo, quià peraccidens contingit neſcientes diſcernere inter notum opinione, & notum certa ratione morali, errare, & excuſari, credentes abſque formidine alterius partis viris probis, & doctis dicentibus, facite ſic, quià poteſt licitè fieri.* Ecce Caietanus certitudinem moralem exigit de veritate opinionis fundatam in ratione moralitèr certificante ſubiectum, vel ſi ſubiectum ſit imperitum, fundatam in authoritate Doctorum, & proborum, tanta, vt auferat formidinem alterius partis à credente. Atqui evidentiſsimum eſt, quod opinio minus, aut æquè tantum probabilis collata cum probabiliori contradicente, nedùm non eſt certa moralitèr, ſed potius eſt incertiſsima, vtpotè motivis omnibus conſideratis, magis ſe habens ad falſitatem, quàm ad veritatem, vel æquè ſaltim: ergò iuxtà Caietanum non licet talem opinionem ſequi relicta probabiliori, vel æquè probabili.

226 Sed dices, Caietanum plus debito exigere, ad rectè operandum; quià exigit tantam certitudinem vt nulla ſuperſit formido de oppoſito, hoc autem eſt exigere certitudinem penè impoſsibilem in operabilibus. Sed reſpondeo Caietanum non excluſiſſe omnem formidinem de oppoſito, Sed intelligendum eſſe ità vt excludat formidinem vehementem, qualem cauſant motiva æquè, vel magis probabilia pro parte oppoſita, tunc enim nec moralis quidem certitudo haberi poteſt de ipſa, cui tanta probabilitas contradicit; non tamen ità vt excludat formidinem levem ex coniecturis levibus, aut ſcrupulis pro parte oppoſita, vel ex ſuſpicione trepida, aut ex nimio timore cadendi in via Dei, hæc enim formido iuxtà omnes Antiquos compatitur cum certitudine morali exacta ad rectè operandum. Et ſic omnia concordant.

227 IOANNES TABIENA Caietano contemporaneus, verb. *opinio*, ſic ait: *Quæritur, quæ opinio ſit ſequenda ſecundùm Canoni ſtas. Reſpondeo primo, quòd in dubijs non generatur aliquod præiudicium veritati quando inter diverſas opiniones à Doctoribus approbatas, illam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi, ideſt, quæ ſibi eſt magis probabilis.*

228 CONRADVS Floruit ante annum 1500. expreſsè tenet noſtram ſententiam, nam quæſtione 100. de contractibus ponit tres concluſiones, quarum prima eſt: *Qui ſequitur minus tuta peccat, quando, aut habet probabilem conſcientiam, quod ille actus ſit mortalis, & dicitur probabilis, vbi plus declinat ad credendum, quod ſit mortalis, quàm quod non ſit talis. Aut etiam quando habet æquilibrem conſcientiam quod ſit mortalis, hoc eſt, æquè credit quod ſit mortalis, ſicut quod non.* Aut demum, *quando vir doctus adhæret opinioni iuſtificanti actum illum, quam ponit contra rationes notabilitèr magis præpnantes pro opinione damnante eundem actum.* In ſecunda concluſio-

ſione aſſerit non peccare virum doctum, ſi fecerit, quod in ſe eſt vt veritatem addiſcat, ſi poſt rationes iuſtificantes actum perpenſas, *cum videntur ſibi magis prægnantes, ipſe bona fide, & probabili conſcientia agit rem vt licitam, dummodo paratus ſit omittere actum, ſi ipſum crederet eſſe illicitum.* En expreſſa ſententia Conradi eſt, non licere ſequi opinionem iuſtificantem actum, quando operanti eſt magis, vel æquè probabile actum eſſe illicitum, licere tamen, dùm operanti poſt rationes benè perpenſas eſt magis probabile eſſe licitum, quàm illicitum. Licet igitur ſequi opinionem ſibi magis probabilem, non tamen æquè minus vè probabilem pro libertate. Nihilominus tamen Terillus ait: *Ecce Conradus in omnibus nobis favet.* Contrà ferè omnes Probabiliſtas, qui Conradum ſemper pro noſtra ſententia allegarunt.

229 ADRIANVS VI. Floruit etiam ante annum Domini 1500. Eum etiam pro ſua ſententia allegat Terillus, ſed immeritò, nàm imprimis eum contra ſe allegant, vel ipſi Probabiliſtæ priores, imò & Bordonius, qui ſimili cum Terillo conatu laborat, cap. 6. n. 41. confitetur planè Conradum, Adrianum, & Cordubam pro noſtra eſſe ſententia.

Secundò: nàm in 4. Sentent. de reſtitutione in editione Lugdunenſi, anno 1547. fol. 277. ſic reſpondet noſtræ quæſtioni, quam proprijs terminis exagitat: *Vel ex contrarietate opinionum* intellectus *movetur ad dubitandum, vel non? Si primum, vel eſt dubium de obligatione vtriuſque partis, ad quam ſcilicet obligemur, & tunc vtraque pars cenſetur periculoſa. Et tunc, qui vnam ſequitur, non peccat ratione periculi: illa enim maxima*: Exponens ſe periculo, &c. *Intelligitur de exponere libero, quando potens vitare periculum, nihilominus eligit, in quo diſcrimen conſiſtit. Dixi notanter*: cæteris paribus, *quià ſi vna partium ſit minus dubia, vel minus peccatum ſecundum genus mortalis, & venialis, in talibus ſemper eligere oportet, quod ſecurius eſt, vel minus diſpendioſum.* Et hæc quidem doctrina tenet, quando vtraque opinio contraria eſt pro lege, & obligatione, ideoque eam in poſterùm tradendam remittimus. Interim tamen ſic infero: ſi iuxtà Adrianum, quando vtraque pars eſt periculoſa, & dubia inæqualiter, ſemper eligendum eſt, quod eſt ſecurius, & minus diſpendioſum: ergò quando vna fuerit tuta, & alia dubia, & periculoſa multo magis tenemur eligere tutam, relicta dubia, & periculoſa. Quod iam aſſerit Adrianus, ſic continuans textum: *Vel altera partium non eſt periculoſa, ſed ſecura, & tuta, & tunc amat periculum, & peccat partem dubiam complectens.* Quod idem quodlib. 2. fol. 29. ſic probat: *Nulli licet magis ſervare amorem creaturæ, quàm Dei, vt patet ex præcepto diligendi Deum ſuper omnia: ſed qui propter amicum agit aliquod, de quo dubitat, àn ſit mortale, vult magis ſervare amorem illius, quàm Dei, ex quo exponit ſe periculo diſplicendi mortaliter Deo, vt amico placeat, aut ſibi ipſi. Quod exemplariter deduci poteſt: ſi quis velit operari, vt complaceat Petro, id de quo dubitat, àn diſplicebit Ioanni, indubiè diligit Petrum ſuprà Ioannem. Confirmatur. Si Medicus propter delectationem velit ſumere cibum, de quo dubitat àn ſibi mortem inferet, indubiè peccat. præferens delectationem ſanitati propriæ: ergò, &c.*

Dices forsàn, Adrianum loqui de actu dubitante, non de opinante vt licitam partem, quam ſequitur: nàm iſte iuxtà ipſum Adrianum licitè eam partem eligit. Sed contra eſt doctrina ipſius Adriani, ſic aientis loco citato de reſtitutione: *Si non movetur ad dubitandum, non peccat eo quod periculo ſe exponat, licet peccare poſſit ratione temeritatis, quià ſuæ æſtimationi nimis innititur. Vndè vt perperam, temerè, & contra rationis ordinem, dubitantibus his, quos ſcio limpidius, & clarius videre, tenerem conſtanter, & firmè perſonam à remotis viſſam eſſe Petrum. Non minus temerariam eſt ſimplicem hominem nullatenus dubitare, vbi doctiores, & præclariſſimos viros noverit in materia varios eſſe, dubios, perplexos, & vacillare plurimum.* Iam ergò inter opiniones ſapientium ſibi invicem contradicentium, & diſſidentium, temerarium erit viro ſimplici non dubitare, & conſequenter peccabit ratione temeritatis, non dubitando.

Diſtinguit autem ibi Adrianus duplicem modum, quo quis exponit ſe periculo inter opiniones Doctorum, ſcilicet, propriè, & verè, vel interpretativè. Propriè, & verè exponitur periculo, qui actu dubitans de peccato operatur partem dubiam: interpretativè autem, qui debebat dubitare, & temerè non dubitat. Vndè

ait : *Quanvis aliquando temerè agat quis adhærendo opinioni minus periti Doctoris, aut minus probatæ vitæ, alijs Doctoribus reiectis, non tamen propriè, & verè tunc exponitur periculo, aut amat periculum ; quanvis interdùm interpretativè, quando ſcilicet diſparitas talis eſt ac tanta, quod meritò alijs deberet credere, vel propter eorum authoritatem ad minus de facti honeſtate, àn liceat, dubitare.* Patet igitur iuxtà Adrianum, quod etiam ſi quis non dubitet actu, ſi tamen tenetur dubitare, tunc peccat ratione temeritatis, & interpretativè amat periculum. Secundò rogo, quandiù quis magis tenetur dubitare, quam dùm verſatur inter vtramque opinionem contradicentem æquè ſibi probabilem? Sanè nullus poteſt excogitari caſus vrgentius obligans ad dubitandum : ergò in hoc caſu peccabit ratione temeritatis, & amabit interpretativè periculum, qui ſequatur illam partem periculoſam, de qua tenebatur dubitare. Et quidem iuxtà Adrianum temeritas eſt viro ſimplici, non dubitare, vbi Doctores æqualitèr diſſident : ergò viro perito temerarium erit non dubitare, vbi rationes, & authoritates æqualitèr pro vtraque parte militant ; nàm ſicut vir ſimplex ſolum ab authoritate, ità peritus ab authoritate, & ratione ducitur. Imò iuxtà Adrianum, quodlib. 2. fol. 41. *Nullus opinatur niſi quod ſibi apparet verum, ſive magis probabile* : ergò dùm vtraque pars eſt ſibi æquè probabilis impoſsibile eſt, quod tranſeat de dubitante in opinantem. Et, vt videas quàm longè abſit à mente Adriani ille modus ſolvendi dubium per affectum voluntatis ad regulandam conſcientiam, ſic ait in dicto quodlib. fol. 34. *Iuxtà ſtatera librandæ ſunt rationes vtriuſque partis, vt quæ puræ rationis acumine inventæ fuerint validiores, cæteris paribus, vincant etiam affectum, vt etiam eis obediatur.* Et quidem quid de mente Adriani dubitamus? Cum omnibus notum ſit, ipſum plus iuſto noſtræ favere ſententiæ, dùm in prædicto loco expreſsè docet, quod quando ſunt rationes æquè, vel magis probabiles pro peccato, quam pro non peccato in aliquo opere, non tenemur obedire prælato, etiam ſi illud opus nobis præcipiatur. In quo quidèm reprehenditur à Terillo, ſed ipſe ſe explicat dicens : *Niſi ſuperior talis fuerit*, vt eius præceptio vim authoritatis habeat, *faciens alteram partem plus, vel æquè apparere, vt poteſt eſſe ratione doctrinæ, & ſanctitatis ſimul concurrentium, vel ratione indefectibilitatis*, de quo nos intrà.

Sed allegat Terillus, quod Adrianus diſpenſavit in matrimonio rato, ſequendo opinionem probabilem Caietani, refert enim Sotus in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. *Quod Adrianus VI. vir tùm vtriuſque iuris peritiſsimus, tùm & rei Theologicæ non infimè doctus, cum ab illo diſpenſatio in matrimonio rato fuiſſet poſtulata, oblataque fautrix Caietani ſententia, demiratus eſt virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe ; & ideo improbis precibus ſuccumbens, reſpondit ſe dare quod poſſet, credere tamen ſe nihil poſſe.* Sed imò indè infero neminem poſſe licitè conformare ſuam mentem opinioni ſibi minus probabili, cum Adrianus credere non potuerit cum Caietano ſe poſſe talem diſpenſationem impertire. Infero ſecundò, nec poſſe abſolutè illam ſequi in praxi, ſiquidèm Adrianus abſolutè non impertivit diſpenſationem, ſed conditionatè, ſi poſſet, & quantum poſſet, àt credebat firmitèr non poſſe. Quod autem dixerit : *ſe dare quantum poſſet, credere tamen nihil poſſe*, perindè fuit, àc nihil concedere, ſi opinio Caietani falſa fuit. Rurſus, ſi indè eſſet aliquid inferendum, inferre liceret quemque poſſe ſequi ſententiam minus ſibi probabilem, etiam ſi non crederet illam eſſe veram, nec illi aſſenſum præſtet, imò contra propriam opinionem actualem. Qualitèr autem hoc Adrianus cenſeret licitum, quandoquidem ipſe quodl. 2. puncto 3. hanc ponit concluſionem : *Nulli vnquam licet contra propriam ſententiam, vel opinionem agere.*

230 IOANNES MAIOR, contemporaneus Adriani, allegatur etiam à Terillo, cum tamen ſit luce clarius illum noſtram tenere ſententiam, nàm quæſtione 2. in prologom. ad 4. Sententiarum inquit : *Teneatur pro doctrina tanquam eſſet celte in ſilice ſcripta, quod in via morum modus certior eſt tenendus, qui enim ſe exponit periculo peccati, peccat.* En quo zelo prædictam doctrinam, gravare omnium mentibus optabat : forsàn ſuſpicatus eſt venturos Theologos, & Caſuiſtas, qui eam penitus delere conarentur per probabiliſmum. Igitur in tertia concluſione agit ſpecialitèr circa materiam morum, tenetque quod inter contrarias opiniones *in materia morum ſecutior*

curior pars eſt tenenda. In quarta concluſione ait, quod *quandò opiniones oppoſitæ ſunt æquè certæ* (hoc eſt æquè tutæ ac ſecuræ, nimirum quod vtrinque, vel nullum, vel æquale periculum imminet, vt declarant exempla quæ apponit) tunc inquit *poteſt homo, ſine peccato hanc viam, vel oppoſitam imitari.*

Sed inquit Terillus; contra hanc quartam concluſionem obijcit ſibi exemplum de contractu ineundo, quem aliqui dicunt eſſe licitum, & totidem dicunt eſſe illicitum, quem tamen omnes ſuponunt poſſe licite non iniri: ergò intelligenda eſt etiam concluſio de parte tuta, & non tuta. Sed contra, quià huic argumento reſpondet quod in tali caſu non eſt licitum contractum inire propter æqualitatem Doctorum pro vtraque parte, ſolum autem eſſe licitum quandò ſunt *notabilitèr plures pro vna parte quàm pro alia*: ergò ſentit nunquam eſſe licitum ſequi partem minus tutam, niſi quandò eſt probabilior oppoſita. In quinta concluſione ità dicit: *Prudens debet ſequi communem opinionem Sapientium magis quàm paucorum, tàm in materia fidei, quàm in materia morum*: ergò magis probabilem præ minus probabili. Hæ ſunt ipſæ concluſiones Maioris, cetera videnta remitto lectori, nàm in ſolutionibus argumentorum, & probationibus expreſsius ſe explicat, requiritque ſemper in contradictione opinionum maiorem probabililitatem pro vna, vt illam licite ſequi poſsimus, nec vllus præter Terillum de hoc dubitavit.

231 CORDVBA Floruit etiam ante omnes Probabiliſtas circa annum 1570. vir ſanè Theologiæ peritiſsimus, qui materiam de ignorantia, & de conſcientia præ omnibus ſuis anteceſſoribus exactiſsimè tractavit. Expreſsis terminis tenet noſtram ſententiam pluribus in locis. Imprimis lib. 2. dè ignorantia quæſt. 3. inquirit: *An ſit tutus in conſcientia, qui ſequitur opinionem aliquorum doctorum, qui ſibi magis placent, ſi contingat eos ſequendo errare cùm eis.* Et tunc inquit. *Reſpondeo ſecundum Conrradum, Adrianum, & Maiorem, clarius eos reſolvendo per tres propoſitiones ſequentes. Quarum prima eſt: Quando opinio probabilior definit quod ſecundum ſe aparte rei tutum eſt, & condemnat oppoſitum, tunc neceſſario talis opinio tenenda eſt. Ex. g. ſi communis, aut probabilior opinio tenet pluralitatem beneficiorum, aut non reſidere in ſuo curatu ſine cauſa legitima, aut talem contractum eſſe illicitum, cum ipſum cave-re, & oppoſitum facère ſit tutiſsimum, dicit propoſitio hæc, talem opinionem eſſe tenendam, & ſequendam.* (Nota) *& in hoc omnes doctores conſentiunt.* Et probat quià *agens contra probabiliorem opinionem agit contra rectam rationem; quià agit contra rationem, & authoritatem, cui reniti non licet, nàm ideò dicitur probabilior, quià rationabilior, & quià validioribus nititur rationibus, & fundamentis, quibus naturalitèr convincitur intellectus, vt vni parti potius quàm oppoſitæ aſſentiatur, &c. Tum tertiò, quià alitèr agens, temere, & irrationabilitèr ageret, dum ſine ratione ſufficienti eligit partem periculoſam minus rationabilem, quàm ratio ipſa minus dictat, poſtpoſitâ ea, quàm magis dictat eſſe neceſſario amplectendam, &c.* Hæc & alia Corduba.

Terciam concluſionem ſic ponit: *Quando opiniones ſunt, vel creduntur æquè probabiles, ſemper id quod videtur minus malum, & tutius ſequendum eſt; quando eſt dubium de peccato mortali. Probatur dupliciter: primò, quià in dubijs non ſolum facti, ſed iuris, tutior & certior pars eſt eligenda. Nunc autem qui illas opiniones æquè probabiles ſcit, vel arbitratur, neceſſe eſt vt maneat dubius quænam earum ſit vera, & per conſequens àn ſibi liceat agere quod altera opinio condemnat, æquè enim movetur naturalitèr intellectus ad aſſentiendum vni opinioni, ſicut alteri habenti æqualia motiva, & æqualem probabilitatem, vel ſi non manet dubius, ſaltem temerè, & periculosè, ſine vlla ratione, ſed voluntariè, & ex ſua affectione adhæreret huic, vel illi opinioni, &c.* Ità ad litteram Corduba. Vt ſciant Probabiliſtæ, quod antequam ipſi exurgerent in Eccleſia communis omnium Doctorum conſenſus erat non licere ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam contra probabiliorem dictante ri quod tutiſsimum eſſet, vt aſſerit Corduba in prima concluſione, nec oppoſitum auditum fuerat vnquam inter Doctores Catholicos. Item commune etiam erat quod intellectus inter opinionem probabiliorem, & minus probabilem contradicentem naturalitèr convincitur vt aſſentiatur potius opinioni probabiliori quàm minus probabili, caſu quo alteri aſſentire vellit: non ergò prolibito, vt volunt Probabiliſtæ, poteſt aſſentiri opinioni minus probabili contra probabiliorem. Item commune erat intellectum conſtitutum inter opiniones, quas àrbitratur æquè probabiles, neceſſariò manere dubium, àc perconſequens non poſſe pro libito voluntatis

tis cuilibet aſſentiri. Vel quod, ſi aſſenſum præſtet, temerè, & periculosè aſſentietur.

232 Deinde §. *ex quibus*, probat, *peritum peccare mortaliter agendo contra rationes probabiliores damnantes actum, ſequendo minus probabiles, quia ſi ſunt meliores: ergò ſunt natæ inducere eum ad magis credendum quod ſit illicitus, quàm quod ſit licitus: ſed intellectus eſt potentia naturalis non potens non aſſentiri, ſeu non opinari, id quod ſibi oſtenditur vt magis opinabile: ergò is magis æſtimat, vel opinatur, ſtantibus illis cauſis, quod ſit ille actus illicitus, quam, quàm quod licitus. Et nihilominus, illa credulitate non obſtante, vult agere eundem actum contra reclamationem conſcientiæ, quam non audit, nec advertit, cum debeat advertere, ſed ſemper imperium voluntatis compeſcit, ſuſpendendo, vel avertendo intellectum à debita illorum conſideratione: ergò patet quod facit contra conſcientiam in actu, vel in debito exiſtentem.* En vbi expreſsè damnat illum modum formandi conſcientiam familiarem Probabiliſtis, contra opinionem magis probabilem pro lege, nimirùm, vt docent, per imperium voluntatis avertendo intellectum ab opinione magis probabili, & à debita conſideratione motivorum magis probabilium, & illum inclinando, vt aſſentiatur motivis minus probabilibus, qui ſanè modus formandi conſcientiam planè eſt perverſus, & contra ipſam conſcientiam.

233 Secunda concluſio Corduba eſt, *licere ſequi opinionem minus tutam iuſtificantem actum, quando illa eſt probabilior oppoſita illam damnante*, in quo etiam cum illo ſentimus. Et hæc illius ſententia, quam ait eſſe eandem Conradi, Adriani, & Maioris. Eandemque repetit libro 3. de Conſcientia, quæſt. 5. per omnia idem omnino ſentiens, & explicans per 4. concluſiones, in quarum prima, poſt 4. rationem, inquirit, vtrùm liceat, ſtante dubio ſpeculativo circà actum in vniverſali, non dubitare practicè, & tunc facere talem actum. Et reſpondet, quod peccat mortaliter, & tenetur dubitare practicè, niſi aliqua cauſa iuſta excuſetur, ideſt, niſi aliqua nova ratio, ſeu circunſtantia ſuperveniat, vt puta præceptum Superioris, neceſsitas aliqua, aut imminentia maioris periculi. Quod aſſertum mirè probat ex eiſdem principijs, quibus nos ſuprà.

234 Nihilominus tamen Terillus contendit etiam Cordubam pro illius eſſe ſententia, eoquòd poſt ſecundam concluſionem ità advertit *Nota, quod benè ſtat vtramque opinionem eſſe æquè probabilem, & quod ego non ex ſola affectione, ſed ex aliqua rationabili cauſa, puta, quià rationes alterius ſcio diſſolvere, vel credo per alios benè diſſolvi, aut ſolubiles eſſe, nec omnino efficaces, licèt ego illas diſſolvere non ſciam, vel etiam ex ignorantia invincibili, rationabiliter, vel inculpabiliter æſtimem alteram opinionem eſſe magis probabilem, aut veram, quæ non eſt: & tunc hæc quæ probabilis, aut vera æſtimatur, tenenda eſt de neceſsitate, aut de licentia, vt in duabus concluſionibus dictum eſt.* Sed Terillus non advertit Cordubam ſemper requirere quod intellectus non ducatur ad exiſtimandum pro vna parte præ alia ex affectione voluntatis, ſed eſſe neceſſariam aliquam rationem ſpecialem, quæ inclinet ad iudicandum pro vna præ alia: quod ſi ſuppoſita æquali probabilitate vtriuſque opinionis ſuperveniat, vel occurrat aliqua ratio ſpecialis, vel authoritas pro vna præ alia, quæ de ſe, & ex meritis proprijs inclinet intellectum magis ad vnam partem, quàm ad oppoſitam, tunc iam independenter ab affectione voluntatis vna pars redditur, & exiſtimatur magis probabilis, & ſic ſequi poteſt. Illa autem ratio ſpecialis in homine perito poteſt eſſe, ſi ſciat ſolvere argumenta pro affirmativa, v. g. & non inveniat ſolutionem fundamentorum pro negativa, & tunc poteſt exiſtimare negativam probabiliorem. Vel, ſi ſit homo imperitus, ſufficit ſi credat Theologo perito, qui merito poſsit eſſe iudex inter illas opiniones æquè probabiles de ſe, qui dicat Authores pro negativa benè diſſolvere fundamenta affirmativę, ſeu ea facilè ſolubilia eſſe, nec vllius roboris, è contrà autem fundamenta negativæ. Aut ſi alia ratione invincibiliter, & inculpabiliter, & non ex affectione (nàm modum iudicandi ex affectione ſola, abſque maiori ratione pro vna, quàm pro alia ſemper reprobatur, vt temerarius à Corduba) iudicaverit eſſe magis probabilem, tunc licitè poteſt illam ſequi. At quid magis adverſum Terillo dici potuit, qui totus inſiſtit in eo quod ſtante æquali vtrinque probabilitate ex ſola affectione voluntatis ſuperveniente, poteſt intellectus ferri in partem, quam maluerit voluntas, tanquàm in partem probabiliorem, & hic eſt cardo totius eius operis.

135 Secundo. Non advertit Terill⁹, quod Corduba ait, quod ea, quam quis, non ex affectione, ſed ex aliqua ratio-

nabi

nabili causa existimat probabiliorem, aut veram, *tenenda est de necessitate, aut de licentia*, ideſt, ſi eſt præcepto obligante, tenenda eſt de neceſsitate, ſi de licito, de licentia. Ergò non licet contra illam agere ſi eſt de lege præcipiente, aut prohibente, ſed neceſſariò ſequenda eſt iuxta Corduba.

236 Allegat ſecundo, quod dixerit Corduba, *ſi homo illitteratus ſit aut non doctus, aut ſi neſcit ibi eſſe varietatem opinionum. Aut ſi ſcit ibi eſſe varias opiniones, tamèn probabiliorem aut tutam, non ex affectione, ſed ex ignorantia, vel ex alia cauſa credit eam, quam ipſe ſequitur, æquè aut magis quam oppoſita; & ità cùm bona fide, &c per ignorantiam invincibilem excuſatur.* Sed nec hic advertit Terillus, quam procul fugit Corduba illum modum faciendi opinionem magis probabilem per affectum & aſſenſum, dum ſemper requirit pro conditione quod intellectus iudicet eam opinionem, quam ſequitur, probabiliorem, vel magis aut, æquè tutam quam oppoſitam, nõ ex affectione, ſed ex ignorantia invincibili. At quomodo obſecro qui ſcit certo aliquã opinionem ante affectum voluntatis eſſe minus, aut æquè tantũ probabilẽ, poterit ex ignorantia invincibili iudicare illam eſſe probabiliorem? Sanè ex affectione, aut ex malitia tranſeat quod poſsit, *per imperium nimirum voluntatis*, vt ait Corduba, *compeſcendo, ſuſpendendo, aut avertendo intellectum à debita motivorum conſideratione.* At alitèr, ſi non advenit nova & ſpecialis ratio, quæ ante affectum voluntatis reddat partem illam probabiliorem, non capio qualitèr contingere poſsit. Nec advertit etiam Terillus, Cordubam, fol. mihi 15 ad finem, ex Adriano, ſic aſſerere: *Sicut perperam, temere & contra rationis ordinem agerem, ſi ego à longè diſtans videns hominem à longè venientem, conſtantèr tenerem illum eſſe ſortem, quem alij clarius, propinquiuſque videntes duvitant. Ità temere peccat is, qui dubitantibus & opinantibus viris doctiſsimus, contra probabiles eorum rationes tenet oppoſitum, licet in rei veritate ſit verum. Similitèr peccato temeritatis peccat, qui eſt ſimplex homo, & nullatenus dubitat in actu vel contractu, in quo ſcit vel audit Doctores præclaroſque viros eſſe varios, dubios, perplexos, & vacillare.* At iuxta ipſum Cordubam intèr opiniones vtrinque æquè probabiles, non occurrente nova ratione pro vna præ alia, Sapientes tenentur dubitare, & re ipſa varij ſunt, & dubij, & perplexi, vſque ad novæ rationis adventum. Quid ergò ruſticus homo decidat dubium pro libito, vbi ſapientes altèrcantur & opinantur vtrinque? Temeritas eſt, quidquid dicat Terillus.

237 NAVARRVS Etiam floruit ante omnes Probabiliſtas. Eum allegat Terillus pro ſua ſententia, eo quod in manuali cap. 27. num. 281. ait *non eſſe ſemper neceſſarium aligere partem tutiorem, ſed ſufficere aligere tutam.* Quod ego etiam dico, dum non ſumus in dubijs. At, dum ſumus in dubijs opinionum vtrinque probabilium, pars minus probabilis pro libertate non eſt tuta, ſed nimis periculoſa. Allegat etiam quod ibi num. 183. aſsignat regulas Epikeiæ, dicitque non peccàre *qui obſervat legem iuxta mentem Authoris, licet verba offendat. Neque qui eam in ſenſu benigniori ſervat, quanvis in contrariori violet*, intellige, ſi ſenſus benignior non ſit minus probabilis, aut creditus pro libito contra ſenſum probabiliorem, quià tunc erit ſenſus iniquus, non benignior. *Neque qui eam non ſervat, vbi, & quando eſt impoſsibile, aut valde difficile*, impoſsibilitate & difficultate vera magna, & non credita pro libito ex imperio voluntatis. *Neque qui eam non ſervat, vt fatuus non habeatur*, ſcilicet à prudentibus; nàm à fatuis, aut imprudentibus haberi pro fatuo non eſt motivum ad non implendam legem. At prudentes non reputant fatuum ſervantem legem in ſenſu probabiliori relicto minus probabili. *Neque qui in rebus dubijs ſecundum communem vſum bonorum ſervat.* At patet quod nunquam communis vſus bonorum eſt ſervare legem in ſenſu minus probabili & minus tuto, hoc enim magis proprium eſt malorum. *Septimo* proſequitur Navarrus, *rectus intellectus illius vulgati: tutior pars eſt eligenda in dubio, in eo nimirum quod eſt propriè dubium, cuiuſmodi non eſt, cùm ſufficienti authoritate aut ratione altera pars creditur, aut vna pro vera eligitur.* At nulla authoritas aut ratio ad hoc ſufficit, quando altera maiori vel æquali contradicitur, quià tunc, vt ſtatim videbimus ex ipſo Navarro, non poteſt, neque debet dubium ſolvi. Allegat denique quod Navarrus ibi num. 288. ſic concludit: *Infero conſequentèr, ad effectum non peccandi ſufficit eligere pro vera opinionem eius, quem merito cenſemus eſſe virum idoneum ad id ſcientia & conſcientia præditum.* Sed id ipſum ego fateor, ſi nimirum non contradicat alius maioris authoritatis, aut æqualis; ſicut in teſtibus contingit. At tunc caſus illa opinio iam non erit minus, aut æquè probabilis ſua contradicente, ſed vel

vnicè probabilis, vel magis probabilis sua contradicente, quid ergò indè prò Terillo.

238 Præterea allegat Navarrum, de Pœnitentia, in cap. *si quis autem*, dist. 7. vbi ait: *Regula sectandi tutiora non esse præceptum, sed consilium, paucis casibus demptis.* Sed cautè tacuit Terillus casus demptos. Igitur Navarrus n. 42. sic ait: *Septimo addendum, illud, in dubijs tutiorem partem esse eligendam, etiam extra casus, in quibus id faciendum iura exprimunt, duobus concurrentibus, esse præceptum. Alterum est quod casus ille dubius rem tangat animæ saluti necessariam; alterum quod res sit verè dubia. Exemplum potest desumi ex D. Thom. quotidianum, de illo, qui plures præbendas obtinet existens dubius vtra opinionum sit vera.* En vbi Navarrus in omni dubio opinionum tangente rem animæ saluti necessariam affirmat esse præceptum sectandi tutiorem partem.

239 Deindè Navarrus, n. 56. *Vndecimo*, inquit, *infertur resolutio. Non solùm illum peccare, qui in re ad fidem, & mores pertinente, in qua iure declaratum est tutiorem partem eligendam esse, minus tutam eligit, vt dictum est in corollario septimo* (nimirùm proximè relato) *sed etiam eum, qui in re adeò sibi dubia, vt neque probabili authoritate credat alteram partem esse veram, adhæret illi parti, de qua est dubium àn liceat, si saltim potest adhærere contrariæ securè, quià de illa non dubitatur àn liceat. Pro quo principalia fundamenta sunt illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum peribit in illo. Et ratio illa naturalis, qua convincitur quis plus amare Petrum, quàm Ioannem, qui potens agere, quo vtrique sit gratus, agit tamen propter Petri amorem, id de quo dubitat àn ex eo sit inimicitiam Ioannis incursurus. Pari ergò ratione, qui dubitat àn tali facto sit gratiam Dei amissurus, & facit illud ob sui, vel proximi gratiam, plus amare se, vel proximum, quàm Deum convincitur. Authoritas principalis in hoc est D. Thom. quodlib. 8. art. 13. & Cancellarij Parisiensis, 2. p titulo 1. de regulis morum, col. 2. vbi ponit illam regulam*: exponens se periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat, & exponens se periculo peccandi venialiter, venialiter peccat. *Quæ Thom. conclusio à nemine non est recepta.*

240 Scio contrarios importunè ad hæc omnia respondere, Navarrum loqui de dubio propriè tali, non de opinionibus. Cetèrum, quodnam potest excogitari dubium magis propriè tale, quam cum intellectus quatitur vtrinque pro vtraque parte contradictionis motivis æquè probabilibus? Sanè tunc non est dubium leve, aut per modum scrupuli, sed grave, & vehemens, vtpotè ex gravibus motivis. Sed dicunt, id verum esse si intellectus nulli parti determinatè præstet assensum, secùs si ex imperio voluntatis vni assentiatur, quià tunc iam non est dubium, sed potius intellectus exuit dubietatem, & deponit dubium. Sed contra est ipse Navarrus num. 101. *Contra tamen hanc solutionem facit primo, quod qui ex causa probabili, & vrgenti dubitat, neque debet, neque potest illam dubietatem exuere, imò si exueret, malè faceret.* Est igitur contra Navarrũ, ille modus deponendi dubium per imperium voluntatis, absque nova ratione, quando dubium oritur ex rationibus probabilibus in contra. Quod confirmat, quià *qui tenet* (ex probabilibus intellige semper) *aliquam opinionem non potest quomodolibet* (idest prò libito, & arbitratu) *illam deponere*; imò addit num. 51. *Arbitramur nonnunquam peccare illum, qui veram eligit opinionem, & exuit falsam, quando videlicet eam temerè dimittit, quam probabiliter credebat esse veram; quod eruditè, vt alia sentit Cancellarius Parisiensis.* Vndè num. 101. ait ad mutandam opinionem esse necessariam novam consultationem, *quà, re diligenter pro negotij qualitate discussa, & contrario sibi bona fide persuaso, si peritus est, vel consilio ab alijs petito, si non est eruditus.* Ecce iuxtà Cancellarium, & Navarrum temerè deponitur dubium inter opiniones Doctorum, si prò mero libito absque nova ratione, vel consilio vellemus vni parti præ altera assentiri, idemque de opinione deponenda, vt videas hoc minimè subijci arbitrio voluntatis, sed tantùm rationibus, & motivis debitè quærenti occurrentibus.

241 Sed vt videas Navarrum etiam de opinante, & non solùm de dubitante nostram sententiam tenere, sic immediatè prosequitur num. 57. *Duodecimo subinfertur eum etiam peccare, qui facit aliquid, quod magis, vel æquè ab ipso putatur esse peccatum, quam non esse, quod asseverat Cancellarius in illo titulo* de Reg. morum, col. 2. *Probatur, quia eadem omnino est ratio*, nimirùm àc de dubio, de quo dixerat immediatè num. 56. quæ quidem ratio erat de periculo, cui se exponit, qui operatur in dubio, & quià convincetetur magis amare se, vel proxi-

mum

mum quàm Deum, quam rationem merito ait eandem vim habere in opinionibus, ac in dubio, quandò nimirum æquè, vel magis probabiliter putatur eſſe peccatum, quàm non eſſe, quià tunc idem omninò periculum eſt ac in dubio, & idem argumentum, imò & maius omninò fit.

242 Sed vagentius proſequitur Navarrus. *Imò*, inquit, *& peccat, qui facit aliquid, quod opinatur non eſſe peccatum; hoc eſt, magis inclinat in eam partem quod non ſit peccatum, quàm in contrariam, cùm formidine tamen quod altera pars ſit vera, & ità non credit certo non eſſe peccatum. Probatur primò, quià eadem videtur omninò ratio. Nàm ratio principalis, quare qui dubitat àn aliquid ſit peccatum, & nihilominus illud facit, peccat, eſt quià periculo ſe peccandi exponit, vt dictum eſt in corollario 11. & num. 4. ſed qui opinatur aliquid non eſſe peccatum, cùm tamen certò non credat ità eſſe, imò timet & formidat illicitum eſſe, periculo ſe peccandi exponit, animi ſui conceptu attento: igitur eadem ratio: ergò idem ius. Secundo probatur per illud Thomæ quodlib. 8. art. 13.* Et relato textu vt à nobis ſupra, concludit. *Ex quo manifeſte videtur quod iuxta B. Th. ſententiam, quanvis magis credat, vel exiſtimet partem, quàm ſequitur eſſe veram, ſi nihilominus ob contrariam opinionem, aliqua dubitatione moveatur, non licet ſibi propter diſcrimen hoc operari, ſuppoſito etiam quod nullum ſit ibi diſcrimen aparte rei, ſed veritas. Tertio confirmatur hoc ſimilitudine illa, quod medicus, qui magis exiſtimaret ægroto vinum mortem inferre non poſſe; at propter aliorum contrariam opinionem dubitat, & nihilominus, vt illud experiatur, vinum ægroto propinat. Et ob hoc ille moriatur, peccat, & non alia ratione, quàm quod ægrotum periculo mortis expoſſuit: ergò* (proſequitur num. 59.) *non licet agere partem, quæ magis exiſtimetur vera, quando formidamus, ne alia quoque pars vera ſit, ſed oportet certo credere id licere, quo à peccato excuſemur. Facit quod in probabilibus dubijs, quælibet pars eſt veroſimilis, ſicut & probabilis, licet altera pars ſit probabilior, & veroſimilior: ergò qui agit quod probabilius eſt, cùm formidine tamen, & timore deliberato quod pars contraria vera ſit, probabili àc veriſimili periculo peccandi ſe exponit: ergò peccat per dicta.* Hactenus Navarrus, non ſolum noſtram opinionem tenens, ſed rigidiorem, ſiquidem aſſerit, nec opinionem magis probabilem nondum certam, quandò ſcilicet adhuc manet probabilis opinanti contraria, ſufficere ad licite operandum, ſed requiri quod opinio vltra maiorem probabilitatem gradum certitudinis attingat, ſeu quod certò & ſine formidine credatur vera, & hoc probat eiſdem rationibus & exemplis, quibus noſtram noſtri probant de non ſequenda opinione minus aut æquè tantum probabili, aitque eaſdem omninò rationes, quæ probant de dubio propriè tali, legitime probare de opinione ſivè minus, ſive æquè tantum probabili, & pro hac ſententia citat Cancellarium eruditiſsimum vti expreſsè illàm tenentem, imò & de magis probabili nondum certa idem eſſe tenendum docet.

243 Ne tamen putes Navarrum antiquis eſſe adverſum. Ex dicendis præmitto, nõ quamlibet maiorem probabilitatem ſufficere ad rectè operandum, ſed ità maiorem, vt comparatione illius probabilitas pro contrario ſit tenuis, & per modum ſcrupuli, & motivi levis. Tunc enim cenſemus magis probabilem eſſe certam moraliter. Et hoc pacto omnes antiqui concordant, nàm imprimis omnes exigunt vt minimum maiorem probabilitatem, vt vidimus, & item penè omnes exigunt certitudinem moralem. Alij admittunt aliquam levem dubitationem, quæ nimirum ſolum ſit per modum ſcrupuli ex ſuſpicione trepida, aut ex levibus coniecturis. Ac denique Navarrus excludit quamlibet dubitationem, & formidinem de oppoſito, aitque non ſufficere opinionem, ſed requiri certitudinem. Sed hæc omnia in vnum coincidunt. Nàm qui exigunt maiorem probabilitatem, talem exigunt quæ ſufficiat ad certitudinem moralem, ac proinde non ſunt contenti quacumque maiori. Qui admittunt aliquam levem dubitationem, & formidinem, iàm exprimunt illam eſſe per modum ſcrupuli ex motivo levi, nullus enim admittit pro licito agere partem dubiam, quæ ſit dubia ex motivo probabili & gravi, imò id omnes contradicunt. Navarrus autem his non contradicit, nàm dum excludit formidinem de oppoſito, & ait non ſufficere opinionem, intelligitur de formidine ex motivo gravi in contra, ſeu ex contraria opinione retinente gravem probabilitatem, non autem de formidine per modum ſcrupuli, quià hanc non obeſſe certitudini morali omnes aſſerunt, & ipſe Navarrus expreſsè num. 64. his verbis. *Decimo quinto infertur ratione dubietatis non peccare illum, qui quod facit credit licere, quanvis contra ſuam credulitatem, ſivè fidem habeat ſcrupulum; quià qui credit aliquid certus eſt, licet habeat ſcrupulos in contrarium, &c.* Si igitur omnes antiqui conveniunt in eo quod ad rectè operandum requiritur maior probabilitas, non vtcumque, ſed talis quod ſufficiat certificare moraliter ſubiectum de eo

quod

quod licitum eſt quod facit, & de oppoſito ad ſummum relinquat levem ſuſpicionem, aut ſcrupulum ex ſuſpicione trepida, aut ex nimio timore cadendi in via Dei. Hæc ſanè eſt expreſsiſsima, & concors mens omnium antiquorum, vt relegenti eorum textus ingenue patebit.

244 SYLVESTER Iuxta Terillum floruit anno 1500. illum ingenuè priores Probabiliſtæ pro noſtra ſententia citabant. Et meritò, nàm verb. *dubium* imprimis cùm Philoſopho, & D. Thom. *Dubium*, inquit, *eſt contrariarum rationum æqualitas. Vnde propriè homo dubitat de aliquo, quandò habet rationes ad vtramque partem, æqualitèr aut quaſi æqualitèr moventes, ità quod non inclinatur ad hoc magis quàm ad aliud notabilitèr.* Et paulò poſt num. 4. inquirit quomodo intelligenda ſit illa regula: *Indubijs tutior pars eſt eligenda.* Et reſpondet: *Dubium eſt duplex, ſcilicet probabile, cùm ſcilicet rationes probabiles ad vtramque partem ſunt quaſi æquales: & ſcrupuloſum, quandò quis ſcilicet ex levi ſuſpicione timet alicubi eſſe peccatum. Scrupuloſum dubium ad conſilium boni viri eſt deponendum ſecundum omnes doctores, & idem eſt ſi dubitatur àn ſit ſcrupuloſum, necne? Dubium autem probabile eſt de quo dictum illud, ſeu regula intelligitur: & ſecundum Archidiaconum peccatum grave eſt tali dubio ſe exponere, vbi eſt dubium de mortali. Et ſecundum Panormitanum:* In cap. Iubenis de ſponſalibus: *In dubijs, ſcilicet probabilibus, vbi verſatur periculum animæ, ſemper tutior pars eſt eligenda, & quod tutius eſt tenendum. Et tamen intellige quod ſi opinio ſecurior ſit minus probabilis notabilitèr, non eſt eligenda neceſſario, quià iàm ceſſat ratio dubij. Si tamen probabilitas hinc inde eſſet æqualis, tutior eligenda eſt neceſſario, quandò ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis, quià tunc verum eſt illud Eccleſiaſtici 3. Qui amat periculum peribit in illo.* En ſententiam Sylveſtri eandem cùm noſtra, ex mente Archidiaconi, & Panormitani, & ceterorum Antiquorum ab ipſo expreſſa.

Sed dices primò, Sylveſtrum contrarium nobis eſſe, nàm ſic ait num. 4. *Si vero opinio ſecurior*, id eſt ea quæ eſt pro lege, *ſit minus probabilis, ſed non notabilitèr, etiam non eſt eligenda neceſſario, quià eo caſu intelligo Albert. in lib. de Homine, dicentem, quod conſcientia non obligat ad faciendum, niſi quod eſt in conſcientia vt opinatum, ſeu creditum, vel ſcitum: non autem ſi eſt dubitatum, vel ambiguum.* Si ergò opinio pro lege ſit minus probabilis, ſed non notabilitèr, non eſt eligenda neceſſario, ergò tunc eligi poterit opinio pro libertate, quæ eſt magis probabilis, licèt non notabilitèr; hoc autem eſt contra nos, qui requirimus maiorem probabilitatem notabilitèr maiorem.

Reſpondeo hoc dictum Silveſtri, dato caſu, quod noſtræ ſententiæ ex parte contrarietur, nihil tamen favere contrarijs, quià ſemper requirit maiorem probabilitatem, ſivè notabilitèr, ſivè non notabilitèr maiorem in opinione minus tuta pro libertate, vt illa licitè poſsit eligi. Ac proindè iuxtà ipſum nunquàm licet eligere opinionem minus, aut æquè tantùm probabilem pro libertate. Secundo, nego conſequentiam, quià tunc caſus neutra opinio eſt regula, ſed vtraque dubia, & ideò neutra eligi poteſt, ſed eligenda eſt alia tertia, vt dictum manet quæſt. 28. num. 414. Et hoc in ſenſu intelligendum eſt dictum illud Albert. quaſi dicat, quod conſcientia non obligat directè, & tanquàm regula ad faciendum, quod eſt dubium, & ambiguum; obligat tamen indirectè, & remotivè modo explicato in dicto loco. Nec aliter intelligi poteſt, nec Albert. nec Sylveſter. Nàm ſi ad id, quod eſt in conſcientia, vt dubitatum, & ambiguum, nullo modo obligaret conſcientia, conſcientia dubia nullo modo obligaret, quod eſt contra omnes, & inter probabilitatem æqualem pro lege & pro libertate, non obligaremur ad partem tutiorem, quià tunc eſt dubitatum, & ambiguum, àn opus ſit præceptum, vel non. Imò iuxtà ipſum Sylveſt. dubium, in quo tenemur ad partem tutiorem, non exigit, quod ſit inter rationes omnino æquales, ſed quaſi æquales; patet autem, quod quando exceſſus probabilitatis non eſt notabilis, vtraque probabilitas eſt quaſi æqualis: ergò tunc ex mente Sylveſtri tenemur ad tutiorem partem.

Dicit ſecundò Terillus, quod Sylveſter, verb. *opinio* ſuæ ſententiæ favet. Sed audiamus ibi Sylveſtrum; imprimis aſſerit, quod in obſcuris excuſat ignorantia, *dicente Monaldo quod non generatur aliquod præiudicium veritati, cùm inter diverſas opiniones à magiſtris approbatas, & ſcripturis authenticis annotatas, eam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Quod extendit etiam ad illum, *qui ex affectione ad ſuum Doctorum iudicat probabilitèr, vel ſibi videtur, eſſe verum, quod in ſe eſt falſum*, ſi nimirum affectio ſit honeſta & ordinata ad magiſtrum, quià doctior & verioris doctrinæ

ctrinæ ſibi videtur. *Nec obſtat* (proſequitur Sylveſter) *quod in dubijs tutior eſt eligenda, quia non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad vnam partem.* At quomodo probabiles rationes poterunt intellectum flectere in vnam partem, quando rationes in contra vrgentes ſunt probabiliores, aut æquè probabiles? Tunc ſanè damus Terillo quod intellectus poſſit flecti imperio voluntatis; at rationibus minus probabilibus qualitèr, dum in contra ſunt probabiliores? Solum ergò intellectus flectitur rationibus probabilibus, quando illæ non habent contradicentes, vel quando contradicentibus prævalent notabilitèr, ità vt pro parte contraria ſolum reſtet quædam ſuſpicio ex motivo levi, tunc enim dubium ſolum eſt ſcrupuloſum, quod de conſilio boni viri deponi debet. Secus vero quando rationes probabiles ad vtramque partem ſunt quaſi æquales, quià tunc eſt dubium proprium, ſeu probabile, in quo obligamur partem eligere tutiorem. Et hæc eſt expreſſa doctrina Sylveſtri: non ergò inter rationes probabiles æquales licet ſolvere dubium pro arbitratu voluntatis, alias facilius ſolvi poſſet dubium probabile, quam ſcrupuloſum, cùm hoc indigeat conſilio boni viri.

245 *Nec obſtat*: proſequitur Sylveſter, *quod incertum tenendum eſt & dimittendum incertum, quià iſte* (nimirum qui non ex imperio voluntatis, ſed rationibus probabilibus flectitur in eam partem, quæ ſibi videtur magis conſona rationi) *tenet certum ſibi moralitèr, cùm in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus.* En qualitèr cùm omnibus Antiquis exigit certitudinem moralem. *Vnde, ſi Ioachin non fuit hæreticus, quanvis tenuit contra fidem, quià talis articulus nondum erat ab Eccleſia damnatus, multo magis excuſatur ſequens opinionem Doctorum non reprobatam, &c.* ſi nimirum illam ſequatur ſicuti ſuam ſequutus eſt Ioachin, nimirum quia ſibi debitè inquirenti veritatem videtur magis conſona rationi, & quià intellectus veluti fidelis ſtatera, rationibus hinc inde libratis, flectitur ad illam partem, ex qua rationes probabiles magis graves ponderantur. Et hæc noſtra expreſſa ſententia. At vbi Sylveſter docuit quemque poſſe eligere eam, quę præciſive ab affectione videtur minus probabilis, id eſt, minus conſona rationi, quando rationes probabiles de ſe magis inclinant intellectum in partem oppoſitam?

246 ARMILA Etiam communitèr allegatur à Caſuiſtis pro noſtra ſententia & merito nàm V. *opinio* num. 2. ait operantem in dubio peccare, & addit *prædicta eſſe intelligenda de opinione, quæ eſt cùm formidine alterius partis.* Item expreſſe dicit *inter opiniones ſemper partem tutiorem eligendam eſſe ne quis ſe exponat periculo ambiguitatis & faciendi quod eſt illicitum.* Sed allegat Teril. quod in fine illius n. 2. ait: *Ideò, quando dicitur quod tenetur amplecti tutiorem, intelligitur quando eſt cùm formidine alterius partis; ſed quando firmat ſe in vna opinione alicuius doctoris, quam veram credit, licet credat aliam opinionem eſſe meliorem, non propter hoc exponit ſe mortali; quià non ſequitur aliquid, de quo dubitat eſſe falſum, licet credat eſſe minus bonum.* Rectè. Sed quomodo quis poteſt firmare ſe in opinione alicuius Doctoris abſque dubietate, ſi videat oppoſitam opinionem contradicentem eſſe æquè vel magis probabilem, ſeu probabilitèr veram? Quomodo aliquis firmari poteſt ſua vi in aliquo loco, dum quatitur vi contraria æquali vel maiori in locum oppoſitum? Dices quod firmatur à voluntate. Sed quid hæc firmitas ad conſcientiam? Etiam hæretici firmantur ſua voluntate in ſuis erroribus: etiam quis poterit firmari in eo quod ſimplex fornicatio ſit licita, & in quacumque alia, quantunvis erronea opinione. Sanè certitudo & firmitas conſcientiæ apud omnes debet eſſe, non affectata, ſed rationalis & ingenua, ideſt, talis quod proveniat ex motivis & rationibus certificantibus & firmantibus intellectum in eo quod eſt licitum id quod eligit. At quomodo hoc pacto, imò nec ex affectu voluntatis, poterit firmari intellectus in veritate alicuius opinionis, dum quatitur ex adverſo rationibus & motivis, æquè, vel validioribus probantibus eius falſitatem? Quid quod voluntas perſiſtat contra illa motiva in adhærendo illi opinioni? Erit ſanè pertinacia voluntatis, ſed non firmitas rationalis intellectus.

247 SOTVS Demum ex Antiquis reſtat, quem etiam ipſi Probabiliſtæ priores pro noſtra citant; licet enim dificultatem præſentem ſolum obitèr attigerit, ſufficientèr tamèn noſtram ſententiam inſinuavit lib. 3. de Iuſtitia & iure, quæſt. 6. art. 5. ad 4. vbi ſic ait: *Imprimis igitur neceſſarium eſt ſemper ſententiam ſecundum probabiliorem opinionem ſubſcribere, etiam ſi altera ſit probabilis, in ſpeculatibis nàmque ſcholarum diſputationibus nullum inde conflatur periculum, quod quiſpiam minus probabilia, ingenij gratia, defendat, in practicis vero, quæ aliena iura reſpiciunt nefas*

nefas eſt iudici infirmiorem opinionem ſectari, ſicuti & medico in practica, ex qua ſalus pēdet infirmi, & multo magis Theologo in his, quæ ſunt fidei, intellige, & morū vbi magis practicus eſt, maius periculum, & æqualis ratio. Si ergò multò magis nefas eſt Theologo in his quæ ſunt fidei, & morum infirmiorem opinionem eligere, quàm medico, & iudici; & iudici neceſſarium eſt ſemper ſententiam ſecundum probabiliorem opinionem ſubſcribere, & paritèr medico apud omnes: ergò multo magis Theologo.

248 Sed in contra dices quod Sotus ibidem ad finem ait, iudicem inter opiniones æqualitèr probabiles poſſe iudicare, nunc ſecundum vnam, nunc ſecundum aliam. Sed reſpondeo quod hoc forsàn eſt intelligendum *partim ſecundum vnam, partim ſecundum aliam*, hoc eſt dividendo fundum intèr partes litigantes. Vel dato caſu quod ità non intelligatur ideò Sotus id admiſsit in iudice, quià æquale periculum vtrinque militat in adiudicando fundum vni ſecundum vnam ſententiam, & in adiudicando illud alteri iuxta aliam, & tunc non cogitavit de diviſione fundi, aut concordia partium. Ex hoc autē non poteſt fieri paritas ad Theologum in quæſt. de moribus, quià ſupponimus vnam partem eſſe tutam, & aliam periculoſam, ſeu minus tutam; quod ſi vtraque ſit æquè periculoſa, tunc intèr opiniones æqualitèr probabiles, quælibet eligi poteſt pro libito, vt infra dicemus.

249 Opponit ſecundo Terillus, quòd Sotus lib. 6. de iuſtitia & iure quæſt. 1. art. 6. ait non eſſe neceſſarium quod intèr controverſias morales Eccleſia definiat vnam partem, aut aliam, quià *quando ſunt opiniones probabiles intèr graves Doctores, vtramque ſequaris, in tuto habes conſcientiam*. Sed hoc intelligendum eſt vti dixerat in lib. 3. cit. nimirum, quamcumque ſequaris, ſi tibi ſit probabilior, in tuto habes conſcientiam, ſiquidem alias contradiceret ſibi dicenti, *neceſſarium eſt ſemper ſententiam ſecundum opinionem probabiliorem ſubſcribere, etiam ſi altera ſit probabilis, &c.*

§. II.

Impugnantur leves aliquæ obiectiones contrariorum.

250 PRIMO Igitur ex illis obijcies: Iuxta omnes præcitatos Doct. licet ſequi partem, ſivè opinionem, quæ omnibus inſpectis ſit probabilior: ſed quælibet opinio directè minus, aut æquè tantum probabilis, reflexè, & indirectè, ſeu ex principijs reflexis eſt probabilior: ergò iuxta omnes Antiquos licet ſequi opinionē directè minus probabilem. Sed nego minorem; nàm iuxta omnes Anti quos reflexè conſiderantes, vti conſiderant, opiniones morales directas oppoſitas in qualibet materia, falſum eſt, quod licitè ſequi poſsit minus probabilis, cōtradicēte probabiliori; ſed quod apud omnes Antiquos falſum eſt, apud ipſos eſt improbabile: ergò apud Antiquos reflexè eſt improbabile quod poſsit ſequi opinio directè minus probabilis contradicente probabiliori. Eſt igitur apud Antiquos opinio directè minus probabilis collata cùm contradicente probabiliori, reflexè improbabilis, quandoquidem omnes improbant illius ſequelam, ſeu eam reprobant vt illicitam.

252 At ſolet dicere Terillus, quod Antiqui ſolum reſolvunt præſentem quæſtionem ex principijs reflexis. Sed in hoc evidentiſsimè fallitur, tunc quià hæc quæſtio eſt primo reflexa, quæ reſolvi nequit, niſi ex principijs reflexis; cùm enim ſubiectum, de quo eſt quæſtio, ſit opinio directa minus probabilis, de qua nihil affirmare poſſumus, imò nec de illa ex cogitare, niſi per reflexionem ſupra illam, ſanè quęſtio, quę de illa vti de ſubiecto procedit, reſolvi nequit, niſi per principia reflectentia ſuprà ipſam. Tum etiam nàm omnes quæſtionem reſolvunt conſiderando reflexè opiniones contrarias Doctorum, ex eo quod in dubijs vtrinque probabilibus tutior pars eſt eligenda, quod tenendum eſt certum, & dimittendum incertum, quod ad rectè operandum debet quis certificari de veritate opinionis ſaltem certitudine morali: ſed hæc principia ſunt reflexa, vt per ſe patet: ergò reſolvunt quæſtionem per principia reflexa. Rurſus, quænam ſunt iſta principia reflexa, quæ à Theologis, & Canoniſtis adeò ignorata ſunt, vt nemò per ea quæſtionem præſentem deciderit? Sunt ſanè, quod quiſque in dubio poſsidet ſuam libertatem ab obligatione; quod in dubijs melior eſt conditio poſsidentis libertatem. Quod dum adeſt probabilitas contra legem in aliquo gradu, tandiù manet irrefragabilitèr, quod lex non eſt ſufficientèr promulgata. Hæc ſunt principia reflexa, ex quibus optabat Terillus, quod Antiqui præſentem quæſtionem reſolverent, & planè fatetur quod ex principijs reflexis, his nimirum, quæſtionem iſtam non deciderunt. Sed quid dicemus? Nunquid quod

Anto-

Antoninus, Gerſon, Scotus, Nyder, Adrianus, Conradus, Maior, Gabriel, Navarrus, Corduba, & cætus nobilis Antiquorum ignorarunt principia, quibus nititur quæſtio iſta reflexa? Nunquid quod probabiliſtæ ea principia detegerunt? Ergò principia, quibus nititur reflexa contrariorum, ſunt novitèr inventa; ergò eorum doctrina nova. Vbi ſanè apud Antiquos invenies quod quandiù adeſt Probabilitas in aliquo gradu contra legem, lex non eſt ſufficientèr promulgata, nec obligat? Vbi lex illa reflexa Terilli? Vbi quod in dubijs, quis poſsidet ſuam libertatem, & Beatus qui poſsidet?

253 Ac demum ſi iſta ſunt principia reflexa: ergò paritèr ſunt principia reflexa, quod in dubijs probabilibus, & non levibus, pars tutior eſt eligenda, quod certum eſt tenendum, & dimittendum incertum, quod id quod non eſt ex fide peccatum eſt: ſi enim illa contrariorum appellantur principia reflexa, omnino pro libito, imò contra evidentiam, negatur iſtis, quod ſint etiam principia reflexa. Sed omnes Antiqui ex his principijs decidunt quæſtionem, & reſolvunt exigi ſemper maiorem probabilitatem: ergò attētis principijs reflexis reſolverunt quæſtionem præſentem. At dices, quod non attenderunt ad principia reflexa contrariorum. Rectè: ergò ſunt nova, noviterquè à contrarijs inventa; ab Antiquis autem omnino per contemptum non memorata.

254 Obijcit ſecundò Terillus, iuxta omnes Antiquos eſt licitum ſequi opinionem probabiliorem, opinionēm quam plures Doctores tenent, & quæ eſt magis communis: ſed quod licitum ſit ſectari minus probabilia eſt opinio vt minimum magis probabilis, quam plures Doctores tenent, & magis communis: ergò iuxta omnes Antiquos licitum eſt ſequi hanc opinionem. Mirum ſanè argumentum, & cùr non ſimili forma probat Terillus nos etiam cùm illo ſentire? Sanè nos, ſicut & Antiqui, cenſemus licitum ſequi opinionem magis probabilem; cùr ergò non ità ſubinfert: Sed reflexa pro libertate eſt vt minimum magis probabilis: ergò ſentimus cùm Terillo eſſe licitum ſequi reflexam pro libertate. At hoc, niſi ſtulte inferri non poteſt: ergò Terilli argumentum evidentiſsimè eſt Sophiſticum.

255 Sed quidquid ſit de hoc, diſtinguo maiorem. Iuxta omnes Antiquos licitè poſſumus ſequi opinionem directam probabiliorem, concedo maiorem; opinionem reflexam probabiliorem, &c. nego ſuppoſitum, quod ſcilicet Antiqui locuti fuerunt de opinionibus reflexis, quæ in præſenti controverſia circunferuntur intèr modernos. Deum enim vniverſalitèr dixerunt quod quando ſunt contrariæ opiniones intèr Doctores, licet ſequi magis conſonam rationi, ſeu probabiliorem, hoc dicebant per primam reflexionem, quam faciebant ſuper opiniones directas contrarias Doctorum circa materias particulares, vti de habendo, vel non habendo plures præbendas. Nec per primam reflexionem, quam ipſi faciebant, poterant loqui de opinionibus reflexis contrarijs Doctorum circa præſentem controverſiam. Tùm etiam quià ſolum intèr Authores illius ſæculi legebantur opiniones contrariæ directè: attamen circa iſtā quæſtionem reflexam de delectu opinionum, tunc non erant opiniones reflexæ contrariæ, vt fatetur ipſe Terillus quæſt. 22. num. 54. & vidimus ex Corduba in prima eius concluſione aſſerente noſtram ſententiam eſſe communem omnium Theologorum. Non ergò locuti ſunt de contrarijs opinionibus reflexis, quas nuſquam legerant, nec audiverant imò; nec in eorum mentem venerant, ſed tantum loquebantur de opinionibus directis Magiſtrorum, quas tantum legerant, inquirentes, quænam illarum eſſet ſequenda. Tùm denique, quià Antiqui ſinceriores in quærenda veritate minimè agitarunt quæſtionem reflexam ſuprà reflexam, vtpote magis obſcurativam veritatis, quam manifeſtativam illius, & ſolum agitarunt quæſtionem reflexam ſuprà opiniones directas, attenta earum directa probabilitate, quæ ſolum attendi poteſt in quæſtione primo reflexa, vt ſuprà oſtendimus; nec eſt credibile Antiquos vſos fuiſſe his reflexionibus ſuprà reflexiones, quas in infinitum replicant Probabiliſtæ. Cùm igitur opinio docens eſſe licitum ſectari minus probabilia directè talia, ſit opinio reflexa immediate contradictoria ſententiæ Antiquorum, inde eſt quod Antiqui minimè de illa locuti ſunt, nec dicere potuerunt illam licitè ſequi poſſe. Nec illam comprehenderunt ſub illa vniverſali: licitum eſt ſequi opinionem probabiliorem.

256 Deinde alitèr, conceſſa maiori, nego minorem, vti falſiſsimam apud Antiquos. Nàm opinio docens licitum eſſe ſectari minus probabilia, contradicentibus opinionibus probabilioribus, apud Antiquos, & ante præſens ſæculum à nullo Doctore docebatur, in nullo legitur, omnes enim, vt vidimus, vt minimum exigunt maio-

maiorem probabilitatem in opinione ſequenda.

At replicat Terillus, illos exigere maiorem probabilitatem, vndecumque illa proveniat: ſed opinio minus probabilis directè ex principijs reflexis eſt magis probabilis: ergò. Sed contra, quià dum illi exigunt maiorem probabilitatem, loquuntur per primam reflexionem, vt probatum eſt, & eſt per ſe notum cuicumque ſincere legenti Antiquos: at per primam reflexionem loqui non poterant de maiori probabilitate reflexa, quæ ſolum agnoſcitur per conſiderationem ſecundò reflexam: ergò dum exigunt maiorem probabilitatem, exigunt determinate maiorem probabilitatem directam, vndecumque illa ſit, nulla vero fuit eis cogitatio de maiore probabilitate reflexa. Rurſus, nego minorem, quià, vt dictum manet, opinio, quæ, omnibus inſpectis, eſt directè minus probabilis, apud Antiquos reflexè erat improbabilis. Vnde ergò probat Terillus eam eſſe probabiliorem?

257 Obijcit tertiò Terillus: nullus eſt ex Doctoribus Antiquis, qui in praxi, & in doctrina non faveat ſententiæ benignæ, ideſt, reflexæ pro libertate: ergò omnes illam tenuerunt. Antecedens probat, quià nullus eſt qui non docuerit aliquam, vel aliquas opiniones minus probabiles, vt quod ille qui implet pœnitentiam in peccato mortali, ſatisfacit, nec tenetur eam repetere: pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam à Confeſſore iniunctam: poſſe illam differre ad purgatorium: non peccare, niſi venialiter, ſecularem, qui ex pigritia, & non ex contemptu omittit ſacrum ſemel, aut bis in die feſto, & alias huiuſmodi opiniones docent, quæ nec ſunt probabiliores, nec æquè probabiles, ſed ad ſummum minus probabiles, & minus tutæ: & tamen illas docent, & proponunt, vt regulas tutas conſcientiæ: ergò ſentiunt opinionem minus probabilem, & minus tutam eſſe tutam regulam conſcientiæ.

258 Reſpondeo hoc argumentum eſſe Sophiſticum, aut nullius momenti, vt ſupra oſtenſum manet. Deinde nego antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: nullus eſt qui non docuerit aliquam opinionem minus probabilem ſcienter, nego maiorem; per ignorantiam exiſtimando illam probabiliorem, tranſeat maior, & minor, & nego conſequentiam. Et quidem aliquas docuerunt opiniones Antiqui non ſolum minus probabiles, ſed re ipſa improbabiles, vti ſunt 2. 3. & 4. ex relatis: licebit ne arguere ità; Antiqui plures docuerunt opiniones improbabiles: & tamen illas docebant, vt regulas tutas conſcientiæ: ergò ſenſerunt opiniones improbabiles eſſe tutas regulas conſcientiæ. Rurſus, nemo, tàm ex Antiquis, quàm ex modernis eſt, qui non doceat aliquam opinionem de licito falſam, & conſequenter, qui non docuerit aliquid eſſe licitum, quod re ipſa eſt contra legem Dei; ergò omnes docuerunt eſſe licitum aliquid facere contra legem Dei. Eſt ne bona hæc conſequentia? Ergò Sophiſticum eſt tale argumentum, quo contrarij paginas innumeras implent, & quod magis ſentimus, nos ad aliquas implendas obligant: igitur ſi Antiqui docuerunt aliquas opiniones, vel minus, aut æquè tantum probabiles, aut improbabiles, hoc eis contigit ex ignorantia, vi cuius exiſtimarunt probabilius, quod, re melius inſpecta, inventum eſt eſſe, vel improbabile, vel minus probabile oppoſito. Quod ſi ipſi advertiſſent, minimè talia docuiſſent, nec propoſuiſſent, vt regulas tutas conſcientiæ, imò ſenſus cuiuſvis Doctoris eſt, quod ſi quis inverierit illum deceptũ in aliquo, aut aliquid minus rectè dixiſſe, nemo in hoc illum ſequatur, ſed potius corrigat: & hic ſanè eſt meus ſenſus in cunctis, quæ ſcribo, quæ ſemper meliori iudicio ſubijcio: ergò ſenſus Antiquorum fuit, quod ſi ea, quę ipſi vti probabiliora docuerunt, aliquis inveniret eſſe minus, aut æquè tantum probabilia, nemo illa in tanta ambiguitate ſectaretur, donec de veritate ſaltim moraliter certificaretur, & hoc explicarunt ipſi ſignatè, cùm in quæſtione reflexa ſemper exigebant ad ſequelam opinionis, quod operanti eſſet probabilior oppoſita.

Et quidem, ſi hoc argumentum alicuius roboris eſſet, potiori titulo nobis liceret eo vti ad ſuadendum omnes fermè Authores graves, tàm modernos, quàm Antiquos noſtram ſententiam tenere, hoc pacto. Nullus omninò invenietur, ſiquis diligenter indagare velit, qui aliquando inter opiniones probabiles contradicentes pro lege, & pro libertate non decidat pro lege, & obligatione, impugnetque opinionem contradicentem pro libertate: ſed qui docet ſententiam pro lege, & obligatione, & impugnat oppoſitam pro libertate, in actu exercito dicit tenẽdam eſſe ſuam ſententiam pro lege, & vitandam oppoſitam pro libertate: ergò nemo eſt inter Theologos morales graves, qui non aliquando ſentiat, & affirmet in actu exercito ex opinionibus probabilibus pro lege, & pro libertate eſſe tenendam opinionem probabilem pro lege, & vitandam opinionem

pro-

probabilem pro libertate. Minor probatur clarè: ſint enim duæ opiniones probabiles celebri Authorum calculo hinc inde confirmatæ. Prima dicit *opus A eſſe faciendum de præcepto.* Secunda dicit: *non eſſe obligationem faciendi tale opus.* Accedit Doctor gravis, & examinatis vtriuſque fundamentis, reſolvit ſecundum primam opus faciendum eſſe de præcepto, eſſeque homines obligatos ad illud; & impugnat oppoſitam dicens nemini licere omittere illud opus. Hic ſanè in actu exercito obligat homines ad ſuam ſententiam ſectandam, & vitandam oppoſitam, ſiquidem dicit eos obligari ad faciendum opus, quod ipſe dicit obligatorium, & eis non licere omiſsionem, quam oppoſita ſententia dicit licitam eſſe; & item quià in actu exercito proponit ſuam ſententiam, vt regulam obligantem ad illud opus, & vetantem oppoſitum: at qui vix reperietur Doctor gravis in moralibus, qui non aliquando ità ſe gerat impugnando opiniones aliquas pro libertate, licet aliàs probabiles, & propugnando opiniones probabiles pro lege: ergò vix reperietur Doctor gravis, qui inter opiniones probabiles contradicentes non obliget in actu exercito ad ſectanda probabiliora pro lege, & ad vitanda probabilia pro libertate.

Confirmatur: iuxta Terillum, qui docet aliquam ſententiam pro libertate dicens aliquid eſſe licitum, eam proponit, vt regulam tenendam de licentia, ſeu vt licitè ſequibilem in praxi: ergò qui eam negat, & impugnat, pariter in actu exercito eam reijcit, & reprobat, vt non tenendam, nec licite ſequendam in praxi: & item: ergò qui oppoſitam docet, dicens, & probans opus eſſe obligatorium, & faciendum de præcepto, proponit hanc ſuam ſententiam in actu exercito, vt obligatoriam, & tenendam de præcepto; ſed nullus eſt Doctor gravis in moralibus, qui aliquando non doceat ſententiam probabilem pro lege impugnando oppoſitam, licèt aliàs probabilem pro libertate: ergò nullus eſt qui in actu exercito non dicat aliquas opiniones probabiles pro lege eſſe tenendas de præcepto, & obligatione; & oppoſitas pro libertate, licèt aliàs probabiles, vitandas: omnes ergò in actu exercito, & in praxi nobiſcum conſentiunt. Et quidem ſi Ioan. à S. Thom. ait, ſe non auſurum conſulere eam opinionem, quæ liberat ab obligatione confitendi circunſtantias aggravantes, licet alias probabiliſſimam, & alij Authores ſimiliter, dùm aliquas opiniones liberantes ab obligatione ſerio impugnant, licet aliàs valde probabiles, non audent ſecundum illas docere, nec conſulere, ſed oppoſitas proponunt vt de obligatione tenendas, de quo quidem plurima exempla inveniet, qui ipſos etiam graviores Probabiſtas legerit: ergò ſignum eſt quod omnes in actu exercito tenent, non omnes opiniones probabiles eſſe licitè ſequibiles in praxi, ſed aliquas vitandas de obligatione, nimirum quas iudicant, & impugnant vti falſas, omnes igitur in actu exercito nobiſcum conveniunt.

259 Objicies quartò: omnes antiqui cenſent quod quiſque poteſt indubijs ſequi quamlibet opinionem Magiſtrorum, dummodo bona fide credat illam eſſe veram, & ſecundum illam formet conſcientiam: ergò ſecundum illos quiſque poterit licitè ſequi opinionem minus probabilem, dummodo bona fide credat illam eſſe veram, & ſecundum illam formet bonam conſcientiam. Reſpondeo, quod etiam, ſiquis bona fide crederet fornicationem eſſe licitam, & de hoc formaret bonam conſcientiam, poſſet licitè fornicare. Et ſi quis bona fide crederet iuramentum falſum eſſe licitum, & de hoc formaret bonam conſcientiam, licitè poſſet iurare falsò: & tamen nemo inde pronunciavit abſolutè eſſe licitum fornicari, aut peierare: ergò. Et quidem non minus difficile exiſtimo, quod quis poſsit bona fide exiſtimare opinionem minus probabilem contradicente probabiliore, eſſe veram, quàm quod iurare falſum ſit licitum. Hoc enim forsàn contingere poſſet, ſi admitteretur poſsibilis ingnorantia invincibilis iuris naturalis. At, dùm in mente concurrunt motiva probabiliora contra veritatem opinionis minus probabilis, omninò impoſsibile eſt quod quis bona fide credat minus probabilem eſſe veram, & quod ſecundum illam formet bonam conſcientiam; ideò omnes Antiqui ad bonam conſcientiam requirunt quod habeat rationes magis prægnantes, & magis probabiles pro opinione quam ſequitur quàm pro oppoſita, & quod ipſa appareat operanti probabilior, & magis conſona rationi: igitur conceſſo antecedenti, nego ſuppoſitum conſequentis, quod ſcilicet quis poſsit bona fide credere, vt vnam opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris contradicentis.

260 At inquit Terillus, nos eum nos impugnare in ſenſu ab ipſo prætenſo, nàm ipſe planè fatetur quod non liceat ſequi minus probabilem, niſi bona fide credat illam eſſe veram, & ſecundum eam formet bonam conſcientiam, àc proin-

proindè idem omnino ſentire cùm Antiquis, & ſuam opinionem eſſe ipſam Antiquorum; nos autem ſolum probare quod non liceat ſequi minus probabilem, dùm eſt dubium circa illam, aut quando non credit bona fide illam eſſe veram. Reſpondeo Terillum inconſtanter procedere in his dictis, nàm eius concluſio quæſt. 23.num.6. eſt abſoluta, qua aſſerit: *Vniverſaliter tam in materia fidei, quam in materia morum, licitum eſt cuique ſequi quamcumque opinionem directè minus probabilem, minuſque tutam, etſi oppoſita ſit, & credatur probabilior, ac tutior.* Hic ſanè non apponit pro conditione, *dummodo illam bona fide credat eſſe veram*: & merito nàm huiuſmodi conditio planè repugnat cùm concluſione; qui enim credit oppoſitam opinionem eſſe probabiliorem, quomodo bona fide credat minus probabilem eſſe veràm? At cùm videt illam ſuam concluſionem eſſe ex diametro oppoſitam doctrinæ omnium Antiquorum, inconſtans, ſententiam illam explicat in ſenſu conditionali.

261 At ſenſus conditionalis eſt fallax, quià apparentèr ſolum eſt conditionalis, cùm enim ponit pro conditione, quod bona fide credat opinionem eſſe veram, ex dictis â ſe ſupponit hoc eſſe in arbitrio voluntatis, vt pro libito poſsit, & ex affectu voluntatis credere vt veram minus probabilem, & hanc appellat bonam fidem. Vnde ſemper relinquit totalitèr, & abſolutè in poteſtate, & arbitrio voluntatis ſequi minus probabilem contra probabiliorem. Vnde quanvis Terillus dicat ſe ſentire cùm Antiquis, re ipſa tamèn eorum doctrinam impugnat, quià licet cùm illis dicat exigi quod opinio ſequenda credatur vt vera, & teneatur vt probabilior, contra ipſos tamèn ait quod poteſt bona fide credi vt vera, & vt probabilior, quæ proximè ante affectum voluntatis ingenuè cognoſcitur vt minus probabilis, & hic latet tota fallatia Terilli. Et quidem, quomodo ſit bona fides, in qua quis ex affectione voluntatis iudicat oppoſitum, quod ingenuè, & præciſsive ab affectione iudicat? Non nè hoc eſt errare, errore affectato, & voluntario? Vbi ergò bona fides, & non potius fides affectata, & fallax.

262 Obijcies quintò: Antiqui omnes conveniunt in eo quod ſubditus in dubijs teneatur obedire prælato, etſi præcipienti ſecundum opinionem minus probabilem: ſed, ſi non eſſet licitum ſequi opinionem minus probabilem, ſubditus in eo caſu non teneretur obedire; ergò. Secùdò: iuxta Antiquos, confeſſarius licitè poteſt ſequi opinionem pœnitentis, quam reputat minus probabilem, & falſam: ergò & quiſque poteſt ſequi opinionem minus probabilem. Reſpondeo hæc duo argumenta non eſſe ad rem, ſed impertinentia, vt infra oſtendam: àc proindè ineptiſsimè ex his duobus Terillus, & alij Probabiliſtæ conantur oſtendere mentem Antiquorum.

263 Ex dictis tamen iàm colliges, quænam ſit mens Antiquorum ingenua, quam longè diſtent à Probabiliſmo, adeò vt nec ipſorum menti occurrerit, ſed ſincere noſtram ſententiam, vel tenuerint, vel ſuppoſſuerint vt finè controverſia vnicè veram. Quibus addo, quod Cottonius lib. 1. controverſ. 5. de conſcient. cap. 5. de prudentia num. 102. erudite probat Antiquos pro eodem vſurpaſſe probabile, àc quod nos dicimus probabilius; & id quidem mihi certiſsimum eſt, quià omnes Antiqui definiunt probabile, quod vt plurimum ità contingit, vel quod magis inclinat in vnam partem, quam in oppoſitam: & tunc eam ſolam partem, inquam magis inclinant motiva, appellant probabilem: hoc autem idem eſt omnino, àc eſſe probabiliorem illam partem præ oppoſita: ergò cùm omnes Antiqui ad licitè ſequendam aliquam opinionem, exigant illam eſſe abſolutè probabilem, & alias, ipſi pro hoc intelligant idem, àc eſſe probabiliorem oppoſita, omnes apertiſsimè exegerunt maiorem probabilitatem opinionis, vt licitè ſequi poſsit.

§. III.

Exploratur mens RR. Probabiliſtarum.

264 SED Iàm opponunt contrarij cætum penè in numerabilem RR. qui expreſsè docent eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, quorum Cathalogum invenies apud Magiſt. Ferre in præſenti num. 356. & apud Terillum quæſt. 22. num. 9. qui omnes ferè centententenarium implent numerum. Floruerunt autem per integrum ſæculum ab an ſcilicet 1580. vſque an. 1680. paulo poſt antea vè. Hi omnes, inquiunt, per integrum ſæculum benignam ſententiam vniformitèr tradidere, nullo inquiunt, contradicente, ſed Orbe integro conſentiente, & conſenſu ſuo approbante; ergò ab Authoritate ſola benigna ſententia probabilis eſt, imò & certiſsima; noſtra autem nul-

nullius omnino authoritatis, vtpotè ab vno, vel altero Recentiore contra communem Eccleſiæ ſenſum heri, vel potius hodie introducta. Vrgetique poteſt: omnis doctrina morum ſana, & antiqua Eccleſiæ debet accipi, & addiſci per traditionem, & ex Antiquis ad noſtrates: ſed per traditionem ſolùm accepimus, & habemus ſententiam benignam, non autem rigidam: ergò illa eſt communis, ſana, & antiqua Eccleſiæ doctrina, ſecus autem noſtra. Minorem probant. Nàm traditiones antiquæ debent conſervari de præſenti in aliquo depoſito, vt ſic dicam, quæ enim per traditionem accipiuntur non conſtant, niſi ex vſu præſenti. Atqui nobilius depoſitum eſt numerus centum Authorum, quam vnius, vel alterius recentèr exurgentis: ergò circà doctrinam Antiquorum per traditionem ad nos vſque delatam potius debemus credere Probabiliſtis, qui explent numerum centenarium, quam tribus, vel quatuor Antiprobabiliſtis.

265 Rurſus vrgent: incredibile eſt Deum per integrum ſæculum ſuam deſeruiſſe Eccleſiam, ità vt permiſſerit in ea doctrinam pernicioſam, & ſaluti animarũ noxiam vniverſalitèr doceri, ſilente omnino doctrina proficua, & ſana: ſed hoc neceſſario eſt dicendum, ſi licentia ſequendi opinionem minus probabilẽ ſit pernicioſa, & nociva ſaluti animarum, vti nos contendimus, & noſtra contraria proficua; nàm noſtra per integrum ſeculum non eſt audita in Eccleſia, contraria autẽ vnicè viguit magnoque plauſu excepta eſt: ergò.

S67 His, & alijs triumphum agere, exiſtimant contrarij, adeò vt noſtram ſententiam veluti potius ſpernendã, quam impugnandam ſeriò eſſe dicant, imo potius cum Ianſeniſmo procul reijciendam.

267 Sed quam immeritò ſequentes declarabunt exceptiones. Imprimis enim ex illis ferè centum, quos Terillus pro ſua refert ſententia, omnes meritò excipere poſſemus, quantum ad punctum præſentis controverſiæ. Quod ſic facilè ſuaderi poteſt; nàm poſtquàm conſtiterit aliquem Authorem falli in aliqua ſententia, in poſterum illi ſententiæ nullam conciliat authoritatem, nec probabilitatem, vi cuius ſit digna prudentis aſſenſus, & hoc quantumvis Author ille graviſsimus ſit, imò quantumvis plurimi ſint cum illo ſentientes. Et ratio eſt manifeſta, quià in tantum Doctores alicui ſententiæ tribuunt authoritatem, eamque reddunt fidedignam, inquantum de ipſis præſumitur verum dicere, & non fallere, nec falli; omnis enim authoritas in hoc conſiſtit, quod Author magis ſe habet ad veritatem, quàm ad falſitatem, magiſque ſit infallibilis, quam fallibilis, nàm ſi æquè contingentèr fallitur, quam non fallitur, ſi non magis ſe habet ad veritatem, quàm ad falſitatem, vel ſi conſtat ipſum falli, in eo, in quo conſtat ipſũ falli, nullam dicto ſuo cõciliat authoritatem, aut fidedignitatem. Quod magis in teſtibus explicari poteſt; nàm quanvis plures, & graviſsimi teſtes concurrerent ad aliquid atteſtandum, ſi ſemel aliundè conſtaret omnes illos deluſos fuiſſe, aut falſos ſpecie aliqua veroſimili, nullatenꝰ dictum ſuum authorizarẽt, nec redderẽt fidedignum reſpectu eorum, qui talem deceptionem agnoverant: ergò ſignũ eſt, quod nullus homo, nec teſtis, nec Author, quantumvis maximæ authoritatis, vllã conciliat authoritatem ſuo dicto poſtquàm conſtiterit ipſum falli. Atqui ex præcedentibus abundè conſtat contrarios AA. omnes in puncto præſentis cõtroverſiæ falli, ſicuti & illorũ ſententiam falsã eſſe: ergò in poſterum reſpectu eorum, qui præcedentia conſideraverint, nullam ſuæ ſententiæ authoritatẽ, aut probabilitatem conciliabunt, ideſt, condignitatẽ prudẽtis aſſenſus. Et quidem cur plures opiniones olim valdè probabiles ab extrinſeco tandẽ amiſerunt ſuam authoritatem? Sanè quià advenientibus alijs, conſtitit AA. præcedentes falſos fuiſſe: Atqui nos paritèr cum noſtris abundè oſtendimus contrarios omnes falli, quod qui negaverit, ſatisfaciat omnibus noſtris fundamentis ab authoritate, & ratione: ergò merito ſperare poſſumus, quod contrarij vix vllam in poſterũ authoritatẽ ſuæ ſentẽtiæ reflexæ conciliabunt. Nec impoſsibile reputes omnes eos AA. in eo puncto falli; nàm quantumvis plurimi, & graves, homines ſunt, nec habent authoritatẽ infallibilem, ſicut Eccleſia, aut Summus Pontifex, nec ſicut SS. PP. aut antiqui Theologi, ſed valdè inferiorẽ, & fallibilem. Potuerunt ergò in hoc puncto omnes illi Recentiores falli.

Deinde in particulari excipiendi veniunt non pauci, quos per falſam coniecturam ſuæ ſententię adſcribit, nimirum quià docuerunt poſſe, aut debere confeſſorem abſolvere pœnitentem, qui ſequitur opinionẽ confeſſori falſam, aut minus probabilem: itemque alios, quià docuerunt ſubditum debere obedire Prælato præcipienti ſecundùm opinionẽ probabilem. Ex hoc autem falſo coniectatur illos AA. ſuam docuiſſe ſententiam, vt infrà oſtendam, vndè hi omnes à tali numero excipiendi ſunt.

268 Secundò excipiendi ſunt omnes meri Summiſtæ, aut compillatores, qui nihil aliud præſtant, quàm tranſcribere opinionem aliunde inventam, vna, vel altera ratione breviter tranſcripta: v.g. *Qui operatur prudenter licite operatur; ſed qui ſequitur opinionem probabilem, etſi minus probabilem, operatur prudenter: ergò licitè operatur.* Hi enim ſcriptores, vel potius tranſcriptores nullam opinioni authoritatem maiorem conciliant. Vnde rectè Navarrus in Manuali cap. 27. num. 289. dixit, approbantibus poſteris. *Non videtur vna opinio appellanda communis ad affectum præiudicandi alteri eo ſolo quod plures eam ſequantur, tanquam oves alias oves, vel aves quæ vnam volantem aliæ omnes ſequuntur, ſecundum Decium; communiorem enim ad hoc exiſtimarem illam, quam ſex, vel ſeptem AA. claſsici, rem ex profeſſo tractantes, aſſererent, quàm probatam à quinquaginta, ſola fere priorum authoritate ducti. Opinio enim communis non ex numero opinantium, ſed ex pondere authoritatis ſit, vt dicit Alexander relatus à Ludovico Gomez.* Atqui plurimi ex illis centum hoc pacto doctrinam contrariam tradidere, vt videres ſtatim àc vna avis, id eſt, vnus Doctor Claſsicus ſententiam pro libertate docuit, ſtatim magnum numerum Caſuiſtarum cùm illo volaſſe: ergò hi omnes nullam, vel fere nullam authoritatem opinioni contrariæ conciliant.

269 Tertiò excipiendi ſunt omnes, qui exiſtimarunt idem omninò opinandum eſſe de iudice in foro exteriori, àc de conſcientia in foro interno. Ità quod iudicarunt hanc conſequentiam omninò neceſſariam: *Licet in tribunali conſcientiæ iudicare de moribus, & operari ſecundum opinionem minus probabilem: ergò etiam licet iudici in tribunali iuſtitiæ proferre ſententiam ſecundum opinionem minus probabilem.* Hi enim, ſi hodie viverent, prudèter poſſumus coniectare mutaturos fore ſententiam, & ad caſtra noſtra tranſituros. Qui enim iudicant ex aliquo antecedenti neceſſario inferri conſequens, detecta falſitate conſequentis, neceſſario negabit antecedens: Atqui hodie iàm eſt detecta falſitas illius conſequentis, vtpote ab Eccleſia damnati: ergò illi Authores, ſi viverent, retractarent antecedens. Dices forsàn: imò potius negarent conſequentiam, retento firmiter antecedenti. Sed contra; quià conſequentia eſt legitima, & innegabilis, vt vidimus quæſt. 26. Secundò, nàm vnde potius tibi ſuades eos negaturos potius conſequentiam, quàm antecedens? Sanè vtrumque docuerant, & antecedens eſſe verum, & conſequentiam legitimam, alterum eorum neceſſum eſſet illis retractare: vnde ergò tibi conſtat retractaturos conſequentiam, quæ legitima ſemper videtur, & non potius antecedens? Sanè multum damus contrarijs, ſi relinquamus in dubio quidnam potius illi retractaturi forent: hoc tamen relicto in dubio, iàm omnes illi Authores dubij ſunt, vt neſciamus pro qua ſententia ſtarent, ſi viverent, minimèque allegari poſſunt pro oppoſita, ſi non pro noſtra: illi autem ſunt pluſquam quadraginta, quos refert, & ſequitur Diana tom. 8. tract. 1. reſol. 20. 21. & 22. n. 7. Vide igitur ex hac ſola exceptione quantum minuatur numerus ille centenarius contrariorum.

270 Quartò excipiendi veniunt, omnes illi qui contrariàm ſententiam docent, non abſolute, ſed ſub conditionibus aperte impoſsibilibus; hi enim potius abſolute negant, quàm affirmant contrariam ſententiam. Hi ſunt omnes, qui ſic loquuntur. *Licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem, dummodo quis credat, aut iudicet abſoluto, & prudenti iudicio illam eſſe veram.* Quis enim non videat eſſe omninò impoſsibile, quod quis credat opinionem aliquam eſſe minus probabilem ſua contradicente, & ſimul iudicet abſoluto, & prudenti iudicio illam eſſe veram? Ergò qui prædicto modo loquuntur, docent ſententiam contrariam ſub hypoteſi manifeſtè repugnanti, quæ nunquam eveniet. Nàm dic mihi, quandò eveniet quod aliquis credat, aut ſciat aliquam opinionem eſſe minus probabilem oppoſita, & nihilominus iudicet abſolute, ſerio, & prudenter, eam eſſe veram, præ ſua oppoſita probabiliori? Certè hic caſus nunquam eveniet: ergò nunquam eveniet quod quis credat aliquam opinionem eſſe minus probabilem oppoſita, & quod ſimul poſsit illam licitè ſequi.

Sed dices: Terillus eſt qui ſemper apponit illam conditionem, poteſt quilibet ſequi minus probabilem, *dummodo prudenter, & bona fide iudicet abſolute illam eſſe veram.* Et tamen negari non poteſt illum eſſe pro ſententia contraria, nàm hæc eſt eius concluſio quæſt. 23. num. 6. *Univerſaliter, tam in materia morum, quàm fidei, cuique licitum eſt ſectari opinionem minus probabilem, & minus tutam, licet oppoſita ſit & credatur probabilior, & tutior.* Recte, ſed iunge nunc: *dummodo abſolute, & prudenter credat minus probabilem eſſe veram, & conſequenter oppoſitam, quàm credit probabiliorem, eſſe falſam.* Et videbis opinionem integram Terilli eſſe quodam aſſertum ſub hypoteſi chimerica, & impoſsibili, quæ nunquam implebitur. At inquies: cùr con-

contra Terillum militamus? Reſpondeo, quià pluries, contrarius ſibi, abſolutè docet, vti præfata in concluſione, quod mox cum conditione (impoſsibili omnino) explicat. Et item, quià tacitè illam conditionem poſsibilem eſſe ſupponit, & ità anteà expreſsè docuerat, quæ tamen abſolutè impoſsibilis eſt in rei veritate, & iuxta ipſum etiam ſibi contradicentem apertiſsimè in 2. p. q. 52. n. 2. & q. 30. n. 3. Interim tamen cuicumque damus licentiam ſectandi opinionem, quam ipſe credit minus probabilem oppoſita, dummodo ingenuè exiſtimet illam, quam credit minus probabilem, eſſe veram, & oppoſitam, quam credit probabiliorem, eſſe falſam: certi quod nullus vnquam purificavit talem hypoteſim.

271 Huius generis etiam ſunt plerique Thomiſtæ, qui aſſerunt ſolum licere ſequi opinionem minus probabilem *pro caſu, quo illa verè, certoque in praxi probabilis ſit*. Quod ſi inquiras, quid pro hac hypoteſi intelligant. Reſp. M. Ferre n. 156. propè finem, *quod probabile in praxi dicunt id, quod ſine peccato poteſt practicari & iſtud*, inquit, *nos dividimus in certo probabile in praxi, ideſt, de quo conſtat apud omnes, vel ferè omnes, quod ſine peccato poteſt practicari, & in ſolum probabiliter probabile in praxi, ideſt, de quo aliqui dicunt poſſe ſine peccato practicari, & alij eſſe improbabile in praxi, ideſt, non poſſe ſine peccato practicari. Et de primo tantum*, inquit, *poſſe à prudentia eligi, vt regulam rectæ operationis*. Atqui nunquam contingere poterit, vt id, quod ſit minus probabile oppoſito, v. g. tacere circunſtantias aggravantes in confeſsione, ſervata minoritate probabilitis, ſit certum apud omnes, vel ferè omnes, quod licitè, & ſinè peccato practicari poteſt: ergò nunquam perveniet caſus, in quo opinio minus probabilis licitè ſequi poſsit iuxtà hos Authores.

272 Quinto excipiendi veniunt omnes illi, qui ſolùm aſſerunt eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem pro caſu vrgentis neceſsitatis, aut periculi gravis imminentis proximo, aut vrgentis difficultatis. Cum enim huiuſmodi circunſtantiæ ſoleant honeſtare obiectum, quod aliundè de ſe eſſet inhoneſtum, abſdubio etiam obiectum, quod de ſe erat minus probabiliter honeſtum, reddere etiam poſſunt magis probabiliter honeſtum, & licitum; igitur Authores, qui ſolùm docent eſſe licitum ſequi minus probabilem in dictis circunſtantijs, vnicè docent vt licitum eligere obiectum de ſe minus probabiliter honeſtum, quando ratione talium circunſtantium fit certò, vel magis probabiliter honeſtum: quod etiam nos docemus, & re ipſa non eſt ſequi opinionem minus probabilem, ſed opinionem iam ſub illis circunſtantijs magis probabilem. Hi autem Authores ſunt, P. Salas, Valentia, & alij, quibus adiungendi ſunt plures Thomiſtæ, qui ſolùm affirmant eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem, quando illa attentis circunſtantijs ſupervenientibus eſt practicè probabilis, hoc eſt licitè practicabilis.

273 Sexto poſſunt, & debent excipi omnes illi Authores, qui in hac materia de praxi opinionum probabilium plura improbabilia docuerunt, vt quod iudex poſsit iudicare ſecundum opinionem etiam minus probabilem, quod liceat vti opinione probabili de valore Sacramenti in adminiſtratione Sacramentorum: quod probabilitas, quantumvis tenuis, ſufficit ad operandum prudenter; quod liceat cuique ſe exponere periculo probabili peccandi formaliter; quod omne non certo illicitum ſit tutum in conſcientia, & alia plurima impoſsibilia, quæ leguntur in libris aliquorum Probabiliſtarum. Hi omnes patiuntur manifeſtam exceptionem, vt non poſsint præſtare probabilitatem opinioni contrariæ. Nec hanc exceptionem ex proprio cerebro deprompſi, ſed ex inſigni defenſore contrariæ ſententiæ, Cardenas, qui tract. 1. de probabil. diſp. 11. cap. 4. à num. 106. quatuor exceptiones aſsignat, quibus maior debet eſſe Author, vt faciat opinionem probabilem, & quæ maximè infirmant authoritatem Doctoris. Prima eſt: *Si pars oppoſita ſit certa. Secunda levitas, vel nullitas fundamenti, cui initur. Tertia, ſi author docuerit improbabilia. Quarta, ſi author affirmat concluſionem ſine eo quod examinet fundamenta vtriuſque partis*. Iuxta quam regulam, vel omnes, vel plurimos Authores contrarios excipere poſſemus. Iuxta primam exceptionem omnes, quià noſtra ſententia adeò certa eſt, vt ipſo lumine naturali evidenter pateat, quod, vt quiſque videre poſsit, explicet terminos cuicumque ſimplici timoratæ conſcientiæ, & interroget, quid tenetur facere in bivio opinionum contradicentium, quarum vna cum magna apparientia veritatis dicit opus eſſe peccatum mortale, alia etiam cum æquali apparientia veritatis dicit non eſſe, & planè experiemur ruſticum illum, vel ſimplicem, ſolo ductu rationis na-

turalis affirmare non eſſe licitum, nec tutum in conſcientia illud opus facere.

274 Iuxta ſecundam etiam exceptionem omnes Authores contrarios poſſumus excipere, quià nullus eſt, cuius fundamentum in hoc puncto leve, vel nullum non ſit, nam, vt ſupra vidimus, ſola petitione principij, aut aliquibus æquivocationibus nituntur, nullà verò firma, & ſolidà ratione.

Iuxtà quartam exceptionem plures etiam excipiuntur ex illo centenario numero, quià plerique non examinarunt, vt oportebat, fundamenta vtriuſque opinionis. Ac denique ex tertia exceptione recuſantur plures, nimirùm illi, qui in præſenti materia prædicta improbabilia docuere.

275 Quibus exceptionibus quintam ego addo, nimirùm, ſi Author erret circà diffinitionem ſubiecti quæſtionis contra communem ſenſum omnium, aut etiam, ſi erret circa prima principia humani diſcurſus. Quam exceptionem patitur manifeſtè Bordonius, qui in ſuo integro propugnaculo opin. prob. cap. 5. num. 5. & in addit. fund. 1. num. 4. ſic definit opinionem probabilem: *Eſt aſſenſus verus, certus, & prudens intellectus, ſolidâ ratione firmatus, licet cum formidine alterius partis, verſantis circa obiectum opinatum, non creditum, non ſcitum, non damnata à ſuperiore, nec reprobata argumento convincente, cuius vſus excuſat à peccato.* Sanè hæc definitio, quam ipſe exactiſſimam putat, errat contra communem omnium ſenſum. Primò, quià ponit in definitione opinionis probabilis veritatem eius, quaſi veritas eſſet prædicatum eſſentiale opinionis probabilis, quod eſt contra omnes omnino, & contra ipſum lumen naturale, omnes enim agnoſcunt opiniones probabiles aliquando eſſe falſas, imò & Philoſophus apertè ſentit, & cum illo omnes, quod aliquando falſa ſunt probabiliora veris. Rurſus oppreſſus illo evidenti argumento, quod ſi omnis opinio probabilis eſt vera, & vtraque opinio contradicens eſt ſimul probabilis, vti ipſe cum omnibus Probabiliſtis docet, ſequitur vtramque opinionem oppoſitam eſſe ſimul veram: Reſpondet per ſuum integrum opus opiniones morales oppoſitas eſſe ſimul veras moralitèr veritate morali, & practica. Quod ſi illi opponas contradictionem. Concludit, in moralibus non dari opiniones contradicentes, ſed ſolum contrarias; quas ait in moralibus poſſe eſſe ſimul veras. Sed quis non videat hunc Authorem, & ſi quis alius illum imitatur, nedum non augere, probabilitatem ſuæ ſententiæ, ſed planè experimentalitèr demonſtraſſe noſtram, quandoquidem non invenit alium modum ſolvendi illud D. Thom. & noſtrum fundamentum, quod ex opinionibus oppoſitis *oportet vnam eſſe veram, & alteram eſſe falſam, &c.* niſi negando tan evidens principium, & talia docendo.

276 Secundo errat contra communem omnium ſenſum definiendo opinionem per certitudinem; cum potius ab ipſis Probabiliſtis definiatur *aſſenſus incertus.* Item errat in illa particula *prudens*, quià vt ſuprà oſtenſum manet, probabile ineptiſsimè definitur per prudentiam. Quarto errat in eo quod ait eſſe *cum formidine alterius partis.* Tum quià hoc repugnat cum eo, quod ſit aſſenſus certus iuxtà Probabiliſtas; tum quià, vt quid formido alterius partis, ſi quanvis pars altera vera ſit, non detrahit propriæ veritati, ſed componitur, quod pars oppoſita vera ſit ſimul cum ipſa? Non igitur eſt cur opinio probabilis ſit cum formidine partis oppoſitæ, imò nec cum formidine erroris, aut falſitatis; ſiquidem eſſentialitèr eſt aſſenſus verus iuxtà Bordonium. Quinto errat in eo, quod ait debere eſſe *circa obtectum opinatum, non creditum*; quià aſſenſus præſtitus authoritati probabili, eſt circà obiectum creditum, & eſt opinio, vel ſaltim non repugnat credere fide humana idem, quod opinamur. Sexto errat in vltima particula. Nàm definitio non debet includere deciſionem expreſſam quæſtionis agitatæ de ſubiecto definito, aliàs mihi liceret definire materiam primam *per carentiam exiſtentiæ pròpriæ*, & leſuiſtis illam definire per *propriam exiſtentiam*, & ſic in alijs, quo pacto omnes quæſtiones ſupponerentur definitæ, præcluſaque maneret via omni humano diſcurſui: ergò contra omnes regulas definiendi ponit in definitione opinionis probabilis, *cuius vſus excuſat à peccato.* Rogo nunnc, qui ſex defectus tam manifeſtos contra communem ſenſum committit in definitione ipſa opinionis probabilis, quæ eſt ſubiectum totius præſentis diſſertationis, & principium totius diſcurſus, facit ne opinionem ſuam verè probabilem probabilitate conſcientiæ?

Sep-

277 Septimam exceptionem patiuntur omnes illi, qui ex Probabiliſtis docent eſſe licitum docere opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, ſecundùm illam conſulere, eamque, vti tutam regulam, omnibus proponere. Hi autem ſunt plurimi cum Medina. Ratio huius exceptionis eſt mihi evidens. Nàm ſi viginti teſtes, vel centum, ſi mavis, coràm iudice teſtificarentur ſe vidiſſe Petrum furantem, nihilominus tamen conſtaret eos tali eſſe imbutos doctrina, vt crederent paritèr, & docerent licitum eſſe coram iudice teſtificare falſum, hi omnes quanvis forent centum, imò & mille, nullam omnino fidem facerent, quin potius quatuor illis contradicentes, qui tenerent, & tenuiſſent ſemper eſſe illicitum, & mortale teſtificare falſum, præponderarent illis mille in ordine ad confirmandam veritatem: atqui plerique Doctores contrarij docent eſſe licitum docere, & conſulere ſecundum opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, ècontrà autem noſtri ſolùm aiunt eſſe licitum conſulere ſecundùm opinionem magis probabilem: ergò quanvis Doctores contrarij eſſent mille, non proindè confirmarent ſuo calculo opinionem ab ipſis aſſertam eſſe probabiliorem, imo potius cenſere poſſemus eos illam docere ſcientes eſſe minus probabilem, ſiquidem id licitum exiſtimant: conſequentia patet; quià ideò illi teſtes nihil valerent ad probandam rei veritatem, quià cum ipſi in ea forent doctrina, quod licitum eſſet teſtificare falſum, poſſet de eis præſumi, quod tunc caſus teſtificarentur falſum: ergò ſi Authores plerique contrariæ ſententiæ docent eſſe licitum docere, & conſulere ſecundùm opinionem minus probabilem, ſuſpicari poterit quis eos non docere contrariam ſententiam, quià probabiliorem, ſed ſcientèr agnoſcentes eam eſſe minus probabilem: ergò ſua authoritate non comprobant eius maiorem probabilitatem.

278 Nec mihi dicas pleroſque illorum expreſsè aſſerere illam eſſe magis probabilem. Nàm hoc iuxtà Terillum dici poteſt abſque mendacio, quatenus opinio, quæ ante voluntatis affectum ipſis eſt minus probabilis, per affectum voluntatis illam faciunt probabiliorem apparere. Quam ergò injuriam eis facimus, ſi dicamus eos quidem præciſivè ab affectu, & imperio voluntatis benè agnoſcere noſtram ſententiam eſſe probabiliorem, & ſuam minus probabilem, nihilominus tamen per affectum, & inclinationem ſuæ voluntatis ipſos inclinare ſuum intellectum, vt aſſenſum præſtet illi opinioni de ſe minus probabili, & tunc conſequenter ad affectum, & aſſenſum illis apparere ſuam probabiliorem, noſtram minus probabilem, non quià ità ſit re ipſa, ſed quià per affectum voluntatis ità ſibi repræſentant, & ſuadent. Sanè hoc ipſi iudicant licitum, & prudens, & plures illorum prudentius, quam opinari pro lege: ergò ipſi ex authoritate, quam habent, non faciunt ſuam opinionem magis probabilem re ipſa, ſeu præciſivè ab affectu, ſed eſt credibile ipſos illam agnoſcere vt minus probabilem.

279 Octavam exceptionem patiuntur plures etiam ex contrarijs, quos ſic ipſe Terillus in præfatione ad lectorem ſugillat: *Innumerabiles ſunt, qui à triginta annis ſummis caſuum, rerumque moralium Bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, vt ad famam, quam aucupabantur pervenirent? Non ſatis illis viſum eſt, ſi ab alijs dicta novo ordine, novaque methodo (quod tamen laude dignum foret) vulgarent: ergò ad nova promenda animoſiores effecti, in opiniones laxiores oculos, animumque coniecerunt: gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo nimium placituras. Verum nè propter apertam ab vnanimi Antiquorum opinione defectionem arguerentur, cæperunt rationes aliquas excogitare, quibus, & ſuis à Maiorum doctrina receſſum honeſtarent, & apud imperitum vulgus de ſuæ ſententiæ veritate plauſum aliquem obtinerent. Hi ergò dum animo, vt in iſtis fieri ſolet, non benè diſpoſito ad veritatis indagationem, ad confirmanda prurientis ingenij commenta incumberent, quidquid vel minimam veritatis ſpeciem præſeferebat, avidiori animo arripuiſſe, atque in illo ſibi mirè complacuiſſe noſcuntur. Vidi ergò ex hiſce Recentioribus nonnullos viros, ceteroquin egregios, &c.* Hæc, & plura alia, ibi Terillus, quibus Recentiores plures laxitatis accuſat, eoquod famæ potius aucupandæ, quam veritatis inveniendæ cupidi, conatum ſuum impenderunt in evulgandis laxis opinionibus; hoſque ait innumerabiles eſſe à tri-

triginta annis numeratis vſque 1669.

280 Horum igitur innumerabilium eſſe pleroſque, qui in numero illo centenario allegantur pro ſententia contraria, quis ambigat. Nàm certum eſt pleroſque illos Authores, qui à triginta annis ſuprà enumeratis de rebus moralibus ſcripſerunt, difficultatem prætentem attigiſſe, & de illa expreſsè ferè omnes ſermonem inſtituiſſe, cum quæſtio iſta ſit obvia in moralibus, quam nullus Caſuiſta prætermittit: ergò cum *innumerabiles* fuerint prædicti Authores, haud dubium, quin plerique illorum ſint ex illis, qui ab ann. 1670. ſcripſerunt pro contraria ſententia, & pro ea allegantur. Nam ſi fuerunt laxitatis cupidi, certum eſt, quod non ſcripſerunt pro noſtra, quæ ad comprimendam laxitatem ordinatur.

281 Iam ergò illos *innumerabiles* laxitatis cupidos nullam poſſe afferre authoritatem ſententiæ contrariæ, ſed manifeſtam pati exceptionem, ingenuè teſtatur ipſe Terillus, quæſt. 6. num. 44. his verbis. *Ad hanc claſſem accedunt hi, qui neſcio qua de cauſa inducti, toti in eo laborant, vt rationes inveniant ad obligationes, aut tollendas, aut minuendas; hi enim cum debita animi diſpoſitione ad veritatem inveſtigandam non accedunt, quià ex induſtria in omnibus latiſsimam viam inire conantur, atque dum laxiorem viam ſua authoritate conantur ſtabilire, ſibimetipſis obſtant, illudque, quod prætendunt, non modo non aſſequuntur, ſed illi obtinendo potius obicem ponunt; efficiunt enim, vt ex ſua ipſorum authoritate nulla probabilitatis acceſsio parti, cui favent, accedat, cum anſam dent præſumptionibus, quod ob affectum in vnam partem indebitè propenſum, in ſuis diſcurſibus, non vt virum prudentem decet, concluſionem elicuerint, rationeſque pro parte oppoſita, non, vt decet, examinaverint. Atque ità fit vt apud ſinceros rerum æſtimatores propria eorum authoritas vileſcat, quodque in omni deliberatione, quam inordinatus affectus regulat, vt moris eſt, evenit, vt medium, quod authoritàti acquirendæ oportunum credebant, eidem, aut perdendæ, aut minuendæ cauſam præbeat. Quo circà, ſi tales viri aliquod ſingulare aſſerant, maximè verò contra ſententiam, aut ſenſum communem, non illicò cenſeri poterit certo probabile. Si verò aliquid cum alijs commune affirment, id eum quidem gradum probabilitatis habebit, quem à priorum aſſerentium authoritate habuerit, ſed ab illius authoritate probabilitas illa vix vllum incrementum accipiet, niſi fortè pro caſu raro, quo arctiorem ſententiam amplecteretur, aut aliundè conſtaret eum nulla paſsione vehementi impeditum ſuam ſententiam protuliſſe. Nec vero ex Modernis caſuum ſcriptoribus, & collectoribus deſunt aliqui, quibus hæc nota inuri poſſe videtur, vt ex eorum libris, & ex modo diſcurrendi, ac procedendi apparet, qui proindè parvam ſuis dictis authoritatem conciliant. Novi etiam ingenioſos Theologiæ Magiſtros, qui ſibi laudi verterent ad laxiorem in rebus moralibus ſententiam propendere, &c.* Hos innumerabiles dicit in Prologo: ergò innumerabiles ſunt ſcriptores moderni, qui parti, cui favent, nullam authoritatem afferunt. Vide ergò iuxtâ hanc exceptionem ipſius Terilli, quòt Authores ex Patronis ſententiæ benignæ iuſtiſsimam exceptionem patiuntur.

§. IV.

Exploratur authoritas RR. Antiprobabiliſtarum.

282 NON Sufficit contrarijs illum numerum penè immenſum Authorum pro ſua parte allegare, verum addunt nullum omnino authoritatis præſidium noſtræ ſuperesſe ſententiæ. Sed quam immerito, declarat imprimis illa nobilis Antiquorum ſeries ſuprà relata, &, quod magis eſt, Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum authoritas expenſa ſuprà, quæ ſola omnium Recentiorum infinitè propèmodum ſuperat authoritatem. Deindè etiam id ipſum declarat, quod non pauci, nec ignobiles Recentiores noſtræ ſententiæ adſtipulantur, quorum vel ſola authoritas omni exceptione maior illam, ſi non magis, ſaltim æquè probabilem authenticè reddere ſufficeret, adiuncta verò authoritati Antiquorum eam in immenſum probabiliorem reddit, igitur vt videas nunquam in Eccleſia defuiſſe, qui adverſus opinionem contrariam pro veritate noſtræ declamaret, ſequentes Antiquis ſubnecto AA.

Gra-

283 GRAPHIVS Scripſit ann. 1597. & 1. p. ſuarum deciſionum, cap. 22. n. 10. & 11. affirmat in dubio reſultante ex concurſu opinionum adverſantium in foro contentioſo, cum agitur de pœna infligenda, mitiorem ſententiam eſſe ſequendam, in foro verò interiori, & conſcientiæ tutiorem partem eſſe tenendam.

CARDINALIS TOLETVS, quem imritò pro ſua refert Terillus, eoquod dixerit poſſe Confeſſorem abſolvere pœnitentem, qui ſequitur opinionem Confeſſori falſam, aut minus probabilem, aperte docet noſtram ſententiam, lib. de peccatis mortalib⁹, cap. 20. n. 6. ſic ait: *Hæc ſententia, in qua non eſt tanta Doctorum concordia circà obedientiam legibus præſtandam, tutior pars tamen tenenda eſt.* Et paulò antè, n. 4. cum retuliſſet duas oppoſitas ſententias, affirmat communiorem, & tutiorem tenendam eſſe, *quià in rebus dubijs*, inquit, *non debet homo exponere ſe periculo peccandi agendo contra tales leges.*

284 S. FRANCISCVM Saleſium allegat Terillus pro ſua ſententia, eo ſolùm titulo, quià in quadam epiſtola ad Epiſcopum ſibi familiarem ei conſulit, vt Summam Toleti aſſiduè pervolutet, *quià brevis eſt, & facilis, doctrinamque ſecuram continet.* Sed Terillus incidit in laqueum, quem paravit, quià ſemèl oſtenſo Cardinalem Toletum noſtram tenere ſententiam, argumento Terilli comprobatum manet S. Saleſium noſtram potius quam ſuam approbaſſe.

P. FERDINANDVS Rebellus Luſitanus, è Societate Iesv, & in Evorenſi Academia Cancellarius, in tom. de Iuſtitia Lugduni Typis excuſo anno 1608. par. 1. lib. 3. quæſt. 5. §. vltimo, ſic ait: *Certum autem eſt, vt alibi oſtenditur, neminem ſalva conſcientia ſequi poſſe opinionem, quæ minus probabilis ab eo eſſe cognoſcitur.* En vbi noſtram ſententiam certam eſſe, vel affirmat, vel ſupponit.

P. COMITOLLVS è Societate, ſcripſit anno 1609. tenet autem expreſsè noſtram ſententiam, lib. 5. reſponſionum moralium, quæſt. 15. num. 1. & ità expreſsè, vt vel ipſe Terillus, qui omnes fermè Authores in ſuam conatur trahere, Comitollum pro noſtra eſſe exprofeſsò ingenuè fateatur.

285 CARDINAL. BELARMINVS non multo poſt hanc eandem ſententiam tradidit in opuſculo de officio Principis, Colloniæ edito anno 1619. in admonitione ad Epiſcopum Theanenſem, cuius verba referre non morabor. *Si quis*, inquit, *velit in tuto ſalutem ſuam collocare, & ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi, is omnino debet de dictis controverſijs certam veritatem inquirere, & non reſpicere, quod multi hoc tempore dicant, aut faciant; & ſi rei certitudo non poteſt ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla vtilitate temporali propoſita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei, cum de ſalute æterna tractatur, & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere, vbi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* En ipſam Angelici P. doctrinam à Sapientiſsimo, Eminentiſsimo, ac Venerabiliſsimo Cardinali ſine contradictione traditam, quæ proinde eodem ſenſu intelligenda venit.

286 P. ANDREAS Blancus ſub nomine Candidi Philaleti, anno 1642. ſententiam contrariam de opinione minus probabili, & minus tuta licitè ſequenda, iam tunc invaleſcentem, accerrimè exprofeſsò impugnavit in ſcripto de opinionum praxi, Typis datum Matriti ann. 1645. & poſt Cremonę 1646.

TORREXON, Doctor Complutenſis, & Scoti Cathedræ inſignis Moderator ad ea tempora noſtram ſententiam publicè defendit, & tenet per integram diſputationem, in tractu de conſcientia; vbi adverſam ſententiam Medinæ tantum tribuit, & Vazquio, & tractationem concludit prædicens ingenuè, quod ſi opinio Medinæ, & Vazquij in ſcholis prævaleat, Chriſtianos mores perditum iri, & ſummè noxiam extituram Eccleſiæ. *Dolenſque*, ait, *ab hac aula diſcederem (qualitèr proximè fierè video) niſi hac veritate conteſtata. Sic me Deus adiuvet, & eius Sancta quatuor Evangelia.*

287 PHILLIPPVS Fabet etiam noſtram tradidit ſententiam expreſsè tanquàm mentem propriam Scoti, vt vidimus ſuprà num. 196. Nè tamen de eius mente dubitetur, eius verba refero, igitur recenſitis Antiquorum opinionibus, ſic ait: *Omnes iſtæ opiniones videntur convenire in hoc. Cùm opinio, & pars tutior eſt etiam probabilior, nulli dubium eſſe ſemper ipſam eſſe amplexandam. Similitèr cùm vtraque opinio tã tutior quam minus tutæ*

eſt æquè probabilis, tutiorem eſſe amplexandam. Cùm verò pars tutior eſt parum probabilis, pars verò minus tuta eſt maximè probabilis, ità quod aufert ex animo omnem dubitationem, tunc poſſe amplecti partem minus tutam. Hæc ſanè eſt ipſiſsima noſtra ſententia, quam immediate ſuo ordine probat Faber.

P. GRAVINA Dominicanus in ſuo Cherubin Paradyſi lib. 5. pag. 325.

PAVLVS Preſanellus de obligatione Miſſæ.

NOSTER PEIRINIS, in editione Lugdunenſi an. 1668. fol. 366. num. 10.

NOSTER MAINAM tom. 2. Sacræ Philoſophiæ cap. 27.

THOMAS De Aflicto apud Caramuelem in Appollogemate.

PETRVS Labat Toloſanæ Academiæ Doctor Regens, qui primus ex Illuſtri Ordine S. Dominici oppoſitam ſententiam exprofeſsò impugnavit, vt refert Contenſon loco infra citando, quem ex eadem familia ſequuti ſunt plures inſignes Magiſtri.

IVLIVS Mercorus Inquiſitor Mantuanus, & ordinis Mag. in opere integro de opinionum moralium praxi, de quo ſic Terillus ipſe: *Sanè Mercori authoritatem multum facio, quià vir eſt Theologiæ peritus, & ſolus ex omnibus, præter Fagnanum, quæſtionem hanc à fundamentis examinavit, ſummaque cùm modeſtia, ſolidè, & abſque paſsionis impetu librum compoſuit, in quo ſententiam benignam impugnat.*

P. VINCENTIVS Baronius tom. 1. Theologiæ moralis dip. 1. ſect. 1. art. 2. §. 1. exprofeſsò impugnat Probabiliſtas.

M. GONET In 242. diſſertatione ſpeciali de probabilitate opinionum, etiam latè, & exprofeſsò.

P. VINCENTIVS Contenſon tract. de novello probabilitatis commento, exprofeſsò, & accerrimè, referens pro noſtra ſententia plures alios Thomiſtas.

P. IACOBVS à S. Dominico in ſua Theologiæ moralis explicatione exprofeſsò, & accerrime; atque hi omnes Thomiſtæ Dominicani.

P. COTTONIVS Lib. 1. controverſ. 5. de conſcientia cap. 5. de prudentia.

PROSPER FAGNANVS In Romana curia celeberrimus Cannoniſta, & apud tres Summos Pontifices Vrbanum VIII. Innoc. X. Alex. VII. maximè aceptus, qui viſu corporali ſuæ ætatis an. 28 orbatus alienis oculis iuvatus, præclara edidit commentaria decretalium, vbi *cap. nè innitaris*, quadraginta duobus argumentis à ratione, & authoritate contrariam ſententiam impetit, noſtram nedum ſuadet, ſed demonſtrat.

IOANNES Sinichius Doctor Lobanienſis *in Saule ex rege* à cap. 94. vſque ad 123. accerrime etiam.

ILVST. MARINARIVS In opuſculo de opinione probabili etiam exprofeſsò.

ANTONIVS Merenda in Academia Bononienſi Doctor per integrum opus noſtram demonſtrat, oppoſitam impugnat ſententiam.

MATTHÆVS Homen Eboracenſis, & Conimbricenſis Inquiſitor in tract. de conſcientia cap. 2. vbi num. 97. affirmat RR. ſententiam expreſsè militare contra Doctorem Angelicum.

SERAPHINVS Piccinarem, in ſua Philoſophia Docmatica tom. 1. lib. 2. quæſt. 3. & 4.

M. MERBESSIVS Doctor Gallicus in ſumma Chriſtiana Pariſijs edita an. 1683. part. 1. quæſt. 35. à pag. 43.

Author Theologiæ Gratiano-Politanæ iuſu Cardinalis Camus in præfatione gallica latine reddita. ann. 1690.

Fr. CIRYLLVS Rubeus Capucinus in tom. de morientium eleemoſinis art. 1. §. 32.

D. D. FERDINADVS. Ereſt inſignis Iuriſperitus, apud Elizalde part. 2. lib. 6. quſt 21. §. 1.

M. Fr. ANSELMVS Gomez Benedictinus Generalis Magiſt. Toletanæ Diœceſsis Examinator Synodalis, in examine Confeſſorum, non ſuo tantum, vt ait, nomine, ſed cætus totius examinatorum Synodalium edito Matriti an. 1676. vbi cap. 45. §. 2. & 4. noſtram ſententiam tanquam Sacræ Scripturæ, & SS. PP. doctrinam, vtriuſque iuris Decretis, & ipſius ſyndereſis naturali dictamini aprimè conſentaneam, defendit.

MELCHIOR Gallego, in tractatu de Parrochor. oblig. tempore peſtis part. 2. pag. 70. num. 73. ait ex contrarijs opinionibus *non eſſe tenendam benigniorem, ſed veram, aut probabiliorem.*

M. IOANNES Martinez de Prado iure merito pro noſtra ſententia eſt recenſendus. Nàm vt teſtatur Amadeus Guimenius, & ipſe Probabiliſta, in tract. de opinione probabili prop. 1. num. 10. male à multis citatur pro oppoſita. *Cùm expreſsè affirmat per ſe loquendo non licere ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, quare potius ſtat pro contraria* inquit Guimenius.

EMINENTISSIMVS Cardinalis Bran-

Branchati de Laurea tom. 2. in 3. ſententiarum diſp. 10. art. 4. per totum, noſtram ſententiam tradit, & impugnat oppoſitam.

P. ANTONIVS Zella Dei, ſeu P. Michael de Elicalde illo opere ſuo magno de recta doctrina morum per totum, Probabiliſmum accerrime impugnat, ac prorſus evertit profundiſsima Philoſophia vtens.

P. LVDOVICVS ſcildere de principijs conſcientiæ formandæ tract. 2. cap. 2. §. 1. 2. & 3.

Item pro noſtra ſententia dedit illuſtre teſtimonium Cardinalis Sforcia, qui cùm opinionem contrariam ſemper tenuiſſet atque docuiſſet in ſuo tom. ad 1. 2. doctrinam ſuam retractavit, adque. P. Michaeli de Elizalde Commagiſtro, & amico ſuo precatus eſt antequam èvita diſcederet, vt eius retractationem publice teſtatam faceret, quod re ipſa Elizalde fecit in dicto ſuo opere, prima parte lib. 3. quæſt. 8. §. 1.

288 Demum ſuper omnes præclariſsimum noſtræ dat ſententiæ ſuffragium (vel potius nos in toto hoc opere militamus pro ſua) Emminent. Cardinalis de Aguirre ex Sacra Benedictina Hiſpanica Congregatione meritiſsimè aſſumptus, huius Salmantinæ Academiæ fauſtiſsima proles, vtpote ex eius Cathedris ad purpuram fœliciſsimè evectus; necnon Hiſpanicę noſtrę Nationis decus ac gloria ſingularis: ac demum totius orbis Catholici ſtabile fulcimentum, vtpote, qui tàm eximiarum virtutum exemplis, quàm ſcriptis locupletiſsimis Eccleſiam illuſtrat, & Supremum eius caput imprimis defendit. Huius ſanè Authoritas, quantum omnium Caſuiſtarum, & Collectorum Authoritati prævaleat, ſupervacaneum eſt exprimere, cùm etiam Theologorum ac Philoſophorum noſtri ævi celebriorum ſit facile Princeps.

289 Hic igitur poſtquam hanc de probabilitate concertationem, iàm diu vigentem perſpectam habet, auditis vel lectis vtriuſque partis allegatis, poſt tàm diuturnum exactumque veritatis examen, vt nihil iam reſtare videatur partibus allegandum, firmiſsimo iudicio pro noſtra reflexa ſententiam profert, & oppoſitam accerrimè exagitat, tum tom. 1. Theol. S. Anſelm. in 2. edit. Romana, correcta, & aucta anno 1688. diſp. 2. ſect. 6. à num. 51. Tùm demum, & potiſsimè in prol. ad lectorem, in 1. tom. Conc. Hiſp. ex quo non pauca hic tranſcribere libuit, quià maximam noſtræ ſententiæ Authoritatem Conciliant, & vanum eſſe demonſtrant aliquorum timorem, qui eam demum ab Eccleſia proſcribendam ſuſpicantur, vel hæreſis Ianſenianæ labe infectam, formidant.

290 Igitur, poſtquam Doctores Eccleſiæ, *ſeveros adque terribiles* eſſe oportere docet ex Chriſoſtomo hom. 15. in Matthæum. *Non adulantes neque palpantes, ſed ex adverſo ſalis inſtar vrentes*; quin proinde timendum ſit quod odium hominum incurrant, quibus laxa, & molis doctrina placet. Idque ſuadet, tùm exemplo primævæ Eccleſiæ Doctorum, & Apoſtolorum, qui etſi tales fuerint, nihilominus, inquit Chriſoſtomus, *fere omnibus ſe deſiderabiles reddiderunt.* Tùm etiam exemplo priſcorum Cardinalium, potiſſime S. Petri Damiani, S. Bonaventuræ, S. Caroli Borromei, & Doctiſsimi Bellarmini, cuius verba ſupra à nobis relata exhibet, ſic ſubiungit.

291 *Bellarmini veſtigia tandem aliquando preſsit Eruditiſsimus Cardinalis Sfortia Pallavicinus eiuſdem Societatis. Nàm licet in decurſu vitæ Probabiliſmo cùm pluribus alijs adhæſiſet, poſtea, re maturius conſiderata, & lectis quibuſdam libr s Doctiſsimis de eodem argumento, ijs ſubſcripſit, & teſtimonium authenticum ſuæ retractationis dedit R. P. Nicolao Mariæ Pallavicino, Examinatori Epiſcoporum, nuper vita functo: quod apud ſe retinet modo Reverendiſsimus P. Thyrſus Gonzalez, Generalis Societatis Ieſu. Verum prolixus eſſem, ſi omnes, DD. Cardinales Probabiliſmi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut ſaltem palam probabiliorum ſententiarum tenaces, tàm factis, quàm ſcriptis, iàm vita functos, nominare vellem. Inter tàm multos eorundem, qui vſque modo ſanctitate, aut doctrina inſigni floruerunt, vix (credo) invenietur aliquis, qui alitèr ſenſerit, aut docuerit. Imò & ex his, qui modo ſuperſtites ſunt, tàm intra, quàm extra vrbem, præſtanti pietate, & eruditione conſpicuis, ac toti orbi Chriſtiano notis, quorum iudicia ac ſententiæ mihi frequenter colloquio, ac varijs congreſſibus innoteſcunt, nemo eſt (quantum capio) qui tàm in theoria, quàm in praxi, non cenſeat ſequendam omninò eſſe ſententiam tutiorem, vel ſaltem longe veriorem ac probabiliorem. Atque in ſacris hiſce congregationibus quotidie occurrunt innumeræ cauſæ, quarum deciſsio ex Sacris Conciliorum Canonibus pendet. Vbi autem variæ Authorum occurrunt ſententiæ, illa omninò præfertur, quæ, omnibus hincinde conſideratis, tutior videtur, aut iure, & æquitati conformior.*

292 *Nimirum, hic fuit ſemper ſpiritus Eccleſiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Epiſcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quam in ijs, qui pie-*

pietatis, & doctrinæ laude illos vſque modo imitati ſunt. Vnde ab initio ferè Pontificatus laudati Alexandri VII. mirum eſt, quo zelo, qua eruditione, & conſtantia, quamplurimi Epiſcopi præſtantiſsimi nominis, partim vita functi, partim ſuperſtites, Probabiliſmum luxuriantem repræſſerint. Quot concilia ab eo tempore in Gallia contra illum vſque modo celebrata ſunt, vnanimi Patrum congregatorum ſufragio, à Merbeſio, & alijs exſcripta? Quot conventus Epiſcoporum, Doctorum Clariſsimæ Sorbonæ, ac Parochorum Pariſienſium, Rhotomagenſium, aliorumque, ad proſcribendam famoſam illam Appologiam Caſuiſtarum, conſpirarunt?

293 Quibus verbis zelo, & ſeveritate plenis, illam damnaverint, inter plurimos alios Præſules, Eminentiſsmus Cardinalis de Ianſon, tunc Dinienſis Epiſcopus, & Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Pariſienſis Harlai, tunc Rhotomagenſis, ſatis notum eſt, & ego poſſem hoc loco vtriuſque verba, ac iudicia exprimere, ſi neceſſum eſſet. Id ipſum cernere eſt in ſumma Chriſtiana citati Merbeſij, duobus magnis voluminibus comprehenſſa, & edita ſub auſpicijs Illuſt. D. Tellier Archiepiſcopi ac Ducis Rhemenſis; quæ (ſolum obiter à me lecta) videtur catena ferè continua moralis Chriſtianæ, ex Canonibus Conciliorum, & locis Sanctorum Patrum contexta, adverſus laxones quoslibet. Neminem prodo, neminem nomino: genevatim loquor de ijs, quicumque demum ſint, ſive communi aura fruantur adhuc, ſive iàm diem obierint.

294 Sed & laudandus eſt maxime inter regulares clariſsimus ordo Sancti Dominici, qui hortatu laudati Alexandri VII. vexillum extulit adverſus moralem laxam, per Doctiſsimos alumnos ſuos, Ioannem Martinez de Prado, Iulium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium, Contenſonem, Pichinardum, Gonetum, alioſque ſimiles, ampliſsimo, fructu. Et merito quidem ità ſe geſſit, cùm nihil aliud diſcere potuerit ab incomparabili Magiſtro ſuo Doctore Angelico, imò, & ab Auguſtino, ac ceteris SS. Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, ac mores, ille divino ingenio, & admiranda claritate ex planavit, atque in methodum redegit.

295 Idem fere dixerim de multis religionibus, præſertim militantibus ſub regula eiuſdem S. Auguſtini, S. Franciſci, & Carmelitarum, alijſque. Multi enim viri doctiſsimi ex ijs, intra, & extra Vrbem in lucubrationibus ſuis, partim ſcriptis, partim editis, ſtudent, ac ſtuduerunt Probabiliſmo frenum imponere, abiecta regula illa lesbia, & male fida, qua plerique à fine fere ſæculi præcedentis abducebantur, & feruntur adhuc, non quo eundum eſt, ſed quo itur, vt Senecæ verbis vtar. Ex ſolo Ordine S. Auguſtini, nunc Romæ habemus Illuſtriſsimos duos Epiſcopos, Ignatium de la Zerda, Aquilanum, & Lambertum le Drou, Porphyrienſem, ac Reverendiſſ. M. Henricum de Noris, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum; vt mittam Magiſtrum Franciſcum Fervacques, celebrem Olim profeſſorem Lovanienſſem: qui verbo ac ſcriptis refellunt eamdem licentiam opinandi. Id ipſum accidit pleriſque Patribus, nè dicam omnibus, Præmonſtratenſibus, & Congregationis Oratorij in Gallia, ac Belgio.

296 Id etiam curarunt hoc tempore nonnulli celebres Scriptores, aut Doctores Benedictini: veluti in doctiſsima, & obſervantiſsima Congregatione Sancti Mauri Galliarum Ioannes Mabillon, tractata de ſtudijs Monaſticis part. 2. cap. 7. Gabriel Gerberon toto fere libro de vero pœnitenti. In Congregatione Helvetica Illuſt. D. Celeſtinus Sfondratus Abbas Sancti Galli & S. R. I. Princeps, in diſputatione iuridica de lege in præſumptione fundata, quam edidit Salisburgi an. M DC LXXX. dum eſſet publicus Sacrorum Canonum in ea Benedictina Academia Profeſſor (quæ communi Doctorum conſenſu Probabiliſmum refellit) paritèr illum impugnavit pag. 15. & ſeqq. Sunt & alij plures eiuſdem ſententiæ in diverſis Congregationibus Benedictinis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ.

Ab his præſtanſiſsimis Epiſcopis, & Scriptoribus varijs inſtructus cæpi dubitare de ſecuritate illa, quam nobis plurimi alij pollicebantur in vſu opinionum quarumlibet probabilium. Eo enim vſque communi fere ſenſu, aut præiuditio abductus, in Probabiliſmo, veluti in pulvino, moliter quieſcebã: & plerumque ſtudium meum (ità ingenuè foteor) ſitum erat in examinando potius àn aliquid eſſet probabile, quam inveſtigando àn eſſet verum. Detecta enim probabilitate, nullatenus dubitabam me poſſe illud inpraxi ſequi, aut alijs conſulere.

297 Cæpi itaque rem Maturius examinare, ab anno circiter M DC LXXI. vſque modo lectis, ac relectis, vltra prædictos, plurimis authoribus recentibus, qui binc, & inde controverſiam hanc graviſsimam profligarunt ex inſtituto. Deprehẽdi vero ingens periculum ſalutis in ſectando, aut conſulendo alijs Probabiliſmo, ſivè vſu cuiuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati, in concurſu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem mihi altè inſedit vbi vtraque apparet probabilis æquè, aut

cir-

circiter. Manet enim adhuc res verè dubia, & incertum omnino, an actio, vel omiſſio ſit contraria legi æternæ, necne, quidquid plerique recentiorum diſtinguant inter dubium ſpeculativum, & practicum. Hanc enim diſtinctionem, quoad controverſiam præſentem, plurimi alij à triginta circiter annis vſque modo, doctiſsimè reiecerunt. In dubijs autem, & ſpectantibus ad æternam ſalutem, eligendam eſſe tutiorem partem, iura clamant, & prudentia, ac lex charitatis divinæ de propria, & aliorum ſalute, palam dictat.

298 Certe, nemo prudens vitam corporis ità negligit, vt audeat vti cibo, aut pharmaco probabiliter ſano, quod tamen æquè aut magis probabiliter cenſeatur noxium, & exitiale futurum. Quare, ne exponat ſe probabili, aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certò innoxium, aut ſalutiferum. Idem fere accidit circa rem familiarem ſervandam, & honores aſſequendos. Cur ergò vita animæ, & ſalus æterna, longe prætioſior, paſſim exponatur probabili periculo opinionum liberiorum? Nec reflexiones aliquæ, ſeu iudicia reflexa ad authoritatem alienam videntur prodeſſe, aut ſufficere ad formandum iudicium moraliter certum, & neceſſarium de vſu licito opinionis benignæ, quoad bona animi, potius quàm corporis, vel fortunæ, vbi opinio ſeverior æquè, aut magis vrget. Non enim voluntas habet vim imperandi intellectui, vt iudicio reflexo cenſeat verum, aut certum moraliter, id, quod directo iudicio æſtimat falſum, aut dubium, aut minus probabile.

299 Quare reflexiones illæ ad ſummum poſſunt habere locum, & prodeſſe, vbi vir doctus, & prudens, recta intentione placendi Deo, aut ipſum non offendendi, & nullo præiudicio, paſſione, aut vtilitate abductus, diligenter inquirit veritatem pro qualitate materiæ, & debitis circunſtantijs, quando concurrunt invicem contrariæ opiniones inter Scriptores Catholicos, doctos, & pios; ſi poſt rem examinatam inveniat ſententiam benignam longe, ac palam prævalere onini auſteriori, tùm authoritate, & numero Patronorum, tùm rationibus, & plene reſpondere argumentis contrarijs; videtur poſſe formare iudicium moraliter certum de illius veritate, & licito vſu, aut nihil curare rigidiorem aliorum opinionem, vel eam reputare ortam ex inani ſcrupulo. Dato enim, aut permiſſo quod ſententia illa benignior eſſet falſa in re, agens excuſaretur à peccato, ſaltem gravi, ob rectam intentionem, bonam fidem, & ignorantiam venialem ex infirmitate humana. Si autem poſt diligentem inquiſitionem inveniat opinionem auſteriorem æquale pondus habere, aut etiam maius, ac proinde veritatem rei eſſe ſpeculative dubiam, non poterit illa reflexione formare ſibi iudicium moraliter certum de illius veritate, aut vſu licito. Quare abſtinendum erit ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori, ſivè ſtanti pro præcepto.

300 Hæc videtur fuiſſe praxis aſſidua Sanctorum Patrum, Pontificum, ac Theologorum doctrina, & pietate inſignium, à tempore naſcentis Eccleſiæ vſque ad finem fere ſeculi præcedentis, quo cæpit reputari ſecurus vſus opinionis benignæ probabilis, in concurſu opinionis auſterioris æquè probabilis, vel probabilioris per reflexiones Antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi, quod intra ſinum Eccleſiæ Catholicæ poſt rem maturè examinatam, oratione, ac ſtudio competenti, videbatur verum, aut moraliter certum. Et licet ipſi Sancti Patres, aut Doctores celebres, alitèr, atque alitèr circa varias quæſtiones morum cenſerent, vnuſquiſque tamen pius ac prudens id agebat, vel conſulebat alijs, quod poſt debitum examen iudicabat verum, aut ſaltem longe conformius Canonibus Sacris, rationi, & æquitati. Neque enim amplius exigi putabat ab homine mortali, infirmo, & ignorantijs obnoxio. Alioqui ſequebatur tutiorem partem. Exempla plurima poſſent hoc loco produci, ni quæſtionem hanc graviſsimam potius excurrendo libandam, quàm ex inſtituto dirimendam recepiſſemus.

301 Et hoc ipſum fere eſt, in quo videntur convenire ſcriptores, ac Theologi laudati (in præcedentibus) contra Probabiliſmum diſſerentes. Nominatim vero doctiſsimus, & Piiſsimus Cardinalis Bellarminus verbis ex ſcriptis (ſupra) aperte id tradit, imò & loquitur ſtrictius, quàm plerique ex allegatis, vt conſideranti palam erit. Ac certe innocentia vitæ ipſius, candor morum, & profeſsio minimè fucata veritatis, quæ fulget in eius ſcriptis, ſatis denotant eundem in agendo, & conſulendo non quæſiiſſe probabilia, ſed veras, non dubia, aut morali erroris periculo obnoxia, ſed ſecura, & ſolida. Exeat nunc aliquis recentiorum quorundam, & propterea Bellarminum Janſeniſmi, aut Bajaniſmi arguat. Hanc enim notam ex eodem doctrinæ morum ſeverioris capite inurere auſi ſunt nonnulli plurimis alijs Catholiciſsimis Epiſcopis, Prælatis, Doctoribus, & ſcriptoribus, licet nullo fermento hæreſeos, vel doctrinæ erroneæ aſperſis, & palam reijcientibus illas quinque famoſas theſes, ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulgoritas, atque in ijs Illuſtriſsimo Fagnano, quo neminem in Sacris Canonibus doctiorem, aut celebriorem ætas noſtra tulit. Sed calumnia eiuſmodi, dum linguario oribus quorundam iniecto coerceri nequit, contemptu, aut riſu exſibilanda erit, iux-

iuxta illud vetus adverſus convitia in iuſta: SPRETA EXOLESCVNT.

302 Tandem, vt audio, RR. P. Tyrſo Gonzalez de Santalla, Olim Primarius in hac Salmantina Academia, & in præſenti totius Societatis meritiſsimus Generalis; cuius peritiam in regendis conſcientijs, & pabulo ſalutaris doctrinæ fidelibus miniſtrãdo, tota noſtra Hiſpania ingenti fructu iam diù experta eſt, noviſsimè in lucem prodit, libro iàm diù à ſe elaborato, nunc tamèn Romæ cuſo, & ingenti omnium plauſu excepto à plurimis Epiſcopis, àc Paſtoribus, & Theologis, cuius proinde plures iàm eius editiones parantur. In hoc igitur libro Probabiliſmum acerrimè impugnat, vt fama eſt communis, & noſtram ſententiam per omnia tenet. Mitto plures alios in M. S. quos pietate & doctrina inſignes referre poſſem.

303 En igitur pluſquam quardraginta Recentiores graviſimos, qui adiuncti Antiquorum cætui, numerum implent penè ſeptuageſimum Authorum pro noſtra ſententia, qui omnes, omni exceptione maiores, noſtram ſententiam ab authoritate SS. PP. Theologorum Antiquorum & recentium probabiliſimam reddunt.

304 Imò & longè probabiliorem oppoſita, ſi conſideres nullum ex prædictis Authoribus merum eſſe Caſuiſtam, aut Collectorem, ſed pleroſque exprofeſsò per tractatus, aut tomos integros rem à fundamentis examinaſſe: nec non quod nullus captandæ famæ laxiorem viam conatur docere, ſed conſpicientes in mundo parũ aceptos eſſe libros, qui mores zelo diſciplinæ arctare connatur, & ad rectam viam reddúcere procurant, nihilominus ſtrenuè pro veritate, quidquid mundus acceptet, vel non acceptet, decertarunt. Nullus loquitur conditionate ſub conditionibus peregrinis, omnes abſolutè negant vſum licitum opinionis minus probabilis, & minus tutæ. Nullus varia improbabilia ab Eccleſia damnata in præſenti materia docet, idem omnino de iudice diſcurrunt. Nullus docet eſſe licitum docere minus probabilem opinionem pro lege, nec illam ex affectu reddere probabiliorem. Aſsignent igitur contrarij, vel decem quidem ex illo centenario numero RR. qui ità ſint omni exceptione maiores.

305 At inquies plures ex noſtris pati exceptionem manifeſtam, nimirum quod cùm paſsione plerique loquantur, & verbis iniurioſis oppoſitæ ſententiæ Doctores afficiant. Sed contra, quià hæc exceptio, ſi eſt exceptio, vtrinque ſententiæ DD. comprehendit, quià nihil minus Authores contrarios adverſus noſtros bilem promunt, vt legenti Moiam, Bordonium, Cardenas in tom. 3. & Terillum ipſum conſtabit, dum paſsim aſſerunt noſtros hallucinari turpiter, tranquilitatem Eccleſiæ perturbare, ſuam ſententiam Patrum decretis præponere, novatores eſſe, Ianſeniſtis adiungendos, docere, quæ non faciunt, imponere humeris hominum onera gravia, ipſos autem digito nolle ea movere, &c. Hæc igitur vel non eſt exceptio, vel vtroſque compræhendit AA. oppoſitos potius quam noſtros. Relatæ vero exceptiones à nobis ſuprà oppoſitos AA. noſtratum neminem comprehendunt.

206 Quibus adiungenda eſt authoritas plurium Religionum, qui vſum opinionis minus probabilis, & minus tutæ à ſuis ſubditis proſcribere conantur. In primis enim Seraphica D. Franciſci Religio ann. 1688. Romæ librum edidit, cui titulus: *Directorium trium ordinum S. Franciſci.* In eo ad verbum inſcribitur bulla, ſeu conſtitutio Innocent XI. edita die 7. Maij ann. 1786. in qua S Pontifex approbat, & confirmat regulas, & conſtitutiones recenter editas pro nobis Miſionarijs. Vbi vna ex illis num. 63. ad impediendam morum relaxationem, vt ibidem dicitur, ſic ait: *Omnibus noſtri ordinis, àc alijs ſub noſtra directione, ſeu obedientia degentibus perſonis in domino ſuademus, àc mandamus, vt doctrinas tutiores, & probabiliores ſemper doceant, & amplectantur.*

Item Sacra Carmelitarum familia Antiquæ obſervantiæ, in actis huius vltimi generalis capituli ſuo ſpeciali brevi à SS. D. Noſtro Innocenc. XII. approbatis, præcipitur cunctis Lectoribus, ſivè profeſſoribus, vt eas ſemper opiniones doceant, quæ magis tutæ ſunt, & magis probabiles.

307 Item Magiſter Gonet, ſicuti & Merverſius proferunt, *decreta plurimorum Galliæ primatuum* (verbis vtor Eminentiſsimi Cardinalis de Aguirre loco ſuprà citato) *Archipræſulum, & Epiſcoporum, qui in Synodis, & epiſtolis, encyclicis prævia conſultatione, & ſuffragio plurimorum DD. hominum, & gravium proſcripſerunt vſum illum probabilitatis introductum à non multo tempore. Allegat in eundem finem clariſsimam Scholam Pariſienſem, præſertim quatenus communi DD. conſenſu proſcripſit Apologiam Caramuelis, & quorundam aliorum ſcripta, (iàm damnata ab Apoſtolica ſede) in defenſionem probabilitatis*

præ-

prædi ctæ. Denique quotidie maiores vires, & authoritatem accipit doctrina eadem reijciens vſum opinionis probabilis faventis libertati in conſpectu alterius æquè probabilis, ſeu probabilioris ſtantis pro lege; id enim illicitum eſſe contendunt omnes laudati ſcriptores, ſed & alij multi.

§. V.

Solvitur argumentum contrariorum n. 164. poſitum.

308 IAM Ergò facile ad argumentum contrariorum ab authoritate deſumptum Recentiorum, nego antecedens, quod ſcilicet, omnes illi AA. *nullo contradicente* oppoſitam ſententiam tradiderint, imò primi contra communem ſenſum Antiquorum, qui tunc erant recentes: medij, & contra Antiquos tunc maximè vigentes, & contra non paucos recentes, iàm in favorem Antiquorum exurgentes: àc denique vltimi contra plures, qui iàm libros integros pro Antiquorum cauſa propugnanda ediderant ſuam ſententiam magno impetu conati ſunt introducere; imò hoc ſingulare habet noſtra ſententia, quod qui ante annum 1630. pro ea ſcripſerunt, nullum contra illam referebant Authorem, ſed illam communem omnium eſſe cenſebant; attàmen nullus ex contrarijs pro contraria ſubſcribit, qui pro noſtra non referat plures, eoſque ſibi contradicentes impugnare conetur: falſum igitur eſt manifeſte illos centum Authores, *nullo contradicente, & toto orbe ſilente*, oppoſitam tradidiſſe ſententiam, multoque falſius quod noſtra *ab vno tantum, vel altero Recentiorum contrà communem ſenſum Eccleſiæ heri, vel potius hodie introducta fuerit.*

309 Ad primam confirmationem conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem conceſſa maiori, nego ſuppoſitum minoris, quod ſcilicet noſtra ſententia ſolum exiſtat in vno, vel altero Authore, imò conſervatur in nobilioti multo de poſito omnium Antiquorum, & SS. PP. quorum libri adhuc extant in Eccleſia, & plurimorum RR. qui eandem doctrinam continuo tradunt ſucceſivè per ſingula luſtra, qui omnes AA. ſunt omni exceptione maiores. Econtrà illi centum pluribus exceptionibus ſunt obnoxij in hoc puncto, àc proinde in nobiliori depoſito noſtra aſſervatur doctrina, quàm oppoſita. Nec obſtat numerus penè innumerabilis Theologorum, & Caſuiſtarum, quorum reſpectu, noſtri cùm Poeta dicere poſſunt: *ob ruimur numero.* Nàm Authores, & ſententiæ, vt inquiunt Iuriſperiti non numerandi, ſed ponderandi ſunt.

310 Ad ſecundam confirmationem; conceſſa maiori; nego minorem, nàm Deus minimè Eccleſiam deſeruit, imò altiſsima providentia diſpoſuit, vt per omne tempus vera, àc ſana doctrina in Eccleſia legeretur, adeò vt oppoſitam nemo legere quidem poſſet, niſi eius oculos offenderent plures Doctores, qui noſtram traderent, vt proinde nemo excuſabilis omninò foret, ſi abſque maiori veritatis examine ſententiam ſequeretur oppoſitam; quandoquidem in ipſis libris contrariorum Antiqui graviſsimi pro noſtra citantur; quorum authoritas contemnenda non eſſet. Itemque ſuperna providentia diſpoſitum eſt, vt Canoniſtæ maximæ Authoritatis, necnon Theologi inſignes per cuncta fere luſtra noſtram tradiderint ſententiam, tùm Thomiſtæ, tùm Ieſuitæ, necnon & Scotiſtæ, Religioſi, àc DD. Seculares, Cardinales, Epiſcopi, Inquiſitores, àc Magiſtri, vt nulla omninò in parte, aut portione Eccleſiæ noſtra ſententia, adeò proficua, lateret, nulluſque excuſationem ob ignorantiam contradicentium prætenderet. Quod ſi contraria ſentẽtia maiori plauſu quàm noſtra, excepta eſt, ſi Caſuiſtæ noſtram contemptui dedere, oppoſitamque vnice tradidere, hoc probat quidem naturam humanam originali labe infectam magis delectari doctrina libertati ab obligatione favente, quàm pro lege Dei zelante, minimè autem convincit noſtram ſententiam minus veram eſſe, imò indè præſumitur eſſe veram, quià veritas, vt in plurimum odium parit, & amarè accipitur.

QVÆST. XXX.

Vtrum ergò prudentis, vel prudentioris ſit eligere pro regula conſcientiæ reflexam pro libertate, quam appellant benignam, quàm reflexam pro lege, quam appellant rigidam?

1 HVIC Inquiſitioni occaſionem præbet Terillus; qui partem affirmativam tenet pluribus in locis. Et eam probat primò, quia per nos licitum eſt eligere in regulam operandi opinionem magis probabilem, licet illa ſit pro libertate: ſed ſententiæ benignæ probabilitas tàm extrinſeca, quàm intrinſeca vt minimum tanta eſt, vt probabilitati ſententiæ rigidæ prævaleat: ergò licitum eſt, & prudens eligere ſententiam benignam

nignam in regulam operandi. Hanc Caramuel, & Terillus appellant demonſtrationem.

Confirmat Terillus quæſt. 23. num. 153. ſupponendo ſequaces ſententiæ benignæ abſoluto iudicio illi aſſentire. Quo ſuppoſito, ſic arguit: hic aſſenſus eſt regula conſcientiæ, quià eſt iudicium dictans quid ſit licitum: ſed eſt aſſenſus evidenter rationalis, ſeu probabilis, ac prudens, adeoque abſque vllo peccato, aut temeritate admittitur: ergò eſt regula conſcientiæ evidenter rationalis, ac prudens. Quo ſuppoſito, format hunc ſylogiſmum reflexum: Quidquid prudēter à quoquam iudicatur eſſe omnibus licitum, illud hic & nunc illi licet, quià licet vnicuique ſequi dictamen ſuæ conſcientiæ certo prudens: ſed quod omnibus vniverſaliter liceat ſequi opinionem minus probabilem, minuſque tutam per dictamen conſcientiæ certo prudens à me, inquit, iudicatur eſſe licitum: ergò hic & nunc mihi licet ſequi quamlibet opinionem minus probabilem, & minus tutam. Maior, inquit, eſt principium ſyndereſis. Minor eſt evidens, vt ſupponitur, quià eſt cognitio reflexa ſuper actum intellectus hic & nunc indubitanter exiſtentem. Conſequentia eſt informa.

2 Nihilominus tamen *non capio, quo pacto, perpenſis quæ hactenus dicta manent, prudenter eligat, qui eliget in regulam conſcientiæ reflexam pro libertate.* Primo, quià iuxta ipſum Terillum dicta quæſt. 23. num. 151. & 152. *Quæſtio præſens talis eſt, vt niſi evidenter*, inquit, *demonſtremus ſectantem minus tuta non peccare, nulla eius reſolutio ſit vtilis ad eum excuſandum, qui minus tuta ſectatur*: Sed hucuſque contrarij non demonſtrarunt evidenter ſuam reflexam: ergò illa inutilis eſt ad excuſandum à peccato ſectantem minus tuta, & minus probabilia: ſed imprudentia eſt manifeſta eligere in regulam conſcientiæ reſolutionem, quæ inutilis eſt ad excuſandum à peccato: ergò. Minorem relinquimus iudicio Lectoris, qui ſinè paſsione quærat demonſtrationem illam evidentem apud contrarios.

3 Vidit Terillus forsàn hanc obiectionem, & immediate poſt verba relata ait: *Verum Deo laus. Nos ſuprà pluribus in locis id ipſum demonſtravimus.* Sed vbinam? Aſsignet demonſtrationem. Reſpondet quod, *etſi ſingula argumenta demonſtrativa non ſint, ſingula tamen ſunt probabilia; nec tamèm quià ſunt ſolum probabilia inepta cenſeri debent pro præſentis quæſtionis demonſtratione; nàm ipſa eorum probabilitas ad præſens intentum demonſtrandum abunde ſufficit*, nimirum per argumentum ſuprà poſitum. Sed perpende Lector, & conſidera àn his paradoxis liceat fidere in negotio ſalutis æternę. Etenim ſi nulli prodeſt reſolutio Terilli, niſi ei, qui illam evidentèr demonſtraverit, & huiuſmodi demonſtratio conficienda eſt arte quadam ex argumentis ſolum probabilibus edducendo demonſtrationem; quid facient omnes, qui hanc artem demonſtrandi ignorant? Sanè nullus reſolutionem Terilli in regulam conſcientiæ ſuæ acceptare poterit: ipſe namque teſtatur ad finem num. 151. citati, quod *niſi intellectus operantis ex vi ſuæ reſolutionis exurgat ad certitudinem, & evidentiam de ſuæ operationis honeſtate, talis reſolutio ei prorſus inutilis ſit.* Qui autem ignoraverit artem illam demonſtrandi ex probabilibus, minime talem evidentiam adquirere poterit. Quis autem illam artem adiſcere valeat, quando Philoſophus ipſe eam ignoravit, quandoquidem aliud genus demonſtrationis non agnovit, niſi ex primis veris, & evidentibus.

4 Secundo probatur aſſumptum, quià imprudentèr eligitur opinio falſa pro regula conſcientiæ: ſed reflexa pro libertate eſt falſa, vt probatum manet: ergò imprudentèr eligitur. Tertio: imprudentèr eligitur pro regula conſcientiæ opinio minus aut æquè tantum probabilis, vt abundè probatum manet; ſed reflexa pro libertate ad ſummum eſt minus, aut æquè tantum probabilis: ergò.

5 Ex quo facile ad demonſtrationem Caramuelis, & Terilli conceſſa maiori, nego minorem vti falſiſſimam. Nàm rogo, vndè eſt magis probabilis ſententia, quæ non aliter probatur, niſi quià magis probabilis eſt? Sanè maior vel minor probabilitas reſultat ex probationibus veritatis; àt recollat lector, quibus vtraque ſententia ſuam veritatem probat; & eius ingenno iudicio relinquimus decidendum, cuiuſnam probabilitas alterius probabilitati prævaleat.

Ad confirmationem nego minorem; quià cùm illa ſententia contrariorum rectè collata cùm noſtra longè minus probabilis ſit, per ſe loquendo, prudentia non eſt illi aſſentire, contradicentibus nobis maiori cùm probabilitate. Ad ſylogiſmum autem reflexum, nego minorem, vti falſiſsimam, quam licet Terillus ſupponat vt evidentem, manifeſtè fallitur. Et cùm probat, quià eſt cognitio reflexa ſuper actum intellectus indubitanter exiſtentem, tranſeat quod actus intellectus indu-

indubitantèr exiſtat, & quod cognitio reflexa in hoc non fallatur. At minor negata non hoc præciſſè affirmat, ſed affirmat illum actum, & iudicium intellectus *eſſe certo prudens*: circa hoc autem falluntur ſæpiſſimè homines in ſuis agnitionibus reflexis, & potuit falli Terillus, exiſtimando reflexè iudicium prudens, illud iudicium quod re ipſa prudens non eſt.

6 Sed replicabit forsàn aliquis ex contrarijs. Mihi reflexa pro libertate probabilior eſt quam reflexa pro lege: ſed quilibet prudentèr eligit in regulam conſcientiæ opinionem, quæ ſibi probabilior apparet: ergò poſſum prudentèr eligere opinionem reflexam pro libertate. Maior, dicet, eſt mihi evidens experimentalitèr; minor à nobis conceditur: conſequentia eſt formalis.

Sed quiſquis fueris, qui ſic mihi opponis, rogo à te: legiſti ne quæ à mè hactenus retro ſcripta ſunt, vel non? Si non legiſti, tecum non diſputo, quià noluiſti me diſputantem audire, nec legere, & hic liber non loquitur non legentibus illum. Si legiſti, rogo per viſcera Ieſu-Chriſti ingenuè reſpondeas àn affectu æquali me, & contra me opinantes legeris, vel potius maiori affectione erga oppoſitam ſententiam præventus, lectionem inchoaberis? Si hoc ſecundum, corrige affectum, & iterum lege, nàm indebite quæſiviſti veritatem contra regulam expreſſam Ariſt. lib. 12. metaphiſicæ, lect. 9. præcipientis *amare vtroſque, perſuaderi vero à certioribus*. Quià videlicet exponit Angelicus ibi Præc. *In eligendis opinionibus, vel repudiandis, non debet homo duci amore, vel odio introducentis opinionem, ſed magis ex certitudine veritatis. Ideò oportet amare vtroſque ſcilicet, eos, quorum opinionem ſequimur, & eos, quorum opinionem repudiamus. Vtrique enim ad inquirendam veritatem, & nos in hoc adiuverunt, ſed tamèn oportet nos ſuaderi à certioribus, id eſt, ſequi opinionem eorum, qui certius ad veritatem pervenerunt.* Si ergo amore, vel odio ductus, aut affectione potius in vnam partem præ alia veritatem quæſiiſti, quæſiiſti malè, malè legiſti, purga animum, & iterum lege, iterum quære.

7 Dices forsàn. Nulla me affectio inordinata movet, purè veritatem quæſivi, cùm animo eam amplexandi vbivis appareret, ſivè in ſententia reflexa pro lege, ſivè in reflexa pro libertate, non enim plus amo libertatem, quam legem, ſed veritatem quæro; & tamèn ingenuè mihi apparet probabilior reflexa pro libertate, imò & vera. Rectè. Sed iterum quæro àn vtriuſque ſententiæ fundamenta diligentèr, & æquo animo perpenderis, & vtriuſque AA. audiveris? An forsã in hoc deſidioſus fueris, & iudicium præcipitaveris ante exquiſitam diligentiam. Si hoc fatearis, indebite legiſti, indebite quæſiiſti, iterum quære, iterum lege. Sed dices: omnem diligentiam exhibui, vtriuſque opinionis motiva, tùm à ratione, tùm ab authoritate diligentiſsimè perſpexi, & ponderavi, & nihilominus adhuc apparet mihi probabilior reflexa pro libertate, quam reflexa pro lege.

Si hoc dicas iàm amplius tecum non diſputo, feci quod potui, vt veritatem detegerem, & mihi, & tibi: egò ſanè convictus ſum, & non capio qualitèr quiſque alius non convincatur eiſdem fundamentis rectè perpenſis, quibus ego convincor. Tu tamèn in tua ſententia perſeveras, ego in mea, igitur vel ego fallor, vel tu falleris: ambo ergò diligentèr examinemus àn rectè, àc debita animi diſpoſitione examinaverimus veritatem.

Rurſus vel fateris quod erras, & falleris, vel non vis id fateri. Si primum: ergò non erras invincibilitèr, ſed affectate, & culpabilitèr; quandoquidem aſſenſum præbes opinioni, in qua te fateris errare. Si ſecundum, vrgeo omnibus argumentis præcedentibus à ratione, & authoritate, quibus probo te errare, & falli, quibus hactenus non ſatisfeciſti; donec autem ſatisfacias, purè pro libito, & affectatè exiſtimas te non errare, nec falli.

§. II.

Alijs aſſertis impugnatur Terillus, & alij.

8 ALIVNDE Contendit Terillus nos obligare ad ſuam ſententiam amplectendam; nàm quæſt. 26. num. 62. hanc concluſionem ſtatuit. *Aut imprudentis, aut certe minus prudentis eſt admittere ſententiam rigidam, vt regulàm; prudentis vero eſt ſententiam benignam pro regula conſcientiæ admittere*: quam ſic probat: iàm, inquit, ità conſtituti ſumus, vt alterutrã iſtarum ſententiarum neceſſariò debeamus in regulam pro conſcientiæ tranquilitate admittere: ſed tutior eſt, & minus periculoſa ſententia benigna, quam rigida, & aliunde per nos tenemur eligere partem tutiorem: ergò tenemur eligere ſententiam benignam; alioquin imprudentèr eligemus. Minorem probat Terillus, nàm quævis harum ſententiarum in regulam admiſſa,

miſſa, aliquid mali præſefert; ſententia quidem benigna admittit aliquod periculum peccati materialis, ſed tamèn coniunctum cùm ſpe prudenti, quod nulla lex violabitur, & aliud incommodum non habet. At ſententia rigida ſecum manifeſtum periculum plurium peccatorum formalium affert, nec cohæret cùm ſpe prudenti, quod homines illam ſectantes vitabunt peccata formalia. *Quod manifeſtius*, inquit, *apparet, ſi in Mercatores, & omnes officinas oculos convertas; miraveris enim quot peccata ſint moraliter neceſſaria, ſi via tutior in omnibus ſequenda ſit, aut non liceat, niſi probabilioribus vti*: ergò magis tuta, & minus periculoſa eſt ſententia benigna, quam rigida.

9 Sed in quantis erret hic diſcurſus Terilli, declaro per ſequentes aſſertiones. Prima ſit: *Falſum eſt quod inter noſtram, & contrariam ſententiam ſit neceſſum alteram acceptare pro regula conſcientiæ, vt contendit, vel ſupponit* Terillus. Patet; nàm ſi quis dicat ità: Vtrique iſti Authores conveniunt in eo quod ſit licitum ſequi tutiora, vel probabiliora; diſſident tamèn, àn liceat ſequi minus probabilia, & minus tuta: quid ergò mihi cùm opinionibus ità controverſis? Nolo ſalutem meam illis fidere: ſequar vel tutiora ſemper, vel ſaltem probabiliora: de hoc certus ſum mihi licere, quià vtrique Authores in hoc conveniunt, de altero vero ſum incertus: neutram opinionem in regulam conſcientiæ accipio, quià vtra vera ſit ignoro, ab vtraque præſcindo. Sanè, qui ità ſe gerit, prudentiſsimè operabitur, & procedet: & tamèn neutram ſententiam acceptat in regulam, ſed aliam, in qua vtrique convenimus: ergò falſum eſt quod ità ſimus conſtituti, vt alteram teneamur acceptare in regulam.

10 Dico Secundo: *Falſò exiſtimant contrarij eſſe in electione, & arbitrio noſtro hanc, vel illam ſententiam eligere pro regula conſcientiæ.* Quod id exiſtiment contrarij colligo ex eo quod imprimis nobis ſuadere conatur Terillus ſuam ſententiam, eo quod plura commoda ſecum affert, & vtilitates, quibus privamur per ſequelam ſententiæ rigidæ, & plura poſſumus facere ſine peccato, ſequendo ſententiam benignam, quæ, niſi formaliter peccando, non facimus ſectantes rigidam; quod planè latenter ſupponit noſtro arbitrio eſſe ſubiectum alteram eligere præ altera, & credere nos obligatos ad ſectanda tutiora, vel probabiliora, aut credere nos liberos ab huiuſmodi obligatione. Ità vt, ſi velimus credere nos obligatos, eo ipſo obligamur, ſi velimus credere nos deobligatos eo ipſo deobligamur.

11 Sed, quam falſa ſit huiuſmodi exiſtimatio, ſic declaro: primo, quià lex naturalis Dei non eſt pro noſtro arbitrio verſatilis, vt, ſi velimus, ab ea obligemur, ſi nolimus, ab ea non obligemur. Si enim re ipſa prohibet ſectari minus probabilia, & minus tuta, ſivè velimus, ſive nolimus illi credere, re ipſa nos obligat. Si velimus illi credere, non eſt dubium. Si nolimus, hoc ipſo etiam nos obligat, quià iàm ſi illam ignoramus, ignorantia eſt affectata, nimirum, quià nolumus illam credere, ignorantia autem affectata nedum non excuſat, verum auget culpam, minimeque tollit obligationem. Numquid enim ſi nolimus credere nos obligatos ad ſectanda tutiora, vel probabiliora, quià volumus vivere cùm licentia ſectandi quælibet probabilia, propterea tollitur obligatio legis naturalis? Quis tale credat?

12 Secundo, quià neceſſariò tenemur inquirere pro poſſe àn detur re ipſa talis obligatio vel non, non quidem regulando cognitionem ex amore maioris licentiæ, & libertatis, nec timore incurrendi obligationem ad difficilia, ſed ex puro, & ſincero amore ſciendi veram Dei legem, & voluntatem, eamque, quantumvis difficilia præcipientem, implendi pro poſſe noſtro; ad hoc enim nati ſumus, ad hoc vnicè vivimus, & reſpiramus, certique debemus eſſe quod nobis non deerit auxilium oportunum, nec patietur Deus nos tentari ſuprà vires, ſed faciet cùm tentatione proventum, vt poſſimus ſuſtinere. Quod ſi tali diſpoſitione veritatem inquiramus, putamus quod veritas apparebit ſufficienti certitudine; ſi tamèn non apparuerit, non eſt noſtro relictum arbitrio, aut negare obligationem, aut illam affirmare, ſed prout motiva occurrentia exegerint, iudicare, opinari, aut ſuſpendere iudicium.

13 Tertiò quià non eſt idem eligere ſtatum vivendi, àc eligere regulas conſcientiæ, vt falſo putat Terillus. Fatemur enim, quod arbitrio cuiuſque relictum ſit eligere, vel ſtatum ſæcularem, vel religionem, & inter religiones, vel ſtrictiores, & rigidiores, vel minus rigidas; & quod in huiuſmodi electione poſſit eſſe maior, vel minor prudentia, vel imprudentia etiam, quià huiuſmodi electio cadit ſub prudentia noſtra, àt minimè cadit ſub prudentia noſtra eligere regulam naturalem formandi conſcientiam.

Nos

Nos enim ſicuti non ſumus Authores legis naturæ, ità nobis non licet pro noſtra prudentia architectari regulas conſcientiæ, potiſsime vniverſales, nec eligere minus ſtrictam relicta regidiori, ſicuti religiones. Quid eſt ergò quod dicit Terillus minus prudentis eſt admittere noſtram ſententiam pro regula, prudentis vero admittere ſuam benignam? Nunquid Deus ſtatuit duas regulas contradictorias formandi conſcientiam, vnam benignam, alteram rigidam? Nunquid reliquit arbitrio noſtro vt alteram eligeremus, ſicut religiones? Imò vnam tantum nobis naturalitèr indidit & impreſsit, cuius electionem non ſubiecit noſtræ prudentiæ, imò noſtram prudentiam illi regulæ ſubeſſe iuſsit. Quid ergò collocamus ſub noſtra prudentia eligere, vel ſententiam benignam, vel rigidam contradictoriam pro regula vivendi, aut conſcientiæ, ſi non ſunt duæ regulæ, ſicut plures religiones, ſed vnica, quam admittere non eſt relictum arbitrio noſtro?

14 Dico tertio *reflexa noſtra pro lege re ipſa minimè eſt periculoſa, contraria vero ſecus.* Primum probatur, quià vel eſt poſsibile in quocumque caſu ſequi partem tutiorem, vel probabiliorem, vel in aliquo caſu eſt impoſsibile: ſi eſt poſsibile in quocumque caſu, illud obſervemus, & nullum eſt periculum. Si in aliquo caſu eſt impoſsibile, quanvis in illo caſu noſtram reflexam non obſervemus, minimè peccamus, quià noſtra reflexa tantum obligat ad ſequenda tutiora, vel probabiliora, quando id fuerit poſsibile, ſeu pro poſſe noſtro: ergò etiam tunc nullum eſt periculum: ergò noſtra reflexa minimè eſt periculoſa.

Confirmatur: noſtra ſententia præcisè obligat vt inconflictu opinionum probabilium pro lege, & pro libertate ſequamur opinionem pro lege, caſu quo illa fuerit æquè, vel magis probabilis, quam oppoſita pro libertate: ſed opinio pro lege æquè, vel magis probabilis quam oppoſita pro libertate minimè eſt periculoſiſsima, nec obligat ad impoſsibile, alias non iàm probabilis, aut magis probabilis, ſed improbabilis eſſet: ergò noſtra reflexa, quæ ad id ſolum, & non ad amplius obligat, minimè eſt periculoſiſsima, nec obligat ad impoſsibile.

15 Dices hoc ità eſſe, conſiderata qualibet opinione in particulari, & quolibet ſingulari conflictu opinionum; àt ſi conſiderentur omnes omnino caſus, in quibus concurrunt opiniones minus, aut æquè probabiles pro libertate cum alijs oppoſitis pro lege, impoſsibile eſt quin plura peccata committantur contra obligationem vniverſalem ſectandi ſemper vel probabiliora, vel tutiora.

Sed contra, quià etiam, ſi conſiderentur omnes caſus collectivè, in quibus obligant leges Dei, & Eccleſię, impoſsibile moraliter eſt quin plura peccata committantur contra obligationem vniverſalem ſervandi ſemper omnes leges Dei, & Eccleſiæ, adeò vt rariſsimus, & ſingulariſsimus ſit homo, qui per longam vitam nullum læthale committat: & tamèn hoc non probat negandam eſſe illam obligationem vniverſalem ſervandi ſemper omnes leges Dei, & Eccleſiæ. Ergò paritèr ex eo quod ſit moraliter impoſsibile quod homines in omnibus, & per omnia ſectentur tutiora, vel probabiliora, minimè ſequitur auferendam eſſe obligationem ſectandi tutiora, vel probabiliora. Vide ſuprà.

16 Rurſus quià dato caſu quod in hominibus ſit maximum periculum, aut, ſi mavis, neceſsitas moralis ſectandi aliquando minus probabilia, hoc periculum non eſt ab illa obligatione naturali ſectandi tutiora, ſed à fragilitate naturæ corruptæ per peccatum, & vitia. Sicuti neceſsitas illa, qua dixit Chriſtus: neceſſe eſt vt ſcandala veniant, non eſt à lege Dei contra quam ſunt ſcandala, ſed à corruptione naturæ per peccatum, & vitia: ergò, ſicut male quis diceret legem Dei eſſe periculoſiſsimam, & afferre ſecum innumera peccata, quià ea poſita neceſſum eſt contra illam plura peccata committi, quod non eſſet neceſſum, ſi lex non eſſet: ità male diſcurrit, qui ait obligationem ſectandi tutiora, vel probabiliora eſſe periculoſam, & afferre ſecum periculum plurimorum peccatorum, eo quod neceſſum eſt contra illam plura peccata committi, qua ablata vitarentur. Et ratio eſt ſimilis, quià ſicut lex Dei per ſe inducit ad bonum ſemper, & ideò eſt per ſe immaculata, & convertens animas; quod autem violetur tam ſæpè, non ab ipſa, ſed ab hominum corruptione eſt, qui iàm vitium verterunt in naturam; ità obligatio illa ſectandi tutiora, vel probabiliora de ſe quidem inducit ad bonum, & hominem promovet in bono, nullumque periculum,

aut neceſsitatem peccandi ſecum affert, ſed hoc periculum eſt à corruptione naturæ, & pravis hominum inclinationibus, & ideò illa obligatio ſancta, & immaculata eſt, licet homines malè proni ſint.

17 At Terillus dicta quæſt. 26. num. 63. ſtrictiori vinculo conatur nos compellere ad admittendam ſententiam benignam, nimirum hac aſſertione quarta. *Sæpè*, inquit, *homines tam pro ſe quàm pro alijs tenentur ſententiam benignam amplecti.* Probat hoc pacto. Cognoſcat aliquis, ſivè ſui, ſivè alterius, cuius cura ſibi incumbit, ex qua, vel experimento, vel aliunde doctus agnoſcat grande ſibi, vel illi periculum imminere peccandi formaliter, ſi obligetur ad ſectanda tutiora, vel probabiliora. In hoc caſu, inquit, qui valde frequens eſt, vnuſquiſque ad ſententiam benignam amplectendam, illamque pro conſcientiæ regula, tàm propriæ, quàm alienæ admittere obligatur. Aliter enim tàm ſe quàm alios manifeſto periculo peccandi formaliter exponeret, cùm addiſcendo ſententiam benignam, illique aſſenſum præbendo, tàm ſe, quàm alios ab eo periculo liberare poſſet: ergò.

Confirmat, quià vnuſquiſque tenetur tale periculum peccandi vitare; at vnicum remedium huius mali eſt perſuaſio ſententiæ benignæ pro libertate, & negatio noſtræ pro lege, ſæpe enim aliud remedium prudenter ſperari non poteſt quàm facultas ſectandi quæcumque probabilia: ergò ſæpe datur præceptum addiſcendi ſententiam benignam, illamque alios docendi. A qua, inquit, obligatione multi, id eſt noſtri, excuſantur propter invincibilem ignorantiam veritatis à Terillo aſſertæ; doctrina enim illorum, id eſt noſtra, non ſolum plurimorum tranquilitatem turbavit, ſed omnes, qui illi adhæſerunt, aut dubitaverunt, in magnas anguſtias coniecit, eorumque animas manifeſto periculo peccandi expoſuit. Hactenus Terillus.

18 Sed perpende ſanè Lector àn non eodem argumento vti poſſet hæreticus luteranus, v. g. vt obligaret nos ad ſuam ſectam amplectendam, nimirum ità: religio catholica talis eſt, vt qui illi crediderit plurima facere, aut omittere non poſsit ſine peccato mortali, quæ omnia per ſectam Luteri licent, & fieri poſſunt ſine peccato: pone igitur hominem, de cuius fragilitate experimento, aut aliunde conſtet ſæpiſsimè peccaturum formaliter, ſi obligetur ad ieiunium Eccleſiaſticum, ad ſervandam caſtitatem, ad confitenda peccata, iàm ergò in hoc caſu, qui etiam frequens eſt, dicet hæreticus, quiſque tenetur, tàm pro ſe, quàm pro alijs ſic conſtitutis amplecti ſectam luteranam. Nàm alioquin, tàm ſe, quàm alios in manifeſto periculo peccandi contra conſcientiam conſervat, & inducit; cùm, addiſcendo ſectam Luteri, illique aſſenſum præbendo, tàm ſe quàm alios, ab hoc periculo liberaret. Rurſus: quiſque tenetur vitare periculum peccandi formaliter contra conſcientiam, & adhibere vnicum remedium ad illud auferendum: at vnicum remedium huius mali, dicet hæreticus, eſt perſuaſio ſectæ luteranæ, quià ſtante humana fragilitate, & occaſionum multiplicitate, ſæpè aliud remedium ſperari non poteſt, quàm facultas ſectandi ſectam laxam Luteri, quià aliàs experimento conſtat homines plerumque peccare formaliter, tacendo peccata in confeſsione, violando votum caſtitatis, ieiunia, & alia plura, in quibus non peccarent addiſcendo ſectam luteri, & illi aſſenſum præſtando: ergò.

19 Iàm ergò vtriſque reſpondeo. Quod ſicut Deus non reliquit in hominum arbitrio eligere Eccleſiam, aut religionem, quàm mallent, nec eis præbuit licentiam amplectendi, vel Mahometanam, vel Luteranam, vel Catholicam, ſed vnam tantum reliquit in mundo: & obligat homines, vt illam vnam quærant pluſquam omnia temporalia; & item quod non quærant laxiorem, quæ pauciores, & minores obligationes ſecum affert, ſed veriorem, vel vnicè veram, quæ inter omnes credibilior appareat; & item quod illa inventa, quanvis ſit rigida, & plures habeat obligationes, contra quas videat homines ſæpè peccare, quià obligantur ad difficilia, nihilominus illam teneatur amplecti, & pro ſuo poſſe ſervare, illamque, tàm pro ſe, quàm pro omnibus, quorum cura ad ſe ſpectet, acceptare in regulam vivendi, quanvis prævideat mille peccata formalia contra conſcientiam ſubditos commiſſuros. Ità ſimiliter Deus tantum vnam legem naturalem hominibus indidit, non leges contradictorias, & oppoſitas, & ideò obligat nos ad illam quærendam ingenuè pluſquam temporalia; non ità vt quæramus laxiorem,

& faciliorem, nec item rigidiorem, ſed vnice, & pure veriorem, & probabiliorem, ſeu vnice veram, & ad hanc amplectendam nos Deus obligat ſine reſpectu ad plures, vel pauciores obligationes, & etiam quanvis experimento conſtet plura peccata formalia futura contra talem legem, vel obligationem, quià horum peccatorum ipſa lex naturalis cauſa non eſt, illa enim iuſtiſsimè prohibet ne nos exponamus periculo probabili operandi contra leges Dei directas; ſed in cauſa eſt, vt dixi, mala hominis propenſio, qui propter temporalia non timet exponere ſe periculo violandi Dei legem.

20 Iàm ad confirmationem nego quod ad vitandum peccatum formale ſectàndi minus probabilia, & minus tuta, vnicum remedium ſit addiſcere ſententiam benignam, & illi aſſenſum præbere; ſicuti nec ad vitanda peccata formalia, quæ Catholici committunt, violando ieiunia, vota, & alia, eſſet remedium addiſcere ſectam Luteri, quæ has obligationes aufert, & illi aſſenſum præbere. Imò illud minimè vitaret quod peccata illa fierent contra conſcientiam directam, vt ſtatim dicemus. Sed vnicum remedium eſt fugere occaſiones, pericula, & cupiditates terrenorum, amorem Dei accendere, quo omnia ſuperantur difficilia; &, ſi forsàn aliquando contingerit, quod cupiditate terrenorum alecti minus probabilia ſequamur, culpam, noſtram humiliter fateri, quo veniam aſſequi mereamur; non enim eſt prudentia potius velle vitare peccata negando obligationes, quam minuendo cupiditates. Vnde negamus firmiſsime quod quandiu adeſt periculum ſectandi minus probabilia pro libertate, teneamur admittere pro regula ſententiam id eſſe licitum aſſerentem, ſicuti omnes negant, quod quando adeſt periculum proximum admittendi delectationem moroſam veneream, teneamur admittere, ne peccemus formaliter, ſententiam aſſerentem delectationem veneream moroſam non eſſe peccatum. Ad quid ergò tenemur? Tenemur ſanè inquirere vnde nobis inſit tale periculum proximum, & cauſam tollere, periculumque vitare: vel ſi occaſio ſit inevitabilis, ad orationem confugere, & poſſe reſiſtere.

21 Iàm quod Terillus ait, nos ſcilicet excuſari ab obligatione ſectandi ſententiam benignam ob ignorantiam invincibilem veritatis; gratulamur quidem ei: ſed ſi forsàn erramus, vt ipſe [illegible], potius accuſari, quam excuſari vellemus, vt nos de noſtro errore, aut ignorantia accuſando, apud Deum excuſari mereremur. Cenſemus enim, quod in præſenti controverſia difficilimum eſt nec nobis, nec contrarijs ignorantiam omnino invincibilem prætendere; ad minus enim ex aliqua occulta, pravaque animi affectione, ſaltèm veniali, aut ex indebito modo inquirendi veritatem, putamus errare, qui errant, ſive nos erremus, ſivè illi, ideoque valde vtriſque formidandum eſt, nec de invincibilitate ignorantiæ gloriandum, quià ſumus in quæſtione de iure naturali vniverſaliſsimo, quod penitus invincibiliter ignorari vix poſsit.

22 Sed inde magno verborum ſtrepitu inſurgunt contrarij. Quis credat magnum Suarium, Ioannem à Sancto Th. & plures alios huiuſmodi laboraſſe ignorantia vincibili, & culpabili iuris naturalis? Quis dicat eos erraſſe culpabiliter? Sanè ſi culpabiliter errarunt in materia tam gravi, ſe, & alios innumeris periculis expoſſuerunt, doctrinâ pernicioſam ſeminaverunt, eam non retractaverunt, vt ſcimus: ergò in peccato mortali deceſerunt: ergò ſunt in inferno: quis talia credat de tam pijs viris? Atqui hæc neceſſario ſequuntur, ſi detur lex naturalis ſectandi tutiora, vel probabiliora, quià ſi datur, non niſi culpabiliter ignorari poteſt, nec negari ſine culpa: ergò ne dicta inconvenientia ſequantur, dicendum eſt talem legem naturalem non dari.

23 Reſpondeo ad hæc, & alia, quibus contrarij terrent parvulos, in primis quod non difficile poſſemus Suarium, & Ioannem à Sancto Thom. in noſtram ſententiam trahere. Sed admiſſo quod fuerint pro contraria. En argumentum idem adverſus contrarios. Quis credat D. Th. & Scotum eſſe in inferno? Vel ſi mavis, quis credat Adrianum, Conradum, Maiorem, Cordubam, Navarrum, & Eminentiſsimum Cardinalem Belarminum, & alios pro noſtra ſententia relatos æternam damnationem incurriſſe? Atqui, hoc ſequitur, ſi non detur obligatio naturalis ſectandi tutiorem partem, aut probabiliorem; quià, ſi non datur, ipſi erraverunt, & quidem culpabiliter, quià hic non eſt locus errori inculpabili; & etiam gravitèr, quià culpa gravis eſt imponere falſo hominibus obligationem generalem, & naturalem quæ obliget ad peccatum mortale, niſi ſervetur; & aliàs ſcimus eos Doctores talem obligationem tradidiſſe, & doctrinam ſuam non retractaſſe: ergò

deceſſerunt in mortali. En ergò ipſiſsimum argumentum. Quid ergò dicemus ? Nunquid , vt ſalvemus Suarium, & Ioannem à Sancto Thoma , damnabimus Div. Thom. Scotum , aut alios enumeratos? Non ſanè, ſed.

24 Facile reſpondeo, in præſenti quæſtione attinente ad ius naturæ vniverſale , imprimis quidem, quod ſaltèm per accidens poteſt dari ignorantia invincibilis reflexa , & in actu ſignato de obligatione illa naturali , & vniverſali modo ſuprà explicato quæſt. 9. num. 2. qua per accidens laboraſſe aliquos ex contrarijs , vti Suarium, & Ioannem à Sancto Thom. dicere poſſemus , licet non ignoraverint eam obligationem in actu exercito , & directè ; cuius ſignum eſt , quod ſæpè intèr opiniones probabiles non audent conſulere , nec docere ſecundum minus probabilem pro libertate , vt de Ionn. à Sancto Thom. ſuprà vidimus quæſt. 28. num. 227. & quæſt. 29. num. 258. Deinde dico poſſe quidem dari ignorantiam, & errorem gravitèr culpabilem , & leviter culpabilem : in illo dabitur ignorantia gravitèr culpabilis , qui pertinatia quadam nolit conſiderare motiva partis oppoſitæ , ſed affectu potius maioris libertatis in conſulendo , aut etiam in operando , aut alio affectu pravo , ſuæ ſententiæ adhæreat , non coactus ex vi rationum pro illa , ſed electione propriæ voluntatis. Ille vero errabit culpa levi , qui aliqua inconſideratione , levi negligentia , aut affectu aliquo non plenè deliberato vrgente , procedit indebitè in inquiſitione veritatis , non id cognoſcendo ſignate , & reflexè , ſed in actu exercito ſic procedendo abſque cognitione reflexa talis inconſiderationis , negligentiæ , &c. Et hoc pacto cenſemus erraſſe illos Authores , qui in quæſtionibus de iure naturæ vniverſali erraverunt , ſivè pro vna parte , ſivè pro alia eraverint : igitur non eſt neceſſum nec Suarium , nec Ioannem à Sancto Thom. æternalitèr damnatos aſſerere , nec id vnquam dicere audebimus. Tunc quià, adhuc dato caſu quod læthaliter peccaſſent peccato ignorantiæ , & erroris in ſua doctrina tradenda , nihilominus poſt doctrinam illam traditam , potuerunt mille actus contritionis generalis , & amoris Dei ſuper omnia facere , quo tale peccatum dimitteretur ; nec eſſet neceſſum illum errorem retractare ſingillatim, quià potuit in poſterum invincibilitèr eis non occurrere , ſicuti ſæpiſsime contingit in omnibus peccatis ignorantiæ , quæ raro particularitèr occurrunt ; ſufficit tamen ea in generali confiteri , & generaliter de illis conteri , vti credibile eſt quod viri , & Doctores pij facient , nimirum ſe in generali accuſando, ſi forsàn per errorem culpabilem falſam doctrinam de moribus tradiderint , aut conſulerint: quo pacto tale peccatum erroris dimittitur, etſi fuerit læthale. Et quantum ad retractationem , ſi error in particulari non occurrit , ſufficit generalitèr retractare quidquid in doctrina publica luce donata erraverit , nimirum omnia ſubijciendo meliori iudicio , & dando facultatem poſteris , vt ſi quid erratum invenerint , corrigant. Et hoc pacto , etiam ſi daremus Suarium , & Ioannem à Sancto Thom. aut alios erraſſe læthalitèr , non ob id cogeremur fateri eos æternalitèr damnatos , imò eorum peccatum facile dimiſſum, propter eorum continuos actus amoris Dei, contritionis, & confeſsionis, & alios labores , quos pro Eccleſia Dei ſubierunt.

25 Sed nec eos peccaſſe læthalitèr dicimus , nec ſomniamus , ſed leviſsimè tantum , aut indeliberata aliqua in conſideratione , negligentia , aut occulta affectione , forsànque ex quadam nimia condeſcendentia cùm proximis , ex qua factum eſt , vt aliqua , vel plura non conſiderarint, nec ponderarint , quæ Div. Th. & alij Authores pro noſtra conſiderant , & ponderant , aut non ea luce : in quo tantum venialis ignorantia potuit eſſe , quam ad iniuriam non reputabunt hi AA. graviſsimi , ne eandem Div. Thom. imputemus : prius enim ipſi faterentur ſe ipſos erraſſe venialitèr , quam Div. Thom. & omnes Antiquos. Nec dubito, quin ſi Ioannes à Sancto Thom. & Suarius conſideraſſent textum Div. Thom. ex quodlibetis , de quo non faciunt mentionem , ſicuti nec de Antiquorum doctrina : item ſi hodie vidiſſent ab Eccleſia damnatam ſententiam de iudice, quod ſcilicet *ei liceret ſequi opinionem minus probabilem* , quam etiam docuit Ioann. à Sancto Thom. vt illaram neceſſario ex alia de tribunali conſcientiæ , non inquam dubito, libentèr laturos , quod eorum doctrinam retractaremus pro ipſis , eamque corrigeremus in hac parte , ſicuti Eccleſia correxit in opinione de iudice ; multoque amplius , ſi vidiſſent quot mala ex licentia ſectandi quęcumque probabilia promanarunt.

26 Ad id denique quod Terillus aiebat , nos plurimorum tranquilitatem turbaſſe. Neſcio de qua tranquilitate loquatur , nàm iuxta Bernardum

eſt

eſt conſcientia bona, & tranquila, & eſt conſcientia mala, & tranquilla. Si igitur huius tranquilitatem nos turbaſſe ait, non ad iniuriam, ſed ad laudem accipimus, quià malæ conſcientiæ tranquilitas peſsima eſt, & ſaluberrima doctrina, quæ illam turbat. Si vero bonarum conſcientiarum tranquilitatem nos turbaſſe ait, parcimus iniuriæ, ſed negamus; quià non poſſumus agnoſcere qualitèr ſit bona, & recta conſcientia, quæ dictat vt licitum ſe exponere periculo probabili violandi legem Dei.

Quod ſi dicas: homines quieti vivebant in illa opinione ſectando minus probabilia abſque remorſu conſcientiæ: ergò oportebat potius eos relinquere cùm bona illa fide, & ignorantia, vel inculpabili, vel ſolum venialiter culpabili, quàm noſtra doctrina eorum conſcientias anguſtare.

Reſpondeo quod ad Theologos attinet errores communes detegere, & ignorantias, ſivè quomodolibet vincibiles, ſivè ab alijs invincibiles, vincere, ne, dum veritatem, quam agnoſcunt, ſilent, errores omnium eis imputentur, àc pro aliorum ignorantis, ipſi pœnas luant, ideoque ſententiam, quam veram agnoſcimus, ſilere non poſſumus, potiſsime cùm oppoſita nobis videatur periculoſiſsima, vt iàm oſtendimus.

§. IV.

Detegitur magnum periculum ſectantium reflexam pro libertate.

27 DICO Quarto: *Niſi reflexa pro libertate ſequentibus illam ſit evidenter vera, aut ſaltem moraliter certa, ipſis periculoſiſsima eſt, & conſequenter tenentur illam minime admittere pro regula.* Et quidem, ſi ipſis rectè, àc debite inquirentibus veritatem evidenter apparet vera, minimè illis periculoſum erit eam ſequi: item, ſi ipſi etiam poſt debitam inquiſitionem veritatis certi ſunt moraliter de illius veritate, admitto etiam quod periculo voluntario non ſe exponunt illam ſectantes. Loquor igitur cùm aliquibus, qui propterea ſe tutos putant, quod reflexa pro libertate, quam benignam vocant, dicunt indubitanter eſſe probabilem, licet noſtram pro lege eſſe etiam probabilem fateantur: cùm ergò, aiunt, licitum, & tutum ſit ſequi opinionem probabilem pro libertate, inde ſe tutos putant, ſi ſequantur reflexam pro libertate. Contra hos igitur, qui ſanè ſunt omnes indocti, & qui vtriuſque ſententiæ fundamenta non examinarunt, non erit labor in vtilis oſtendere periculum eis imminens.

28 Primo igitur probo aſſertum: ſi falluntur, & errant in ſua reflexa, vti probabile eſt eos falli, & errare, ſi noſtra ſententia probabilis eſt, duo horribilia mala incurrunt. Primum eſt, quod ſequentes opiniones directas minus probabiles pro libertate non excuſantur à peccato formali, ſed re ipſa peccant formaliter. Secundum, & horribilius eſt, quod non agnoſcunt, nec confitentur ſuum peccatum formale, ſed illud negant, quod omnium malorum maximum malum eſt: ſed ſi ſua opinio non eſt certa moraliter, ſed ſolum probabilis æquè, aut paulo magis, quam noſtra, illi aſſentiuntur cùm periculo falſitatis, & erroris, ſiquidem de eius veritate nullam omnino ſecuritatem habere poſſunt; ergò eis eſt periculoſiſsimum illi aſſentire, & eam ſectari Maior probatur primo ex ingenua confeſsione Terilli ſuprà relati, qui ingenue fatetur, quod niſi quis evidenter certificetur de ſua reflexa, eum non excuſabit à culpa. Secundo quià in hac quæſtione reflexa, diſsidium eſt, àn qui ſectatur partem æquè, vel minus probabilem pro libertate peccet formaliter vel non; non enim eſt diſsidium de peccato, vel non peccato obiectivo, & materiali, quià de hoc iàm fatentur contrarij ſectantem minus probabilia pro libertate, ſæpè peccare materialiter; eſt igitur diſsidium reflexum huius quæſtionis, àn peccet, vel non peccet formaliter. Nos affirmamus eum peccare formaliter: contrarij negant eum peccare formaliter. Iàm, ſi contrarij falluntur, & errant, nos verum dicere neceſſe eſt: ergò peccabit ille formaliter, vti nos dicimus. Rurſus, ſi exiſtimat ſe non peccare formaliter, & exiſtimatio iſta falſa eſt: ergò peccat formaliter, alioquin ſi non peccat formaliter, eius exiſtimatio vera erit: ergò ſi contrarij, aut quilibet alius fallitur in ſua reflexa, quando ſequitur minus probabilia pro libertate, peccat formaliter. Atqui non agnoſcit, ſed potius negat ſe peccare formaliter: ergò incurrit illa duo mala peccandi formaliter, & negandi ſuum peccatum formale.

29 At inquies: quomodo peccat formaliter non cognoſcens ſe peccare formaliter? Reſpondeo ex ſuprà dictis

& infra dicendis ad peccandum formaliter non eſſe opus ſemper cognoſcere reflexè ſe peccare formaliter, ſed ſufficere cognoſcere, vel dubitare de peccato obiectivo, & illud voluntariè eligere, quanvis forsàn prohibitum, & peccatum ſit, aut non curando àn re ipſa peccatum ſit, vel prohibitum: igitur componi poteſt quod aliquis in aliqua electione peccet formaliter, & nihilominus tamen non agnoſcat, imò, & neget ſe peccare formaliter, & hoc ſemper eſt maximum malum. Vnde ſic vrgeo adverſarios: ideò per ipſos licet ſequi opinionem directam minus probabilem pro libertate, quià, dato caſu quod in illa opinione directa fallamur, & erremus, ſolum ſequitur peccatum materiale, & tantum in illa ſequela eſt periculum peccati materialis; iàm enim fatentur, quod ſi eſſet periculum peccati formalis, minimè liceret ſequi talem opinionem: ſed in ſequela opinionis reflexæ pro libertate eſt periculum peccati formalis, quià ſi forsàn illa falſa ſit, peccant formaliter, qui illam ſectantur: ergò nemo illam ſequi licitè poteſt cùm tanto periculo.

30 Vrgetur amplius: iuxta Terillum, & alios, nemo licite poteſt ſe exponere periculo probabili peccandi formaliter, licet poſsit licite ſe exponere periculo probabili peccandi materialiter: atqui, ſi noſtra reflexa probabilis eſt, licet oppoſita ſit probabilis, qui oppoſitam ſectantur ſe exponunt periculo probabili peccandi formaliter: ergò ſi noſtra probabilis ſit, vt aſſerunt plerique ex ipſis Probabiliſtis, non licet contrarijs oppoſitam ſectari. Minor probatur, quià ſi noſtra probabilis ſit, probabile eſt peccare formaliter eos, qui ſectantur minus probabilia pro libertate, ſiquidem hoc ipſum eſt quod aſſerit noſtra reflexa; ſed eo ipſo, qui ſectantur minus probabilia directè per reflexam contrariorum, ſunt in periculo probabili peccandi formaliter, ſiquidem eſt probabile ipſos peccare formaliter: ergò, etſi oppoſita reflexa ſit probabilis, aut paulò probabilior, dummodo noſtra probabilis ſit, contrarij ſe exponunt periculo probabili peccandi formaliter, &, quod peius eſt, periculo non confitendi ſuum peccatum formale.

31 Sed dices: hoc argumentum æquè militare contra noſtram ſententiam; quià ſi in illa fallimur, etiam exponimus homines periculo peccandi formaliter, vbi peccatum formale non eſt. Reſpondeo primo, quod dato caſu quod vtrobique æquale periculum eſſet, oporteret ſuſpendere iudicium, & neutram opinionem acceptare, ſed manere in dubio, & tutiora, vel ſaltèm probabiliora ſectari, quià hoc eſt licitum ſine controverſia. Sed inquit Terillus, iàm tunc ratione dubij tenerentur homines ad ſectanda tutiora, vel probabiliora: & rediret idem periculum peccandi formaliter contra talem obligationem. Reſpondeo, quod obligarentur remotive, aut negative, eo quod aliud eis tutum non remaneret, niſi ſectare tutiora, vel probabiliora; quod quidem implere poſſent, & nullum eſſet periculum.

32 Reſponde, ſecundo, noſtram ſententiam de ſe veriſsimam, àc nobis ad minus certam moraliter eſſe, àc proinde nullum habemus in illa periculum. Reſpondeo tertio, dato caſu quod æquè tantum cùm oppoſita probabilis foret, multo minus eſſet periculoſa; ratio eſt multiplex, quià dato caſu quod noſtra erret, errat agnoſcendo peccatum vbi non eſt: àt ſi contraria errat, errat negando peccatum formale vbi eſt peccatum formale; maius autem malum eſt hoc ſine comparatione, quam illud; nàm, vt inquit Scotus in quarto diſt. 15. quæſt. 14. bonarum mentium eſt culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt, & ideò multo magis, vbi dubitatur àn ſit culpa, & qualis culpa, bonæ mentis eſt agnoſcere culpam: attamen perverſæ mentis eſt nolle agnoſcere culpam, vbi culpa ſit, illamque negare, vbi ad minus dubia eſt. Tum, quià, ſi tu erras, negando culpam, non confiteberis illam culpam, forteque ſuperbies, te iudicans inculpatum, non humiliaberis propter illam, nec de illa contereris, & forsàn hoc tibi non dimittetur: attamen, ſi ego erro, agnoſcendo culpam, vbi culpa non eſt, dato caſu, quod illud faciam cùm conſcientia erronea de eo quod eſt culpa, quanvis re ipſa peccabo contra conſcientiam, tamèn agnoſcam meam culpam, propter illam humiliabor, de illa contritionem habebo, & per illius confeſſionem remiſsionem accipiam. Vide autem quanto maius malum ſit peccatum formale non confeſſum, non agnitum, ſine humilitate, & contritione de illo, forteque proinde non dimiſſum; quam peccatum formale agnitum, confeſſum, de quo contritionem, propter quod humilitatem, & conſequenter remiſsionem accipio.

Ac denique, quià dato caſu, quod ego errem, exiſtimando me obligatum ſub mortali ad ſectanda tutiora, vel probabiliora, & opinando eſſe peccatum ſequi minus probabilia pro libertate, hic

meus

meus error per ſe non inducit me ad tale peccatum, ſed potius dicendo: *Non licet tibi ſectari minus probabilia pro libertate*, vnde talis cognitio nunquam per ſe inducit, ſed potius per ſe removet me à peccato falſo exiſtimato; non ergò per ſe eſt periculoſa, ſiquidem per ſe non inducit in peccatum; ſed ad ſummum, caſu quo erret, poteſt dici periculoſa per accidens, quatenus in ſubiecto fragili ex propria fragilitate, aut alia affectione propenſo ad minus probabilia, foret peccatum, quod, ſublata illa exiſtimatione falſa, peccatum non foret: eo modo quo votum aliquod factum à ſubiecto fragili eſſet periculoſum, non per ſe, ſed per accidens; quià ſcilicet votum per ſe minimè induceret ad opus violativum voti, ſed ſubiectum ratione propriæ fragilitatis haberet tale periculum faciendi opus voto contrarium, quod opus tunc eſſet peccatum. Et quidem negari nequit quod aliquis poſſet facere votum non ſectandi minus probabilia pro libertate; quo caſu tale votum, nec eius obligatio minimè eſſet per ſe periculoſa, quià minimè induceret ad peccatum ſectandi minus probabilia, ſed potius ab eo removeret: ergò ſimiliter exiſtimatio, licet forsàn falſa, quod ſequi minus probabilia pro libertate ſit peccatum, & obligatio inde nata non ſectandi minus probabilia, non eſt per ſe iuductiva in peccatum, nec periculoſa per ſe.

33 Attamen, ſi tu erras exiſtimando non eſſe peccatum formale, ſed licitum ſectari minus probabilia, hæc exiſtimatio per ſe inducit te ad ſectanda minus probabilia pro libertate, ſiquidem id tibi proponit, vt honeſtum, & licitum, omnis autem exiſtimatio, quæ proponit practicè aliquid vt honeſtum, & licitum, per ſe inducit ad illud amplectendum, alicit enim voluntatem ratione honeſtatis propoſitæ apparenter; cùm autem alias, ſi illa exiſtimatio eſt falſa, re ipſa ſit peccatum formale ſectari minus probabilia, aliàs non eſſet falſa; inde eſt, quod per ſe inducit illa falſa exiſtimatio ad id quod re ipſa eſt peccatum formale: ergò per ſe eſt periculoſiſsima, & non per accidens. Itaque ſi illa exiſtimatio falſa eſt, duo mala facit; imprimis enim electionem formaliter peccaminoſam inducit apparientia honeſtatis, facitque eam ſibi apparere honeſtam, & licitam, quo pacto attrahit ad talem electionem exercendam. Rurſus removet veram cognitionem illius malitiæ ſub apparientia falſa honeſtatis latentis, ne ab ipſa malitia retrahatur voluntas, quæ ſunt duo mala periculoſa: eſt ergò longè periculoſior reflexa contrariorum, ſi erret, quam noſtra erit, quanvis erret. Cùm ergo, dato quod reflexa illorum probabilis ſit, ſi noſtra etiam ſit probabilis, vt multi illorum admittunt, adhuc periculum probabile ſit de eo quod illi errent, inde eſt quod longè maius periculum eis imminet, quam nobis, adhuc dato, quod cetera ſint paria. Veruntamen cetera non ſunt paria, quià noſtra ſententia certiſsima eſt, tum ab authoritate, tùm à ratione, attamen contraria poſt omnia à nobis prædicta, ſi rectè, & ſtatera fideli perpendantur, nec maiorem, nec æqualem cùm noſtra probabilitatem habet, nec ab authoritate, nec à ratione, vt ex dictis patet.

34 Ex quo iam patet ad aſſertionem Terilli ſuprà poſitam §. 2. num. 8. negando illam prorſus vti falſiſſimam: ad eius probationem imprimis falſum eſt quod teneamur alteram ex reflexis acceptare pro regula conſcientiæ. Secundo falſa etiam etiam exiſtimatione laborat Terillus ſubijciens noſtræ prudentiæ hanc, vel illam reflexam acceeptare pro regula conſcientiæ. Tertiò fallitur in eo quod ait ſententiam benignam eſſe minus periculoſam. Quartò fallitur in eo quod ait ſolum afferre ſecum periculum peccandi materialiter, cùm potius afferat periculum peccandi formaliter ſæpiſsime, & non agnoſcendi peccatum. Quintò fallitur in eo quod ait noſtram ſententiam afferre ſecum periculum committēdi plura peccata formalia, hoc enim quam falſum ſit, iàm commonſtratum manet. Ac denique fallitur quam maximè in eo quod exiſtimat peccata in mercatoribus, & alijs reipublicæ officialibus vitanda eſſe, indulgendo eis licentiam ſectandi minus probabilia pro libertate, ſeu pro lucro, quià niſi hæc licentia eis indulgeatur plura peccata formalia ſine dubio committent. Ad hoc enim reſpondeo, quod non eſt noſtro relictum arbitrio ſentire, & iudicare prout velimus circa legem naturalem, minuſque docere pro arbitratu regulas naturales conſcientiæ, aut permittentes, aut prohibentes. Nos enim non ſumus Domini legis naturalis, ſed ſervi. Vnde rectè Chriſoſtomus Math. 7. hom. 20. ſic ait: *Omnis Doctor ſervus eſt legis, quià nec ſuprà legem addere poteſt aliquid de ſuo ſenſu, neque ſubtrahere aliquid ſecundum proprium intellectum, ſed hoc tantummodo prædicat, quod habetur in lege.* Vnde, quidquid dicant mercatores, ſcribæ, pro-

curatores, & alij officiales reipublicæ, aliam legem naturalem eos docere non possumus, nisi quam invincibiliter agnoscimus coacti rationibus, & authoritatibus ad eam cognoscendam nos vrgentibus. Et iniqui, nefarijque essemus, si mercatores falleremus, dicendo: *Non peccatis sectando minus, probabilia pro lucro, aut pro libertate*, cùm invincibiliter credamus illos in hoc peccare formaliter; hoc enim esset ipsos seducere, & in viam perditionis incautos perducere, essemusque cæci, & duces cæcorum, quod absit. Vnde non possumus eis talem licentiam præbere. Quod si, ea non præstita, peccaturi sint, saltèm hoc solatij habebimus, quod agnoscent se peccare, & poterunt aliquando resipiscì. Peius autem foret, si eis falsò diceremus non esse peccatum formale contractus celebrare magis probabiliter prohibitos quam licitos; quià tunc deficiente retractivo, frequentius tales contractus celebrarent, & in illis peccarent formaliter, siquidem fallerentur cogitantes non esse peccatum formale tales contractus celebrare; &, quod peius esset, non cognoscerent reflexè se peccasse, nec proinde haberent medium resipiscendi, à nobis decepti miserabiliter.

35 Remedium ergò illis adhibendum vnicum, & necessarium est quod cupiant magis, & per prius Deo inservire in veritate, eique verè placere, quam lucra augere, iuxtà illud, *quid prodest homini, si vniversum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*? Et tunc facile erit eis non celebrare contractus, nisi certè licitos, aut magis probabiliter licitos, procedendo semper cùm certitudine morali non violandi legem Dei. Si enim quià vehementèr cupiunt lucra augere, nunquam celebrant contractum, de quo sit probabilius cessurum in detrimentum, quàm in lucrum, sed semper eligunt contractus probabilius conducentes ad augenda lucra, cùr pariter, si ità, vel magis vehementèr optarent Deo placere in veritate, non sectarentur contractus, de quibus esset probabilius placituros Deo, & conformitèr fieri ad Dei legem, quam contra illam.

36 Ex dictis colliges, quod licet in opinionibus directis eligendis sit periculum, vbi veritas certa non habetur, tamen multo maius periculum est in præcedenti quæstione reflexa, in qua disputatur àn sit, vel non sit peccatum formale sequi reflexam minus probabilem; & ratio est, quià error in opinione directa est error circa obiectum; error autem circa obiectum eligendum, si existimat non esse tale obiectum illicitum, sed honestum, solet excusare electionem, ità vt electio non sit formaliter peccaminosa, licet semper opus maneat peccatum materiale, & in se realiter prohibitum. Attamen in quæstione reflexa de peccato formali, vel non peccato formali, error quo creditur non esse peccatum formale, non vitat peccatum formale, aliàs non erraret, sed verum crederet, solum ergo occultat peccatum formale: hoc autem periculosissimum est.

QVÆSTIO XXXI.

Qualitèr debeat esse probabilis, vel probabilior opinio pro libertate vt eam licite sequi possimus

1 HVCVSQVE impugnavimus regulam morum à Probabilistis assertam; restat nunc veram regulam designare; quod præstandum assumimus in reliquis subsequentibus quæstionibus. Pro præsenti revocanda est in memoriam doctrina supra tradita de definitione, & divisione *probabilis*; & simul ex ibi dictis supponendum probabilitatem variari maxime penes respectum ad diversos intellectus diversimodè dispositos; nàm sæpè vni intellectui magis probabile est, quod alteri vel minus, vel minimè probabile est; in vna provincia vel regno solet esse valde probabile, quod in alia improbabile habetur: sic in vno sæculo est probabile, quod in alio vt improbabile reijcitur; nec est imaginabilis probabilitas ità constans, quæ semper, & vbique, & respectu omnium eadem persistat, vt forsàn infra declarabimus. Quo supposito sit.

§. I.

Duobus prænotatis, deciditur quæstio:

2 NOTO Primo, quod vt opinio pro libertate licitè amplecti possit, non sufficit quod alijs probabilis, vel probabilior fuerit, aut vulgaritèr talis habeatur, sed requiritur quod ipsi operanti probabilis sit. Nullum inveni, qui huic doctrinæ contradiceret, quia si mihi probabile non est contractum esse licitum, qua conscientia talem contractum exerceam? Sanè quod non est ex fide, id est ex conscientia dictante illud esse licitum, peccatum est iux-

iuxta omnes Theologos: atqui, si mihi non est probabile contractum esse licitum, implicat quod mea conscientia dictet mihi fide bona esse licitum: ergò vt licite sequi possim sententiam affirmantem contractum esse licitum, necessum est quod mihi probabilis sit talis sententia, hoc est, quod mihi probabile sit contractum esse licitum

3 Si dicas: sufficit si alijs sapientioribus illud probabile sit, vel probabilius. Contra, nàm vel hoc sufficit, vt etiam tibi ex illorum authoritate probabile sit, vel non? Si ex illorum authoritate etiam tibi probabile est, iàm non solum illis, sed tibi etiam probabile est; quod intendimus. Si tamen adhuc ex illorum authoritate tibi probabile non est, quomodo illorum authoritas sufficit, & vt tibi licitum sit, quandò non sufficit, vt tibi probabile sit? Sanè, si illorum authoritas apud te non facit probabilitatem, minimè sufficere potest, vt per illam excuseris à peccato. Facit ad hoc, quod Augustinus supra quæst. præced. num. 96. expresse aiebat non esse vivendum ex alieno probabili: ergò non sufficiet quod alijs probabile sit, si mihi probabile non est, vt illud amplecti possim.

4 Noto secundò, non sufficere, quod mihi minus, vel æquè tantum probabile sit opus esse licitum, àc illicitum, sed requiri, quod mihi sit probabilius, vel vnice probabile esse licitum. Patet ex quæstionibus præcedentibus, & etiam, quià quandò mihi est minus probabile, aut æquè tantum probabile esse opus licitum, si est magis, vel æquè probabile esse illicitum, absolute, & simpliciter non est mihi probabile esse licitum, sed solum dubitabile àn sit licitum, vel illicitum: sed non sufficit quod mihi sit dubitabile àn sit licitum, vel illicitum: ergò.

Explicatur: tunc solum est mihi licitum aliquod opus exercere, quandò est mihi absolute probabile illud opus esse licitum: àt solum est mihi absolute probabile opus esse licitum, quandò id in solidum est probabile, non vero esse illicitum; aut, si sit aliquatenus probabile esse illicitum, quandò est probabilius esse licitum: ergò requiritur quod mihi sit, vel probabilius, vel in solidum probabile opus esse licitum, vt illud opus licite exercere possim.

Vrgetur: tunc solum licite eligere possum aliquod opus, quandò prudenter credere possum illud opus esse licitum, quià quod non est ex fide peccatum est: sed tunc solum prudenter credere possum aliquod opus esse licitum, quandò mihi est vnice, & in solidum probabile esse licitum, aut quandò est probabilius esse licitum, quàm illicitum, non vero quandò est æquè, vel magis probabile esse illicitum: ergò solum in primò casu, non in secundò possum licitè eligere illud opus. Quibus suppositis.

5 Dico: *Vt opus aliquod, de quo sunt opiniones contrariæ, sit mihi licitum absolute, requiritur quod excessu gravi, & notabili sit mihi magis probabile illud esse licitum, quàm esse illicitum; minimè autem sufficit levis, & vix perceptibilis excessus probabilitatis pro licito, quàm pro illicito.* Hoc assertum conciliat plures Doctores, tàm Antiquos, quàm Modernos, quorum aliqui tantum exigunt quod opinio, quàm quis sequi conatur, sit probabilior opposita, alij hoc non sunt contenti, sed vltra maiorem probabilitatem, requirunt certitudinem moralem. Huius generis sunt Navarrus supra allegatus, & Caietanus, Mercorus, & aliqui alij ex modernis. Primi vero generis sunt Antiquiores, & ceteri RR. sed conciliantur omnes, nàm qui exigunt maiorem probabilitatem, sanè non quacumque maioritate contenti sunt, sed solum maioritate probabilitatis, quæ sufficiat ad flectendum intellectum in assensum illius partis, quæ nimirum ità prævaleat in statera sui intellectus, vt illum inclinet ad credendum absolute opus esse licitum, seu opinionem pro licito esse veram, vt eorum verba legenti constabit; patet autem ad hoc non sufficere levem excessum probabilitatis, vix perceptibilem. Quod manifestè demonstratur in statera ponderante pondera inæqualia, si enim maius pondus solum sit maius excessu levi, non sufficit ad inclinandam absolute stateram in illam partem, sed cùm quadam hæsitatione, & dubietate; secus vero, si excessus sit gravis, & notabilis: ergò, dum omnes Antiqui, & Moderni exigunt maiorem probabilitatem in opinione pro licito ad prudentem sequelam illius, non contenti sunt quolibet excessu, sed excessum gravem, & notabilem probabilitatis requirunt.

6 Deinde Authores, qui non contenti sunt maiori probabilitate, sed exigunt certitudinem, non exigunt certitudinem physicam, aut metaphysicam, sed certitudinem solum, quam iàm moralem, iàm civilem, iàm probabilem appellant, vt videbis in Antiquis, si eorũ textus supra expensos legeris: sed hæc certitudo sufficienter salvatur per excessum notabilem probabilitatis in opinione pro licito,

cito, ſiquidem ille exceſſus ſufficit inclinare intellectum, vt abſolutè credat humana, & morali certitudine opus eſſe licitum, vt infrà declarabimus: ergò iſti Authores ſolum exigunt maiorem probabilitatem exceſſu gravi, & notabili, & aliud omnino non requirunt. Nulla ergò debet exiſtimari diſcordia inter noſtros Authores, ſed in re omnino conveniunt. Et in hoc ſenſu intelligendi ſumus, tàm nos, quàm alij ex noſtris, dùm ſæpiſſimè dicimus licitum eſſe ſequi opinionem probabiliorem pro libertate, nimirùm, ſi ſit probabilior exceſſu notabili, & perceptibili ſufficiente inclinare intellectum debitè librantem vtramque partem in partem dicentem opus eſſe licitum, ità vt abſolutè illi præſtet aſſenſum. Quod ſi Baronius, aut alius dixit eſſe neceſſum, quod opinio pro libertate infinitis partibus ſuperet in probabilitate oppoſitam, intelligendus eſt per hyperbolem, nàm re ipſa ſolùm exigit exceſſum notabilem.

7 Sed dices: quanvis opinio pro licito ſit exceſſu notabili probabilior, tamen adhuc manet probabile, quod ſit illicitum; ſed dum manet probabile, quod opus ſit illicitum, eadem difficultas eſt ad opus eliciendum, ſivè levitèr, ſivè notabilitèr, & gravitèr altera opinio ſit probabilior: ergò inepta eſt hæc diſtinctio, quam adſtruimus, de exceſſu gravi, vel levi probabilitatis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, tamen adhuc manet probabile quod ſit illicitum, manet probabile, ſumpta probabilitate pro immunitate à cenſura, & nota, concedo maiorem: ſumpta probabilitate pro condignitate prudentis aſſenſus, nego maiorem. Vel alitèr: manet probabile ipſi ponderanti vtramque partem, & vtriuſque motiva, probabilitate tenui, & per modum ſcrupuli comparativè ad probabilitatem oppoſitæ partis, concedo maiorem; probabilitate gravi, & ſimplicitèr tali comparativè ad probabilitatem oppoſitæ partis, nego maiorem, & minorem. Quia imprimis, quando operanti eſt notabilitèr probabilius opus eſſe licitum, quàm eſſe illicitum, tunc quidem poteſt manere probabile in aliorum intellectu, aut etiam in vulgari, & communi acceptione, opus illud eſſe illicitum; ſed ei, cui eſt probabilius opus eſſe licitum, implicat quod in ſenſu compoſito huius probabilioritatis ſit ei etiã abſolutè, & ſimplicitèr probabile opus eſſe illicitũ, quià vt ex dictis in ſuperioribꝰ patet, implicat, quod eidem intellectui ſit ſimul ſimplicitèr, & abſolutè probabile vtrumque contradictionis extremum. Solùm ergò poteſt ei manere probabile ſecundum quid, aut conditionatè opus eſſe illicitum: ceterùm hæc probabilitas ſecundùm quid eſt levis, & tenuis librata cum maiore probabilitate partis oppoſitæ in ſtatera eiuſdem intellectus; quià, altera notabilitèr præponderante, ptævalente, & gravitante, neceſſum eſt quod iſta levitetur, & attenuetur quantum ad vires trahendi ad ſe intellectum, & ideò fidelitèr librata, & ponderata cum probabilitate partis oppoſitæ, eſt probabilitas levis, & tenuis, quæ tantum poteſt per modum ſcrupuli in eo caſu pulſare conſcientiam, non verò tanquam ratio gravis credendi, quod opus ſit illicitum, imò nec dubitandi prudentèr. Attamen, quando exceſſus eſt levis, adhuc probabilitas pro illicito librata cum probabilitate pro licito gravis manet, ſi non ad inclinandum intellectum vt aſſentiatur ſuæ parti, ſaltim ad eum ſuſpendendum, ne abſolutè inclinetur per aſſenſum in oppoſitam partem, ideſt, manet gravis, & valida ratio dubitandi, etſi non gravis, & valida ratio aſſentiendi ſuæ parti, quando ergò probabilitas pro illicito ità in fideli ſtatera intellectus levitat, quod notabili exceſſu ſuperatur à probabilitate pro licito, tunc intellectus prudentèr credit abſolutè opus eſſe licitum, quià motivum in contra comparativè eſt tenue, & leve, & iam ſe habet per modum ſcrupuli, contra quem agere licitum eſt, in omnium ſententia. Et hæc doctrina valdè notanda eſt pro dictis, & pro dicendis.

8 Sed obijcies nàm in cap. *per tuas* 2. *de Simonia* expreſsè dicitur eſſe peccatum operari contra conſcientiam ſcrupuloſam, niſi prius ſcrupulus deponatur: & *in cap. inquiſitionis de ſent. excommunicationis*, dicitur, quod ſi conſcientia pulſet animum ex credulitate levi, & temeraria ſuadente impedimentum matrimonij, neceſſum eſt talem credulitatem explodere ad cõſilium ſui Paſtoris, vt coniux licitè poſsit petere debitum: ergò durante credulitate levi, & tenui pro eo quod opus ſit illicitum, nemo poteſt tale opus elicere. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo cõſequens: durante tali credulitate contempta, & ſuperata per prudens, & abſolutum iudicium partis oppoſitæ, nego conſequentiam; ſi duret admiſſa veluti gravis ratio dubitandi, concedo conſequentiam. Itaque Summi Pontifices locis citatis expreſsè innuunt credulitatem, aut probabilitatem levem prudentèr deponi poſſe, & exploſa, ſeu depoſita, licitum eſſe agere contra illam; modus autem ex-

plo-

plodendi, ſeu deponendi non ſemper debet eſſe per totalem inconſiderationem, aut oblivionem illius; quià ſæpè hoc non eſt in poteſtate ſcrupuloſi, qui vitare nequit, quod illa credulitas, aut probabilitas tenuis pulſet animum in contra, imò quocumque ſe vertat illa occutrit, ſed ſat eſt, quod illam contemnat per iudicium abſolutum; quo aſſentiatur parti oppoſitæ, in quo conſtans perſeveret, & hoc pacto ſufficientèr explo-ditur, & deponitur, quanvis contra voluntatem ſcrupuloſi illa animum in contra pulſet. Pontifex autem prudentiſsimè dixit explodendam eſſe ad ſui Paſtoris conſilium, quià ſcrupuloſus vix agnoſcere poteſt, quæ probabilitas, aut credulitas ſit gravis, & quæ levis.

§. II.

Solvitur aliud argumentum, & deciditur àn, & quo ſenſu minoris probabilitatis ſequela ſit interdicta in tertia propoſitione ex damnatis ab Innocentio XI.

9 OBIJCIES Secundò, male nos appellare probabilitatem notabiliter minorem pro vna parte contradictionis libratam cùm probabilitate alterius notabiliter maiori, probabilitatem tenuem, aut levem. Primò; quià implicat in terminis probabilitas tenuis, aut levis; de eſſentia enim probabilitatis eſt quod ſit innixa motivo gravi, & valido, & conſequenter quod ſit gravis, & valida: ergò ineptè, ſeu chimericè appellamus probabilitatem illam levem; aut tenuem. Secundo, quià alioquin ſequeretur damnatam eſſe ab Innocentio XI. propoſitionem, quæ aſſerit licitum eſſe agere innitendo minori probabilitate; ſed hæc propoſitio damnata non eſt, quandoquidem communitèr docetur adhuc poſt decretum Innocentij XI. ergò. Sequela probatur, quià per nos probabilitas minor pro licito comparata cum probabilitate maiori pro illicito eſt probabilitas tenuis; ſed damnata eſt propoſitio, quæ aſſerebat, licitum eſſe agere innitendo tenui probabilitati: ergo erit etiam damnata, quæ aſſerit eſſe licitum agere innitendo minori probabilitati pro licito.

10 Hoc argumentum deſumpſi ex P. Cardenas, in opere poſthumo de propoſsitionibus damnatis, propoſ. 3. vbi varia refert placita circa intelligentiam illius particulæ *tenuis probabilitas*. Aliqui enim exiſtimant tenuem probabilitatem eſſe idem, àc minorem probabilitatem, àc proinde Summum Pontificem damnantem illam tertiam propoſitionem: *Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantunvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, conſiſi aliquid agimus, ſemper prudentèr agimus*, vetaſſe ſequelam opinionis minus probabilis in concurſu probabilioris. Hoc tamen eſſe falſum probat Cardenas, ibi, cap. 1. tum quià non eſt idem minor probabilitas, àc tenuis probabilitas, nàm fulgor Lunæ eſt minor fulgore Solis: & tamen eſſet ſtolidum, & contra Scripturæ vſum, dicere fulgorem Lunæ eſſe tenuem, quandoquidem Gen. 1. dicitur: *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, luminare minus, vt præſſet nocti.* Tum, quià, ſi Pontifex damnaſſet minorem probabilitatem, nè aſſumèretur pro regula conſcientiæ, ipſo facto declaratum maneret probabilitatem non ſufficere ad regulandam conſcientiam, ſed requiri maiorem probabilitatem: ſed hoc eſt falſum, quià aliàs ſuperfluè in eodem decreto damnaſſet Summus Pontifex alias opiniones de modo *probabili*, vti eſt illa 44. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuum honorem, & iuſtitiam defendat.* Vt quid enim declarato iam, non ſufficere probabilitatem ad ſecuritatem conſcientiæ, declararet hoc, aut illud non eſſe probabile, quandoquidem quanvis maneat probabile, non obinde ſequitur poſſe regulare conſcientiam: ergò Pontifex non damnavit minorem probabilitatem, ne aſſumeretur pro regula conſcientiæ. Tum denique quià ſi Pontifex vellet damnare minorem probabilitatem, facilè potuiſſet eam proprijs terminis damnare.

11 Sed ſi loquamur de minori probabilitati notabilitèr minori, quam ſit probabilitas oppoſita pro lege, P. Cardenas non ſatis ſuam cauſam defendit. Ad primum enim dico, quod quando minor, & maior probabilitas ſunt circa propoſitiones compatibiles, & non oppoſitas, tunc rectè compatitur, quod vtraque ſit magna probabilitas, quià maioritas vnius non minuit probabilitatem alterius, minus enim probabile eſt quod liceat facere collationem in quantitate 8. vnciarum, quam quod liceat in quantitate 6. vnciarum, verumtamen vtriuſque licentiæ eſt magna probabilitas, nàm probabilitas ſecunda non deterit probabilitati primæ, nec illam minuit, quià ei nec obiectivè contradicit. Item quanvis

vtra-

vtraque probabilitas ſit circa contradictoria oppoſita, ſi tamen ſit vna in vno intellectu, & alia in alio ſubiectivè, tunc caſus rectè etiam compatitur, quod vtraque ſit verè magna, vnaquæque reſpectivè ad ſuum intellectum; at eidem intellectui, ſi opinio affirmativa eſt notabiliter probabilior, quàm negativa, implicat quod ſimul ei ſit valdè probabilis negativa contradictoria, ſed ad ſummum poteſt manere cum tenui probabilitate reſpectivè ad eundem intellectum; & ratio eſt, quià, quanto magis, ac magis creſcit in intellectu probabilitas vnius contradictoriæ, tanto eidem minus probabilis fit altera contradictoria, quià quanto magis probabile mihi fuerit contractum eſſe illicitum, tànto minus mihi probabile erit illum eſſe licitum, vt in terminis ipſis eſt per ſe notum: imò, & ipſe Cardenas ſentit, quod ſi probabilitas creſcat vſque ad certitudinem pro vna contradictoria, iam totaliter amittit probabilitatem altera: & omnes fatentur quod authoritas vnius Doctoris gravis nullo contradicente facit opinionem probabilem authenticè; ſi tamen in contra ſit authoritas plurium, quanto maior illa ſit, tanto minus, vel minimè valebit authoritas vnius; eoque ſolet contingere, quod opinio, quæ vno, ſæculo, vel luſtro authenticè fuit probabilis, creſcente in poſterum authoritate in contra, ſolet paulatim minui vſque dum ſuam probabilitatem amittat: hoc teſtatur ipſa experientia, & ideò à maiori probatione abſtineo: igitur creſcente notabiliter probabilitate vnius contradictoriæ, attenuatur probabilitas alterius, ſeu tantum manet in eſſe tenuis probabilitatis.

12 Nec exemplum Solis, & Lunæ ſavet contrario, imò nobis; nàm ſi fulgor Lunæ concurrat in eodem emiſphærio cum fulgore Solis, vt contingit in crepuſculo matutino, creſcente fulgore Solis notabiliter, attenuatur fulgor Lunæ, ſolùmq; in diverſis emiſphærijs poteſt contingere, quod vtriuſque fulgor ſit magnus, & ideò illa duo luminaria magna dicuntur, vnum, vt præſit diei in vno emiſphærio, aliud vt præſit nocti in alio: ergò etſi in diverſis intellectib⁹ poſsit vtriuſque contradictoriæ probabilitas prævalere, vt magna, licet vna magis, alia minus, tamen in eodem intellectu, creſcente probabilitate pro vna contradictoria notabiliter, ſolùm manet tenuiter alia reſpectivè ad eundem intellectum.

13 Ad ſecundum, quod opponit Cardenas, dico, non eſſe idem opinionem aliquam eſſe minus probabilem ſua contradicente, ac eſſe probabilem ſine addito, ſicut non eſt idem vnum teſtem in aliquo dicto eſſe minus credibilem, aut minus fidedignum alio contradicente, ac eſſe credibilem abſolutè, & fidedignum in illo dicto. Vndè nos negamus opinionem minus probabilem ſua contradicente eſſe licitè ſequibilem in praxi ab eo, cui eſt minus probabilis; concedimus tamen opinionem abſolutè, & ſine addito probabilem alicui, eſſe ab eo licitè ſequibilem in praxi; fuit ergò neceſſarium, vt nemo ſequeretur illas opiniones, quas abſolutè, & ſine addito aliqui Authores appellabant probabiles, Summum Pontificem damnaſſe hoc quod eſt, *illas eſſe probabiles*, & hoc, adhuc dato caſu, quod damnaſſet in tertia propoſitione vt illicitam ſequelam opnionis notabiliter, aut longè minus probabilis ſua contradicente, quià per hoc præcisè non manebat prohibita ſequela cuiuſvis, ſeu omnis opinionis probabilis.

14 Ad tertium ſimiliter dico Summum Pontificem potuiſſe damnare ſequelam opinionis notabiliter, aut longè minus probabilis ſua contradicente, ſub terminis proprijs; ſed maluiſſe illam proſcribere ſub termino tenuis probabilitatis, quià ità, & non aliter illi fuit delata, & ſub illo termino certius apparet falſa, & pernicioſa. Et, vt iam alibi dixi, in his non eſt examinandum motivum Apoſtolicæ Cathedræ.

15 Ex quo iam ad obiectum ex num. 9. Reſpondeo negando aſſumptum. Ad primam probationem, diſtinguo antecedens: de eſſentia probabilitatis perfectè, & ſimplicitèr talis, concedo antecedens: imperfectè, & diminutè talis, nego antecedens, & conſequentiam, nàm etiam de eſſentia magnitudinis eſt eſſe magnam; & tamen non ſemel abſque implicatione terminorum, dicere ſolemus *tenuis magnitudo*: de eſſentia fortitudinis eſt eſſe validam; & tamen dicimus *tenuis fortitudo*: de eſſentia prudentiæ eſt niti fundamento gravi; & tamen dicimus *tenuis prudentia*: non ergò implicat in terminis *probabilitas tenuis*. Et quidem, ſi non implicat in terminis *credulitas levis*; aliàs implicaret in terminis, *cap. inquiſitioni*, quod illam ſupponit, cùr implicabit in terminis *probabilitas tenuis*? Et item, ſi *probabilitas tenuis intra fines probabilitatis*, implicaret in terminis, propoſitio damnata eſſet de ſubiecto non ſupponente, ſeu de probabilitate chimerica: ergò non eſſet pernicioſa, nec ſcandaloſa, quià neminem ſcandalizare

zare potest probabilitas chimerica, quæ non datur: ergò solùm Pontifex debuisset illam propositionem damnare, vt implicatoriam, quod minimè fecit, non autem vti scandalosam, quod re ipsa fecit: hoc autem quis dicat?

16 Ad secundam probationem, distinguo sequelam, loquendo de minori probabilitate notabiliter minori, concurrente probabilitate notabiliter maiori pro eo quod opus sit illicitum, transeat sequela; alio in sensu, nego sequelam. Itaque damnationem illius propositionis ego aliter intelligere non possum, nisi ità vt Summus Pontifex vetaverit probabilitatem in aliquo gradu inferiori intra terminos probabilitatis, nè assumatur in regulam prudentiæ, aut conscientiæ: nàm si nullus gradus probabilitatis maneat interdictus: ergò manet licentia innitendi probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, in quocumque gradu quantunvis infimo probabilitatis intrà fines probabilitatis: ergò & quacumque probabilitate, quantunvis tenui, intrà fines probabilitatis: ergò Pontifex nihil omnino vetavit. Quis autem hoc dicat? Vndè vellem scire ab adversarijs, àn in illa tertia propositione damnata, intelligatur damnata ista: *Probabilitas, sivè intrinseca, sivè extrinseca, in quocumque gradu, quantunvis inferiori intra fines probabilitatis sufficit ad prudenter operandum.* Si fateantur, assignent illum gradum vetitum probabilitatis, ità inferiorem, seu minorem: sanè ego alium non invenio, nisi quando notabiliter, aut longe minus probabile est opus esse licitum, quam esse illicitum. Si negent, non video quid Summus Pontifex vetaverit.

17 Est sanè mirabile videre, quibus expositionibus conati sunt Probabilistæ vim huius difficultatis subterfugere, imprimis Lumbier apud Cardenas, loco citato, ait Pontificem vetasse opinionem solùm probabiliter probabilem, quià nomine tenuis probabilitatis intelligitur probabilitas non certa, sed probabilis, seu opinio non certo, sed solùm probabiliter probabilis. Sed adversus illum insurgit Cardenas, cap. 3. & probat opinionem solùm probabiliter probabilem, non esse tenuiter probabilem, nec vetitam in propositione damnata, sed illam adhuc manere tutam regulam conscientiæ. Quod probat decem fundamentis, quorum aliqua demonstrationes appellat. Et tandem cap. 5. censet opinionem tenuiter probabilem esse illam, de cuius probabilitate Authores dubitant, seu de cuius probabilitate meritò dubitatur, seu dubiæ probabilitatis. Sed in quo differat hoc placitum à sententia Lumbieri imprimis non satis capio, quià cum Authores variant circà aliquam opinionem, alijs dicentibus illam esse probabilem, alijs negantibus, tunc sanè illa opinio est probabiliter probabilis, siquidem Authores dicentes illam esse probabilem, potissimè si sint graves, necessariò faciunt probabilitatem pro eo quod sit probabilis, sicuti quando graves Authores dicunt illam esse veram, faciunt probabilitatem pro eo quod sit vera: sed etiam tunc casus illa opinio est dubiæ probabilitatis, & meritò dubitatur àn sit probabilis, nàm tunc casus alij affirmant, alij negant eam esse probabilem, & consequenter cuicumque præbent occasionem prudenter dubitandi de probabilitate opinionis, redduntque illam dubiam: ergò probabilitas solùm probabilis, & probabilitas, de qua meritò dubitatur, in idem coincidunt. Vndè non satis Cardenam capio.

18 Sed quidquid de hoc sit, ineptissimè explicatur, imò & malè constituitur ille terminus, *tenuis probabilitas*, per *probabilitatem dubie probabilem*, *aut solùm probabiliter probabilem*. Quis enim vnquam dixit idem significare *tenuiter*, seu *tenuè*, àc *probabiliter*, *aut dubiè*? Nunquid est idem aliquid esse tenuiter calidum, àc esse solùm probabiliter, aut dubiè calidum? Sanè optimè potest aliquid esse certo probabile probabilitate tenui; ergò minimè est idem, sed longe diversum opinionem esse tenuiter probabilem, & solùm esse dubiè, aut probabiliter probabilem.

19 Etenim ille terminus *tenuiter* solùm admittitur in rebus, quæ admittunt diversos gradus penes magis, & minus, & tunc res dicitur tenuiter talis, quando est in gradu valdè inferiori talis, vt tenuiter calidum dicitur, quod est in gradu valdè inferiori, & remisso calidum: ergò *tenuiter probabile*, ingenuè loquendo, idem significat, àc probabile in gradu valdè inferiori probabilitatis. Et mirum sanè debet esse, quod cum hic sensus cuique obvius sit, grammaticalis, & proprius, nullus tamen ex Probabilistis in hoc sensu explicat propositionem damnatam, nec tenuem probabilitatem, sed ad alios sensus peregrinos transeunt, ab ipsa Grammatica alienos. Et quidem quod non sit idem tenuis probabilitas, àc probabilitas dubia, patet, nàm non semèl dubitamus de magna, & gravi probabilitate alicuius opinionis, àn videlicet sit magis, aut valdè probabilis: ergò tunc magna probabilitas est

nobis

nobis dubia: & tamen magna probabilitas non eſt tenuis probabilitas: ergò non eſt idem tenuis, àc dubia probabilitas.

20 Igitur, rebus benè inſpectis, ego non video, cùr in illa propoſitione damnata non ſit interdicta, quantum ad munus regulandi prudentiam, & conſcientiam, minor probabilitas pro licito, quæ ſit valdè minor, ſeu in gradu valdè inferiori probabilitatis comparativè ad probabilitatem pro illicito; tunc enim eſt re ipſa probabilitas tenuis. Sed quià video contrarios ex huiuſmodi aſſertis valdè excandeſcere, ægrèque ferre, quod eorum propoſitiones damnatas eſſe dicamus, propterea dixi, *tranſeat*; quià nec eorum aliquas propoſitiones, v. g. illa Terilli quæſt. 28. num. 20. *quandiù manet certa probabilitas in aliquo gradu, tandiù irrefragabilitèr manet quod lex non eſt ſufficientèr promulgata*, & aliæ huiuſmodi, in quibus contrarij aſſerunt quemcumque gradum probabilitatis pro licito excuſare à peccato, has, inquam, propoſitiones damnatas eſſe contendam, nec à damnatione immunes exiſtimo, ſed alijs id iudicandum remitto, contentus interim, quod probaverim eas propoſitiones eſſe falſas.

§. III.

Aliud aſſertum ſtatuitur.

21 NEC *Etiam, quando opinio pro licito eſt notabiliter probabilior operanti, licet ſemper illam ſequi, niſi tantum, quando operans debitè quæſivit veritatem, & ei ſic inquirenti apparuit notabiliter probabilior, aut vera. Tunc autem, licet communitèr ab alijs cenſeatur minus, aut æquè tantum probabilis, excuſatur à peccato, qui illam ſequitur.* Prima pars patet, nàm quanvis aliqua opinio appareat probabilior Petro, v. g. Si tamen ideò ei apparet probabilior, quià indebitè quæſivit veritatem, ità vt ſi debitam diligentiam exhibuiſſet pro veritate invenienda, inveniſſet illam eſſe falſam, aut minus probabilem, tunc ſanè procedit in electione talis opinionis cum ignorantia, & errore culpabili; ſed ignorantia, & error culpabilis non excuſat à culpa: ergò tunc caſus non excuſatur à culpa, ex eo quod ſequitur opinionem ſibi notabiliter magis probabilem.

Explicatur: Magis excuſat à culpa evidentia, & certitudo, quam maior probabilitas: ſed ſtat optimè, quod alicui ſit evidens, aut certa aliqua ſententia, & nihilominus, ſi indebitè quæſivit veritatem, non excuſetur à culpa, vt patet in hæreticis, quibus aliquando ex malis affectionibus, aut mala diſpoſitione, quibus ad veritatem inquirendam accedunt, ſolet eis videri evidens, aut certiſſima ſua ſecta, & nihilominus non ob hoc excuſantur à culpa, quià illa evidentia, aut certitudo procedit ex errore, aut ignorantia culpabili: ergò paritèr quanvis alicui videatur probabilior, aut vera opinio pro libertate, ſi tamen hoc contingit, quià negligentèr, aut malè affectus inquirit veritatem, maior illa probabilitas eum non excuſabit à culpa, quià procedit ex ignorantia culpabili.

22 Secunda pars aſſerti etiam patet, quià nemo obligatur niſi ad quærendam exactè, & diligentèr veritatem circà id, quod agendum occurrit, àn re ipſa ſit honeſtum, vel illicitum; &, ſi, facta diligentia exacta, ipſi ſit longè probabilius, aut vnicè probabile agibile eſſe licitum, non obligatur ad expetendam, nec expectandam evidentiam, aut certitudinem maiorem, vt infrà oſtendemus, ſed protinus poteſt tale obiectum amplecti, quidquid ſit de apparientia aliorum, quibus apparuit minus probabile, quià certiſſimum eſt quemque licitè operari ſequendo propriam conſcientiam rectè formatam, licet operetur contra dictamen aliorum: ergò quanvis alijs, aut vulgaritèr illa opinio habeatur vt minus probabilis, ſi tamen ipſi debitè inquirenti veritatem longè probabilius ſit illam eſſe veram, quam oppoſitam, poteſt eam licitè ſequi. At quomodò, inquies, fieri poterit, vt ipſi inquirenti veritatem exactè, & debitè appareat probabilior, quando ab alijs debitè etiam quærentibus veritatem communitèr, aut vulgaritèr cenſetur minus probabilis? Nàm imprimis videtur, quod opinio eodem modo debet apparere quærentibus veritatem eodem modo: ergò ſi ipſe eodem modo, àc alij, ideſt, æquali diligentia inquirit veritatem, debet ei apparere minus probabilis, ſicut alijs. Secundò, quià non videtur accedere debitè ad inquirendam veritatem, qui ſuum iudicium non regulat per iudicium aliorum, ſed exiſtimat longè magis probabile, quod ab alijs minus probabile dicitur: ergò ſi debitè quærat veritatem, non poteſt exiſtimare magis probabilem, aut veram, quam alij exiſtimant minus probabilem.

23 Reſpondeo caſum rarò poſſe

posse contingere, attamen non semel. Vndè ad primam probationem in contra dico, quod non est idem quærere veritatem æquali conatu, & diligentia, & quærere illam eodem modo, quià sæpè duo æquali conatu, & diligentia inquirunt veritatem, vnus tamen diversa luce, diverso ingenio, diversa consideratione, diversis occurrentibus motivis, àc alius, & tunc potest contingere quod vni ingenuè videatur longè probabilius, quod alteri etiam ingenuè videtur minus probabile.

Ad secundam dico, quod vel qui quærit veritatem est simplex, qui solùm debet regi ab authoritate aliorum, vel est doctus, qui possit diiudicare inter opiniones Doctorum; si simplex, & sciat communitèr aliquam opinionem pro libertate censeri minus, aut æquè tantùm probabilem, & non habeat aliam novam authoritatem, quæ emineat huic, implicat quod talis opinio appareat sibi probabilior, si debitè quærit veritatem; quià non potest prudenter suum iudicium præferre iudicio aliorum. Si tamen ipse nihil sciret de probabilitate illius, aut contrariæ opinionis, & quæreret Theologum peritiorem, & timoratum, eumque ingenuè interrogaret, àn liceret illud facere, & Theologus absolutè illi diceret *licere*, vel esse longè probabilius, quod esset licitum, quam illicitum, tunc talis opinio ei erat, vel vnicè probabilis, vel longè probabilior opposita, quandoquidem ipse aliam authoritatem non habebat in contra. Iam ergò simplici potest esse, vel vnicè probabilis, vel longè probabilior ea opinio, quæ ab alijs censetur minus probabilis. Si verò sit doctus, ità vt possit esse iudex rationum, & fundamentorum, & nova alia excogitare, aut novo examine veritatem inquirere, contingere potest absque superbia eius, quod ipsi probabilior appareat opinio, quæ alijs pluribus minus probabilis apparuit, vel quià detegit aliquam æquivocationem contrariorum, vel quià invenit aliquam novam rationem pro sua, vel quià aliquid considerat, quod alij non consideratunt, vel ob aliquid aliud, quod si agnovissent contrarij, aliter sensissent; & totum hoc contingere potest, absque contemptu aliorum Doctorum, & absque superbia, cum veraque humilitate, & ingenuitate; ingenuitas enim non est opposita humilitati. Nec enim homo doctus tenetur cæco modo assentire aliorum authoritati, aliàs nunquàm ei esset licitum, inquirere veritatem de novo post alios Authores, sed adiutus labore aliorum Authorum, potest & ipse magis indagare, & inquirere, si fortè inveniat aliter rem se habere, àc alij existimarunt; & tunc potest contingere citrà omnem passionem, & affectionem, quod ipse inveniat aliter rem se habere, àc alij existimarunt, seu quod inveniat esse veram, àc probabiliorem opinionem, quæ alijs pluribus visa est falsa, aut minus probabilis.

Sed inquires, qualiter quis cognoscere possit àn opinio sit longè probabilior opposita? Respondeo, difficillimè inveniri posse quando sit probabilior, vel minus probabilis alijs; ceterum hoc non est necessarium ad formandam conscientiam secundùm illam facilè tamen esse post diligenter inquisitam veritatem cognoscere quænam opinio ex contradicentibus sit sibi probabilior; nàm tunc casus illa est longè probabilior, quæ fideliter libratis motivis vtriusque in statera intellectus valdè prævalet oppositæ, & apparet verà præ illa; quisque autem facilè cognoscere potest quænam opinio in statera sui intellectus præponderat alteri, si non reflexè, & in actu signato, saltem exercite, & in actu exercito; quisque enim dùm ponderat opiniones contradicentes experitur in actu exercito quænam sibi videtur magis vera. Et hoc sufficit ad regulandam conscientiam. Vndè cessant querelæ contrariorum ponderantium, quam impossibile sit invenire opinionem probabiliorem.

QVÆSTIO XXXII.

Qualitèr debeat veritas inquiri, vt eius ignorantia inculpabilis sit?

1 QVÆSTIO Ista valdè vtilis est quià docet modum inquirendi veritatem in dubijs moralibus; pro cuius decisione imprimis supponendum est, quod per se loquendo, & vt in plurimum, veritas in dubijs moralibus est invenibilis. Patet ex dictis, tùm quæst. 5. à num. 32. & præsertim à num. 125. & quæst. 26. num. 95. & ex D. August. adducto, quæst. 27. n. 113. ex quibus omnibus, quæ prolixitatis vitandæ causa non repeto, facilè hæc suppositio probari potest.

2 Quod vlterius confirmatur, quià nullus est Author, qui negare possit in controversijs moralibus esse invenibilem veritatem: ergò ità certum est eam esse invenibilem, quod à nemine negari possit. Antecedens probatur, quià nullus est Author, qui accedens ad examinan-

nandam controverſiam moralem, ſaltèm poſt diuturnam diligentiam, non teneat aliquam ſententiam vt veram: ergò putat ſe inveniſſe veritatem in illa ſententia, quam ſequitur: ergò negare nequit veritatem eſſe invenibilem: aliàs contradictoria ſimul aſſereret, diceret enim: in hac controverſia veritas inveniri non poteſt, ego tamen illam inveni, hic eſt in mea ſententia.

3 Dixi autem veritatem in dubijs moralibus, per ſe loquendo, & vt in plurimum eſſe invenibilem, quiâ aliquando per accidens contingere poteſt, quod ab aliquo inveniri non poſsit, ſed facta poſsibili diligentia, nihilominus decipiatur amplectens falſum loco veri. Ceterum hoc rarò contingere poteſt, quiâ hæc eſt differentia in his, quæ ſunt per ſe, & his, quæ ſunt per accidens; quod ea quæ ſunt per ſe, & ex intentione naturæ, vt in plurimum ità contingunt, & rarò deficiunt; & tunc quidem quando deficiunt, deficiunt propter aliquod impedimentum extrinſecum, vel propter aliquod vitium naturæ, vel propter debilitatem virtutis: ea verò, quæ ſunt per accidens, rarò contingunt propter dictas cauſas; ſed natura rationalis per ſe quærit veritatem, falſitatem autem incurrit omnino per accidens, imò & contrà eius intentionem: ergò facta diligentia poſsibili, vt in plurimum inveniet veritatem, raroque incurret falſitatem, niſi vel vitio proprio, aut negligentia, vel impedimento aliquo extrinſeco.

4 Quo ſuppoſito, reſtat inquirere primò: quænam diligentia adhibenda ſit ad inveniendam veritatem ex parte voluntatis. Secundò, quænam ex parte intellectus. Tertiò, àn ſit neceſſaria oratio. Quartò, quibus ſignis quærenda ſit veritas, & diiudicandum inter verum, & falſum. Quintò, qualitèr ſimplices, & illitterati debent quærere veritatem. Sextò, qualitèr diſcipuli proficientes. Septimò, qualitèr Magiſtri, & Doctores. Sit ergò.

§. I.

Explicatur quænam diligentia ſit adhibenda ex parte voluntatis.

5 DICO Primò: *Imprimis ex parte voluntatis requiritur ſolicitudo, & conatus maior, vel ſaltim non inferior, quam pro inveniendis rebus temporalibus.* Hoc aſſertum eſt mihi evidens, quiâ maior conatus requiritur pro inveniendo fine, quam pro medijs; ſed omnia bona temporalia ſunt media conceſſa hominibus ad veram virtutem, & veram honeſtatem acquirendam, & ad hoc vt ſervent veram Dei legem: ergò maiorem conatum, & ſolicitudinem debent impendere in quærenda vera virtute, vera honeſtate, & vera Dei lege, quam in quærentibus bonis temporalibus.

Explicatur: ſicut in bonis fortunæ alia ſunt apparentèr talia, alia verè talia, vt aurum verum, vel apparens, gemma vera, vel apparens, & alia huiuſmodi, ità in bonis virtutis ſolet eſſe temperantia vera, vel apparens, humilitas vera, vel apparens, & (vt omnia complectar) lex Dei vera, vel apparens: ſed magis procurare debemus, nè fallamur in bonis virtutis, quam nè decipiamur in bonis fortunę: ergò maiori ſolicitudine debemus inquirere veritatem moralem, quam veritatem in bonis caducis, & tranſitorijs. In huius confirmationem facit, illud Iob 29. *Cauſam, quam ignorabam, diligentiſsimè inveſtigabam*, & illud Proverb. 2. *Audiat ſapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies*, & illud Auguſt. lib. de moribus Eccleſiæ, cap. 17. *Veritas, ſi non totis viribus concupiſcitur, inveniri non poteſt.* Abſtineo ab vlteriori probatione, quiâ id à nemine, quem viderim, negatur.

6 Dico ſecundo: *Requiritur etiam ex parte voluntatis, quod curet ſe purgare ab affectionibus, & paſsionibus inordinatis, vt veritatem invenire poſsit.* Ità expreſsè Auguſt. lib. de vtilitate credendi, cap. 1. ſic dicens: *Id nunc agitur, vt ſapientes eſſe poſsimus, ideſt, inhærere veritati; quod profectò ſordidus animus non poteſt. Sunt autem ſordes animi, vt brevi explicem, amor quarumlibet rerum præter animum, & Deum, à quibus ſordibus quanto eſt quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, vt animum purges; cum ideò purgetur vt videas, perverſum certè, atque præpoſterum eſt.* Vndè rectè Corduba in ſuo quæſtionario, lib. 2. de ignorantia, quæſt. 2. §. *& nota, quod in hac*, ſic ait: *Propter hoc quod homo non rectè affectus inquirit veritatem, ſed vt inveniat loquentes ſibi placentia, vt habetur Iſaiæ 30. & cavillos inveniat vt iuſtificet, quod ipſe vult, ad quod ipſe præ delitijs, avaritia, ſeu ambitione male affectus eſt; propter hoc igitur Deus ſæpè, idque iuſtè, permittit talem hominem, non ſolum ampliùs cæcari, & in multiplicem ignorantiam, &*

culpa-

culpabilem errorem induci; ſed & in eo permanere, quouſque reſipiſcat, & ſe diſponat habens rectum, vehementemque affectum, & deſiderium ſolicitum ad veritatem inquirendam, & operi demandandam, vt ſic à Deo mereatur illuminari, vel per ignorantiam invincibilem excuſari. Et ideò in confirmationem adducit illud Apoſt. ad Romanos 1. *Propterea tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, id eſt, Philoſophos gentiles, quià malè affecti fuerunt erga Deum, propterea permiſit illos Deus pravè ſentire de moribus, *vt faciant ea, quæ non licent, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Et illud Sophoniæ 1. *ambulabunt vt cæci, quià Domino peccaverunt.*

7 Et fol. 10. §. *& nota quod Chriſtus*, ſic proſequitur: *tertio Deus in pœnam peccati, & ſuæ pravæ affectionis ſupradictæ permittit indignos ſæpè non rectè, nec ad ſuum propoſitum, nec ſalubriter intelligere reſponſa, & doctrinam veritatis neceſſariam, & eis oportune prædicatam, lectamque in libris ſacris, atque Doctorum, vt patet Iſaiæ 29. Claudet Deus oculos veſtros, & erit viſio omnium Prophetarum, ſicut verba libri ſignati*, id eſt, *ac ſi non videretur, nec audiretur, nec intelligeretur, quod in libro clauſo, & ſignato continetur.* Et in confirmationem adducit, quod Ioann. 18. cùm Pilatus interrogaſſet Chriſtum: *Quid eſt veritas*, non meruit audire reſponſum, quià vt communiter dicunt Doctores, *non affectu ſciendi, aut exequendi iuſtitiam, ſed animo curioſo, aut tepido id quærebat.* Vnde ad illa verba Chriſti: *Qui ex veritate eſt meam vocem audiet*, Chriſoſtomus: *Qui ex veritate eſt*, id eſt, *ſiquis amat veritatem, & ad eam afficitur.* Et Theophilatus; *ò Pilate, ſi veritatis eſt filius, eamque deſideras, audies vocem meam, id eſt, credes, & intelliges, & ſuſcipies eam veritatem, quam deſideras.*

8 Ex quibus omnibus patet, voluntatem, ad inveniendam veritatem, debere exui, & purgari à pravis, & inordinatis affectionibus, & putè, àc ingenuè quærere veritatem propter ipſam cognoſcendam, & exequendam. Vnde ſi aliquis inquirit, àn delectatio aliqua ſit honeſta, vel non, debet purgare voluntatem ab affectione circa talem delectationem. Item, ſi inquirit, àn licite poſſit exercere contractum, vel aliud medium vtile ad divitias, & comoditates proprias augendas, debet prius purgare voluntatem ab avaritia, & inordinata cupiditate. Item, ſi occurrit dubium, àn hoc medium acquirendi dignitates, & honores ſit licitum, vel illicitum, debet prius purgare voluntatem ab ambitione; & vniverſalitèr, dùm inquirit, àn aliquid ſibi liceat, vel non, debet liberare voluntatem ab affectione vivendi licentioſè, & ad proprium placitum; nàm vt inquit Ariſt. qualitèr quiſque affectus eſt, talia ſibi videntur obiecta; vndè qui affectus eſt ad vitam licentioſam, omnia ei videbuntur licita; debet ergò purgari à tali affectione, & ſolo affectu vivendi conformitèr ad Dei voluntatem, debet quærere Dei voluntatem, ſolo amore veritatis debet quærere veritatem. Quod ſi quià male affectus quærit incurrat errorem, vel ignorantiam, iàm illa ignorantia, vel error non erit inculpabilis, nec invincibilis, ſed culpabilis, & vincibilis.

9 Sed obijcies: nulla eſt lex præcipiens, nec obligans ad purgandam voluntatem à prædictis affectionibus: ergò ad talem purgationem faciendam nemo tenetur. Reſpondeo negando antecedens, quià eſt lex naturalis obligans ad quærendam veritatem in dubijs practicis, & moralibus, nimirum ipſum naturale ſyndereſis; eſt autem medium neceſſarium ad inveniendam veritatem in prædictis dubijs puritas voluntatis ab affectionibus prædictis; cùm autem lex obligans ad quærendum finem, obliget ad poſitionem mediorum, ſine quibus non obtinetur, inde eſt quod lex obligans ad quærendum verum obligat adpurgandam voluntatem. In cuius confirmationem relegenda ſunt verba ſuprà adducta quæſt. 27. num. 8. ex illo libriculo aureo, cuius titulus, *Lucta ſpiritualis.* Et etiam ea, quæ diximus quæſt. 28. à num. 85.

§. II.

Expenditur diligentia neceſſaria ex parte intellectus.

10 DICO Tertio *Intellectus debet conſideratè procedere iuxta gravitatem materiæ, & non præcipitare iudicium.* Ad hoc facit illud Iob 29. *Cauſam, quam ignorabam, diligentiſsime inveſtigabam.* & illud Eccleſ. 19. *Qui cito credit, levis eſt corde.* ergò diligentiſsimè conſideranda ſunt, & fideliter libranda omnia motiva, quæ faciunt pro vtraque parte dubij, & ante debitam iſtam conſiderationem, & ponderationem, non eſt de facili præcipitandum iudicium; alioquin ſi erret, culpabilitèr errabit.

DICO Quarto : *Intellectus debet æqualitèr diſcurrere pro lege, & pro libertate, cum quadam indifferent a, & animo amplectendi veritatem, ſive in parte contradictionis favente legi, ſive in parte libertati, vbicumque apparet.* Hoc conſeſſus fuit ipſe Terillus, loco ſuprà adducto, ex quæſt. 6. num. 44. illis verbis : *Ad hanc claſſem accedunt, qui neſcio qua de cauſa inducti, toti in eo laborant, vt rationes inveniant ad obligationes, aut tollendas, aut minuendas : hi enim cum debita animi diſpoſitione ad veritatem inveſtigandam non accedunt.* Et patet clarè, nàm intellectus eſt iudex naturalis in dubijs intellectualibus, ſicut iudex civilis in cauſis civilibus : ergò ſicut iniquum iudicium eſſet in civilibus, ſi tantum pro vna parte litigante quærerentur probationes, & non pro alia, ſi tantum ad probationes vnius attenderet iudex, non conſiderando probationes alterius, & huiuſmodi iudex non quæreret in iudicio æquitatem, ità intellectus, ſi tantum quærat rationes, & motiva pro vna parte contradictionis, & ſolùm attendat ad illa, non quærit ingenuè veritatem, ſed iniquè iudicat.

§. III.

Declaratur qualitèr ſit neceſſaria oratio.

12 DICO Quintò : *Quiſque tenetur orare Deum pro invenienda veritate in dubijs moralibus.* Probatur ex illo 2. Paralip. cap. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus* : Sed quando vnum tantum reſiduum eſt medium ad finem, qui tenetur quærere finem, tenetur apponere illud medium : ergò cum in dubio morali ignoramus, quid agere debeamus ; tenemur oculos noſtros dirigere ad Deum, nimirùm per orationem. Confirmatur ex Auguſt. lib. 3. contra Academicos, cap. 5. & 6. vbi Alipius gerens perſonam Academicorum, in illorum cauſæ favorem adducit illam fabulam Prothei, qui cum paſsim in arborem, in leonem, in taurum, in hominem, & reliquas figuras appareret, dignoſci, vel capi non poterat, niſi aliquo indicante Numine ; ex quo probat Alipius idem de veritate, quià in Protheo veritatem figurabant ſapientes. Et tunc ait Auguſtin. *Etenim Numen aliquod aiſti ſolum poſſe oſtendere homini, quid ſit verum ; cum brevitèr, tùm piè. Nihil itaque in hoc ſermone libentius audivi, nihil probabilius, & ſi Numen, vt confido, adſit, nihil verius* : ſed quod, niſi oſtendente Numine, dignoſci nequit ad illud dignoſcendum neceſſum eſt orare Numen vt oſtendat : ergò ad dignoſcendum verum neceſſum eſt orare Numen, ideſt, Deum. Sed debemus apponere medium neceſſarium ad dignoſcendum verum : ergò tenemur orare Deum, vt oſtendat veritatem, præſertim in dubijs conſcientiæ, in quibus magis eſt neceſſaria veritas.

13 Quanta autèm, & qualis oratio neceſſaria ſit, & debita ex obligatione, àn pro omnibus dubijs, àn ſpecialis, àn generalis, haud facilè oſtendi poterit. Imprimis dico, homines teneri generalitèr orare Deum, pro cognoſcenda vera ſua lege, atque doctrina, & pro ſcienda eius vera volutate ad eam implendam. Patet, nàm ſervus, vt ſervus, debet à Domino interrogare, & inquirere quid ſit faciendum in eius obſequium ; vndè quæritur Deus per Iſaiam cap. 30. *Os meum non interrogaſtis* : Sed Deum non alitèr interrogare poſſumus, quam per orationem, iuxtà illud Ioan. 16. *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis* : ergò generalitèr tenentur homines orare pro veritate invenienda. Secundò dico : hanc generalem orationem adimplent ruſtici dicendo ex corde Orationem Dominicam, in qua virtualitèr ſaltem petitur quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem, vndè etiam in illa petitur auxilium Dei ad agnoſcendam eius legem atque doctrinam, potiſsimè in illa petitione, *fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*, cum enim eius voluntatem implere non poſsimus in terra, ſicut in Cœlo, niſi ipſo manifeſtante illam nobis, id ipſum abſ dubio ibi petimus, & in alia vbi petimus, *Panem noſtrum quotidianum*, per panem enim intelligitur panis doctrinæ ſpiritualis, imò & ipſa veritas, qua alitur ſpiritualitèr anima, veritas enim eſt cibus ſpiritualis animæ. Alij verò implent talem obligationem formalius, & expreſsius per illas, aut ſimiles orationes : *Illumina oculos meos, nè vnquàm obdormiam in morte : Dirige in conſpectu tuo viam meam : Vias tuas, voluntatem tuam, & veritatem tuam doce me.* Et ex illo Thobiæ 4. dicitur : *Pete à Domino, vt dirigat viam tuam.*

14 Tertiò dico, hanc orationem generalē pro cognoſcenda veritate ſalutari non debet homo continuè agere, debet tamē nō eſſe nimis tardus, aut nimis in ea,

in quo quidem alia menſura aſsignari nequit, niſi, ſicut ad alia ſalutaria aſsignatur, iuxtà prudentum exiſtimationem. Quartò dico: quandocumque occurrit aliquod dubium graue morale, quod naturali induſtria, aut ſolertia, moraliter loquendo, vix vinci poteſt, & eſt periculum errandi in materia gravi, tunc eſt de obligatione ſpecialis oratio pro veritate inuenienda in illo, cui attinet ſolvere tale dubium. Patet quia tũc eſt caſus, ſicut quando vrget gravis tentatio, ad quam ſuperandam omnes aſſerunt eſſe obligatoriam ſpecialẽ orationem: ergò pariter ad ſolvendum grave dubium.

§. VI.

Quibus ſignis quærenda ſit veritas.

15 DICO Sextò. *Certiſsimum eſt Deum providiſſe hominibus ſigna competentia ad dignoſcendam veritatem moralem à falſitate, hoc eſt, veram honeſtatem, & virtutem à falſa, vel apparenti.* Patet, quia certiſsimum eſt Deum magis curare de eo quod homines teneant veram virtutem, & honeſtatem, quam de eo quod teneant veras gemmas, verum aurum, &c. magiſque procurare, quod homines non fallantur in bonis virtutis, quàm quod non fallantur in bonis fortunæ ſed ad cognoſcendas gemmas veras, & verum aurum, providit Deus ſigna competentia, quibus diſcerni poſſet verum ab apparenti, & falſo: ergò certiſsimum debet eſſe non defuiſſe eius providentiam in ſignis competentibus ad dignoſcendam veram à falſa virtute, veram à falſa honeſtate.

16 Dico ſeptimò. *Non ſemper, imò rarò adſunt ſigna evidentia, & infallibilia ad cognoſcendam in ſingulari veram honeſtatem, vt à ſolum apparenti diſtinctam; vndè ſigna competentia, quibus diiudicare debemus inter veram, & apparentem honeſtatem, potiſsimè in ſingularibus agibilibus, ſunt ſigna probabilia, quibus tantum probabiliter, aut moraliter certificari poſsimus de vera honeſtate præ falſa.* Hæc eſt cõmunis ſententia omnium Antiquorum, cum Ariſtotele in principio Æthicorũ, vbi ait: *Diſciplinati eſt in vnaquaque re certitudinem quærere iuxtà exigẽtiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem; non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis, groſis, & figuralibus, magis ad vnam partem, quàm ad aliam ſe habentibus: dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè ſapientibus apparet verum.* Ex quibus verbis manifeſtè patet, quod ſigna, quibus certificari debemus de vera honeſtate ſingularis agibilis, non debent eſſe demonſtrativa, nec evidentia, ſed perſuaſiva, & probabilia, quæ magis ſe habeant ad veritatem, quàm ad falſitatem, hoc eſt, ad veram, quàm ad falſam honeſtatem.

17 Et ratione patet, quia licet de pluribus vniverſalibus regulis moralitatis habeamus evidentiam, aut certitudinem omnino infallibilem, tamen dum pervenitur ad agibile ſingulare, tòt circunſtantiæ occurrunt, & difficultates, quod de illo agibili ſingulari evidentiam, aut infallibilitatem omnimodam habere non poſſumus, v. g. ſcimus evidenter temperantiam ciborum eſſe veram virtutem: item ſcimus evidenter temperantiam eſſe vſum ciborum in menſura debita, & exacta ad ſuſtentationem vitæ: ac denique ſcimus evidenter menſuram debitam eſſe comedere, nec plus, nec minus, quam exigitur ab vnoquoque vt ſecundum ſui ſtatum, & miniſterium dignè poſsit deſeruire Deo. Attamen, dùm pervenimus ad caſum ſingularem, quomodò ſciam evidenter, aut vbi inveniam ſigna infallibilia, & demonſtrativa ad dignoſcendum quantum cibi, nec plus, nec minus exigat mea natura, vt congruè poſsit deſeruire Deo? Certè de hoc nulla certitudo omnino infallibilis haberi poteſt, ſed ſolùm ſigna quædam probabilia, quæ licet aliquando fallere poſsint, tamen vt in plurimum cum veritate coniunguntur: ergò de agibilibus ſingularibus, ſeu de eorum vera honeſtate, ſolum ſignis probabilibus diiudicare poſſumus, àn ſint licita, vel illicita in rei veritate, àn ſint vera, vel apparenter tantùm honeſta.

18 Quod ſi inquiras primò, quænam ſint iſta ſigna probabilia? Dico alia eſſe à ratione deſumpta, & alia ab authoritate. A ratione deſumpta, ſunt omnia motiva, quibus probari ſolet honeſtas, aut inhoneſtas agibilis, quæ quia varia ſunt, iuxtà diverſitatem materiæ moralis, impoſsibile videtur ea ad certum numerum, aut qualitatem reducere. Ab authoritate ſunt illa, quę deſumuntur à teſtimonio Sapientium, Doctorum, aut Seniorum, aut Superiorum, qui fidedigni fuerint in materia, in qua nos docent, de quibus conſtat, quod etſi aliquando falli poſsint, ferè ſemper tamen verum dicunt.

19 Si inquiras ſecundò an iudicium ferendum ſit attento ſolùm vno ſigno probabili, vel aliquibus, vel omnibus ſimul? Reſpondeo, quod iudicium ferendum eſt attentis omnibus ſignis probabilibus, & collatis ad invicem; & ratio eſt, quià qui vnum tantum motivum, aut ſignum conſiderat, ſciens eſſe aliud oppoſitum iudicans, & ſecundùm illud primum fert iudicium, exponitur manifeſto periculo deceptionis, & inconſideratè procedit, præcipitatque iudicium, ſicut iudex, qui teſtes, & allegationes pro vna tantum parte audiret, & ſecundùm illa ferret ſententiam: ergò omnia ſimul ſigna probabilia debent inſpici, & conſiderari, & tunc, ſi omnia illa rectè librata, præponderent notabilitèr in partem affirmantem veram honeſtatem agibilis, poterit quidem intellectus probabilitèr certificari de vera eius honeſtate, aliter tamen minimè, vt ex dictis patet.

§. II.

Qualitèr illitterati debeant quærere veritatem.

20 DICO Octavo: *Illitterati facilè poſſunt inquirere veritatem in dubijs moralibus, interrogando nimirum Sapientes.* Hoc patet ex illo Deut. 32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi.* Item ex D. Auguſt. lib. de vtilitate credendi, cap. 12. vbi ſic ait: *Quis mediocritèr intelligens non planè viderit ſtultis vtilius, atque ſalubrius eſſe præceptis, obtemperare ſapientium, quam ſuo iudicio vitam degere? Nàm omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt, nec rectè factum eſſe vllo modo poteſt, quod non à recta ratione proficiſcitur: porrò recta ratio eſt ipſa virtus: cui autem hominum virtus niſi ſapientis animo præſto eſt. Solus igitur ſapiens non peccat, ſtultus ergò omnis peccat, niſi in his, in quibus ſapienti obtemperaverit. Quarè, ſi omnibus hominibus non peccare, quam peccare melius eſt, melius profectò ſtulti homines viverent, ſi ſervi poſſent eſſe ſapientum. Nihil igitur nobis reſtare amodo vides, quandiù ſtulti ſumus, ſi nobis vita optima, & religioſa cordi eſt, niſi vt quæramus ſapientes, quibus obtemperando, dominationem ſtultitiæ evadere aliquando poſſimus.* Nè tamen fallatis, quoslibet peritos intelligendo ſapientes, nota quod Auguſtinus ibidem præmiſſerat. *Nunc autem ſapientes voco, non cordatos, & ingenioſos homines, ſed eos, quibus ineſt, quanta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis, Deique firmiſſimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita, moreſque congruentes*: debent ergò ſimplices ruſtici, illitterati, & indocti inquirere verũ in dubijs moralibus à ſapientibus.

21 Sed eſt valdè notatu dignum, quod ſubdit Auguſt. cap. 13. *Hic rurſus difficillima oritur quæſtio, quoniam enim modo ſtulti ſapientem invenire poterimus; cum hoc nomen, ſi nemo ferè audeat palàm, plerique tæmen ex obliquo ſibi vendicant, cum de rebus ipſis, quarum cognitione conſtat ſapientia, ità inter ſe diſſident, vt aut nullum eorum, aut certè vnum, neceſſum ſit eſſe ſapientem. Sed quinam iſte cum à ſtulto requiratur, quo pacto queat dignoſci, planè atque percipi, omnino non video. Neque enim ſignis quibuslibet cognoſcere aliquid poteſt, niſi illud ipſum cuius ea ſigna ſunt noverit, &c.* Ex quo patet quàm difficile ſit invenire veros ſapientes, aut omnino certificari de eo, quod aliquis verè ſapiens ſit. Nihilominus, vt illitteratus pro ſuo poſſe verum ſapientem inquirat, & per illum veritatem.

22 Dico nono. *Illitteratum teneri veritatem inquirere ab eis, qui paſsione, aut affectione ſecluſa, ſibi magis ſapientes eſſe videntur, quando illos commodè interrogare poterit.* Patet, quià ſi commodè poſſet interrogare ſapientiores, ideſt eos, qui maiore fama ſapientiæ, & probitatis pollent, & illis relictis, conſuleret eos, qui minore fama ſapientiæ, & probitatis vigent, non quæreret diligentèr, ſed remiſsè veritatem, cum non adhiberet diligentiam ſibi commodè poſsibilem. Vndè cenſeo eum, qui in aliqua communitate, aut civitate ſciens eſſe viros magis peritos, & magis timoratos, quos commodè conſulere poſsit, nihilominus, illis relictis, conſulit minus litteratos, minuſvè timoratos, hic inquam non debitè inquirit veritatem, ſed deficit in veritatis inquiſitione, ſaltem per negligentiam aliquam.

23 Dico decimò: *Ille, qui plures æquè, vel ferè ſapientes, & timoratos exiſtimat, aut neſcit diſcernere, quinam ſint ſapientiores, aut magis timorati, non tenetur vnum præ alio conſulere, ſed quemque, vel quoſque conſulere poteſt; nec tenetur omnes, ſed ſufficit vnum, vel plures iuxtà gravitatem dubij conſulere, & poſt illius, vel illorum conſilium ſequi, dummodo de aliorum contradictione ſibi non conſtet.* Patet, quià imprimis non tenetur omnes ſapientes communitatis, civitatis, aut vniverſitatis conſulere, hoc enim penè eſt impoſsibile, imò & aliquando inutile, quià multi conſulentes ſolent potius ingerere confuſionem, quam veritatem detegere; deindè inter

æqua-

æquales, aut quorum non diſcernit in æqualitatem, non eſt ratio cùr conſulat iſtos præ alijs: ergò non tenetur ad iſtos potius quam alios conſulendos, ſed poteſt quemlibet, vel quoslibet. Deindè, ſi dubium ſit facile, & ratio dubitandi in contra non ſit multum difficilis, aut vrgens, vnum interroget, ſufficiet. Si dubium ſit valdè graue, plures debet conſulere. Quod ſi ſit graviſsimum, vt contingere ſolet, circa valorem alicuius matrimonij in caſu aliquo ſingulariſsimo, non erit otioſum plurimos conſulere, & placitum melius, paſsione depoſita, amplexari. Dixi autem dummodo de aliorum contradictione non conſtet, quià tunc ſolum quis poterit ſequi dictamen vnius conſulti, vel duorum, vel trium, quando illi vniformitèr, & ſine contradictione reſpondent, & non conſtet alios æquales, vel excedentes in numero, & authoritate contradicere; nàm ſi id conſtet, ſumus in dubio ab authoritate, & cùm dubio nemini licèt operari.

24 Dico vndecimo. *Non quærit ingenue veritatem, qui ad conſulendum elegit Doctores, qui loquantur ſibi placentia, quanvis multos huius generis conſulat.* Prob. 1. ex Iſaia Propheta cap. 30. ℣. 10. vbi Deus gravitèr eos arguit, qui *dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere ea, quæ nobis recta ſunt, loquimini nobis placentia.* Igitur quicumque eligit doctores, qui loquantur ſibi placentia, potius quam Doctores, qui loquantur ſibi recta, & vera, iniquè, & non ingenuè, nec ſincerè inquirunt veritatem. Confirmatur ex lib. 3. Regum cap. 22. vbi Rex Achab, nollebat conſulere Michæam verum Prophetam, & reddit rationem ℣. 8. *Ego odi eum, quià non Prophetat mihi bonum, ſed malum.* Et iterum ℣. 18. *Nonne dixi tibi, quià non Prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum.* In cuius pœnam permiſsit Deus quod ſpiritus malus eſſet ſpiritus mendax in ore quadringentorum Prophetarum, quos conſulere maluit Achab, qui locuti ſunt Regi proſpera, ſed omnes deceperunt eum. Sanè non alia ratione, niſi quià quærebat magis Prophetas, qui dicerent ſibi placentia, quam qui dicerent ſibi vera: ergò non rectè quærit veritatem, ſed meretur decipi, qui eligit Doctores, qui loquantur ſibi placentia. Confirmatur ſecundò ex Ezechiel cap. 14. vbi minatur Deus, quod *ſi homo de domo Iſrael poſſuerit immunditias, & ſcandala in corde ſuo, & venerit ad Prophetam interrogans eum, ego dominus decipiam Prophetam illum*, id eſt, decipi permittam. Et paulò poſt. *Iuxta iniquitatem interrogantis iniquitas, & Prophetæ erit.* Ex quibus colligitur interrogantem, & conſulentem alios Doctores, & ſapientiores, debere interrogare animo puro, & ſincero veritatis inveniendæ, non vero avaritia, ambitione, aut alterius generis cupiditate, eligens, & quærens Doctores qui ſuæ placeat, & annuant cupiditati, nàm, ſi hoc pacto interrogat, iuxta iniquitatem interrogantis, iniquitas & Doctoris erit.

25 Confirmatur tertiò ex Ioann. à Sancto Thom. in 1.2. diſp. 12. art. 3. fol. mihi 737. §. *addicitur tertio*, vbi notat, quod plerumque homines placere deſiderant alijs, à quibus conſuluntur, cùm ſint multi Magiſtri prurientes auribus, coacerbabunt, inquit, Magiſtros prurientes auribus, vbi Iy *coacerbabunt* multitudinem opinantium inſinuat, qui placere deſiderant, præſertim ſi ſint Principes, aut magnates, hi qui conſulunt, & multo magis ſi non cùm indifferentia, ſed cum aliqua ſuæ voluntatis explicatione, vel inſinuatione conſulunt, deſiderantes pro ſuo intento invenire Theologorum opiniones, & ſententias. Vndè plerumque iſta probabilitas opinionum ſecura non eſt, licèt plurium placita, & conſulta ſuper his reperiantur, & alias ſint viri docti, & litterati, qui id dicunt, ſicut fuerunt quadringenti Prophetæ, qui Achab, & Ioſaphat prænunciabant fœlicem ſucceſſum belli, & tamen decipiebantur ab ſpiritu nequam, vt dicitur tertio Regum 22. Vnde, & modo etiam multi, qui & Prophetæ, & docti videntur, facile decipiuntur, & decipiunt Principes; & ideo vt poſsit quis probabile iudicium ferre in formanda conſcientia, & authoritate eorum, quos conſulunt, oportet vt non ſolum ſit vir doctus, & litteratus, ſed & timoratus, & ſine reſpectu particulari tradat conſilium, ſed cùm indifferentia.

26 Vndè & Principes vt ſecuri ſint in conſilijs, & conſultationibus debent obſervare duo, alterum ex parte ſua, vt interroget cùm indifferentia, & non præmittendo, nec inſinuando intentum ſuum, & partem, quam volunt iuſtificari. Alterum ex parte conſulentium, quod attendant rationes eorum, & fundamenta, eaque ponderent. Quod, ſi authoritate ducatur, illa ſit ex claſsicis, & Antiquis Authoribus, apud quos rationes, & fundamenta ſufficientia dari præſumitur. Hactenus Ioann. à Sancto Thom. valdè prudenter. Ex quo.

27 Tandem dico, illitteratum interrogaturum, debere quærere doctores independentes à ſe, qui liberè veritatem, etſi amaram, pronuncient, & qui ſibi non formident dicere: *Non licet tibi.* Quod ſi prudenter formidet, quod Doctor conſultus in hoc deficiet, debet illum confortare, dicens ſibi magis placere, qui vera, quàm qui placentia reſpondent. Sicuti Theodoſio nullus magis placuit Doctor, nec Epiſcopus, quàm Ambroſius, licet alij placentia, Ambroſius diſplicentia, ſed vera ſibi diceret liberè, & independenter. Ac demùm, debet non inſinuare quid velit ipſe, aut pro qua parte vellet Doctorem proferre ſententiam, ſi indè timere poſsit, quod Doctor minus verè, & rectè reſpondebit; quià iſtæ ſunt diligentię ad quęrendam per ſe veritatem exactæ, alioquin quis periculo deceptionis voluntariè ſe exponet, ſi hæc pericula deceptionis, potens vitare, non præcaveat.

28 Dico duodecimo: *Non quærit ſincerè veritatẽ, qui poſtquam invenerit vnum, & alium Doctorem dicentem:* nõ licet, *quærit alios, & alios vſquedum inveniat dicentes:* licet, *cum animo aſſentiendi his præ illis.* Ità Nauarrus in Manuali, c. 17. n. 13. & Adrianus in 4. quæſt. 88. & M. Ferre, tract. de probabilitate, q. 12. n. 53. contra Sanch. in Decalogum, lib. 1. c Baldellum, tom. 1. Theologiæ Moralis, diſp. 12. & Paſqualigum, deciſ. 34. n. 4. M. Ferre probat aſſertum, hoc pacto: quià pœnitens indoctus, qui neſcit diſcernere quodnam placitum ſit rationale, vel non, ſed tãtum nititur authoritate aliorum peritorum, ſi poſtquam à conſultatis peritis audit opus eſſe licitũ, nihilominus quærat alios, & alios, qui dicant ſibi opus eſſe licitum, *dat vehementem ſuſpicionem, quòd non quærat veritatem, ſed ſolius ſuæ voluntatis expletionem. Nec valet dicere* (proſequitur Ferre) *quod ſi primi docti, quos conſuluit, dixerunt ei ſententiam nimis rigidam, poſsit appellare ad alios, & alios, qui ſibi conſulant ſententiam benigniorem. Non quidem valet, nàm ipſe cum ſit omnino ignarus Iuriſprudentiæ, nequibit diſcernere de rigido abſoluto, & de rigido reſpectivè; multa enim abſolutè conſiderata apparent rigida, quæ tamen comparata cum culpa rigida non ſunt. Rigidum enim apparet, quod homo nobilis in conſpectu plurium, dicat ſe eſſe mentitum, vel falſum dixiſſe; & tamen non eſt rigidum hoc reſpectu illius nobilis, qui ab alio nobili famam abſtulit iniuſtè, & non poteſt alio modo reſtituere famam, quam abſtulit, niſi dicendo coram eis ſe eſſe mentitum, vel ad minus falſum dixiſſe. Vndè circa hoc ignarus debet ſuldi dictis Doctorum, & ſcientiæ eorum ſubdere ſuam voluntatem, ne ei contingat, quod exprobratur in Scribis, & Phariſeis, qui vocantes Ieſum Magiſtrum, ſuperbi, & elati propriam voluntatem ſcientiæ eius ſubdere nollebant; ſed ſibi retinebant dicentes: Magiſter volumus.* Hactenus M. Ferre. Et proſequitur: Sed quid dicendum, ſi conſultis minus doctis, ſibi reſtent conſulendi doctiores, poterit nè tunc doctiores conſulere? Dico, quod ſi illi conſtet ex fama, & alijs inditijs, quod primi non ſunt valdè docti, & quod hi, qui reſtant, doctiores ſunt, poterit illos conſulere, non animo explendi voluntatem ſuam, ſed ſciendi veritatem, quæ in doctioribus vt in plurimum invenitur; & quià, dùm minus doctis conſultis, vult conſulere doctiores, præſumitur ipſum procedere cum animo ſciendi veritatem. Ex quibus patet veritas noſtri aſſerti, qnod ſcilicet, ſi plures conſulat cum animo aſſentiendi eis, qui dixerint, *licet*, licèt ſint minus, vel æquè tantum docti, ſeu inquirendo, qui ſibi dicant, *licet* ad explendam ſuam voluntatem, hic inquam non quærit ſincerè veritatem, ſed animo malè diſpoſito.

§. VI.

Qualitèr diſcipuli incipientes, & proficientes debeant inquirere veritatem.

29 LOCVS Erat iſte oportunus tractandi de ſtudiorum, & ſcholarum praxi, ad inveniendam veritatem congruenti; ſed quià res iſta tractatum ſpecialem exigebat, brevitèr aliqua de diſcipulis in hoc §. & in ſequenti de Magiſtris prælibabimus: igitur diſcipuli incipientes cum illitteratis ſunt computandi, qui proindè veritatem, ſicut illi, purè per authoritatem Doctorum, & Magiſtrorum inquirere poſſunt in dubijs. Loquendo autem de diſcipulis proficientibus.

30 Dico 13: *Diſcipuli debent eligere Magiſtros doctiores, & probiores, ſi quærunt dicere veritatem, debent item legere libros ſolidioris, & profundioris doctrinæ.* Pater; nàm qui ſeriò, & ſincerè querit veritatem, debet illam quærere, vbi certius invenitur, & cum minori contingentia deceptionis: ſed ità invenitur in Magiſtris doctioribus, & probioribus, & in libris ſolidioris, & profundioris doctrinæ: ergò ceteris paribꝰ hos debẽt legere, & eligere.

Quod

Quod ſi dicas, qualiter diſcipulus diiudicare valebit inter doctos, & doctiores, & inter libros ſolidioris, aut minus ſolidæ doctrinæ? Reſpondeo quod ſicut palatum benè diſpoſitum, & ſanum, maſticando diſcernit inter cibos, ità diſcipulus proficiens, ſi animo ſano, & ſincero quærat ſcire veritatem, facile diiudicare poterit inter Magiſtros, & libros, vel ſaltem ex fama, & communi opinione, ſi Magiſtrorum doctrinam non guſtaverit.

Confirmatur: nàm diſcipuli, & Magiſtri ſunt quaſi venditores, & emptores veritatis, ſeu quaſi datores, & acceptores veri: diſcipuli emunt, ſeu accipiunt, Magiſtri dant; atqui, vt ſupra vidimus ex Chriſoſtomo, qui quærit emere veſtes, aut alia bona temporalia, girat negotiatores, & inquirit vbi meliores veſtes venundentur; & non minorem diligentiam debent facere, qui quærunt veram doctrinam: ergò diſcipuli proficientes, ſi quærunt veram doctrinam, debent quærere Magiſtros, & Authores doctiores, & probiores, qui ſanè certius, & ſecurius tradunt veritatem.

31 Dico 14. *Debent ſtudio incumbere, non animo aucupandi gloriam humanam, commoditates terrenas, aut quæſtus vtiliores, ſed deſiderio perficiendi animum ſcientia, & inventione veritatis, vt fiant inſtrumenta apta diuinæ prouidentiæ ad miniſterium, cui eos propria vocatio, aut ſuperiorum diſpoſitio deputaverit in Eccleſia Dei.* Patet, nàm ſi quærant proprias commoditates, aut humanam gloriam, eos magiſtros libentius audient, eas ſententias propenſius ſequentur; ex quibus maiores commoditates, viam faciliorem ad dignitates, aut maiorem humanam gloriam aucupaturi ſperabunt; non vero eos, à quibus ſolidior, & verior doctrina ſperari poteſt: exquo rurſus fit, vt propter terrena lucra ſe exponant periculo addiſcendi doctrinam, & ſententias falſas.

32 Dico 15. *Debent non eſſe curioſi nimium, nec novitatum amatores, ſed potius ab Antiquis ſolidiorem, & antiquiorem doctrinam quærere.* Patet, quià vt dicitur Iob. 12. *In Antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Et Antiquorum doctrina præſumitur eſſe doctrinam PP. iuxta illud Eccleſiaſt. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt ex PP. ſuis.* Secundò quià ex amore novitatis, & ſingularitatis doctrinæ, plurimi errores exorti ſunt in Eccleſia Dei, & ideò ſemper doctrinæ novitas eſt ſuſpecta; vtiliorem enim intellectum, imò & profundiorem iudicaverim, eum, qui doctrinas Antiquas novis rationibus, & fundamentis confirmat, quàm qui novas excitat ſententias.

33 Dico 16. *Debent diſcipuli non eſſe factionarij, aut partium ſectatores, quantum ad doctrinam, ſed vtroſque Doctores, & Magiſtros æquè amare, & à certioribus perſuaderi.* Eſt regula expreſſa Ariſt. lib. 12. Metaph. lect. 9. & D. Thom. ibidem vide ſupra. Et patet, nàm qui ſunt partium ſectatores, non tàm hanc ſequuntur ſententiam quià veram; quàm hanc dicunt veram, quià ſuæ partis, & factionis, & ſic non ſincere quærit veritatem, ſed potius ſuæ factionis, vel partialitatis defenſionem, & ſic multi errant in veritatis inquiſitione. At forsàn me increpabis, quod hæc ſcribo, & nihilominus Thomiſtam, id eſt, partis Thomiſtarum me eſſe profiteor ſectatorem.

Sed reſpondeo *Thomiſtam* dici à ſequela doctrinæ D. Thom. quàm ſequor, & omnibus alijs antepono, quià veriorem, & certiorem, non ex ſola affectione, aut factione (vt puto) cùm Thomiſtis, nec enim credo doctrinæ Thomiſtarum vt veræ, quià erga illam præ alijs affectus ſum, ſed potius erga illam præ alijs affectus ſum, quià illa præ alijs certius veritatem attingit, & iuxta regulam Philoſoph. vtroſque amo, ſed à certioribus perſuaderi deſidero. Quod ſi in hoc fallor, culpam fatebor, parce, & parcat Deus. Nec ſe profiteri Thomiſtam, aut diſcipulum D. Thomæ, cenſeo eſſe factionem, aut partialitatem, cùm in ſcholis D. Thom. non pars, ſed Princeps mihi videatur, vtpote omnibus alijs Doctoribus ſcholarum facile, & merito præferendus. Quod ſi idem velint dicere Scotiſtæ, de ſuo Scoto, Suariſtæ, de ſuo Suario, aut alij ſimiliter, quanta ratione, ſibi viderint; nec de hoc cùm alijs contendant, ſufficit mihi, quod à factione, & partialitate me tutum puto in ſequela D. Thomæ, ſi omnes diligendo Doctores, ab Angelico potius, quià certiore, perſuaderi contendo. Vide infra dicenda q. 38.

34 Dico 17. *Quod diſcipulus debet non eſſe tenax in opinionibus ſemel conceptis, ſed potius debet eſſe paratus ſententiam mutare, vel antiquam meliori ſenſu explicare, ſi noua ratio, aut motivum ad id obligans apparuerit* Patet hoc ex Auguſt. lib. 1. contra Accadem. cap. 3. vbi cùm Trigetius interrogaret: *Licet ne tandem ad ea, quæ temere conceſſa ſunt, redire rurſum?* Cui reſpondet Auguſt. *Illi hoc non ſolent concedere, quos ad diſputandum, non inveniendi veri cupi-*

cupiditas, ſed ingenij puerilis iactantia impellit. Itaque apud me præſertim cum adhuc educandi, nutriendique ſitis, non ſolùm conceditur, ſed etiam in præceptis habeatis volo, ad ea vos diſcutienda redire oportet, quæ conceſſeritis incautius. Non parum in Philoſophia profectum puto, cum in comparatione recti, verique inveniendi, contemnitur à diſputante victoria. Ex quibus patet, diſcipulum proficientem debere non eſſe contentioſum, nec in ſemèl à ſe dictis pertinacem, nè plus litigando pro ingenij iactantia, aut pro diſputationis victoria, quàm pro veritate invenienda, ipſius veritatis inventionem impediat, hancque eſſe expreſſam regulam Auguſtini, pro diſcipulis proficientibus valdè vtilem.

35 Denique adnoto pro diſcipulis proficientibus textum D. Thomæ ex quodlib. 3 artic. 10. in corpore, ſic dicentis. *Reſpondeo dicendum, quod diverſæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, ſiquidem non pertineant ad Fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores vtramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit ad Romanos, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, in his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicuius Magiſtri, in talibus enim ignorantia non excuſat. Alioquim immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arrij, Neſtorij, & aliorum Hæreſiarcarum. Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus erroneam opinionem ſequantur, in rebus enim dubijs, non eſt de facili præſtandus aſſenſus, quinimo, vt Auguſtinus dicit in lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, conſulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ authoritate percepit. Qui ergò aſſentit opinioni alicuius Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſivè contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.*

36 Sed rogabis àn reſolutio D. Thom. ſolùm intelligenda ſit in hoc vltimo caſu, quando ſcilicet diſcipulus *ſequitur opinionem erroneam ſui Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, aut contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem.* An etiam intelligenda ſit vbi veritas eſt aliquantulum obſcura, aut ambigua, & vtraque opinio contraria Magiſtrorum permittitur intrà Eccleſiam? Reſpondeo, quod quantum ad peccatum hæreſis, aut erroris contra fidem, ſolùm eſt intelligenda reſolutio D. Thomæ in illo vltimo caſu, quià ſolùm in illo verum eſt auditorem non excuſari à peccato hæreſis, aut erroris contra fidem; attamen quantum ad errorem, vtcumque culpabilem, etiam intelligendus eſt, quando veritas eſt ambigua, & vtraque opinio ſuſtinetur ab Eccleſia; cenſeo enim errare culpabiliter in materia fidei, & morum, qui ſequitur opinionem erroneam ſui Magiſtri contra alios Magiſtros doctiores, vel æquè doctos, & abſque maiori ratione pro ſuo, quam pro contrarijs Magiſtris, ſolùm ductus affectione, & non maiori ratione, nec maiori authoritate; quià in tali caſu licet non ſit hæreticus, nec erret pertinaciter contra fidem, quià veritas non dum eſt definita ab Eccleſia, nec manifeſta in Scriptura, verumtamen eſt alius error circà res fidei, & mores, qui ſolet eſſe culpabilis, vel ex negligentia, vel ex præcipitatione iudicij, vel ex affectione aliqua inordinata, aut ex alijs capitibus, quibus peccare ſolemns in veritatis inquiſitione, abſque peccato hæreſis, aut erroris pertinacis contra fidem; hoc autem pacto peccaret diſcipulus, qui prædicto modo ſequeretur circà fidem, & mores ſententiam erroneam ſui Magiſtri; quod probat à fortiori ratio illa D. Thomæ: *In rebus enim dubijs, non eſt de facili præſtandus aſſenſus, quinimo, &c.* Ex qua probat non excuſari peccatum erroris propter ſimplicitatem auditorum, ſi auditor ſequatur opinionem erroneam ſui Magiſtri, præſtando nimirum de facili aſſenſum, illumque abſque maiori ratione, aut authoritate pro opinione ſui Magiſtri, quàm pro contraria alterius, ex ſolo affectu illi conſentit, & iſti contradicit.

§. VII.

Quænam diligentia requiratur in Magiſtris pro veritate invenienda.

37 SANE Tales ſunt obligationes Magiſtri pro inquirenda, & docenda veritate, vt ſi omnibus eſſent ſatisfacturi, vel Magiſterium relicturi, planè impleretur dictum Chriſti Domini: *Nolite plures Magiſtri fieri, vnus enim eſt Magiſter veſter.* Sed ècontrà iam videmus, vt quodam modo plures videatur eſſe Magiſtros, quàm diſcipulos in

in ſcholis, de quorum numero, negari nequit non paucos eſſe ineptos, qui & ipſi peccant, & qui eos tali præficiunt miniſterio. De aptis ergò loquendo, quibus Deus talenta commiſit, imprimis tenentur ad purgandam voluntatem, ad informandum intellectum, & orandum iuxta ſupra dicta. Tenentur inſuper liberi, ac ſoluti pro poſſe vivere ab illis, quorum cõſultationibus reſpondere tenentur. Obligantur item ad veritatem, & doctrinam omnibus bonis temporalibus anteferendam, non tàm curantes, vt placeant, quàm vt inſtruant, plus populum ſanare, quàm lenire cupientes, fideles magis per viam rectam, quàm per amena virentia ducere procurantes. Debent item animi ſervare integritatem, & pro veritate viriliter decertare, nec flecti ad importunos rumores quærentium magis iucunda, quàm vera. *Si enim ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur*, id eſt, ſi Doctores, per quos veritas populis eſt tradenda, metu, vel cupiditate temporalium, à veritatis regula deficiant, quî erunt homines, per quos ab ipſis error auferatur, cùm eos elegerit Deus per quos errorem aufferat ceterorum.

38 Tenentur (vt alias innumeras obligationes omittam, quæ latiorem exigebant tractatum) continuo Sacram Scripturam, Sacroſancta Concilia, Sacros Canones, SS. que Patrum ſcripta pro poſſe verſare, pluſquam modernorum caſuiſtarum ſummas; illorum enim ſtudium longè certius oſtendit nobis veritates morales ſalutares, quàm horum lectio; potiſsimè cùm in horum libris vix aliquis reperiatur Sacræ Scripturæ, aut SS. Patrum textus. Præferendi etiam ſunt, & non contemnendi Doctores Antiqui; *In Antiquis enim eſt prudentia* (inquit Iob cap. 12.) *& in multo tempore prudentia*, & communiter, quæ traduntur ab Antiquioribus cenſentur tradita à Patribus, iuxta illud Eccleſiaſtici 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt ex Patribus ſuis.* Hoc enim pacto, & purior, & vniformior ſervabitur doctrina moralis in Eccleſia. Cùm enim Chriſtus ſit veritas ipſa, de cuius plenitudine immediate Apoſtoli acceperunt, & ab Apoſtolis SS. Patres, non aliter melius noſtra doctrina continuabitur doctrinæ Chriſti, & Apoſtolorum, quàm SS. Patres continuo verſando, & Antiquos, qui ab ipſis didicerunt, & tanto magis ſervabitur vnitas doctrinæ in Eccleſia, quanto magis intime coniungimur viformiſsimæ Chriſti doctrinæ, Apoſtolorum, & SS. PP. in quibus purior conſpicitur doctrina Chriſti, ſicut enim rivus purior fluit, quanto proximior fonti, ità purior doctrina Chriſti elucet, quanto proximius manat per ſucceſsionem à Chriſto. Nec propterea omittendam cenſeo lectionem Recentiorum; plurimum enim iuvant ad veritatem moralem inveniendam; potiſsimè circa caſus ſingulares ab Antiquis non memoratos.

39 Concludo denique eos teneri pro poſſe imitari illos Antiquos iuſtos, & Doctores, de quibus Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 23. ait, quod *Vigilijs continuis excubabant, ne opinio veroſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicuius erroris offundant, ne, quod bonum eſt, malum, quod malum eſt, bonum eſſe credatur, ne ab his, quæ agenda ſunt metus revocet, ne in ea, quæ agenda non ſunt cupido præcipitet*, & conſequenter ne ab iis, quæ conſulenda ſunt, metus amittendi temporalia retrahat, ne etiam ad ea, quæ docenda, aut conſulenda non ſunt temporalium cupiditas impellat.

40 Exquibus denique inferre iàm licet, quid intelligendum ſit per illam particulam, *facta debita, & exacta diligentia, pro veritate invenienda*, quàm totiès in hoc tractatu inculcamus; intelligitur enim diligentia in hac quæſtione explicata, reſpectivè loquendo ad cuiuſlibet ſtatum, aut conditionem. Quod ſiquis in prædicta diligentia exhibenda culpabilis inveniatur, & inde ſequatur error in opinione, aut conſcientia, iuxta culpam negligentiæ, & ignorantiæ, erit culpa in ſequela conſcientiæ, vel opinionis, quantumvis opinio probabilior appareat. Si tamen debitè quis procedat in tali diligentia, plane excuſabitur à peccato, ſequendo conſcientiam, aut opinionem longè probabiliorem inde reſultantem, licet forsàn falſam.

QVÆST. XXXIII.

Quænam honeſtatis certitudo requiratur ad honeſtè operandum.

1 MIRVM Sanè eſt, quod circa hanc quæſtionem inter nos, & Probabiliſtas contingit, cùm enim in præcedentibus nullam omninò certitudinem videantur exigere ad honeſte operandum, ſed multò minorem probabilitatem, quàm nos exigimus, ſufficere dixerint, tamen in præſenti quæſtione multo maiorem certitudinem de honeſtate operationis exigunt, quàm

quàm nos. Qualitèr autem hoc conciliare conentur, ſtatim eſt declarandum

2 Prænotando primò diſtinctionem illam valde vſitatam in hoc tractatu, operis, & operationis, obiecti, & electionis: diſtingitur autem opus, & operatio, quatenus opus dicitur quilibet actus exterior volitus, aut imperatus per actum internum voluntatis, & hoc opus vocatur etiam obiectum, quatenus eſt obiectum actus interioris, vocatur etiam agibile, quatenus eſt actio agibilis à ſubiecto, non vero opus factibile in externam materiam; operatio vero dicitur actio interior voluntatis, qua voluntas tendit formalitèr in actum volitum, ſeu electum. Alij alitèr explicant huiuſmodi diſtinctionem; ità vt opus intelligant ipſum agibile, vel ipſam actionem exteriorem prout ſe tenet ex parte obiecti, præſcindendo à modo interiore, quo fit, hoc eſt à voluntarietate, ſeu ab affectu, & cognitione agentis: operationem vero intelligunt ipſum opus, vt ſubeſt cognitioni, & affectui agentis, & vt conſideratum ſub voluntarietate interiore, qua fit. Ad hunc tenorem diſtinguunt communitèr AA. duplicem honeſtatem, vnam obiectivam, aliam formalem. Honeſtas obiectiva eſt illa, quæ ſe tenet ex parte operis, vel obiecti prout diſtincti, & præſupoſiti ad actum interiorem tendentem in illud, & hæc honeſtas obiectiva conſiſtit in eo, quod opus ipſum, vel obiectum ſit conforme Dei legi, & rationi, & per illam licitum; & hæc honeſtas præciſivè ſumpta ab actu interiori, ſolet appellari honeſtas materialis. Honeſtas formalis eſt illa, quæ ſe tenet ex parte actus interioris voluntatis tendentis in obiectum, vel opus volitum; & conſiſtit in eo, quod voluntas tendat ſuo actu interiori in opus licitum, & honeſtum, quià licitum, & honeſtum. Et ab hac honeſtate formali ſolet etiam denominari actus, vel opus exterius formalitèr honeſtum, inquantum fit & imperatur actu voluntatis formalitèr honeſto. Et eodem pacto dividitur inhoneſtas. Nàm obiectiva inhoneſtas conſiſtit in eo quod opus ex parte obiecti ſit diſconforme legi, vel rationi, quæ, ſi conſideretur præciſive à voluntarietate, qua fit, appellatur inhoneſtas materialis, ſeu peccatum materiale. Formalis vero inhoneſtas conſiſtit in eo, quod actus interior voluntatis tendat in obiectum prohibitum, & diſconforme legi, vel rationi, quanvis prohibitum, & diſconforme; & ab hac inhoneſtate formali ex parte actus interioris ſe tenente, ſolet opus exterius denominari formalitèr inhoneſtum.

3 Præmitto ſecundò, quod honeſtas, vel inhoneſtas formalis ex parte actus interioris ſumitur ab honeſtate, vel inhoneſtate obiectiva actus exterioris; nàm actus interior voluntatis in eſſe moris ſpecificatur ab obiecto, in quod tendit, ità vt ſi tendat in obiectum, vel opus honeſtum, quià honeſtum, ab ipſo obiecto, vel opere obiectivè honeſto accipit honeſtatem formalem; ſi vero tendat in obiectum, vel opus prohibitum, ab ipſo obiecto prohibito, vel ab eius obiectiva inhoneſtate contrahit formalem malitiam, vel inhoneſtatem. Cùm magna tamèn differentia, nàm vt actus interior evadat honeſtus formalitèr ab opere obiective honeſto, non ſufficit, quod tendat in obiectum, *quanvis honeſtum*, ſed requiritur quod tendat in illud *quià honeſtum*. Attamen vt actus voluntatis ab obiecto inhoneſto evadat formalitèr inhoneſtus, non requiritur quod tendat in obiectum *quià inhoneſtum*, *& turpe*, ſed ſufficit quod tendat in obiectum, *quanvis inhoneſtum, & turpe*. & huius differentiæ ratio eſt, quià in actionibus honeſtis honeſtas debet eſſe poſitive voluntaria, in actibus vero malis, & inhoneſtis malitia, & inhoneſtas non debet eſſe poſitive voluntaria, quià nullus eſt, qui velit poſitive malitiam, & inhoneſtatem, ſed ſufficit quod ſit privative, aut interpretativè voluntaria, hoc eſt, quod illam ſcientèr incurrat, potens illam vitare: vnde vt actus ſit formalitèr bonus, & honeſtus, requiritur quod tendat in obiectum honeſtum motive, id eſt *quià bonum*, *& honeſtum*; attamen vt ſit malus, & inhoneſtus formalitèr, non requiritur quod tendat in obiectum inhoneſtum, & malum motivè, id eſt, *quià malum*, *& quià inhoneſtum*, ſed ſufficit quod tendat in obiectum inhoneſtum, & malum adverſativè, id eſt, *quanvis malum, & inhoneſtum*.

4 Præmitto tertiò obiectum, à quo actus voluntatis ſpecificatur ſimplicitèr in eſſe moris, quoad bonitatem, vel malitiam moralem, non eſſe obiectum, vel opus præciſive à circunſtantijs, ſed opus vt hic & nunc circunſtantiatum. Hoc patet, quià ſtat optime opus ſecundum ſe eſſe honeſtum, & tamèn ratione alicuius circunſtantiæ hic & nunc concurrentis eſſe inhoneſtum; & tunc licèt vt hic & nũc conſideratum opus præciſivè ab illa circunſtantia ſit honeſtum, ab illo tamèn non deſumit actus voluntatis honeſtatem ſimplicitèr, ſed potius, quià vt circunſtantiatum eſt deturpatum, ab illo ſumit turpitudinem, quià videlicet ſpecies moralitatis in actu hu-

humano ſumitur ab obiecto vt circunſtantiato, non ab obiecto nudè ſumpto.

5 Præmitto denique, quod circunſtantiæ iſtæ debent eſſe circunſtantiæ obiectivæ, hoc eſt, ſe tenentes ex parte obiecti, in quod tendit voluntas, ità vt per prius tales circunſtantiæ denominent obiectum, vel opus obiectivè turpe, & inhoneſtum, quam ab illis actus voluntatis deſumat ſpeciem ſuæ moralitatis; quià niſi obiectum, in quod tendit voluntas, per prius conſideretur, aut ſit honeſtum, vel inhoneſtum vt circunſtantiatum, ab illo vt circunſtantiato actus non poterit formalitèr deſumere ſpeciem honeſtatis vel inhoneſtatis. Ex quo patet, quod cognitio practica intellectus proponens obiectum vt circunſtantiatum voluntati, non eſt circunſtantia conſideranda ad honeſtatem, vel inhoneſtatem actui præſtandam: quià potius talis cognitio eſt conſideratio circunſtantiarum, ſeu obiecti circunſtantiati; conſideratio autem circunſtantiarum non poteſt eſſe circunſtantia conſideranda ex parte obiecti; aliàs etiam conſideratio ipſius conſiderationis eſſet circunſtantia conſideranda, & ſic in infinitum. Vndè circunſtantiæ conſiderandæ ſunt tantum illæ quæ ſe tenent ex parte obiecti, vel operis, & quibus obiectum, vel opus ſubeſt obiectivè prout repræſentatur aut debet repræſentari per conſiderationem intellectus. Quibus ſuppoſitis ex tractatu de bonitate, & malitia actuum humanorum. Iàm, vt quæſito reſpondeam, ſit.

§. I.

Prima concluſio ſtatuitur.

6 DICO Primò: *Ad honeſtatem formalem operationis, omnino requiritur quod intellectus per prius certificetur aliqua certitudine de honeſtate obiectiva operis eligendi, in quod tendere habet voluntas.* Hæc concluſio eſt omnium antiquorum, ad illam regulam Auguſtini *Tene certum, & dimitte incertum*; conſtatque ſufficientiſsimè ex dictis in præcedentibus, & rurſus probatur, quià, vt dictum manet in ſecundo notabili, vt operatio voluntatis ſit formalitèr honeſta, requiritur quod tendat in opus, vel obiectum honeſtum motive, id eſt, quià honeſtum: ſed implicat quod tendat in obiectum, quià honeſtum, niſi prius certificetur aliqua certitudine de eius honeſtate obiectiva; nàm ſi omnino incertus eſt vtrum opus ſit, vel non ſit obiective honeſtum, qualitèr tendere poterit in tale opus, quià eſt honeſtum obiective? Ergò ad honeſtè formalitèr operandum requiritur quod operans per prius certificetur de honeſtate obiectiva operis aliqua certitudine. Quod magis confirmatur ſequente concluſione.

7 Dico ſecundò: *Ad inhoneſtè formalitèr operandum non requiritur quod operans per prius certificetur vlla certitudine de inhoneſtate obiectiva operis, ſed ſat eſt quod incertus & dubius de honeſtate, vel inhoneſtate obiectiva operis nihilominus tendat in opus, & illud eligat.* Patet etiam ex dictis, quià ſic tendens ſe exponit periculo proximo peccandi, & faciendi opus prohibitum; & quià operatur ſine regula certa honeſtatis, & alijs rationibus ſupra expenſis. Et denique quià vt quis operetur inhoneſtè formalitèr, non requiritur quod tendat in opus, quià inhoneſtum, ſed ſat eſt ſi tendat adverſativè in illud, quanvis ſit inhoneſtum; ſed qui incertus omnino an opus ſit, vel non ſit inhoneſtum, tendit in illud ſive ſit, ſi ve non ſit inhoneſtum, & conſequenter quanvis ſit inhoneſtum: ergò peccat formalitèr. Ex quo confirmatur, vt dixi, prima concluſio, quià ſi ad inhoneſtè formalitèr operandum, ſufficit omninoda incertitudo de honeſtate, vel inhoneſtate operis: ergò ad honeſtè formalitèr operandum, requiritur certitudo aliqua de honeſtate obiectiva operis. Vnde non eſt medium; nàm vel qui operatur eſt aliqualitèr certus de honeſtate obiectiva operis, vel eſt omnino incertus, vtrum opus ſit obiectivè inhoneſtum, vel honeſtum. Si hoc ſecundum, operatur inhoneſtè formalitèr. Si primum, ſufficit ad honeſtè formalitèr operandum.

8 Dico tertiò: *Certitudo, quæ requiritur de honeſtate obiectiva operis ad honeſtè formalitèr operandum, non debet eſſe certitudo phyſica, nec metaphyſica omnino infallibilis, ſed ſufficit certitudo moralis, aut probabilis aliquando fallibilis.* Hæc concluſio eſt expreſſa Philoſop. in principio Ethicorum cap. 1. vbi dicitur, quod, *diſciplinati eſt in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, ac moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis, groſis, & figuralibus, magis ad vnam partem, quam ad aliam ſe habentibus.* Eſt item eſt expreſſa D. Th. 2. 2. quæſt. 70. art. 2. vbi ſic ait: *Dicendum, quod ſecundum Philoſophum, certitudo non eſt ſimiliter*

liter quærenda in omnibus materijs, in actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur iudicia, & exiguntur teſtimonia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quod ſunt circa contingentia, & variabilia; & ideò ſufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat. Et ad primum ſic ait. *Nec tamen quià non poteſt in talibus infallibilis certitudo haberi, debet negligi certitudo, quæ probabiliter haberi poteſt.* Et commentario in primò Æthicorum ſuper dictum textum Philoſ. ait: *Materia moralis talis eſt, quod non ſit ei conveniens certitudo perfecta.* Et vbi Philoſ. ait, quod *oportet veritatem oſtendere groſſe, & figuraliter*, exponit Angelicus Præceptor, *id eſt, veroſimiliter.* Hanc etiam ſententiam amplectuntur Antiqui, vti Altiſiorenſis, Gerſon, Nyder, Antoninus, Angelus, Gabriel, Cayetanus, Silveſter, & alij, locis ſupra citatis, qui vniformiter tenent non requiri ad rectè operandum certitudinem evidentem, aut demonſtrativam, ſed ſufficere certitudinem moralem, vel probabilem, quæ magis inclinet in vnam partem, quàm in aliam.

9 Ratione vero probatur, quià cùm actus humani verſentur circa ſingularia contingentia, & variabilia, ſolum eam certitudinem exigunt de obiecto, in quod tendunt, quæ haberi poteſt de ſingularibus agibilibus: ſed de ſingularibus agibilibus haberi nequit certitudo metaphyſica, aut infallibilis omninò, ſed ſolum probabilis, & moralis: ergò hæc ſolum requiritur ad honeſte formaliter operandum. Minor probatur primò. Nàm licet habeamus certitudinem metaphyſicam de regulis vniverſalibus moralitatis, tamen cùm applicantur illæ regulæ ad ſingularia agibilia, cùm ipſa ſingularia ſint contingentia, & variabilia, circa ipſa non poſſumus habere infallibilitatem omnimodam. V.g. certum, & infallibile omninò eſt quod quis licitè poteſt comedere temperatè, prout decet, & oportet ad ſalutem, & vitam ſuſtentandam; tamen cùm pervenitur ad ſingulares comeſtiones, quis ſcire poterit cùm omnimoda infallibilitate hanc, & illam comeſtionem ſingularem eſſe temperatam? Ad ſummum poteſt quis aſſumere aliquam regulam, quæ vt in plurimum deſsignet comeſtionem temperatam, licet aliquando fallatur: ergò de ſingularibus agibilibus ſolum haberi poteſt certitudo probabilis, aut moralis, quæ vt in pluribus veritatem attingat, licet vt in paucioribus à veritate deficiat. Secundò ex D. Tho. 2. 2. q. 47. art. 3. (ad ſecundum dicendum quod quià infinitas ſingularium non poteſt ratione humana comprehendi, inde eſt quod ſunt incertæ providentiæ noſtræ, vt dicitur ſapientiæ 9. tamen per experientiam ſingularia infinita reducuntur ad aliqua finita, quæ vt in pluribus accidunt, quorum cognitio ſufficit ad prudentiam humanam) ergò ad prudenter, & rectè operandum in humanis, ſufficit certitudo ab experientia plurium ſingularium deſumpta, quæ vt in plurimum ità verificetur, licet in paucioribus, & raris caſibus à veritate deficiat, & aliter contingat.

10 Dico quartò. *Hæc certitudo moralis, ſeu probabilis haberi non poteſt de honeſtate operis, quandò operanti eſt æquè, vel magis probabile opus eſſe prohibitum, quàm licitum; ſed ſolum quandò eſt in ſolidum probabile, aut longè probabilius eſſe licitum, quàm illicitum.* Patet; quià certitudo moralis, ſeu probabilis de honeſtate operis ſolum habetur, quandò motiva, aut coniecturæ magis inclinent in honeſtatem operis, quàm in eius inhoneſtatem, & quandò ſub illis motivis, & coniecturis vt in plurimum contingit opus eſſe obiectivè honeſtum, licet in paucioribus, & raro contingat eſſe obiectivè inhoneſtum: ſed hoc ſolum contingit, quandò ex vi motivorum occurrentium, vel eſt in ſolidum probabile opus eſſe honeſtum, vel magis probabile eſſe honeſtum, quàm inhoneſtum; nàm quandò eſt æquè probabile vtrumque, æquè, ſeu toties contingere poteſt vtrumque; &, ſi ſit minus probabile eſſe honeſtum, vt in paucioribus continget eſſe honeſtum: ergò illa certitudo probabilis de honeſtate operis ſolum haberi poteſt, quandò operanti, vel eſt vnicè probabile, vel longè probabilius opus eſſe honeſtum, quàm inhoneſtum, ſecus vero, quandò eſt æquè, vel magis probabile eſſe inhoneſtum.

11 Dico quintò. *Hæc certitudo habetur in iudicio probabili abſoluto de honeſtate obiecti.* Patet, nàm qui iudicio abſoluto, & determinato iudicat obiectum, vel opus eſſe honeſtum, non eſt incertus, nec dubius àn ſit honeſtum, aut inhoneſtum, vt per ſe patet, nec vacillat inter vtrumque, nec hæret anceps, ſed firmat ſe abſoluta ſententia in eo quod opus eſt honeſtum: ergò qui taliter iudicat opus eſſe honeſtum, per tale iudicium certificatur moraliter, vel probabiliter de honeſtate obiecti. Explicatur; nàm certitudo moralis non innititur motivo infallibiliter omninò connexo cùm obiecto affirmato, nec metaphyſicè aſſecurante intellectum

de

de eo, quod ità sit; sed motivo vt in plurimum inferente obiectum ità esse, cùm contingentia, & fallibilitate, qua possit deficere raro, & vt in paucioribus: sed hanc certitudinem habet iudicium probabile determinatum, & absolutum de honestate obiecti, siquidem si est iudicium probabile, debet inniti motivo probabili, vt in plurimum inferente obiectum ità esse, licet cùm contingentia deficiendi à veritate in paucioribus: ergò talis certitudo habetur in iudicio probabili de honestate obiecti absolute, & determinate.

12 Dico sextò. *Talis certitudo, & iudicium probabile stare potest, quanvis in contra pulset animum motivum leve, aut suspicio trepida, & scrupulosa ex nimio timore peccandi, aut aliunde proveniens.* Probatur, quià stat optime quod quis sit certus, & firmo iudicio credens articulos fidei, quanvis contra illos pulset animum aliquod motivum leve solicitans ad dissensum, vt patet in tentatis contra fidem, qui pluribus solent motivis in contra impugnari, & nihilominus firmi, & certi persistunt in iudicio fidei: sed certitudo fidei est multo maior, quàm certitudo probabilis, & moralis: ergò, si certitudo fidei divinæ stat quanvis in contra pulset animum motivum leve, multo melius stare poterit certitudo moralis.

Confirmatur, nàm aliàs sequerentur quod scrupulosi, qui fere in omnibus, quæ agunt, anguntur scrupulis, & timore peccandi, non haberent certitudinem moralem, aut probabilem requisitam ad honestè operandum, & consequenter quod non operarentur honestè, sed inhonestè, & peccaminosè: hoc est absurdum: ergò certitudo moralis, & probabilis stare potest, quanvis in contra pulset animum motivum leve, vel suspicio trepida, & scrupulosa, ex nimio timore cadendi, aut aliunde proveniens. Et hæc est ipsissima sententia D. Antonini, & Gersonis, supra quæst. 29. num. 215. & 211.

13 Dico tamen septimò. *Non sufficit certitudo de probabilitate honestatis obiecti, absque certitudine morali, aut probabili de ipsa obiecti honestate.* Patet etiam ex dictis, nàm quid mihi prodest certitudo de probabilitate honestatis, si sum omninò incertus de honestate operis? Sanè rectè operans per se primò quærit honestè operari: ergò debet certificari de honestate operis, & non sufficit quod certificetur de probabilitate honestatis. Si dicas, quod ex certitudine probabilitatis potest certificari de honestate operis. Contra est, quià si sit certitudo de minore, aut æquali probabilitate pro honestate obiecti, quàm pro eius inhonestate, ex inde minimè certificari potest de eo quod obiectum, vel opus sit honestum; quandò enim quis certus est quod tàm probabile, vel magis probabile est opus esse inhonestum, quàm esse honestum, quomodo certificari poterit, adhuc morali certitudine, quod sit honestum? Ergò non sufficit certitudo de quacumque probabilitate honestatis, vt certificetur de honestate ipsa. Secundò, quià, etsi sit certitudo de maiori probabilitate honestatis, ex hoc solum sequitur illam esse sufficientem, vt operaturus certificetur probabiliter de honestate ipsa; attamen, si non assurgat ad talem certitudinem, nec inde iudicet absolute opus eligendum esse honestum, minimè poterit honestè illud eligere, quià, vt ex dictis patet, electio formaliter honesta debet tendere in opus obiectivè honestum, quià honestum: hoc autem est impossibile absque omni certitudine honestatis, cùm sola certitudine probabilitatis: ergò nunquam sufficit sola certitudo de probabilitate, sine certitudine de honestate operis.

14 Vbi pro mille æquivocationibus vitandis, quibus solent contrarij veritatem præcedentium assertorum obscurare, valde cavendum est, quod non est idem certitudo probabilis de honestate operis, àc certitudo de probabilitate talis honestatis. In prima enim certitudine probabilitas est modus ipsius certitudinis, seu differentia eius; in secunda autem est obiectum ipsius certitudinis, de qua est certitudo. In prima probabilitas est exercita in ipsa certitudine honestatis, in secunda probabilitas est signatè attacta ex parte obiecti per ipsam certitudinem.

Item noto, quod non est idem honestatem esse certò probabilem, àc esse probabiliter certam; quià primum solum importat certitudinem de probabilitate honestatis, secundum verò importat certitudinem probabilem, seu moralem de ipsa honestate reali; quæ duæ certitudines valde distinguntur, vt dictum manet. Ex dictis autem patet, certitudinem, quàm exegimus ad rectè operandum, debere esse certitudinem exercite probabilem de honestate reali, & vera ipsius operis; non autem sufficere certitudinem de probabilitate honestatis: itemque requiri quod honestas ipsa sit probabiliter certa operanti, non autem sufficere, quod sit certò probabilis, si ipsa non sit probabiliter certa.

15 Sed dices: certitudo exacta

ad

ad operandum honeſtè non debet eſſe certitudo de honeſtate reali, & vera in re operis eligendi: ergò ſufficit quod quis certificetur de honeſtate probabili, ſeu probabiliter apparenti: ergò ſufficit quod certificetur de eo quod honeſtas ſit probabilis, ſive de probabilitate honeſtatis obiectivæ. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, non debet eſſe certitudo infallibilis, & metaphyſicalis de honeſtate reali, & vera in re, concedo antecedens, non debet eſſe certitudo fallibilis ſaltem moralis, aut probabilis de honeſtate reali, & vera in re, nego antecedens.

Sed contra illud probabis; quià certitudo de honeſtate reali, & vera in re haberi non poteſt, niſi per evidentiam attingentem ipſam honeſtatem prout eſt in re: ſed hæc evidentia non requiritur: ergò nec illa certitudo de honeſtate operis reali, & vera in re. Diſtinguo maiorem: certitudo intuitiva, & evidens, concedo maiorem: certitudo moralis, aut probabilis obſcura de honeſtate reali, & vera in re, nego maiorem, & minorem, & conſequentiam; quià non eſt idem certitudo de honeſtate reali, & vera in re, àc certitudo de honeſtate prout eſt in re, ſeu attingens honeſtatem prout eſt in re: ſicut non eſt idem certitudo de Trinitate vera in re, àc certitudo attingens Trinitatem prout eſt in re. Nàm fideles viatores habemus certitudinem, ſeu, quod idem eſt, cognitionem certam de Trinitate vera in re, ſed non de Trinitate prout eſt in re, quià hæc ſolum haberi poteſt per viſionem intuitivam Trinitatis. Ratio autem diſparitatis eſt, quià certificari de veritate obiecti in re præcisè importat certificari de eo quod obiectum ità ſit in re: certificari autem de obiecto prout eſt in re, importat modum cognoſcendi intuitivum, ſeu cognoſcendi rem prout eſt in ſe; & ideò certo cognoſcimus Trinitatem eſſe veram in re, ſed non cognoſcimus Trinitatem veram prout eſt in re, ſed obſcure, & abſtractive. Ità ergò, licet ſolum certitudine probabili, poſſumus certificari de honeſtate operis vera in re, ſeu de eo quod opus ſit verè honeſtum in re, quanvis non certificemur de eius honeſtate, nec illam certo cognoſcamus prout eſt in re, aut intuitive, & evidenter, ſed ſolum obſcure, & probabiliter.

16 Et quidem certitudo probabilis directa de honeſtate obiecti, quam modo exigimus ad honeſte operandum, nequit eſſe certitudo de honeſte tantum probabili, ità vt obiectum talis certitudinis ſit honeſtatem eſſe probabilem, non vero honeſtatem eſſe in re; nàm hæc certitudo probabilis de eo quod honeſtas ſit probabilis eſt certitudo non directa de honeſtate operis, ſed reflexa de probabilitate honeſtatis. Video ſanè contrariorum aliquos nolle vnquam ſiſtere in illa certidudine directa de honeſtate operis examinando ſincerè, & ingenuè qualis debeat eſſe ad honeſtè formaliter operandum, ſed fugere difficultatem retrocedentes ad certitudines reflexas de probabilitate, ne veritas in directo veritatis examine appareat. Sed nihilominus cogendi ſunt vt reſpondeant, àn aliqua certitudo directa de honeſtate operis requiratur? & ſi negent, vtendum eſt doctrina primæ concluſionis. Si concedant: ergò non ſufficit ſola certitudo de probabilitate honeſtatis, aut de eo quod honeſtas ſit probabilis, nàm hæc non eſt certitudo directa de honeſtate operis. Et rurſus: ergò hæc certitudo directa eſt de eo quod opus ſit verè honeſtum in re, ſeu de eo quod honeſtas eius ſit vera in re; ſi enim eſt certitudo de honeſtate, & non eſt certitudo de eo quod honeſtas ſit probabilis: ergò eſt certitudo de eo quod ſit vera in re. Non quidem certitudo ſemper vera in re; quià cùm ſit certitudo probabilis, & aliquando fallibilis, aliquando ſolet falli per accidens, & tunc talis certitudo evadit obiectivè falſa, ſeu falſificata, ſed nihilominus tunc etiam eſt certitudo probabilis de eo quod honeſtas ſit vera in re, licet tunc non ſit honeſtas vera in re, quià fallitur certitudo illa, quæ, vtpote ſolum probabilis, falli poteſt.

Video item contrarios mille æquivocationibus hanc doctrinam perturbatutos, quià ſemper tergiverſantes nolunt exigere certitudinem vllam de honeſtate vera in re, ſeu vera coram Deo, ſed ſemper reflectunt, & contenti ſunt cùm honeſtate operis tantum veroſimili, & apparenti in propria mente; quaſi non debeamus pro poſſe operari honeſtè coram Deo bona, ſed ſolum coram hominibus, & in eorum opinione: quod quis non putet abſurdiſsimum? Nàm re ipſa per prius tenemur providere bona opera coram Deo, quam bona opera coram hominibus: ergò tenemur pro poſſe curare quod opera à nobis facienda ſint bona, & honeſta coram Deo, & non tantum quod ſint honeſta in hominum opinione: ergò debemus certificari aliqua certitudine de eo quod opus ſit honeſtum coram Deo, vt illud eligamus, & non ſufficit certificari de eo quod ſit honeſtum probabiliter, id eſt in hominum opinione.

Qua-

§. II

Quænam certitudo reflexa requiratur de honeſtate formali operationis.

17 MIRVM Sanè videriri debet Probabiliſtarum placitum in hoc puncto ; ijdem enim, qui de honeſtate obiectiva operis nullam omnino exigunt certitudinem; ſed ſolam incertitudinem àn opus ſit, vel non ſit licitum, vt Caramuel, aut ſolam minorem probabilitatem pro eo quod opus ſit licitum, etſi coniunctam cùm maiori probabilitate pro eo quod ſit illicitum, nihilominus cùm hoc componunt tantam certitudinem de honeſtate formali operationis, ſeu de non peccato formali, vt iurare ſe poſſe dicat Caramuel, ſe non peccare etiam faciendo quod minus probabilitèr eſt licitum, & magis probabilitèr illicitum ; & alij certitudinem omnino evidentem, & demonſtrativam componunt in vltimo dictamine conſcientiæ de honeſtate formali operationis. Vndè communis eſt Probabiliſtarum ſententia, exigi ad rectè, & honeſtè formalitèr operandum certitudinem reflexam evidentem de honeſtatè formali operationis, quæ omnem prorſus formidinem errandi, aut peccandi excludat. Qui autem putaverit Probabiliſtas certitudinem pluſquam moralem non exigere, legat Terillum in toto ſuo opere, & præſertim quæſt. 13. num. 23. Huiuſmodi autem placitum duplici ex capite impugnandum eſt, primo ex eo quod talis certitudo vel ſemper, vel plerumque impoſsibilis eſt. Secundo ex eo quod non requiritur ad honeſtè formalitèr operandum. Tertiò ex eo quod plerumque nociva foret, & contraria virtuti. Igitur.

18 Dico primò : *Certitudo evidens abſque omni formidine de honeſtatè formali noſtræ operationis vel ſemper, vel plerumque impoſsibilis eſt.* Probatur primò à priori, quià ad honeſtè formalitèr operandum plura requiruntur eſſentialitèr, de quibus talem certitudinem habere non poſſumus ; ſed nemo poteſt habere certitudinem aliquam de honeſtatè formali ſuæ operationis, quin talem, vel maiorem certitudinem habeat de eſſentialitèr requiſitis ad talem honeſtatem: ergò. Maior probatur, nàm ad honeſtè formalitèr operandum requiritur, primo operari ex honeſto motivo : requiritur ſecundò quod præceſſerit debita conſideratio circunſtantiarum : requiritur tertiò quod præceſſerit exacta diligentia ad ſciendum àn opus ſit vere honeſtum, vel inhoneſtum; ſed impoſsibile eſt puro homini habere evidentiam, & certitudinem abſque omni formidine quod in nullo ex his defecerit. Nàm quis rogo, ſi purus homo eſt & viator poterit ſcire evidentèr ſe feciſſe exactam diligentiam pro veritate invenienda ? Recolle ſupra dicta de requiſitis ad talem diligentiam, & tunc quære hominem viatorem, qui certus ſit evidenter ſe omnia illa debite præſtaſſe, & qui nullam omnino habeat formidinem de eo quod in aliquo defuerit, qui ſciat evidentèr, ità vt iurare poſsit, ſe nulla negligentia culpabili, nulla prava, & inordinatà affectione laboraſſe in veritate inquirenda. Vbinam ille erit ? Secundò quis erit adeò evidentèr certus, & omnino ſecurus ſe conſideraſſe debitè omnes circunſtantias, cùm debita circunſpectione ? Quis denique omnino evidentèr ſecurus erit ſe operari ex honeſto motivo, ità vt ſciat evidenter ſe non moveri ex delectatione, aut ex vana gloria, ſed purè, & honeſtè? Sanè hæc omnia, vtpote interioriſsima, & ſpiritualia nobis evidentia, nec evidentèr certa eſſe non poſſunt; ſed ad ſummum moralitèr cùm aliquali fallibilitatè, & formidine quod in aliquo defecerimus : ergò homines viatores nõ poſſumus habere certitudinem evidentem abſque omni formidine de omnibus requiſitis ad operationem formalitèr honeſtam.

19 Sed dices : cùr aliquis non poterit ſcire evidentèr, & omnino infallibilitèr ſe feciſſe quantum potuit ad quærendam veritatem, & honeſtè formalitèr operandum ? Quandoquidem hoc quod eſt facere aliquem quantum poteſt, cadit ſub experientia. Si autem ſit certus infallibilitèr ſe feciſſe quantum potuit, aut debuit, iàm certus eſt infallibilitèr ſe operari honeſtè, vel ſaltèm non peccare.

Sed contra, nàm quis eſt, qui ſciat omnino infallibilitèr quantum eſt, quod poteſt ad inquirendam veritatem, & honeſtè operandum ? Sæpè exiſtimamus nos amplius non poſſe, quam id quod facimus, & tamèn plus poſſumus revera. Et quis etiam eſt, qui ſciat omnino infallibilitèr deſsignare quantam diligentiam debeat exhibere ? Sanè vires ſpirituales animæ maiores eſſe ſolent, & obligationes eius non ſemel ſuperant noſtram exiſtimationem, qui non ſemel ex diſsidia, & ſocordia putamus minus multo poſſe, ad minus valde teneri, quam in rei veritate poſſumus, & tenemur: ergò quantum poſſimus, & quantum debeamus non ità ca-

dit

dit sub experientia nostra, vt falli in hoc non possimus: ergò non possumus de hoc esse certi evidenter, & absque omni formidine errandi, & peccandi formaliter.

20 Secundò, nàm siquis potest scire evidenter se facere quantum potest ad honestè operandum: ergò scire poterit evidenter se facere quantum potest ad amandum Deum super omnia: ergò scire potest evidenter se amare Deum super omnia: ergò scire potest se esse in gratia Dei; nàm evidens est quod qui diligit Deum super omnia, diligitur à Deo, & est in gratia Dei.

Vrgetur: nullus iuxta Concilium Tridentinum absque speciali Dei revelatione potest esse certus omninò de sua iustitia habituali absque formidine quod sit in peccato: ergò nullus etiam potest esse certus de sua iustitia actuali, hoc est, de eo, quod iustè, & sine peccato operatur, absque formidine peccati. Respondet M Ferre, infœliciter nos vti hac paritate, nàm iustitia habitualis, inquit, non possidetur à nobis ex nostra electione libera, sed tantum dependet ex Dei beneplacito illam nobis concedere, iuxta illud: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* At actualis iustitia, id est, bona operatio, est à nobis libere operantibus, & ex nostra electione: ergò citra revelationem scire possumus, & debemus, quando bene operamur.

21 Sed contra, nàm potius disparitas est infelix. Nàm certum debet supponi de fide, quod facienti quod est in se Deus non denegat gratiam, & quod Deus neminem deserit sua gratia, nisi prius deseratur ab ipso sua culpa: sed si possumus certificari evidenter de nostra iustitia actuali, possumus certificari evidenter de eo quod fecerimus quantum possumus, & debemus ad obtinendam gratiam, & quod nostra culpa non deserimus Deum, aut eius gratiam: ergò possumus, supposita fide illius principij, certi esse evidenter, & infallibiliter nos esse in gratia, gratiamque non amisisse. Minor probatur, quià ideò per te possumus certificari, & scire nos bene operari, quià bona operatio pendet ex nostra electione, & est à nobis libere operantibus; sed etiam facere quantum possimus ad obtinendam gratiam est à nobis libere operantibus, & pendet ex nostra libera electione: ergò si possumus certificari evidenter de nostra iustitia actuali, seu de nostra bona operatione, eadem ratione possumus certificari evidenter de eo quod fecerimus quantum possumus, & debemus ad gratiam obtinendam.

Explicatur hoc syllogismo: *Quisquis debitè se disponit ad suscipiendam gratiam iustificatur habituali iustitia sed ego debitè me dispono ad suscipiendam gratiam: ergò iustificor habitualiter.* Quo supposito, sic arguo, iuxta contrarios quisque potest iustificari infallibiliter de præmissis absque omni formidine errandi; sed illæ demonstrativè inferunt conclusionem, siquidem syllogismus est in *darij*: ergò quisque poterit demõstrativè certificari de eo quod sit iustus habitualitèr. Quod quis non videat absurdissimum fore contra Concilium Tridentinum, & contra illud: *Nemo scit àn sit dignus odio, vel amore.* Maior probatur nàm in primis maior est principium de fide, cui innititur spes Theologica, de qua proinde certi sumus absque omni formidine, seu infallibilitèr, nec enim fidelis formidare debet, ne Deus deneget gratiam debite ad illam se disponenti, imò absque omni formidine certissimus debet esse, quod si homo in sui debita dispositione non deficiat, nec Deus in largiendo gratiam deficiet. Deinde iuxta contrarios etiam quisque certificari potest de minore illius syllogismi; siquidem cùm debita dispositio sit ex nostra libera electione, & à nobis libere operantibus dependeat, de illa certificari possumus, sicut de nostra libera operatione quod sit formaliter honesta; atqui de hoc iuxta contrarios quisque certificari potest certitudine evidenti, & infallibili: ergò nàm de minore, quàm de maiore certificari poterit quisque, de maiore quidem certitudine fidei infallibilis, de minore certitudine evidentiæ: ergò certificari poterit de consequenti certitudine Theologica saltem, & demonstrativa.

22 Forsàn dices: debitam dispositionem ad gratiam, cùm debeat esse supernaturalis, pendere ex auxilio Dei supernaturali, de quo certitudinem infallibilem habere non possumus, ideòque nec certitudinem infallibilem de illa nos habere posse; attamen honestatem naturalem nostrarum operationum ab auxilio supernaturali non dependere, sed solum generali naturali, & ideò de illa evidenter certificari possumus. Sed contra primò, nàm per te de dispositione recta ad suscipiendam gratiam certificari evidenter non possumus, quià indiget auxilio supernaturali; & tamen potest quisque rectè, àc debite se disponere ad gratiam suscipiendam: ergò ad operandum rectè, àc debite minimè requiritur evidentia de eo quod talis operatio est formaliter recta, aut debita.

Explicatur: ad debite, & rectè operandum in ordine supernaturali, non re-

requiritur certitudo infallibilis de honestate formali supernaturali, aliàs nemo posset amore supernaturali Deum diligere super omnia, nisi certus infallibiliter de tali amore, eiusque supernaturalitate, & honestatè, quod plane absurdum est: ergò nec ad honestè operandum in ordine naturali requiritur certitudo omninò infallibilis de honestatè formali naturali talis operationis. Patet consequentia, quià non minus perfecta est operatio supernaturaliter honesta, quàm naturaliter honesta: ergò ista non debet exigere maiorem certitudinem de sua honestatè formali, quàm illa. Contra secundò, quià Deus sicut est liber in largiendis auxilijs supernaturalibus, quibus vult, ità in largiendis auxilijs efficacibus naturalibus, & exactis ad honestè formaliter operandum: ergò si propter primum scire non possumus cùm evidenti certitudine, quando supernaturaliter operamur, propter secundum scire non possumus evidenti certitudine, quandò honestè formaliter operamur.

23 Secundò Probatur assertio, loquendo de sequela opinionis probabilis, nàm in primis, quandò quis iuxta contrarios operatur iuxta opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege, vnde poterit certificari evidenter quod rectè, & honestè formaliter operatur? Certe tunc incertum omninò est, àn opus, quod eligit sit re ipsa licitum, vel prohibitum, & cùm tali incertitudine directa illud eligit, sivè re ipsa sit prohibitum, sivè non, de vtroque enim incertus est omninò; & tunc sic eligens certus erit evidenter se honestè formaliter operari? Et placere Deo? O chimera mirabilis! Imò certissimum est temere, àc imprudenter procedere, & inhonestè formaliter operari, vt supra commonstratum manet. Vbi ergò illa certitudo reflexa tam facilis de honestate formali operationis in sequela opinionis minus probabilis pro libertate.

24 Sed dicunt, ad hoc sufficere quod quis sit certus de eo quod opinio verè probabilis sit. Sed contra, quià si opposita est probabilior, vel æquè probabilis, nequit esse certus quod ipsa sit probabilis simpliciter, & absolute, cùm hoc sit falsum, sed solum de eo quod sit probabilis secundum quid, minusque quàm opposita contradicens; aliunde nequit esse certus quod hoc sufficiat ad honestè formaliter operandum, cùm falsum sit hoc sufficere: ergò. Secundò quià, vnde, rogo, poterit certificari evidenter de aliqua opinione quod verè probabilis sit? Sanè ad veram probabilitatem practicam dignoscendam tot regulas assignant contrarij, vt difficilius sit invenire quænam opinio sit verè probabilis, quàm invenire lapidem philosophalem, & multo difficilior ars addiscendi veram probabilitatem, quàm ars inveniendi medium in dialectica. Plusquam centum paginas insumit Terillus in assignandis regulis veræ probabilitatis inveniendæ. Nàm iàm fatentur non sufficere ad veram probabilitatem quod plures Authores teneant aliquam opinionem; cùm experti fuerint plures opiniones, quas tenuerunt plusquam viginti AA. damnatas fuisse à Sede Apostolica tanquam improbabiles, & temerarias; requirunt ergò quod gravi, & solido fundamento innitatur. At quis certificari poterit evidenter, & infallibiliter quod opinio, quàm sequitur gravi, & solido fundamento innititur? Sanè fundamentum, quod ab vno grave, & solidum reputatur, ab alio tanquam fallax omninò, & sophisticum reijcitur, & nullius momenti censetur, & hoc passim contingit; vnde igitur scire poterimus evidenter, & infallibiliter hanc numero opinionem re ipsa inniti fundamento gravi, & non potius apparenti tantum, vel sophistico? Ergò plerumque saltem impossibile est scire evidenter quod opinio, quàm quis sequitur verè probabilis sit.

25 Vrgetur argumento illo semper difficili: si opinio, quàm quis sequitur, in re est falsa, fundamenta, aut probationes pro ipsa necessario erunt sophistica, & purè apparientia, vel adminus fallentia; nàm re ipsa non probant opinionem illam esse veram, sed purè apparenter, & consequentia fallaci, vel fallenti per accidens. Sed scire non possumus evidenter de opinione probabili tantum vtrum sit vera, vel falsa, vt fatentur contrarij: ergò scire non possumus evidenter vtrum ea motiva, vel probationes sint, verè solida, vel sophistica potius, aut saltem fallentia.

26 Respondet M. Ferre num. 136. quod rationes, quibus nititur opinio probabilis non probant quod ità sit in re, nec quod ità non sit in re; sed solum suadent esse verosimile quod ità sit in re. Sed quis talia non miretur?

Nunquid ſalvari poterit vera probabilitas opinionis abſque omni probatione pro eo, quod illa vera ſit in re? Aut quomodò probabis illam opinionem eſſe verè verosimilem, ſi nulla ſit vera probatio pro eius veritate? Sanè probabilitas, aut verosimilitudo non ſumitur à rationibus probantibus opinionem eſſe verosimilem, ſed à rationibus probantibus illam eſſe veram, vndè ſi nulla ſit ratio ſolida ad probandum opinionem eſſe veram, nullatenus ſuaderi poterit illam eſſe verè probabilem, aut verosimilem: atqui nunquàm, vel ferè nunquàm conſtare poteſt evidenti certitudine fundamenta alicuius opinionis probabilis eſſe ſolida, & non ſophiſtica, quandoquidem ſciri non poteſt àn re ipſa probent, vel re ipſa non probent veritatem opinionis: ergò nec ſcire poſſumus evidenti certitudine opinionem eſſe verè probabilem.

27 Sed inquies non eſſe opus, quod rationes, & fundamenta re ipſa probent veritatem opinionis, ſed ſufficere quod ex vi ſuæ magnitudinis apparuerint ſolidæ, & efficaces ſapientibus, & prudentibus.

Sed contrà, nàm quis ſcire poterit, àn DD. opinantes in illa opinione proceſſerint ſapienter, & prudenter; aliquandò enim bonus dormitat Homerus; non ſemel ſapientes, & prudentes fama tales, deſipere ſolent. Sanè iuxtà Auguſtinum, lib. de vtilitate credendi, cap. 13. *Difficillima quæſtio, & immanis eſt difficultas, quonam modo ſapientem invenire poterimus; nàm in rebus, in quibus diſſident, neceſſum eſt, aut neutrum, aut vnum tantum eſſe ſapientem*: relege eius verba quæſt. præcedenti, n. 21. Vndè ergò evidenti certitudine ſcire poterimus fuiſſe ſapientes, & prudentes Authores, quibus hæc rationes viſæ ſunt ſolidæ, in eo ipſo quod ità ſibi apparuerunt? Sanè non defuerunt plures Authores, quibus rationes, quæ adducebantur ad probandas opiniones, quas iam damnavit Eccleſia, viſæ ſunt ſolidæ, graves, & magni momenti; & tamen re ipſa falſi ſunt, & in hoc decepti, & in hoc nec fuerunt ſapientes verè, nec prudentes; vndè mihi conſtare poterit in alia qualibet opinione certitudine infallibili, & evidenti, quod non ſimiliter decipiuntur? Et cur non poterit contingere, quod fundamenta, quæ ipſis gravia apparent, talia non ſint re ipſa.

28 Denique dices: Nos manifeſtè decipi, exiſtimando quod contrarij exigant omnimodam certitudinem cum omnimoda infallibilitate de honeſtate operationis; quià re ipſa ſolùm exigunt certitudinem moralem.

Sed de hoc nolumus diſputare Qui in hoc nos deceptos exiſtimat, legat Terillum, & Caramuelem, & clarè inveniet eos plus quàm certitudinem moralem, maiorem aliam certitudinem exigere, quæ nullo pacto formidinem errandi admittat: huiuſmodi autem certitudo fallibilis eſſe nequit, quià certitudo fallibilis formidinem aliquam falſitatis, & erroris admittit, cum falli poſsit; tenent igitur prædicti Authores eſſe exactam ad honeſtè formaliter operandum certitudinem evidentem, & infallibilem de honeſtate formali operationis, ſeu de non peccato formali. Quod ſi alij Probabiliſtæ id non dicant, ſed contenti ſint ſola certitudine morali admittente aliquam errandi formidinem, & peccandi, contrà hos non procedimus in hoc aſſerto, ſed in ſequenti.

29 Dico ſecundò: *Ad honeſtè formaliter operandum nulla requiritur certitudo actualis reflexa de honeſtate formali talis operationis.* Mirabuntur ſanè contrarij, quod adeò ex diametro eis contradicimus, in re, quæ ipſis evidentiſsima apparet, vt teſtari ſolent; ſed nihilominus aſſertum noſtrum certiſsimum eſt. Quià dummodò aliquis certificetur de honeſtate operis, & tendat electivè in opus, quià honeſtum, honeſtè formaliter operatur, præciſo quocumque alio; tendentia enim formalis voluntatis in opus honeſtum, quià honeſtum, præciſo quocumque alio, eſt intrinſicè, & formaliter honeſta, ſiquidem tendit motivè, & formaliter in honeſtatem obiecti, à qua neceſſariò deſumere debet ſpeciem honeſtatis formalis: ergò minimè requiritur ad hoc vt voluntas honeſtè formaliter operetur, certitudo actualis reflexa de tali honeſtate formali. Secundò, quià certitudo actualis reflexa de honeſtate formali operationis, vel eſt cognitio reflexa, vel modus cognitionis reflexæ de tali honeſtate formali; ſed ad honeſtè formaliter operandum minimè requiritur cognitio reflexa de honeſtate formali operationis: ergò nec certitudo actualis reflexa. Minor probatur, primò ab experientia, quià ſæpiſsimè ſtatim àc certificamur directè de honeſtate operis, vel agibilis occurrentis, illud eligimus quià honeſtum, nulla alia facta reflexione, aut cognitione

ne reflexa de honestate formali electionis nostræ, idque ferè semper contingit simplicibus, àc rusticis, & nobis etiam plerumque; sed absurdissimum est dicere quod nec nos, nec simplices, tunc casus honestè formalitèr operantur, aliàs enim ferè nunquàm operarentur honestè formalitèr, imò ferè semper eligentes obiectum honestum, quià honestum, malè formalitèr operarentur, siquidem omnis operatio humana, si non est formalitèr honesta, est formaliter inhonesta, cum non detur actio humana formalitèr indifferens in individuo: ergò ad operandum honestè formalitèr minimè exigitur cognitio reflexa de honestate formali operationis.

30 Dices forsàn, prædictam certitudinem reflexam non requiri, quando quis certus est directè de honestate operis eligendi, sed solùm quando quis certus non est directè de honestate operis, quià tunc cum formidet àn opus re ipsa sit inhonestum, ad securitatem conscientiæ non est aliud remedium, quàm certificari reflexè de honestate formali operationis.

Sed contra est, quià quando quis non est directè certus de honestate operis occurrentis, certificari non potest nisi falsò, & perniciosè de eo, quod honestè formalitèr operabitur, si eligat tale opus incertæ honestatis: ergò falsò supponit solutio tunc posse eligentem certificari reflexè de honestate formali operationis, & hoc esse remedium ad securitatem conscientiæ. Antecedens probatur; quià tunc casus, potius certum est, & re ipsa ità continget, quod si eligat tale opus, de quo incertus est directè àn sit honestum, vel inhonestum, operabitur inhonestè formalitèr; me enim, incertum omnino directè àn opus sit honestum, vel inhonestum, eligere tale opus est formalissimè peccare formalitèr, quià est tendere formalitèr in opus, *sive honestum sit, sive inhonestum, seu quanvis forsàn sit inhonestum*, in qua tendentia consistit formalitèr peccatum formale: sed quando est aliqua electio certò, & re ipsa inhonesta formalitèr, sic eligens nequit nisi falsò, & perniciosè certificari reflexè de eius honestate formali, falsò inquam, quià ità non est sicut certificatur; perniciosè etiam, quià falsa certitudo, & securitas semper est pernicioſa: ergò tunc casus sic eligens nequit nisi falsò, & perniciosè certificari, & asseverari de honestate formali operationis.

31 Confirmatur: nàm si in prædicto casu esset necessaria, aut vtilis cognitio reflexa de honestate formali operationis ad honestè formalitèr operandum, esset necessaria, vel vtilis tanquàm regula formalis; cognitio enim honestatis ad honestè operandum conducere nequit, nisi tanquàm regula formalis operationis: sed cognitio reflexa honestatis formalis implicat quod sit regula formalis operationis, vt statim dicemus quæst. sequenti: ergò talis cognitio reflexa honestatis formalis, nec est necessaria, nec conducit ad honestè formalitèr operandum.

Confirmatur secundò, nàm cognitio reflexa honestatis formalis operationis, nec est causa, nec constitutivum, aut specificativum talis honestatis formalis; sed non est alius modus, quo conducere possit ad talem honestatem formalem: ergò nullo modo requiritur, nec conducit ad honestè formalitèr operandum. Maior probatur, quià cognitio reflexè affirmans operationem sic elicitam esse formalitèr honestam, supponit quod affirmat independentèr à se ipsa, non enim ideò operatio illa est formalitèr honesta, quià cognitio reflexa affirmat eam esse formalitèr honestam, sed propterea affirmare debet eam esse formalitèr honestam, quià ipsa sit formalitèr honesta; alitèr enim ipsa cognitio redderet obiectum affirmatum verum, non autem ipsa redderetur vera ab obiecto affirmato, quod est contra omnes regulas Metaphysicæ: ergò cognitio reflexa honestatis formalis non est causa, conditio, nec constitutivum, aut specificativum talis honestatis formalis. Et quidem res aliena est prorsùs à veritate, dicere quod mea operatio non erit formalitèr honesta, nisi cognoscam reflexè eam esse formaliter honestam, & quod non operabor formalitèr honestè, nisi reflexè cognoverim me operari formalitèr honestè, & quod ideò operor honestè formalitèr, quià cognosco reflexè me operari honestè formalitèr. Non minus quam si diceres me non vivere formalitèr, nisi cognoverim reflexè me vivere formalitèr, nec formalitèr amare, aut intelligere, nisi cognoverim reflexè me amare, aut intelligere; quæ sanè dici, nisi falsissimè, non possunt: ergò nisi falsissimè dici non potest me non operaturum honestè formalitèr, nisi cognoverim reflexè me operari, vel operaturum honestè formalitèr.

32 Vrgetur: Authores contra

quos diſputamus, nimirum Ieſuitæ, nec divinæ cognitioni volunt concedere talem excellentiam, vt ideò res ſint, quià Deus cognoſcit eas eſſe, ſed potius dicendum exiſtimant, ideò Deum cognoſcere res eſſe, quià ſunt: ergò multo minus concedi debet cognitioni humanæ reflexæ, quod ideo operatio aliqua ſit formaliter honeſta, quià homo reflexè cognoſcit illam eſſe formaliter honeſtam, ſed potius dicendum eſt quod ſi verè cognoſcit, cognoſcit eam eſſe formaliter honeſtam, quià re ipſa, & pro priori ad cognitionem reflexam independenter ab illa, operatio eſt formaliter honeſta. Mirum enim erit ſi concedere velint cognitioni humanæ excellentiam, quam denegant cognitioni divinæ.

Amplius: ideò Thomiſtæ illam excellentiam concedimus divinæ cognitioni, quià cognitio divina non verificatur ab obiecto cognito, ſed potius ipſa eſſentialiter eſt ſui veritas, & verificativa obiecti cogniti; quià ibi obiectum creatum cognitum non eſt regula cognitionis divinæ, ſed potius divina cognitio eſt regula obiecti creati cogniti. Atqui hoc dici nequit de vlla cognitione humana, quæ, vtpote finita, & limitata, nequit eſſe per eſſentiam ſui veritas, nec ſua regula, ſed neceſſariò verificatur, & regulatur ab obiecto affirmato: ergò implicat quod operatio aliqua non ſit honeſta formaliter, quin homo cognoſcat reflexè illam eſſe formaliter honeſtam, ſed potius ipſa cognitio reflexa vt vera ſit, debet ſupponere, quod independenter à ſe ipſa operatio eſt formaliter honeſta.

33 Si ergò operatio voluntatis eſt formaliter honeſta independenter, & præſuppoſitivè antequam quiſque cognoſcat reflexè illam eſſe formaliter honeſtam: ergò ſemel exercita tali operatione, ſive cognoſcat reflexè operans, ſive non cognoſcat eam eſſe formaliter honeſtam, aut ſe honeſtè formaliter operari, nihilominus operabitur honeſtè formaliter. Si autem operatio non eſt formaliter honeſta præſuppoſitivè, & independenter à cognitione reflexa affirmante id ipſum, quanvis velis cognitione reflexa certificare, & affirmare eam eſſe formaliter honeſtam, non propterea efficis, vt operatio ſit formaliter honeſta; quià tua cognitio non habet illam ſupremam excellentiam divinæ cognitionis, vt efficiat ipſo facto quidquid vellit affirmare, affirmando illud: hæc igitur cognitio, aut certitudo actualis reflexa, quam tantopere extollunt contrarij, de honeſtate formali operationis, nec exacta eſt, nec vllatenus conducit ad honeſtè formaliter operandum. Solum ergò conducere poterit ad quoddam ſolatium, & propriam ſatisfactionem de ſui honeſto modo procedendi.

34 Sed objicies: Honeſtas operationis non poteſt eſſe formalis, niſi ſit cognita: ergò operatio non poteſt eſſe formaliter honeſta abſque cognitione reflexa talis honeſtatis formalis. Antecedens probatur, quià nequit eſſe honeſtas formalis, niſi ſit voluntaria, honeſtas enim involuntaria non eſt honeſtas formalis, ſed ad ſummum materialis: ſed nequit eſſe voluntaria, niſi ſit cognita: ergò Minor probatur, quià voluntarium eſt à principio intrinſeco cum cognitione: & quod eſt incognitum mihi, qualiter mihi poterit eſſe voluntarium? Ergò honeſtas formalis nequit eſſe voluntaria, niſi ſit cognita.

Reſpondeo, quod imprimis hoc argumentum non ſolùm probat requiri cognitionem reflexam honeſtatis formalis, quando honeſtas obiecti eſt incerta, ſed etiam quanvis ſit certiſsima, quià quanvis mihi certiſsima ſit honeſtas obiectiva, ſi tamen non cognoſco honeſtatem formalem operationis, iuxtà argumentum talis honeſtas formalis non erit mihi voluntaria, quià incognita.

Deindè diſtinguo antecedens: honeſtas operis, vel obiecti non poteſt eſſe formalis, niſi ſit cognita, concedo antecedens: honeſtas formalis operationis, ſeu electionis tendentis ad opus, vel obiectum; nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem, nequit eſſe honeſtas formalis, niſi ſit voluntaria, vel exercitè, & per modum actus, vel ſignatè per modum obiecti, concedo maiorem: ſignatè per modum obiecti, nego maiorem: & diſtinguo minorem: nequit eſſe voluntaria ſignatè, & per modum obiecti, niſi ſit cognita, concedo minorem: nequit eſſe voluntaria exercitè, & per modum actus, niſi ſit cognita, nego minorem. Et ad eius probationem dico, quod voluntarium dicitur dupliciter, nimirùm obiectivè, ſeu ſignatè, & formaliter, aut exercitè. Voluntarium obiectivè, & ſignatè eſt idem àc volitum; & quod eſt, hoc pacto voluntarium debet eſſe ſignatè cognitum; quià nihil volitum, quin præcognitum. Voluntarium verò exercitè, & formaliter, ſeu per modum actus eſt idem, àc ipſum exercitium volendi,

&

& hoc voluntarium non poteſt eſſe cognitum volenti, ſeu à voluntate; ſed sàt eſt, quod procedat ab ipſo cum cognitione, non quidem ipſius volitionis, ſeu exercitij volendi, ſed cum cognitione obiecti, vel finis, in quem tendit ipſum velle. Vndè non definitur voluntarium: *quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione ipſius voluntarij*; ſed: quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis, aut obiecti: igitur cum honeſtas formalis ſit voluntaria, non obiectivè, & ſignatè, ſed exercitè, & formaliter, ideò ipſa vt ſit prædicto modo voluntaria non requiritur, quod procedat ex cognitione ſui, ſed ſufficit, quod procedat ex cognitione finis, vel obiecti, ſeu ex cognitione honeſtatis obiectivæ, quæ tantùm honeſtas obiectiva petit directè cognoſci, vt electio ad illam terminata ſit honeſta formaliter.

35 Obijcies ſecundò: vt quis operetur honeſtè formaliter debet procedere abſque formidine peccati formalis, ſeu abſque formidine, quod ſua operatio ſit formaliter peccaminoſa: ſed non poteſt ità procedere, niſi certus ſit reflexè de honeſtate formali, aut de non peccato formali ſuæ operationis: ergò talis certitudo requiritur.

Reſpondeo imprimis, omiſſa maiori, negando minorem; quià ille, qui nullam reflexionem facit ſuprà operationem formalem, nec ſuprà eius honeſtatem formalem, vel inhonestatem, ſed tantum directè certus de honeſtate operis obiectiva tendit in illud, quià obiectivè honeſtum, iſte operatur honeſtè formaliter, & item abſque omni formidine actuali de inhonestate formali ſuæ operationis, quià de illa minimè cogitat, nec ſuprà illam reflectit, ac proindè de illa minimè formidat; poteſt ergò procedere abſque formidine de peccato, vel inhoneſtate formali ſuæ operationis, quanvis reflexè non certificetur de formali honeſtate, ſi nimirùm de neutra cogitet reflexè, ſed ſimpliciter, & directè tendat in opus, quià obiectivè honeſtum.

36 Nihilominus, vt maiorem omiſſam explicem, dico tertio: *Vt honeſtè formaliter operetur quis, debet procedere cum certitudine fundamentali de honeſtate formali operationis*, hoc eſt, debet ità certò tendere in honeſtatem obiectivam directè, & exercitè, vt ex hoc ipſo tanquàm ex fundamento ſufficienti poſsit certificari reflexè, ſi reflexionem faciat, de honeſtate formali operationis; non quidem certitudine evidenti, & infallibili, quam volunt contrarij; ſed certitudine morali, & cum aliqua fallibilitate, & formidine peccandi formaliter. Aſſertio hæc ità explicata certa eſt, nec difficultatem continet; nàm imprimis ad honeſtè formaliter operandum requiritur, quod operans per ſe, & non per accidens, certò, & non fortuito, aut per ſortem tendat in honeſtatem obiectivam operis, ſiquidèm honeſtas non eſt ex bonis, quæ per fortunam, & per accidens quæri merentur, ſed exigit quæri certò, & per ſe: ſed tendere cum hac certitudine exercita, & directa in honeſtatem obiectivam, eſt fundamentalis certitudo reflexa de honeſtate formali, quià eſt fundamentum proximum, vt ſi quis faciat reflexionem, certificetur reflexè ſe operari honeſtè formaliter: ergò requiritur talis certitudo fundamentalis reflexa. Non quidem omnino infallibilis, quæ proindè omnem contingentiam, & formidinem etiam remotam peccati formalis excludat, hæc enim eſt plerumque impoſsibilis, ſed moralis tantùm, & probabilis, quæ actibus humanis convenire poteſt cum aliqua formidine.

37 Ex quo iam ad ſecundam obiectionem factam, diſtinguo maiorem, quam omiſsi: vt quis operetur honeſtè formaliter debet procedere abſque formidine proxima, ſpeciali, ſeu ex motivo gravi in contra procedente, concedo maiorem: abſque formidine remota, generali omni ferè actui humano, ſeu ex motivo levi procedente, nego maiorem, & minorem, & conſequentiam. Itaque certitudo moralis, quam ſolùm habere poſſumus de honeſtate formali operationis, nec eſt metaphyſicè, nec phyſicè infallibilis, ſed aliquam fallibilitatem licet remotam, & periculum falſitatis remotum ſecum patitur; vbi autem eſt fallibilitas remota, aut remotum periculum falſitatis, etiam aliqua formido eſſe poteſt, nè fallamur, quæ quidèm poteſt appellari formido ſimplex, non efficax, remota, non proxima, quià malum, de quo eſt non proximè imminet, ſed remotè, & quaſi à longe; generalis etiam dicitur, non ſpecialis, quià generalis eſt omni humanæ prudentiæ, & actui humano: dicitur ex motivo levi, & non gravi, nàm hæc formido, vt inquit Gerſon, & Antoninus, eſt per modum ſcrupuli, ex ſuſpicione trepida, aut ex nimio timore cadendi in via Dei, aut ex coniecturis levibus, aut ſi mavis ex illa fallibilitate generali com-

mittantè omnes noſtras cogitationes, quantunvis noſtra exiſtimatione certiſſimum; excipio cognitionem Fidei Divinæ, & etiam, ſi mavis, demonſtrativam, quanvis non ſemel contingere ſolet eum, qui ſe demonſtrare autumnat, falli, ac decipi argumento ſophiſtico. Vndè non video in quo, niſi in fide divina, & in divino teſtimonio omnem prorſus infallibilitatem, & abſque omni formidine certitudinem habere poſsimus, potiſſimè de ſingularibus contingentibus, & variabilibus. Certitudo igitur reflexa, quam fundat operatio formalitèr honeſta, de ſui formali honeſtate, talis eſſe non poteſt, vt fallibilis de ſuo genere non ſit, vt falli non poſsimus exiſtimantes nos agere honeſtè formalitèr, & tamen quod formalitèr peccemus: ſi autem in hoc falli aliquando poſſumus, cùr non aliqualitèr formidabimus, àn re ipſa contingat in hac operatione nos falli reflexè exiſtimantes honeſtè formalitèr operari, peccando tamen formalitèr? In cuius confirmationem ſit.

§. III.

Declaratur prædictam certitudinem omnino infallibilem, & evidentem eſſe nocivam virtuti, & honeſtàti,

38 DICO Vltimo: *Quemque certificari de honeſtate formali ſuæ operationis abſque omni prorſus formidine quod in tali operatione ſingulari peccet formalitèr, aut Deum offendat, nedùm non eſt neceſſarium, nedùm non eſt vtile ad honeſtè formalitèr operandum, ſed eſt nocivum vt in plurimum honeſtati, & virtuti.* Primò probatur, quià nos, vtpotè homines viatores, fragiles, & fallibiles, ſemper debemus cum timore, & tremore noſtram ſalutem operari, iuxta illud Pauli ad Philippenſes, cap. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*, & illud Pſalm. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore*, cum timore ſcilicet, & tremore, nè offendatur Deus, aut nè ei diſpliceamus in eo, quod facimus, nàm de alio non eſt cùr timeat, qui ſervit Deo: Sed hic timor auferetur, ſi ponatur illa certitudo, & ſecuritas, quæ omnem prorſus formidinem peccandi excludat, & Deum offendendi: ergò auferetur debitus modus operandi noſtram ſalutem, & ſerviendi Deo, nimirùm in timore, & tremore.

39 Confirmatur ex doctrina P. Salmeron, in Epiſtola Pauli ad Romanos, cap. 14. ad illa verba: Beatus, qui non iudicat ſemetipſum in eo, quod probat. Sic ait: (Aliud eſt credere, quod id, quod agitur, ex ſe, & ex genere ſit licitum, & Deo placens, aliud, quod mea actio, qua quidquam ago, quod ex ſe licitum eſt, ſit Deo accepta; poteſt enim aliquod opus ex ſe eſſe bonum, & gratum Deo, à me tamen aliqua circunſtantia vitiari, quæ me ipſum lateat, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine. Et S. Iob: Verebar, inquit, omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti: Et ipſemet Paulus: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Quibus in verbis teſtificari videntur, aliqua eſſe delicta tam occulta, quę prorſus à nobis ignorentur, & quæ nos meritò formidare debeamus, vt nulla ſit alia nobis ſecuritas, niſi timor ſanctus, & metus.) Et nihilominus tamen audet Terillus, audet & Caramuel dicere eos, qui ſectantur opus, quod magis probabilitèr eſt illicitum, & prohibitum, & minus probabilitèr licitum, ſecuriſsimos, ac certiſsimos eſſe poſſe abſque omni prorſus formidine, de eo quod in tali opere Deũ non offendunt, diſplicent, aut peccant, & ità certos, vt poſſint iurare, inquit Caramuel: &, quod magis mirum eſt, nos accuſant, quod admittimus certitudinem mixtam cum aliquali formidine, & timore Deum offendendi in opere electo, vel in operatione, & electione illius, tanquàm nimis laxos.

40 Audi Terillum quæſt. 27. num. 45. vbi quià Vvendrockius dixerat. (Reperitur enim eiuſmodi certitudo agendi, quanvis malè agendi formido ſuperſit:) ſic eum redarguit. (Quomodò excuſatur à peccato, qui operando formidat, nè in ipſo ſuo opere Deum offendat? Abſit à me, qui benignæ ſententiæ ſubſcribo, vt tam periculoſam, tamque laxam reſolutionem vnquàm admittam. Certè qui ſic accedit contra conſcientiam peccat, quià bona fide non accedit: quod autem non eſt ex fide peccatum eſt. Ecce, inquit, Vvendrockius laxior eſt, quam quos de laxitate reprehendit.) Quis non miretur Terillum ſic ſcrupulizantem, aliundè aſſerere eſſe licitum eligere obiectum directè, & per ſe prohibitum, quod probabilitèr operanti apparet prohibitum, imò quanvis ei magis probabilitèr appareat prohibitũ, quam licitum? Sed omnia ritè, rectèque componere ſe putat, nàm aſſerit, ſpectare ad divinam providentiam complacere ſibi

in

in huiusmodi electione, & sic eligens opus, quod probabilius sibi apparet prohibitum, quàm licitum, certus est absque omni prorsus formidine iuxtà Terillum, quod Deo placet in huiusmodi opere directè prohibito per divinam legem, & voluntatem. Est nè secura hæc securitas, & certa huiusmodi certitudo, vel potius certitudo, & securitas falsissima? Nàm quomodò (omnes Theologos, imò & omnes homines compello) verè quis securus est, & verè certus, quod Deo placet, eligendo obiectum directè, & per se prohibitum, quod sibi probabilius apparet prohibitum lege Dei directa, quam licitum? & tanta securitate vt nec minimam formidinem habeat, nè Deum in suo opere offendat? Sanè tantam, & talem securitatem, & certitudinem falsam, & purè affectatam esse mihi apparet certissimum, & ideò maximè formidandam, & cavendam; quià nullum maius malum, quam pax, & securitas, vbi pax vera non est, nec vera securitas, iuxtà illud Hieremiæ 6. vbi Deus quæritur de falsa pace introducta adversus veram animæ securitatem, dicens: (Et curabat contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax) & illud. (Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis veniet interitus.)

41 Vndè rectè Dominus per Zacariam 8. ait (Pacem, & veritatem diligite.) Nàm pax sinè veritate, ideſt. pax, & securitas falsa pernitiosissima est. Vndè rectè etiam adnotavit Bernardus epist. 9. ad Brunonem Archiepiscopum Colonien-sem. (Durus nè videor, quià non blandior, quià metum incutio, quià amico cupio initium sapientiæ? Sic mihi contingat semper beare amicos, ideſt, terrendo salubritèr, non adulando fallacitèr. Ad illud me provocat, qui dicit: Beatus homo, qui semper, est pavidus: ab hoc revocat, qui ait: Populo meus, qui te beatificant, in errorem inducunt.) Ex quibus omnibus patet in hac vita aliam nobis securitatem veram non esse, nisi quæ secum admittat timorem, & formidinem offendendi Deum in nostris operibus; securitatem autem falsam, & affectatam, quæ tan salutarem timorem prorsus expellat, omnino pernitiosam esse.

42 Vndè iam ad interrogationem Terilli, dico, quod nedùm excusatur à peccato, qui formidat nè Deum in suo opere offendat, ve[illegible].o meritum valdè augere potest per talem timorem, siquidèm est actus ortus ex vera humilitate, est timor verè castus, est vera diffidentia sui de suis operibus, vt totam suam securitatem, & fiduciam in Domino collocet, est pavor ille, vt inquit Augustinus, præ omni securitate appetendus, initium sapientiæ, imò & beatitudo præsentis vitæ; beatus enim, qui semper est pavidus. Audiat Terillus Theologiæ mysticæ Magistram Divam Matrem Teresiam, quæ in prima suarum exclamationum, quas meditare solebat saginata sacra Synaxi, sic aiebat: (Sed heù Deus meus! Qualitèr potero certò scire me à te non esse seiunctam? O vita mea! Tan parva securitate tibi vivendum est de re omnium importantissima! Quis talem optabit vitam, cùm lucrum, quod indè elici, aut sperari potest, nimirùm placere Deo in omni opere nostro, tan incertum sit, & periculis plenum.) Ecce quo timore displicendi Deo vivebat, operabaturque Sanctissima Virgo, & Mater Teresia. Nunquid ergò laxi sumus, si dixerimus nobis multo plus esse formidandum, nè in nostris operibus Deum offendamus, & cum tali formidine licitum esse nobis operari, quod certò moralitèr occurrerit nobis licitum? An potius credemus dicētibus quod absque omni prorsus formidine offendendi Deum, possumus eligere obiectum directè, & per se à Deo prohibitum, quod nobis probabilitèr, vel etiam probabilius apparet à Deo prohibitum, cum omnimoda securitate, & infallibilitate, quod Deo in huiusmodi electione placeamus? Iudica ingenuè Lector, vtrùm nos laxiores in hac parte simus Terillo?

43 Ex quibus iam à ratione probatur assertum, nàm certitudo illa infallibilis, & evidens non est vera, nec possibilis, vt probatum manet: ergò solùm potest esse certitudo, & securitas falsa, & affectata: sed hæc est nociva virtuti: ergò.

Secundò, nàm talis certitudo magna ex parte tollit timorem cautum, nimirùm, nè Deus offendatur in nostris operibus. Tertiò, quià tollit diffidentiam de proprijs operibus, quæ fundamentum est ad fiduciam tantùm in Domino habendam. Quartò, quià minuit cognitionem propriæ fallibilitatis, & occasionem præbet, vt homines plus debito de se præsumant, cogitantes se omninò certos, quod in quolibet opere singulari Deo placeant, & cum omni prorsus securitate, quod opus proprium Deo acceptum sit, absque omni prorsus formidine, nè in hoc falli possint. Quintò, quià

proinde magna ex parte minuit humilitatem, quæ in difidentia de proprijs operibus vel fundatur, vel consistit.

44 Ac denique, quià occasionaliter saltèm auffert ab hominibus debitam solicitudinem inquirendi directam Dei legem, & voluntatem. Qui enim certissimus est absque omni forminine, quod faciendo opus probabiliter licitum, licet magis probabiliter prohibitum lege Dei directa, Deum minimè offendit, sed potius quod ei placet, vndè vrgebitur ad magis inquirendam legem Dei directam? Ad quærendam maiorem certitudinem de illa? Quid enim amplius desiderare potest in hac vita, quam omnino evidenter, & infallibiliter certificari quod in suis operibus placet Deo, absque omni prorsus formidine quod Deum offedat? Qui hanc securitatem putat se habere, absdubio de alio certificari contemnet. Nàm excitativum ad quærendam maiorem, & maiorem certitudinem de lege, & voluntate Dei est timor ille, quo formidamus, ne in nostris operibus offendamus eum: est quià credimus nullam esse in hac vita omnino perfectam securitatem, quæ plenam nobis satisfactione de nostrorum operum honestate præstare possit: àc proinde nunquam nobis esse desistendum à quærendo, quià nunquam plenam satisfactionem, & securitatem in præsenti vita nos assecutos esse arbitramur. At, qui iàm operari se existimat cùm satisfactione, & securitate summa, evidenti, & omnino infallibili quod in suis operibus Deo non displicet, nec illum offendit, qui putat se securum omnino infallibiliter, & evidenter quod in suis operibus Deo placet, quodque suum opus acceptum est apud Deum, absque omni prorsus forminine oppositi, quid iàm vltra quærat certificari amplius? Et cùm huiusmodi certitudo, àc securitas reflexa tàm facilis promittatur à Probabilistis, vt sectantibus etiam minus probabiliter licita, etsi magis probabiliter prohibita, obvia sit, àc prompta, vt quid homines laborabunt pro maiori securitate, aut certitudine? Ergò talis certitudo, aut securitas reflexa occasionem præbet hominibus torporis, & socordiæ, & negligentiæ, occasionaliterque addimit ab eis solicitudinem pro maiore certitudine, pro veritate, pro virtute, vel pro vera Dei lege quærenda.

45 Sed instat Terillus; qui operatur cùm formidine, ne in suo opere Deum offendat, non operatur bona fide: sed quod non est ex fide peccatum est: ergò eo ipso peccat, & Deum offendit: ergò non est licitum sic operari. Maiorem se probare putat ex Div. Thom. quod lib. 8. art. 13. dicente quod, qui ex contrarietate opinionum in aliquam dubitationem inducitur, & manente tali dubitatione opus eligit, periculo se committit, & peccat.

Sed facilime respondeo Terillum, & alios manifestè æquivocari existimantes esse idem timorem, & formidinem erroris aut falsitatis, àc aliqualem dubitationem, hæsitationem, aut vacilationem intellectus, intèr vtramque partem contradictionis. Dico igitur valde vnum distingui ab alio; nàm stat optimè intellectum nullatenus dubitare, hæsitare, nec vacillare, sed determinatè, & absolutè iudicare opus esse honestum, & Deo placens, & tamèn quod facta reflexione agnoscens hoc suum iudicium solum esse moraliter, & humano modo certum, àc proinde fallibile ex genere suo, & cogitans quod possibile est physicè, & metaphysicè loquendo, quod fallatur in re tanti momenti, timore, & tremore afficiatur formidans, ne forsàn propter alia sua occulta peccata permittat Deus in hoc iudicio, etsi probabiliter, & moraliter sibi certo, nihilominus falli. Hæc formido, hic pavor, hic tremor præ omni securitate appetendus non est dubium, aut hæsitatio vlla, àn in suo opere Deum offendat, sed potius componitur cùm iuditio moraliter certo de non peccato, imo fundatur in ipso iuditio moraliter, & humano modo certo, eo quod certitudo humana fallibilis est aliquando.

46 Pro cuius clara explicatione distinguenda sunt ista quatuor, dubitatio, certitudo humana & moralis, fallibilitas eius, & formido falsitatis. Dubitatio pertinet ad intellectum, & omninino excluditur per iudicium moraliter certum, determinatum, & absolutum de eo quod opus sit honestum, àc licitum: supposita autem hac certitudine morali, quæ consistit in tali iudidio, negari non potest talem certitudinem, & tale iudicium esse fallibile ex genere suo, & non semel homines falli in suis iudicijs, etsi humano modo certis: & hæc fallibilitas est intrinseca iudicio solum probabiliter, seu moraliter certo. Ex hac autem fallibilitate cognita oritur in voluntate timor, tremor, pavor, & formido, ne forsàn, vt possibile est, saltèm remote, fallatur existimans se placere Deo, & illum revera offendens; & hic timor longissimè distat à dubitatione, tunc quià dubitatio est propriè actus intellectus, & ad intel-

intellectum spectat formaliter, timor vero, & formido actualis est formaliter actus voluntatis, & in voluntate formaliter residens. Tunc quià dubitatio penitùs excluditur per certitudinem probabilem, aut per iudicium determinatum, & absolutum probabilitèr certum; at formido falsitatis non excluditur per hoc iudicium, sed potius, propter sui fallibitatē tale iudicium fundat formidinem, & pavorem de falsitate remotè possibili. Quæ quidem formido, & timor falsitatis, seu Deum offendendi in eo in quo putamus ei placituros, non debet nos cohibere à tali opere; aliter enim nullum opus licitè facere possemus, & exeundum esset ab hoc seculo, quià nisi extra illud certitudo, & securitas absque omni formidine inveniri non potest; sed solum debet nos reddere solicitos, cautos, humilesque, scientes, quod non ille probatus est, qui se ipsum commendat, sed quem Deus commendat, & orantes, *ab occultis meis munda me*, & totam nostram fiduciam in Domino collocantes: nihilominus tamen cùm ea certitudine morali, nunc maiore, nunc minore, servientes Deo, vnusquisque in sua vocatione, statu, vel ministerio, semper tamen in timore, & tremore, inter spem, & formidinem, vsque dum perveniamus ad Patriam, in qua erit perfecta securitas, & iàm non erit timor in finibus nostris.

47 Ex quo iàm facile ad prædictam obiectionem in forma, nego maiorem, vel claritatis gratia illam distinguo: non operatur bona fide divina, & omninò infallibili de suo non peccato, concedo maiorem, bona fide humana, & fallibili, nego maiorem. Et distinguo minorem, quod non est ex fide divina, & omninò infallibili de non peccato, peccatum est, nego minorem, vtpote falsissimam: quod non est fide humana, & fallibili de non peccato, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem maioris, iàm constat, nàm D. Thom. solum prohibet operari cùm aliqua dubitatione àn opus sit prohibitum, vel non, & hoc etiam nos illicitum reputamus, solum autem dicimus esse licitum operari cùm formidine remota, ne Deus offendatur, orta ex fallibilitate etiam remota nostrę humanæ certitudinis, quæ formido valde distinguitur à dubitatione vt dictum manet. Si autem velit Terillus quod semper operemur cùm certitudine, & fide omninò infallibili de eo quod in nostro opere Deo placemus, eique accepti sumus, caveat quod fides infallibilis omninò, alia esse nequit, nisi fides divina; de hac autem fide intelligere illud Apostoli, quod non est ex fide peccatum est, hoc est: qui non credit fide divina se in suo opere Deum non offendere, peccatum est illi, si sic operatur, ità inquam intelligere, hæreticum est, àc proinde cavendum: ergò solum intelligi potest de fide humana, quæ nec evidens est, nec infallibilis est omninò, nec plus quàm moraliter certa.

48 Et quidem quodnam remedium applicabit Terillus miseris scrupulosis, qui sine formidine vivere non possunt? Absit inquit Terillus, vt tàm laxam resolutionem vnquam admittam, quod scilicet excusetur à peccato, qui operando formidat ne in ipso suo opere Deum offendat. Et quid facient miseri scrupulosi, qui à tali formidine liberari non possunt? Desperandi ne erunt? Damnandi ne in omnibus, vt peccati reos? Quià non assecuntur illam securitatem, & certitudinem, quàm policetur Terillus, & Caramuel absque omniformidine, ità vt iurare possint Deum non offendere? Dicemus ne cùm Terillo: absit vt tales excusemus à peccato? Quis tale dicat?

49 Sed vrgebis: qui intra se dicit, *forte hoc est peccatum, & offensa Dei*, & nihilominus illud eligit, absdubio temerè operatur, & peccat: sed qui operatur cùm formidine offendendi Deum in sua operatione, sic intra se dicit, & sic eligit: ergò temerè operatur, & peccat. Respondeo negando minorem, quià non est idem me habere formidinem offendendi Deum in mea operatione, àc dicere intra me, *forte Deum offendam si hoc egero*, potissime loquendo de simplici formidine ex periculo remoto provenienti; talis enim formido resultat non ex iudicio, quo quis dicat: *Forsàm peccabo si hoc egero*, sed ex aprehensione peccati vt remotè possibilis in operatione humana, vel si mavis ex iudicio sic aiente, possibile est saltem remotè me falli, & peccare, vbi existimo non esse peccatum, me offendere Deum vbi existimo nullam esse Dei offensam: cùm quo iudicio rectè componitur quod prudenter, & absque temeritate eligam sic operari, nàm cùm tali iudicio stat optimè certitudo moralis, & probabilis de non peccato, quæ sufficit ad prudentem electionem. Sicuti dum sub tegulas per calles ambulo, scio possibile esse saltem remotè, quod aliqua decidens ictu capitali me percutiat, & si hoc ità practicè aprehendam, concipio simplicem quandam formidinem, & pavorem: nihilominus prudenter sub tegullas ambulo, quià formido illa simplex non provenit ex iudicio, quo dicam:

cam: Forte ictu capitali percutiar, & nihilominus ſic volo ambulare; ſed ex iudicio, quo ſic dico: Poſsibile remotè eſt me, aliqua regula decidente, ictu capitali percuti, ſed hoc non obſtante, ſic volo ambulare, quià pericula remota nec vitari poſſunt, nec debent.

50 Reſpondeo ſecundò, doctrina valde notanda, nimirum, quod ille actus mentis: *Forsàn offendo Deum*, poteſt eſſe vel directus circa opus eligendum præviuſque ad ipſàm electionem ordine naturæ, vel poteſt eſſe reflexus ſupra ipſam electionem, & modum eligendi, conſequenter ad ipſam, vel concomitanter cùm ipſa. Si primo modo ſe habeat, regulat electionem, & conſequenter electio evadit temeraria, ſi prævie illo actu dictante: Forsàn offendã Deum in hoc opere, intrepide illud eligat. Si ſecundò modo ſe habeat, non regulat electionem, & conſequenter perinde ſe habet, àc ſi non eſſet ad eius prudentiam, vel temeritatem, non minus àc ſi quis poſt electionem dubitaret àn peccaſſet, vel nõ peccaſſet in illa. Etiux ta hanc doctrinam diſtinguẽda eſt maior prę. cedentis replicæ, hoc pacto: Qui intra ſe dicit, &c. ſi hoc dicat directè de opere eligendo prævie ante ipſam electionem, concedo maiorem; ſi hoc dicat reflexè concomitanter, vel conſequenter ad ipſam electionem, nego maiorem, & minorem in eodem ſenſu.

QVÆST. XXXIV.

Quænam ſit regula moralitatis obiectiva, & formalis, cui teneamur conformari in operando?

1 QVÆSTIONES Multiplico, vt preſens controverſia vndequaque, & ſub quibuſlibet terminis perſpicua fiat. Vnde, licet præſens facile ex dictis reſolvi poſſet, nihilominus non detractabo præcedentem doctrinam ſub terminis quæſiti præſentis aliter explicare. Pro quo præmittendum duxi, valdeque notandum, quod illud iudicium vltimo practicum, quod imperium vocamus Thomiſtæ, quo vel poſt electionem dictamus efficaciter: Hoc eſt faciendum, vel: Fac hoc, vel quo poſt intentionem finis, & conſultationem mediorum, dictamus etiam efficaciter: Hoc medium eſt eligendum, hoc, inquam, iudicium non poteſt eſſe regula moralitatis, de qua in præſenti. Tum quià hoc iudicium non eſt tale, quod libere poſsimus cùm illo conformari, aut ab illo diſformari, cùm enim ſit efficax, licet tale iudicium poſsimus non concipere, contra illud tamen agere nõ valemus, nec illi reſiſtere, nec, illo ſemel concepto, eſt nova indifferentia, vt cũ illo conformemur, aut ab illo in operando diſcordemus: in præſenti autem inquirimus de regula, cui teneamur conformari, & à qua poſsimus diſcordare, ità vt ſi operemur conformiter ad illam, rectè, ſi diſconformiter pravè operabimus. Tum quià ſi illud iudicium efficax, & vltimo practicum eſſet regula, omnes etiam ſcœleſtiſſimi rectè operarentur, & ſecundum regulam moralitatis, quià omnes agunt quod vltimo iudicio practico dictant efficaciter eſſe faciendum: hoc autem eſt per ſe falſum: ergò.

2 Dices illud iudicium tunc ſolum eſſe regulàm, quandò eſt prudens, & rectum. Rectè: ergò illud iudicium efficaciter dictans in actu ſecundò: Hoc eſt faciendum, vel Hoc eſt eligendum, aliquando eſt imprudens, & pravum, aliquando prudens, & rectum. Regulam ergò inquirimus, cui debeamus conformari in illo iudicio, vt ſit rectum, & prudens, & aqua, ſi diſcordemus, erit pravum, & imprudens: cùm enim omnes, qui illo iudicio efficaci rectè, & prudenter præcipiunt de agendis, rectè, & honeſtè operentur, ècontrà autem omnes, qui pravè, & imprudenter præcipiunt; eadem omninò debet eſſe regula, cui conformari debeamus in pręcipiendo, àc illa, cui debemus conformari in operando, vt benè, & rectè præcipiamus, & operemur. Quænàm ergò iſta eſt? Dico igitur illam debere eſſe aliquam cognitionem, aut normam ſe tenentem ex parte actus primi, &, qua ſuppoſita, aut cognita ex parte actus primi, liberum ſit nobis iuxta illam eligere, præcipere, & operari, vel præter, aut contra illam eligere, præcipere, & operari; ità vt primò modo rectè eligemus, præcipiemus, & operabimur, ſecundò vero modo pravè, & malè.

3 Hæc autem regula neceſſariò diſtinguenda eſt in obiectivam, & formalem. Obiectiva debet eſſe aliqua regula, aut norma cognita ex parte obiecti, & practicè propoſita, vt ſervanda, & imittanda in actione, vel opere eligendo. Formalis debet eſſe aliqua cognitio, aut iudicium proponens obiectum debitum: quod iudicium non cognoſcatur ſignatè, nec ſignatè proponatur vt regula obiectiva, quià tunc iàm eſſet regula obiectiva, & non formalis; ſed exercite tantum ſe habeat ex parte actus proponendo regulam obiectivam, vel obiectum, in quod tende-

re

re debeamus. Quibus prænotatis, iàm cuilibet patet titulus quæſtionis. Pro cuius deciſione ſit.

§. I.

Prima concluſio ſtatuitur.

4 DICO Primò: *Cognitio moralitatis formalis non eſt regula ipſius moralitatis formalis; nec cognitio moralitatis obiectivæ eſt regula moralitatis obiectivæ*, ideſt (vt clarius concluſionem aperiam) Opus meum non ideò obiectivè honeſtum eſt, quià ego cognoſco illud vt obiectivè honeſtum, nec eſt inhoneſtum obiectivè, quià ego cognoſco illud vt obiectivè inhoneſtum. Et item: Operatio mea non eſt honeſta formaliter, quià ego cognoſco reflexè illam vt honeſtatem formalitèr, nec eſt formalitèr inhoneſta, quià reflexè cognoſco illam vt formalitèr inhoneſtam. Hæc concluſio ſic explicata, & intellecta, eſt mihi certiſsima. Et illam probo primo, quià nulla cognitio creata poteſt eſſe regula ſui obiecti per illam cogniti, & affirmati, ità vt obiectum ideò ſit tale, quià cognoſcitur vt tale, hoc enim eſt proprijſſimum ſolius cognitionis divinæ: ergò cognitio creata (de qua ſolum loquimur) moralitatis non poteſt eſſe regula ipſius moralitatis cognitæ, & affirmatæ, ità vt opus ſit talitèr honeſtum, quià cognoſcitur vt talitèr honeſtum.

5 Secundò quià vel cognitio honeſtatis eſt regula ipſius præciſive ab eo quod talis cognitio ſit vera vel falſa, vel inquantum vera determinatè: Non primum, quià alias quidquid egò vellem cognoſcere vt honeſtum, & affirmare vt tale ſive verè, ſivè falsò, eo ipſo illud rederem re ipſa honeſtum: quod ſanè valde mirum eſſet, quod ſcilicet mea cognitio vim quamdā haberet infinitam honeſtandi quodlibet, præcisè quià affirmaret, & cognoſceret illud, ſive vere, ſive falsò, vt honeſtum; poſſetque quiſque ſibi honeſtare homicidia, fornicationes, adulteria, ſacrilegia, &c. præciſè affirmando, & proponendo ea vt ſibi honeſta: hoc autem quis non videat per ſe falſum eſſe? Ergò cognitio honeſtatis, præciſivè ab eo quod ſit vera, vel falſa, non eſt regula ipſius honeſtatis cognitæ, & affirmatæ. Deinde nec vt determinatè vera; quià cognitio affirmans honeſtatem operis v. g. regulatur in ſui veritate ab ipſa honeſtate affirmata; ità vt ſi opus ſit honeſtum ſicut affirmat cognitio, eſt vera, ſi autem ità non ſit honeſtum, cognitio eſt falſa: ſed implicat quod regulatū ſit regula regulantis ſe, ſicuti & regula ſuæ regulæ: ergò implicat quod cognitio honeſtatis vt determinate vera ſit regula honeſtatis cognitæ, & affirmatæ.

6 Explicatur: ſi cognitio vera affirmans honeſtatem obiectivam operis, v. g. eſt regula talis honeſtatis, neceſſariò dicendum eſt opus ideò eſſe obiectivè honeſtum, quià conformatur cùm tali cognitione vera, vti cùm ſua regula. Deinde cùm ipſa honeſtas affirmata ſit regula veritatis ipſius cognitionis, neceſſariò dicendum eſt ideò cognitionem eſſe veram, quià conformatur cùm ipſo opere, vt obiectivè honeſto: ergò ideò opus eſt obiective honeſtum, quià conformatur cùm ſui cognitione vera, & ideò ſui cognitio vera eſt, quià conformatur cùm opere obiectivè honeſto: ergò tandem cognitio erit regula ſuæ veritatis, & ipſum opus obiectivè honeſtum regula ſuæ honeſtatis obiectivæ: ergò & plura alia ſequentur per ſe chimerica, & abſurda.

7 Nec ſatisfacies, ſi dicas primo talem cognitionem eſſe regulam hoſtatis affirmatæ, non vt determinatæ veram, nec vt determinate falſam, ſed præcisè vt eſt cognitio probabilis practica. Contra enim eſt, nàm vel vt eſt cognitio probabilis practica, & vera; vel præciſive à veritate, & falſitate. Si primum non poteſt eſſe regula honeſtatis affirmatæ, quià potius ipſa honeſtas affirmata eſt regula cognitionis probabilis vt veræ, cùm qua ipſa cognitio debet conformari vt ſit vera. Si ſecundum, ſequitur quod etiam ſi cognitio probabilis ſit falſa, dummodo ſit practicè probabilis, opus erit re ipſa honeſtum obiective, quià erit conforme cognitioni probabili dictanti illud eſſe tunc honeſtum obiectivè; ſed chimericum eſt, quod cognitio practicè probabilis ſit falſa, & quod opus ſit obiectivè honeſtum ſicut ipſa affirmat, nàm ſi eſt obiectivè honeſtum, ſicut affirmat, & dictat, eo ipſo eſt vera: ergò ſemper ſequitur chimericum conſequens, ſi cognitio, licet practicè probabilis, ſit regula honeſtatis affirmatæ.

8 Explicatur: vel vt opus evadat obiectivè honeſtum ſufficit, quod cognitio practicè probabilis dictet illud eſſe obiectivè honeſtum, ſive id dictet verè, ſive falsò: & vel requiritur quod id dictet verè, & non ſufficit probabiliter. Si hoc ſecundum: ergò cognitio illa non eſt regula præciſive à ſui veritatè, vnicè quià probabilis. Si primum: ergò ſi cognitio dicter

ſtet practicè probabilitèr, ſed falſo, opus eſſe obiectivè honeſtum, opus re ipſa iuxta talem cognitionem elicitum erit obiectivè honeſtum, & cognitio id ipſum practicè affirmans erit falſa, quo nihil magis implicans contradictionem excogitari poteſt.

9 Nec etiam ſatisfacies, ſi ſecundo dicas cognitionem practicè probabilem ſemper eſſe practicè verâ, & vt practicè veram eſſe regulam honeſtatis affirmatæ, ipſam autem non regulari in ſui veritate practica per honeſtatem practicè affirmatam, ſed per conformitatem cùm recto appetitu finis, àc ſic nec eſſe regulam ſuæ regulæ, nec vllam implicationem ſequi. Non inquam ſatisfacies, quià huiuſmodi doctrina mille implicationes ſecum affert, quas expenſas iàm relinquimus, ſicuti, & talem doctrinam latè impugnatam ſuprà q. 28. n. 247. nec opus eſt vlteriore impugnatione: relege ibi dicta.

10 Tertiò probatur concluſio; quià cognitio honeſtatis ſivè obiectivæ, ſive formalis, neceſſariò debet cognoſcere ex parte obiecti regulam honeſtatis affirmatæ. Sed nulla cognitio ſe ipſam cognoſcit ex parte obiecti, nec eſt obiectum ſui ipſius, alias à ſe ipſa ſpecificaretur, ſe ipſam obiectivè verificaret, eſſet ſua veritas per eſſentiam, & alia ſequerentur, vel implicatoria, vel abſurdiſſima, quæ numerare non vacat; ergò cognitio honeſtatis non poteſt eſſe regula honeſtatis affirmatæ. Maior probatur, quià honeſtas obiectiva conſiſtit in conformitate operis, vel obiecti cùm regula ſuæ honeſtatis, & ſimilitèr honeſtas formalis conſiſtit in conformitate operationis cùm ſua regula formali: ſed cognitio conformitatis operis, vel operationis cùm ſua regula, neceſſariò debet cognoſcere ex parte obiecti regulam, quià non cognoſcitur ex parte obiecti conformitas, niſi cognitis ex parte obiecti extremis conformitatis: ergò.

§. II.

Secunda concluſio ſtatuitur.

11 DICO Secundò: *Regula honeſtatis obiectivæ eſt lex divina, vel appetitus rectus finis.* Patet, quià illud opus eſt obiectivè honeſtum, quod eſt voluntari, àc legi divinæ conforme, nec enim eſt alia regula ſub Celo data hominibus, vnde diſcerni poſsit quodnam obiectum, vel agibile ſit honeſtum, àc turpe, niſi lex Dei vel naturalis, vel poſsitiva, hæc enim eſt prima, & vniverſalis regula obiectiva totius moralitatis, ad quam debemus attendere, & penès quam debemus diſcernere de agibilibus, quænam ſint licita, & honeſta, & quænam turpia & inhoneſta, & cui propoſſe tenemur in omni noſtro opere, & agibili conformari. Et hæc quidem eſt regula obiectiva, non formalis, quià eſt norma attendenda ex parte obiecti, & in opere ipſo, vel agibili obiectivè obſervanda, non autem eſt cognitio noſtra, aut iudicium proponens regulam obiectivam: ſed in illo conſiſtit regula obiectiva, in hoc regula formalis: ergò lex Dei eſt regula obiectiva, non formalis, nec in hoc video eſſe difficultatem vllam, aut diſcordiam, imò eſt communis ſenſus Theologorum cùm Div. Thom. 1. 2. quæſt. 19. art. 4. per totum, & quæſt. 21. art. 1. in corp. vide ſuprà dicta qu. aſt. 28. à num. 133.

12 Dixi quod rectus appetitus finis eſt regula honeſtatis obiectiva, quià rectus etiam appetitus finis eſt norma per cuius conformitatem, aut diſconformitatem opus dicitur rectum, aut prauum, honeſtum, vel turpe, ità vt opus elicitum conformitèr ad appetitum rectum finis debiti, re ipſa ſit honeſtum, ſi autem ſit prætèr, aut contra appetitum finis debiti eſt turpe, vel non honeſtum in quantum ab illo diſcordat. Ex quo tamèn non inferas duas eſſe regulas obiectivas honeſtatis, quià licet videantur duæ regulæ divina lex, & appetitus rectus finis debiti, non ſunt duo, ſed vnica, nàm lex Dei de ſe habet dictare quid ſit conforme appetitui finis debiti, ſeu fini debito: appetitus enim rectus eſt intentio placendi Deo in omnibus; at, quid ſit conforme huic appetitui, hoc eſt, quid ſit quo placere poſſimus Deo deſignat lex Dei, vnde conformitas cùm appetitu recto, & cùm lege Dei in idem coincidit, àc proinde non ſunt duę regulæ, ſed in vnam coincidunt, appetitus rectus, & lex Dei; appetitus enim rectus finis eſt quaſi regula communis pro omnibus agibilibus eadem, attamen lex Dei particularizat quænam agibilia conformia ſint, quænam diſconformia fini debito. Nota autem, quod appetitus finis debiti vocatur regula obiectiva, potius ex parte finis appetiti, quam ex parte ipſius appetitus; quià finis ipſe debitus iàm appetitus eſt, qui tantum debet præcognoſci vt menſura, & norma operis, non autem debet cognoſci ipſe appetitus formalis finis debiti, vt regula, ſed ſufficit quod exercitè præcedat, licet ſignatè, nec reflexè non cognitus.

Sta-

§. III.

Statuitur tertia concluſio.

13 REGVLA *Formalis, & proxima honeſtatis formalis eſt cognitio honeſtatis obiectivæ, non vero cognitio ipſius honeſtatis formalis.* Hoc ſecundum patet, quià, vt ex dictis conſtat, cognitio honeſtatis non poteſt eſſe regula ipſius honeſtatis cognitæ, ſed ſolum alterius: ergò cognitio honeſtatis formalis non poteſt eſſe regula ipſius honeſtatis formalis. Primum vero probatur: nàm regula formalis, & proxima honeſtatis formalis debet eſſe illa cognitio, quæ proponit practicè obiectum debitum, in quod tendere debet voluntas, vt honeſtè formaliter operetur: ſed huiuſmodi cognitio eſt, quæ proponit honeſtatem obiectivam: ergò regula formalis, & proxima honeſtatis formalis eſt cognitio honeſtatis obiectivæ. Minor probatur, quià intellectus non aliter dirigit, & regulat formaliter, & proximè actus voluntatis, niſi proponendo voluntati obiectum, aut motivum debitum, in quod, vel ſub quo tendere debet: ſed obiectum, in quod tendere debet voluntas, eſt bonum honeſtum, & motivum debitum eſt, quià honeſtum obiectivè: ergò cognitio, quæ proponit practicè obiectum in quod tendere debet voluntas eſt cognitio, quæ proponit honeſtatem obiectivam.

Explicatur: Intellectus non dirigit formaliter, & proximè actus voluntatis proponendo ipſi voluntati actus formales ipſius, vt formaliter honeſtos: ergò ſolum dirigit formaliter actus voluntatis proponendo ipſi obiectum, & motivum honeſtum, in quod debet tendere, ſeu, quod idem eſt, proponendo honeſtatem obiectivam. Antecedens probatur primò, quià voluntas, vt tendat in obiectum, nullatenus expectat quod intellectus ſibi proponat actum ipſum, quo tendere debeat in obiectum, nec modum ſubiectivum, & ex parte actus, quo obiectum reſpiciat; ſemel enim propoſito obiecto, & motivo, naturaliter ſequitur in voluntate modus ſubiectivus, quo tendere habet in tale obiectum ſub tali motivo, & ad hunc modum ſubiectivum nulla indiget cognitione proponente potius illum modum, quàm alium, vt experientia ipſa ſatis eſt perſpicuum: ergò cognitio proximè, & formaliter regulans, & dirigens actus voluntatis non eſt cognitio, quæ proponat ipſi voluntati actum, vel modum, quo tendere debeat in obiectum ſub motivo propoſito, ſed ſola cognitio proponens obiectum, & motivum debitum voluntati. Secundò, quià propoſito ſemel obiecto, & motivo voluntati, voluntas non habet quantum ad illud obiectum, & motivum novam indifferentiam quoad ſpecificationem, ità vt tendere poſsit in illud obiectum ſub illo motivo iàm per actum huius ſpeciei, iàm per alium diſsimilis ſpeciei, ſed, ſemel quod tendat, non habet niſi vnicum modum ſpecificè, & vnicum ſpecie actum, quo tendere poſsit; quià cùm ſpecies in actibus voluntatis non poſsit deſumi, niſi ab obiecto, & motivo, ſemel propoſito obiecto determinato ſub motivo determinato, non reſtat voluntati, niſi vnicus ſpecificè actus, & modus, quo poſsit tendere in illud motivum, & illud obiectum: ſed hoc ipſo voluntas non indiget novo actu intellectus dirigente, qui ſibi proponat actum, & modum, quo tendere debeat in obiectum: ergò actus vltimo, proximè, immediatè, & formaliter dirigens, & regulans actum voluntatis eſt cognitio proponens obiectum, in quod, & motivum, ſub quo debet tendere voluntas, quin expectetur pro regula cognitio vlla proponens actum ipſum voluntatis, aut modum intrinſecum tendendi. Minor probatur, quià tunc ſolum indiget directione voluntas, quandò eſt indifferens, vt hoc, vel illo modo procedat in ſuo actu, benè, vel malè: ergò ſi, ſemel propoſito obiecto, & motivo non eſt indifferens, vt tendat in illud idem obiectum, & motivum hoc, vel illo modo, benè, vel malè, ſed ſolum reſtat illi vnicus ſpecie modus, & actus erga illud obiectum ſub illo motivo, nulla indiget directione nova, vt tendat in illud obiectum ſub illo motivo.

14 Secundò probatur, quià ſemel quod intellectus proponat directè voluntati obiectum honeſtum, & ſub motivo honeſtatis, nulla alia directione, aut regula indiget voluntas, vt rectè operetur, ſed potius ſi nulla alia ſpectata cognitione, in illud obiectum tendat ſub illo motivo rectè, honeſtèque, formaliter operabitur: ergò regula formalis, & proxima honeſtatis formalis ſola eſt cognitio directa proponens obiectum, & motivum, ſub quo tendere debet voluntas, minimè autem cognitio reflexa honeſtatis formalis, vel actus, vel modi ſubiectivi, quo voluntas tendere debeat in obiectum, & motivum. Antecedens probatur, quià implicat quod voluntas tendat in obiectum honeſtum, quià honeſtum ſibi propoſitum directè, vt tale, quin rectè, & honeſtè tendat; actus enim voluntatis aliunde non ſpecificatur,

quàm

quàm ab obiecto, & motivo: ergò per hoc precisè quod intellectus proponit voluntati obiectum honestum sub motivo honestatis, & voluntas, nulla alia expecta cognitione, in illud sub eodem motivo immediate tendat, honestè formaliter operatur.

15 Ex qua doctrina aliqua inferuntur valde notatu digna, primò, quod cognitio reflexa honestatis, vel inhonestatis formalis operationis non est practica, sed solum speculativa immediate respectu ipsius honestatis formalis, & operationis. Patet, quia nō aliter poterat esse practica, nisi regulando, & dirigendo ipsam operationem, & actum voluntatis: sed talis cognitio reflexa non regulat, nec dirigit actum, vel operationem voluntatis, sed potius reflectitur supra regulam immediatam, & formalem, nimirum supra cognitionem directam, proponentem obiectum, & motivum, & in tantum agnoscit ipsam operationem, vt formaliter honestam, in quantum cognoscit illam conformem suæ regulæ, id est, cognitioni directæ proponenti debitum obiectum, & sub debito motivo: ergò talis cognitio reflexa honestatis formalis non est practica immediatè, sed immediate speculativa respectu ipsius operationis formalis, seu actus voluntatis. Explicatur: cognitio, quæ supponit obiectivè actum voluntatis regulatum, non est regula ipsius actus voluntatis immediata, & formalis, & consequenter, nec est practica immediatè respectu ipsius, sed purè speculativa: sed cognitio reflexa honestatis formalis, seu actus voluntatis, vt formaliter honesti, supponit obiectivè ipsum actum voluntatis, vt formaliter regulatum, siquidem supponit illum vt signatè honestum, & rectum formaliter, & nihil est aliud esse rectum formaliter, nisi esse formaliter regulatum: ergò talis cognitio reflexa honestatis formalis non est immediatè practica, sed immediatè purè speculativa respectu ipsius operationis, vel actus voluntatis.

17 Dixi *immediatè*, quia mediatè potest esse practica, & regulativa ipsius. Si nimirum reflexe proponens ipsum actum voluntatis vt formaliter honestum, moveat voluntatem vt reflexè etiam velit ipsum actum voluntatis, quia formaliter honestum, tunc enim cognitio reflexa actus directi voluntatis, vt formaliter honesti, immediatè movet, & dirigit ad volitionem etiam reflexam, quà reflexè velis elicere ipsum actum directum, quia formaliter honestum, & mediante volitione reflexa movet etiam, ac dirigit ad exercendum actum ipsum directum formaliter honestum, & sic cognitio reflexa honestatis formalis est practica mediate in ordine ad actum directum formaliter honestum. Sed valde considerandum est, quod tunc casus iàm honestas formalis actus directi cognita reflexè non sumitur, vt honestas formalis, sed vt obiectiva, quia proponitur iàm per cognitionem reflexam, vt obiectum, & motivum honestum reflexè volendum, in quod reflexè possit rendere voluntas, & tunc ipsa honestas formalis actus directi voluntatis est obiectiva respectu actus reflexi ipsius voluntatis, & cognitio reflexa proponens talem honestatem iàm vt obiectivam, & reflexè amabilem, est regula formalis, & immediata actus reflexi voluntatis; sed minimè est regula, nec formalis, nec obiectiva honestatis formalis actus directi voluntatis, quam proponit, & cognoscit, vnde semper salvatur quod cognitio honestatis non sit regula ipsius honestatis per talem cognitionem cognitæ, & affirmatæ.

18 Infertur secundò, cognitionem reflexam honestatis formalis immediatè comparatam ad ipsam honestatem formalem cognitam consequenter se habere ad illam, ac proinde si per possibile, vel impossibile compareretur cognitio directa certa moraliter proponens obiectum honestum sub motivo honesto, cùm cognitione reflexa dubia de honestate formali, imò cùm reflexa negante honestatem formalem actus voluntatis, nihilominus actus formalis tunc elicitus esset formaliter honestus. Tum quia esset conformis suæ regulæ formali, & proximæ, quæ tunc esset recta. Tum quia nihil obstaret cognitio reflexa dubitans de honestate formali, aut eam negans, quia talis cognitio, vtpote speculativa, esset obiectivè consequens, actum voluntatis, & eius regulam supponens; cognitio autem consequens obiectivè actum, & eius regulam, nihil valet ad moralitatem, vel imputabilitatem talis actus, sed omninò per accidens est, sicuti, & cognitio comitans.

19 Infertur tertiò, maxima æquivocatio Probabiliſtarum, qui tam longè distant à præcedenti doctrina, vt existiment vltimum dictamen conscientiæ immediatè practicum, seu regulam formalem, & proximam actus voluntatis quantum ad eius moralitatem esse cognitionem reflexam honestatis formalis: cognitionem autem directam honestatis obiectivæ asserunt esse solum remotam regulam, seu obiectivam, & nescio, quo pacto, remotè etiam practicam. Quod sanè

docent

docent potius vt Probabiliſmum tueantur, & cùm illo ſecuritatem conſcientiæ, quam ex aliquo ſolido motivo, aut ratione; quænam enim ratio eſſe poteſt vt ordo naturalis intèr actus intellectus, & voluntatis præpoſterè doceatur. Inferrur vltimo dictamen vltimum conſcientiæ, cui conformari tenemur, non eſſe iudicium reflexum de honeſtatè formali operationis, ſed iudicium directum de honeſtatè obiectiva. Patet ex dictis.

§. IV.

Statuitur quarta concluſio.

20 DICO Quarto: *Cognitio directa honeſtatis obiectivæ, quæ exigitur pro regula formali moralitatis formalis, ſufficit quod ſit cognitio probabilis, ſeu probabilitèr certa de honeſtate obiectiva, non autem ſufficit quod ſit cognitio de probabilitate honeſtatis obiectivæ.* Patet, quià cognitio, quæ exigitur pro regula formali moralitatis, eſt illa, quæ proponit voluntati obiectum, in quod tendere debet, & ſub motivo ſub quo debeat tendere: ſed probabilitas non eſt obiectum, in quod tendere debet voluntas, non enim voluntas debet velle probabilitatem, nec eſt motivum proprium voluntatis, ſub quo immediatè tendere debeat, vnde voluntas non quærit per ſe probabilitatem proptèr probabilitatem, ſed ſolum tendere debet in honeſtum ſub motivo honeſtatis, vnde tenetur quærere honeſtatem proptèr honeſtatem: ergò cognitio, quæ debet regulare immediatè actum voluntatis, non ſufficit quod proponat immediatè probabilitatem honeſtatis obiectivæ, ſed debet immediatè proponere, licèt probabilitèr, honeſtatem ipſam in recto.

Explicatur: iudicium de probabilitate honeſtatis non proponit in recto honeſtatem ipſam, ſed ſolam probabilitatem: ſed iudicium regulans formalitèr, & immediatè actum voluntatis debet proponere in recto honeſtatem obiectivam, quam ſolam quærere tenetur voluntas, & non probabilitatem in recto: ergò iudicium regulans formalitèr actum voluntatis non ſufficit quod ſit iudicium de probabilitate honeſtatis; ſed requiritur quod ſit iudicium de honeſtate ipſa in recto.

21 Confirmatur: ſi ſufficeret iudicium de probabilitate honeſtatis, maximè quià probabilitas honeſtatis eſſet regula obiectiva honeſtatis: ſed hoc eſt falſum: ergò non ſufficit iudicium de probabilitate honeſtatis. Minor probatur, nàm ſi probabilitas eſſet regula obiectiva honeſtatis, ſequeretur eundem actum voluntatis eſſe ſimul honeſtum, & inhoneſtum. Ponamus enim eſſe probabile quod obiectum ſit honeſtum, & item eſſe probabile quod obiectum ſit prohibitum: tunc caſus, ſi voluntas tenderet in tale obiectum, actus ille imprimis eſſet honeſtus, quià in illo tenderet voluntas conformitèr ad regulam honeſtatis, ſcilicet ad probabilitatem. Et item eſſet inhoneſtus, quià tenderet contra regulam, nimirum contra probabilitatem de prohibitione talis actus, vel obiecti: ergò idem actus voluntatis eſſet iuxta regulam, & contra regulã; honeſtus, & inhoneſtus; ſed hoc eſt prorſus chimericum: ergò dici nequit quod probabilitas honeſtatis obiectivæ ſit regula obiectiva honeſtè operationis. Explicatur: regula debet eſſe talis, vt operando conformitèr ad ipſam rectè operemur, operando autem contra ipſam pravè operemur: ergò ſi probabilitas eſſet regula obiectiva talis eſſet quod qui operaretur iuxta probabilitatem rectè operaretur, qui autem contra probabilitatem malè operaretur: ſed iuxta contrarios ſæpè contingit eundem actum voluntatis tendere iuxta, & contra probabilitatem, vt cum ſimul eſt probabile obiectum eſſe honeſtum, & eſſe prohibitum: ergò iuxta illos ſæpè continget nos ſimul rectè, & pravè honeſtè, & inhoneſtè operari in eodem actu.

22 Vrgetur: ſi cognitio, vel iudicium de probabilitate honeſtatis ſufficeret vt regula formalis ad inhoneſtandum actum, paritèr cognitio ſeu iudicium de probabilitate inhoneſtatis, & turpitudinis ſufficeret vt regula ad inhoneſtandum actum, nullam enim diſparitatem aſſignabunt contrarij, cùm non requiratur maior, imò ſufficiat minor cognitio turpitudinis obiecti ad inhoneſtandum actũ, quam requiritur vel ſufficit cognitio honeſtatis obiecti ad honeſtandum actum, quià ad hoc vt actus evadat inhoneſtus formalitèr, ſufficit quod tendat cùm cognitione dubia turpitudinis obiecti, vt autem evadat honeſtus formalitèr non ſufficit cognitio dubia de honeſtatè obiecti, ſed requiritur determinata apud omnes, & item quià malum ex quocumque defectu, bonum vero ex integra cauſa: ſed iuxta contrarios ſimul datur in intellectu cognitio, ſeu iudicium de probabilitate honeſtatis obiecti, & iudicium de probabilitate turpitudinis: ergò ſi vtraque eſt regula, voluntas tunc procedens, ſeu tendens in tale obiectum rectè, & pravè, honeſtè

neſtè, & turpitèr ſimul operabitur. Non ergò ſufficit pro regula formali cognitio, ſeu iudicium de probabilitate honeſtatis.

23 Dicimus tamèn ſufficere cognitionem probabilem, ſeu probabile iudicium de honeſtatè ipſa, ſeu de honeſtatè vt vera. Vbi notanda eſt vt ſuprà maxima differentia horum terminorum, *iudicium probabile de honeſtate*, & *iudicium de probabilitate honeſtatis*. Poteſt enim ſimul in intellectu dari iudicium de probabilitate honeſtatis, & iudicium de probabilitate inhoneſtatis eiuſdem obiecti, imò idem iudicium vtramque probabilitatem ſimul poteſt affirmare, præſertim in ſententia contrariorum; attamen nec in illorum ſententia vnquam admittitur quod idem iudicium ſit iudicium probabile de honeſtate, & de inhoneſtate eiuſdem obiecti. Quis enim dicat poſſe intellectum vnico actu ſimul probabilitèr iudicare obiectum eſſe honeſtum, & eſſe turpe? Imò nec admitti ab vllo poſſunt adhuc duo iudicia probabilia, quibus ſimul intellectus, vno iudicet obiectum eſſe turpe, & alio eſſe honeſtum; ſed iudicium probabile certum, & determinatum de honeſtate obiecti prorſus excludit iudicium quodlibet, imò & dubitationem de eiuſdem obiecti inhoneſtate. Vnde ex eo quod iudicium probabile ſit regula honeſtatis formalis non ſequitur inconveniens allatum, quod ſcilicet idem actus ſit contra, , & iuxta regulam, turpis, & honeſtus, bonus, & malus; quià vel quis operatur cùm iudicio probabili de honeſtatè operis, vel cùm iudicio probabili de eius inhoneſtate, ſi hoc ſecundum operatur inhoneſtè, ſi primum operatur honeſtè formalitèr, non autem inhoneſtè: cùm vtroque autem iudicio probabili ſimul operari non poteſt, quià adhuc probabilitèr nequit ſimul iudicare opus eſſe turpè, & eſſe honeſtum.

24 Quo ſuppoſito, dicimus ſufficere pro regula formali honeſtatis iudicium probabile de honeſtate obiecti; quià, vt quæſtione præcedenti diximus, ſufficit certitudo probabilis directa de honeſtate obiecti; hæc autem certitudo probabilis ſemper invenitur in iudicio probabili abſoluto: ergò ſufficit pro regula formali iudicium probabile. Secundò, quià licet regula obiectiva, & prima, vti eſt lex Dei, debeat eſſe omnino infallibilis, & indefectibilis in regulando, tamèn regula ſecunda proxima, & formalis non petit, imò nec poteſt gaudere tanta infallibilitate, & indefectibilitate in regulando, quod aliquando ſaltèm per accidens falli non poſſit, & errare in regulando; ſed vt ſit regula fallibilis, & defectibilis aliquando per accidens, non requiritur quod ſit iudicium evidens, aut omnino certum, vt per ſe patet, ſed ſufficit quod ſit probabile vt in plurimum verum, licet aliquando fallibile per accidens: ergò.

25 Ex quo iàm infertur quo in ſenſu verum ſit quod ſola veritas eſt regula morum, & nihilominus verum etiam ſit quod opinio probabilis eſt regula tuta morum, vel conſcientiæ. Primum enim verum eſt loquendo de regula prima, & obiectiva, hæc enim eſt ſola veritas, quià eſt vel vera lex Dei, vel vera honeſtas obiectiva operis, hoc eſt conformitas vera operis cùm vera Dei lege. Et ratio eſt, quià regula prima, & obiectiva eſt illa, quam debet proponere ex parte obiecti regula proxima, & formalis, id eſt, iudicium proximè, & formalitèr regulans; illa autè debet eſſe vera lex Dei, aut vera honeſtas obiectiva; non vero ſufficit quod proponat vt regulam probabilitatem legis Dei, aut honeſtatis obiectivæ, vt probatum manet: ergò ſola veritas, & non probabilitas eſt regula obiectiva morum, & conſcientiæ. Vnde non ſufficit quod per iudicium proximè, & formalitèr regulativum iudicem honeſtatem obiecti eſſe probabilem, ſed requiritur quod exiſtimem ſaltèm probabilitèr obiectum eſſe honeſtum verè, & verè conforme legi Dei veræ.

26 Secundum autem verificari poteſt de regula formali, quià regula formalis benè poteſt eſſe opinio probabilis ſubiectiva, & exercita ipſius operantis. Pro cuius intelligentia notandum eſt valde, quod opinio probabilis poteſt conſiderari obiectivè, & ſignatè, vel ſubiectivè & exercitè. Conſideratur obiectivè, & ſignatè, dum intellectus conſiderat ipſam opinionem ex parte obiecti exiſtimando illam eſſe probabilem. Et hoc pacto, damus quod ſimul in eodem intellectu poſſint eſſe opiniones contrariæ probabiles de licito, & illicito, quià benè poteſt intellectus conſiderare ſimul ſignatè duas opiniones oppoſitas vt ſimul probabiles vulgaritèr, vel ſecundum quid, vel ſimplicitèr reſpectivè ad diverſos intellectus, vel ſi mavis, vt de hoc nunc non diſputemus, vt ſimul abſolutè probabiles. Subiectivè, & exercitè conſideratur opinio, dum intellectus actu opinatur probabilitèr obiectum v. g. eſſe in rei veritate honeſtum; & hoc pacto, nequit in eodem intellectu ſimul eſſe duplex opinio oppoſita; quià nequit intellectus ſimul actu opinari obiectum eſſe in rei veritate honeſtum, & eſſe in re veritate inhoneſtum,

ſed

ſed tantum poteſt opinari vnum è duobus in ſenſu diviſo opinionis exercitæ de oppoſito: igitur dicimus opinionē probabilem obiectivè, & ſignatè exiſtentem in intellectu, minimè eſſe regulam proximam, & formalem; tum quià ſic conſiderata, conſideratur non vt actus intellectus, ſed vt obiectum, regula autem formalis debet eſſe actus intellectus, non obiectum eius. Tum quià alias poſſent ſimul exiſtere regulæ oppoſitæ, & voluntas tunc operaretur ſecundum vnam, & contra aliam, rectè, & malè, honeſtè, & turpiter, vt ſuprà pro abſurdo inferebamus: non ergò opiniones probabiles obiectivè, & ſignatè exiſtentes in intellectu ſunt regulæ formales, imò nec obiectivę, vt monſtratū manet.

27 Benè tamèn poteſt eſſe tuta regula formalis, & proxima conſcientiæ opinio probabilis ſubiectivè exercita, qua quis exercitè opinatur probabiliter, ſeu probabili certitudine opus re ipſa eſſe honeſtum, ſeu conforme veræ Dei legi; & de huiuſmodi opinione probabili exercita, & ſubiectiva, intelligimus pleroſque Authores, qui abſolutè dicunt eſſe licitum ſequi opinionem probabilem: opinionem probabilē eſſe regulam conſcientiæ quoad nos: rectè, & prudentèr operari quicumque illa regulatus operatur; quià in huiuſmodi opinione probabili ſubiectivè exercita invenitur certitudo moralis ſubiectiva, ſeu certitudo probabilis, quam quęſtione præcedenti diximus ſufficere ad rectè operandum. Vnde verum intelligimus, quod dixit Sylveſter verbo probabile: *Probabile ſecundum Cancelarium dicitur certum moraliter, quià certitudo moralis non conſurgit ex evidentia demonſtrationis, &c.* Et quod dixit Sanchez lib. 6. ſummæ, cap. 3. *Cùm omnimoda certitudo de rebus moralibus haberi nequeat, ad eam Deus non obligat, ſed ad operandum cùm morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur*, id eſt, in opinione probabili ſubiectivè exercita, non in opinionibus probabilibus obiectivè, & ſignatè in mente exiſtentibus, & oppoſitis, nàm chimericum eſt quod intellectus ſimul ſit certus moraliter de vtraque opinione oppoſita.

Ex hoc autem minimè infertur prædictos AA. docuiſſe vt licitum, regulari per opinionem minus, aut æquè probabilem in conſpectu oppoſitæ probabilioris, quià negandum eſt ſuppoſitum, quod ſcilicet poſsit in intellectu eodem ſimul concurrere duplex opinio contraria exercita ſubiectivè, æqualiter, aut inęqualiter probabilis, implicat enim eumdem intellectum ſimul opinari probabiliter opus eſſe honeſtum, & licitum & non eſſe honeſtum nec licitum: ac proinde implicat in terminis opinio probabilis ſubiectivè exercita in concurſu oppoſitæ ſubiectivè exercitæ probabilioris, aut ęquè probabilis. Et ſimiliter, implicat vtramque opinionem oppoſitā eſſe ſimul exercitè in actu ſecundo eidem intellectui probabilē quià opinionem eſſe exercitè, ſeu in actu ſecundo mihi probabilem, formaliſsimè eſt me in actu ſecundo opinari talem opinionem, ſeu exiſtimare probabiliter illam eſſe veram: implicat autē me ſimul opinari exercitè vtramque opinionem oppoſitā, aut exercitè exiſtimare probabiliter vtramque eſſe veram: implicat ergò vtramque oppoſitā opinionē eſſe mihi ſimul exercitè, & in actu ſecundo probabilem: & hoc admittunt ferè omnes Probabiliſtæ, licet nihilominus aſſerāt vtramque opinionem contradicentem eſſe ſimul eidem intellectui in actu primo probabilem.

28 Si igitur hæc rectè percipiantur, facile detegitur æquivocatio illius vulgaris argumenti contrariorū: qui ſequitur opinionem probabilem rectè operatur: ſed opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris eſt probabilis: ergòqui ſequitur talem opinionem rectè operatur. Facile inquam, ſic diſtinguendo, qui ſequitur opinionem exercitam exercitè, & ſubiectivè ſibi probabilem in actu ſecundo, concedo maiorem, qui ſequitur opinionem probabilem non exercitam, nec exercitè ſibi probabilem, ſed ſolum obiectivè & ſignatè talem, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: opinio exercita minus probabilis exercitè in conſpectu probabilioris eſt probabilis nego ſuppoſitum, ſeu implicas in terminis: opinio minus probabilis ſignatè in conſpectu probabilioris eſt probabilis ſignatè, & obiectivè, ſeu in actu primo tranſeat minor, & nego conſequentiā. Quià ille ſolū rectè operatur qui ſequitur opinionem exercitā ſibi exercitè probabilem, hoc eſt, qui facit, quod ipſe probabiliter in actu ſecundo opinatur eſſe re ipſa licitum: in concurſu autem huiuſmodi opinionis, implicat quod oppoſita contradicens ſit ſibi magis, imò nec æquè probabilis exercitè. Vndè in eo ſenſu, in quo admittimus ſequentem opinionem probabilem licitè operari, implicat talem opinionem probabilem concurrere cùm oppoſita vt ſibi æquè, vel magis probabili, ac proindè implicat ſemper quod ſit licitū ſequi opinionem probabilē inconcurſu oppoſitæ ſibi probabilioris, aut æquè probabilis.

29 Sed inquires: quando opinio iſta exercitè, & ſubiectivè probabilis eſt re ipſa falſa, eſt ne tunc regula? Reſpondeo tunc per accidens, ideſt, præter ſcientiam, & intentionem opinantis errare, & eſſe regulam

gulàm obliquam, & erroneam, quià deficit à conformitate cùm prima regula, seu obiectiva; si tamèn talis opinio probabilis sit concepta post exactam inquisitionem veritatis ingenuè, & sinè passione, quanvis sit erronea, est erronea invincibilitèr, & excusat à culpa, licet in eo, quod errat, non reddat actum ea regulatum honestum: quæ doctrina constat ex dictis quæst. 3. num. 3.

30 Sed dices: ergò vniversalitèr loquendo verum non est, quod opinio exercita probabilis, seu iudicium probabile est recta regula morum, sed solum quod opinio probabilis vera, seu iudicium probabile, & verum, seu quando fuerit verum.

Respondeo distinguendo sequelam, non est verum quod sit regula recta quoad nos, seu existimativè sufficienti certitudine, nego sequelam, non est verum vniversalitèr quod sit recta regula in rei veritate, subdistinguo: non est verum vniversalitèr, vniversalitate omnino indefectibili in omnibus singularibus, concedo sequelam: vniversalitate vt in pluribus indefectibili, & infallibili, fallibili tamèn vt in paucioribus nego sequelam. Quià imprimis opinio, seu iudicium exercitè, & subiectivè probabile semper quod nos, idest, in nostra existimatione invincibili, est regula recta, etiam quando in se est falsum, quià adhuc in eo casu sufficienti certitudine existimatur verum, & rectum, & pro tali habetur, licet in se non sit ità. Deinde est etiam vniversalitèr recta in se, & ex suo genere iudicij probabilis vniversalitate defectibili in paucioribus, in deficienti tamèn vt in pluribus; hæc enim vniversalitas, & non alia potest competere probabilibus. Vnde hæc propositio *omnis matèr diligit filium suum est* vniversalitèr vera vniversalitate probabili, quià videlicet vt pluribus verificatur, licet in paucioribus falsificetur, & hoc etiam pacto se habent omnes regulæ probabiles, v. g. Horologium est regula probabilis horarum, ad quod non requiritur quod vniversalitèr in omni hora singulari sit recta regula, sed sufficit, si vt in plurimum verè, & rectè designet veras horas, licet aliquando erret. Et tunc etiam quando errat errore nobis invincibilitèr ignoto, est recta regula quoad nos, sed erronea in se, seu in rei veritate. Et iuxta hanc doctrinam cetera, quæ hic obijci solent, explicari possunt.

31 Ex quibus denique infero, iuxta hanc nostram doctrinam rectissimè salvari absque circulo vitioso subordinatio & series intèr regulas moralitatis, nàm actus voluntatis immediatè, proximè, & formalitèr regulatur à iudicio rationis de honestate operis, vel obiecti: iudicium autem illud probabile, aut certum moralitèr est regula regulata ab honestatè vera, & reali operis, vel obiecti; tunc enim illud iudicium est recta regula, quando conformatur cùm opere, vel obiecto, id est, quando, si opus re ipsa est honestum, & conforme fini intento, dictat illud esse ità honestum, aut conforme; aut, si opus re ipsa est inhonestum, & disconforme, repræsentat illud vt tale. Honestas vero obiectiva operis regulatur, tùm à fine debito intento, tùm à divina lege; si enim opus est conforme fini debito intento, & iuxta præscriptum divinæ legis, tunc est re ipsa obiectivè honestum; si autem sit disconforme vel fini, vel legi Dei est inhonestum re ipsa, finis autem est prima regula non regulata, & similitèr lex Dei. Vnde ab infimo regulato recta serie procedimus per regulas subordinatas vsque ad primam regulam non regulatam.

Et, si mavis, in tali serie, & processu interserere prudentiam, dicam quod actus voluntatis executivus immediatè regulatur à iudicio prudentiæ: iudicium autem prudentiæ necessariò regulatur à iudicio conscientiæ: iudicium conscientiæ ab honestatè obiecti: honestas autem obiecti, seu operis à conformitate cùm fine debito prcintento, & cùm divina lege: finis autem, & lex sunt prima regula non regulata. Iudicium autem illud reflexum de honestate formali operationis, tàm familiare Probabilistis, supponit obiectivè immediatè ipsam honestatem, estque immediatè speculativum respectu ipsius, regulaturque proinde in sui veritate ab ipsa honestate formali operationis, àc proinde implicat absque circulo, quod sit regula immediata illius.

QVÆSTIO XXXV.

An liceat operari, consulere, aut præcipere contra propriam opinionem iuxta oppositam aliorum minus probabilem?

1 HVIVS Etiam quæstionis resolutio sufficientèr patebat ex dictis; si enim non licet sequi in praxi opinionem minus, aut æquè tantum probabilem, evidentèr infertur, nec licitum esse sequi in operando, consulendo, aut præcipiendo, opinionem aliorum minus probabilem, contra propriam, quam quisque semper exi-

exiſtimat oppoſita probabiliorem. Imò id ſecundum adeò mihi abſurdum viſum fuit ſtatim àc Probabiliſtarum ſententias à limine ſalutaui, vt vix credere poſſem Theologum vllum timoratæ conſcientiæ ſerio, & abſque ſcrupulo vnam ſententiam tenere ingenuè ex Cathedra, & iuxta oppoſitam pro libertate conſulere in confeſsionario, præcipere in prælatura, & agere in opere ipſo. Et cum audivi hoc vt licitum cuique doceri à viris alioquin gravibus, fateor, ingens mihi admiratio fuit;

§. I.

Generalitèr deciditur quæſtio.

2 BREVITER Dico: *Nemini licet operari, conſulere, aut præcipere contra propriam opinionem, prohibentem actum, iuxta oppoſitam aliorum aſſerentium illum eſſe licitum.* Ità communitèr Doctores, etiam ex Probabiliſtis, exceptis aliquibus, quos refert, & ſequitur Moya in ſelect. tom. 2. in Apendice, quæſt. 3. per totam. Et vſqueadeò pervenit laxitas in hoc puncto, vt Machado tom. 1. diſcurſ. de opin. probabili art. 6. &. 7. §. 1. dixerit Doctorem conſultum poſſe reſpondere iuxta opinionem aliorum, licet ſibi improbabilem, & quod plus eſt, id ait eſſe commune inter Doctores, quorum plures claſsicos citat, ſed falſo, vt probat ipſe Moya, loco citato, num. 17. Sed quidquid de hoc ſit, noſtra ſententia eſt expreſſa Div. Thom. quodlib. 8. art. 13. illis verbis. *Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſivè habeat certam fidem de contrario eius quod agit, ſivè etiam habeat opinionem cùm aliqua dubitatione*: Ergò qui habet opinionem de eo quod opus ſit illicitum, ſi contra talem opinionem operetur iuxta aliam magiſtrorum, obligatur ex conſcientia ad peccatum: idemque ſi præcipiat, vel conſulat iuxta aliam contra propriam. Eſt etiam Div. Auguſtini, & omnium Antiquorum, tàm enim Div. Auguſtinus, quam Antiqui omnes exigunt quod quis aſſentiatur opinioni vt veræ, & quod credat illam eſſe veram, vt poſsit licitè ſecundum illam operari, vnde Div. Auguſt. cenſet nefarium operari quod probabile videtur citra aſſenſum, hoc eſt non credendo, nec aſſentiendo illi vt vero. Idem paritèr exigunt omnes Antiqui ex confeſsione ipſius Terilli, qui plerumque eorum verba explicans, ait, eos exigere quod quis bona fide credat opinionem, quam ſequitur, eſſe veram, vt licitè illam ſequi poſsit, ſeu quod illi aſſentiatur vt probabiliori: ſed eſt impoſsibile, quod quis exiſtimet bona fide veram opinionem contrariam propriæ opinioni, aut quod illi aſſentiatur vt probabiliori, alias iàm aliena, cui ſic aſſentiretur, eſſet propria, & propriam iàm deponeret, & retractaret: ergò iuxta Auguſtinum, & Antiquos, nemo licitè poteſt operari contra propriam opinionem.

3 Et inde ratione probatur, & ſimul impugnatur fundamentum Patris Moyæ, ſic enim arguit: Qui tenet aliquam ſententiam vt veram, vel vt probabiliorem, licet non poſsit ſimul iudicare oppoſitam eſſe veram, aut probabiliorem, tamèn poteſt ſimul iudicare oppoſitam eſſe probabilem: ſed eo ipſo quod iudicet oppoſitam eſſe probabilem, poteſt iuxta illam operari: ergò. Sed contra ſic arguo: minimè ſufficit iudicium de probabilitate opinionis ad licitè operandum iuxta ipſam, ſed requiritur iudicium probabile de veritate opinionis, vt ſatis monſtratum manet ex ſupra dictis: ergò nemini licet ſequi oppoſitam opinionem contra propriam ſecundum illam operando. Etenim vt ipſe Moya rectè diſtinguit ex mente plurium Authorum, etiam Probabiliſtarum, aliud eſt iudicium probabile de veritate opinionis, aliud iudicium de probabilitate opinionis: fateturque quod qui tenet vnam ſententiam, ea retenta, nequit formare iudicium probabile de veritate oppoſitæ, ſed ſolum de probabilitate illius: atqui ad illam licitè ſequendam in praxi hoc non ſufficit, ſed requiritur iudicium probabile de veritate ipſius vt ex dictis ſatis patet: ergò.

4 Vrgetur, nàm qui tenet aliquam opinionem vt veram, neceſsariò tenet oppoſitam eſſe falſam: ergò etſi formet iudicium de eo quod oppoſita ſit probabilis, eſt iudicium de eo quod ſit probabilis, ſed tamèn falſa. Sed ad licitè operandum ſecundum aliquam opinionem minimè ſufficit iudicare *illam eſſe probabilem, ſed falſam*: ergò qui tenet vnam opinionem vt veram, quamvis oppoſitam exiſtimet probabilem, non poteſt ſecundum illam operari. Minor eſt mihi evidens, nam qui iudicat aliquam opinionẽ *eſſe probabilem ſed falſam*, iudicat eſſe probabile, ſed falſum quod opus ſit licitum: ſed ad licitè eligendum tale opus non ſufficit iudicare eſſe probabile, ſed falſum quod tale opus ſit licitum.

Quis enim niſi cùm manifeſto peccato ſic dicit. *Licet falſum mihi ſit quod opus hoc eſt licitum, & verum quod eſt prohibitum nihilominus illud eligo, quià iudico eſſe probabile quod ſit licitum?* Sanè ſi hic modus procedendi reflexè conſideratus non eſt improbabilis, certiſsimèque illicitus, aut ſi eſt honeſtus, & licitus, licitus erit totalis contemptus veræ legis Dei, veræque honeſtatis, proptèr amorem probabilitatis fallentis, ſeu proptèr amorem honeſtatis fictæ, & falſæ: ergò qui tenet vnam opinionem de eo quod opus ſit prohibitum, minimè poteſt operari ſecundum oppoſitam, eo quod illam iudicat probabilem.

5 Explicatur: probabilitas opinionis falſæ eſt probabilitas fallens, vel fallax, ſiquidem fallit ſuadendo, & probando illam opinionem eſſe veram, cùm tamèn ſit falſa: ergò qui opinatur aliquam opinionem eſſe falſam, ſi ſimul iudicat eſſe probabilem, ſolum iudicare poteſt eſſe probabilem probabilitate fallaci, vel fallenti. Nunc rogo: ſufficiet ne ad licitè ſequendam aliquam opinionem iudicare illam eſſe probabilem probabilitate fallaci, ſeu fallenti? Iudicet pius lector.

Amplius: honeſtas affirmata per opinionem probabilem, ſed falſam, eſt honeſtas probabilis, ſed falſa, eſt honeſtas probabilitèr apparens, ſed ficta, eſt honeſtas veroſimilis, ſed non vera: ergò qui iudicat talem opinionem eſſe probabilem, ſed falſam, iudicat honeſtatem affirmatam eſſe probabilem, ſed falſam, eſſe probabilitèr apparentem, ſed fictam. Nunc iterum rogo: erit ne licitum eligere honeſtatem probabilem, ſed falſam, apparentem probabilitèr, ſed quam exiſtimo fictam? Si hoc ſanè licitum eſt, vt quid quærimus veram virtutem, veram honeſtatem? Cùr non contenti eſſe poſſumus honeſtatè apparenti, virtute ficta? Cùr licitè non erimus nobis ipſis hypocritæ?

§. II.

Diſtinctis ſpecialitèr quinque caſibus in primo, & ſecundo reſolvitur dubium.

6 SED, Vt clarius veritas in hoc puncto pateat, noto quinque caſus excogitari poſſe. Primus in quo quis actu retineat propriam ſententiam, actualitèr exiſtimando opus eſſe prohibitum. Secundus in quo habitu tantum propriam ſententiam rectineat. Tertius in caſu, quo velit ex libertatis, vel boni temporalis amore pro libito mutare ſententiam in faborem libertatis. Quartus, ſi ex amore melius ſciendi veritarem nova inquiſitione præmiſſa, novam inveniat rationem pro libertate ſufficientem ad retractandâ priorem opinionem. Quintus dum occurrit nova circunſtantia varians obiectum, de quo erat opinio propria. In his quinque caſibus breviter reſolvam quæſtionem.

7 Dico ergò primo: *Retenta actualitèr propria opinione, qua quis actu opinatur opus eſſe prohibitum, nequit licitè operari ſecundum oppoſitam contradicentem pro licito.* Patet ex dictis, & conſentit Terillus quæſt. 30. num. 2. Vbi adverto, hoc verum tenere etiam ſi propria opinio actualis de illicito ſit temerariè, & improbabilitèr, ſeu imprudentèr, & culpabilitèr concepta, & etiam ſi hoc pacto ſit erronea; tùm quià, qui illam actu tenet, exercitè exiſtimat ſe probabilitèr, imò & probabilius ita exiſtimare, quià vnicuique ſuum opinatum eſt probabilius, & minimè credit ſe errare culpabilitèr, aut alio modo, ſed in actu exercito exiſtimat ſe verum tenere, & prudentèr iudicare: ergò quod in rei veritate erret culpabilitèr, temeratiè, aut imprudentèr, omnino de materiali ſe habet, vt excuſetur in conſcientia, ſi contra talem ſuam opinionem, aut exiſtimationem operetur. Tùm quià ille, qui operatur contra conſcientiam, ſemper peccat, nunquamque excuſatur à culpa, etſi conſcientia, contra quam operatur, ſit culpabilitèr erronea, vt tenent omnes Theologi, & nos cùm illis ſuprà quæſt. 6. ergò idem dicendum de illo qui operaretur contra propriam opinionem, ſeu exiſtimationem.

8 Dico ſecundo: *Nemini licet operari contra propriam opinionem habitualitèr retentam.* Tunc habitualitèr retinetur propria opinio, quando poſtquam illam quis concepit vt veram, ſeu poſtquam exercitè opinatus eſt opus eſſe licitum, non retractavit in poſterum talem exiſtimationem, tandiù enim cenſetur eſſe illius opinionis, & in illa manere, quandiù eam non retractat. Tunc ſanè dicimus, quod adhuc ſuſpenſo actualitèr iudicio, ſibi non licet cõtra illam operari. Eſt contra Teril. q. 30. n. 8. ſic oppoſitam probantem. Opinio habitualis directa de eo quod pingere in die feſto ſit licitum poteſt coniungi cùm iudicio actuali, quo ex vi rationum reflexarum probantiũ quod liceat ſequi quamcumque opinio-

nem

nem certo probabilem, prudentèr credam pingendi exercitium eſſe licitum: ſed ſtante hoc iudicio, ſtatim formatur conſcientia evidens, & certa de honeſtatè operationis ponendæ: ergò.

Sed imprimis hoc argumentum Terilli idem omnino probat pro caſu retentionis actualis; & exercitæ propriæ opinionis. Nàm iuxta ipſum, etiam cùm actuali opinione directa de eo quod pingere in die feſto ſit licitum, compatitur reflexa, iuxta ipſum, evidens, de eo quod ſit licitum ſequi quamlibet opinionem probabilem, & item quod eſt probabilis opinio dicens eſſe licitum pingere in die feſto: ergò ſimul cùm opinione actuali directa de eo quod tale opus ſit prohibitum, compatietur iuxta Terillum iudicium evidens reflexam prudentèr credens quod exercitium pingendi ſit hic & nunc licitum, & poterit formari conſcientia evidens de honeſtatè operationis ponendæ. Vndè inconſequentèr omnino Terillus negat licentiam operandi contra propriam opinionem actualem, & illam concedit operandi contra habitualem.

9 Inconſequentèr etiam procedit contra à ſe dicta, tùm quæſt. 22. num. 1. vbi ſic ait. *Primo dicimus, licitum cuique eſſe ſectari partem minus tutam, quando illa eſt, aut vnicè à probabilis, aut directè probabilior parte tutiore. Nec tamèn id ità intelligimus, quaſi vero vbi conſtiterit de ſola, aut maiore eius probabilitate, per hoc præcisè homo excuſetur, & poſſit quidquid voluerit agere; non hoc aſſerimus, nàm ſtante toto illo, omne abſolutum iudicium de rei veritate ſuſpendi poteſt, & homo dubitare àn res ſit licita necne. Iàm ſi quis in tali dubio ſectetur minus tuta, indubitantèr peccabit, non obſtante maiore probabilitate partis, quam ſequitur. Vt ergò excuſetur debet formare iudicium, quo abſolutè credat opus illud eſſe licitum.* Et quæſt. 29. ex D. Thom. ait, *ſequentem ſententiam veram peccare contra conſcientiam, modo adhuc proptèr opinionum varietatem dubitet, aut vacillet àn ſit vera necne*: ergò vt aliquis licite poſsit ſequi opinionem aliquam probabilem, iuxta Terillum, & iuxta veritatem, non ſufficit quod iudicet illam eſſe probabilem, imò nec quod conſtet de eius probabilitate in ſolidum, aut de eius maiore probabilitate præ oppoſita, inquit ipſe, ſed vlterius requiritur quod intellectus non ſit ſuſpenſus, aut dubius, nec vacillet àn ſit vera necne, ſed potius abſolutè iudicet, & determinatè talem opinionem eſſe veram, ſeu opus abſolutè eſſe licitum: ergò illa reflexa contrariorum, quam inculcant toties, & aiunt probari ex principijs reflexis, ſolum poteſt habere veritatem, ſi intelligatur in hoc ſenſu, quo eam explicat ipſe Terillus, ità nimirum, vt dicat eſſe licitum ſequi quamlibet opinionem probabilem, modo operans eam abſolutè, & bona fide credat, aut exiſtimet eſſe veram, nec ex principijs reflexis aliud omnino iudicare poteſt. At, qui habitualitèr retinet aliquam opinionem, non poteſt abſoluto iudicio oppoſitam exiſtimare verã, alias propriam retractaret, & iàm illam non retineret habitualitèr: ergò potius ex principijs reflexis conſtat illicitum eſſe in tali caſu ſequi opinionem oppoſitã.

10 Rurſus rogo à contrarijs quid dicunt, vel quid probant illa principia reflexa? Dicunt ne, aut probant eſſe licitum ſequi opinionem directè probabilem, licet operanti falſam? Quanvis ſolum probabilem probabilitate fallenti, vel fallaci? Quanvis non creditam vt veram, ſed reiectam vt falſam? Si hoc dicunt, aut hoc probant, quis talibus credat principijs? Si id non dicunt, nec probant, ſed ſolum eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, dummodo ipſi operanti ſit probabilitèr vera, dummodo abſoluto iudicio probabili illam vt veram approbet: ergò quandiù aliquis exiſtimat oppoſitam opinionem eſſe falſam, & ſuam veram, vti neceſſariò exiſtimat, qui tenet aliquam opinionem, nihil ei proderunt principia reflexa ad licite ſectandam talem opinionem ſuæ contrariam.

11 Sed dices cùm Terillo quæſt. 30. num. 12. poſſe Theologum ſuſpendere propriam ſententiam actualem, quo pacto oppoſitam actu non reputat falſam, ſed ſolum probabilem; & tunc licitum ſibi erit operari, aut conſulere iuxta oppoſitam, quià illam actu credit eſſe probabilem, non actu falſam.

Sed contrà, nàm quid mihi proderit actu ſuſpendere iudicium de falſitate talis opinionis, ſi habitualitèr teneo eam eſſe falſam, & nunquam id retractavi, nec actu retracto: Proderit ne mihi dicere: non putavi actualitèr eam eſſe falſam? Non ſanè, nàm iudex inſtabit. Non putaſti actualitèr, ſed putabas habitualitèr. Non putaviſti actualitèr, ſed quià noluiſti ſic actualitèr putare, quià noluiſti intelligere vt benè ageres, quià rationes, quæ tibi paulò antè perſuaſerant opus eſſe licitum, quæ tibi in promptu erant, noluiſti actu attendere, aut quià eis noluiſti aſſentire, ſicut eis paulò ante aſſenſum præbueras, & hoc abſque novo motivo, aut retractatione opinionis: ergò ſi non putaſti actu

opus eſſe illicitum, fuit purè quià noluiſti: ergò fuit ex inadvertentia affectata: ergò non minuit, ſed potius auget culpam.

12 Vrgetur: cùm inſtat tempus eliciendi aliquod opus, nemini licet ſuprimere doctrinam, aut notitiam moralem, quam habet de tali opere, imò tenetur ea vti, eamque conſiderare, & applicare ad præſentem occaſionem; ad hoc enim doctrina moralis in vniverſali diſcitur, vt ea vtamur, & eam actu conſideremus in occaſionibus, & caſibus particularibus comprehenſis in illa doctrina vniverſali: ergo ſi quis doctrinam, vel notitiam vniverſalem, quam quis adquiſierat, adveniente caſu ſingulari, ſuprimat, & ſuſpendat, & ſolum cogitare velit pro libertate, convincitur mala fide procedere, & minime de veritate curare, ſed potius de implendo proprio deſiderio, vel appetitu, quidquid ſit àn opus ſit vel non ſit re ipſa prohibitum, vt opinatus fuerat, & nondum retractavit, nec tetractat.

13 Vrgetur amplius. Nemo eſt, qui non vereatur aliquid facere coram Diſcipulis, vel auditoribus, quibus antea ex Cathedra ſerio, & ingenuè docuerat illud eſſe illicitum contra alios oppoſitum opinantes; & ſi forsàn id faciat, excuſari contendit allegando, vel quod ratione novæ circunſtantiæ caſus eſt diſtinctus, de quo proinde non loquebatur eius opinio, vel dicendo ſibi occurriſſe novam rationem, vi cuius retractavit ſententiam. Et niſi ità ſe excuſſet, merito dici poterit de illo, quod Dominus de Scribis, & Phariſæis: *dicunt enim, & non faciunt.* Sed non eſſet cùr vereretur ità operari, ſi licitum eſſet operari contra propriam ſententiam habitualem, iuxta oppoſitam aliorum probabilem à ſe reiectam, & impugnatam, nec eſſet cùr ſic operans excuſari conaretur ratione novæ circunſtantiæ, aut quià retractavit ſententiam, ſed potius abque omni prorſus pudore, aperta fronte, dicere poſſet: Mihi licet operari contra propriam ſententiam, iuxta alienam à me reiectam vt falſam, dummodo illa probabilis ſit: Mihi licet intèr probabilia, aliud docere, aliud facere, vitam agere doctrinæ propriæ diſcordem: Mihi licet ſerio, & ingenuè talem opinionem è ſugeſtu impugnare, & totis viribus reijcere vt falſam, licet alioquim probabilem, eiuſque Authores decipi, & falli ſuadere ex animo, & nihilominus in praxi eorum imitari ſententiam, licet à me reiectam vt falſam: Eorum authoritas non ſufficit mihi vt eorum doctrinam credam veram, imò nec obeſt quominus illam reijciam vt falſam, ſufficit tamèn mihi vt illam in opere approbem, & tuta conſcientia ſequar pro mea libertate, pro mea voluntate, aut voluptate implenda. Sanè ſi, ſententia, quam impugnamus, vera eſt, licitum eſſet cuique Magiſtro id aperta fronte dicere abſque omni pudore. Sed quis non videat id eſſe contra ipſum lumen naturale rationis?

14 Et quidem non minus, imò valde maius dedecus eſt Magiſtrum eſſe inconſequentem in operando ad propriam doctrinam, quam eſſe inconſequentem in docendo; ſed docere inconſequentèr ad propriam doctrinam, etiam intèr probabilia, dedecus eſt, quod omnes propulſare totis conantur viribus: ergò operari inconſequentèr ad propriam doctrinam dedecus eſt, quod omnes vitare tenentur totis viribus, etiam ſi inconſequentia ſit intèr probabilia. Nunquid enim intra terminos, & confinia probabilitatis, licitum erit, & abſque vllo dedecore aliud docere, & aliud facere? Alitèr vivere, & alitèr ſentire de moribus? Docere, & ſentire pro lege, vivere vero pro licentia, & libertate?

15 Sed dicet forsàn aliquis quod ſi quis teneat ſententiam benignam, & illam credat vt veram, iàm ſibi licitum erit operari, aut conſulere contra propriam ſententiam directam, quià tunc operatur iuxta ſuam ſententiam reflexam, quæ eſt vltima, àc definitiva ſententia dicens eſſe licitum agere contra propriam ſententiam directam, vnde ſimplicitèr loquendo, non operatur contra, ſed iuxta propriam ſententiam.

Sed contra eſt, quià modo non diſputamus, quid poſsit facere ille, qui crediderit reflexam contrariorum, vt veram, ſed àn illa vera ſit. Vnde qui ſic reſpondent manifeſtè ſubterfugiunt examen veritatis in quæſtione præſenti. Cùm enim inquiunt, eſſe cuique licitum ſequi opinionem probabilem aliorum contra propriam directam, *dummodo credat ſententiæ benignæ id vt licitum propugnanti.* Rogo ab ipſis vt explicent ſenſum huius conditionis, àn videlicet inteligenda ſit ſolum caſu, quo credat bona fide illam ſententiam? An, ſivè bona, ſivè mala fide illi credat? Hoc ſecundum non dicent, vtpotè falſiſsimum. Si primo ſenſu loquuntur, vt decet, ego paritèr defendam: *Cuique eſſe licitum fornicari, adul-*

adulterare, peierare, mentiri &c. addendo ſemper hanc conditionem, *dummodo ille bona fide credat huic meæ ſententiæ.* Quià ſiquis bona fide crederet eſſe licitum mentiri, abſque peccato mentiretur, & ſic de alijs, & ſic poſſem reſpondere ad omnia argumenta in contra. Ceterum, ſi ità procederem, manifeſtè ſubterfugerem examen illius meæ ſententiæ, quod ſcilicet eſſet licitum mentiri, nec ex diſputatione inferri poſſet vtrum illa vera eſſet vel falſa, quià ſive vera ſit, ſive falſa, verum tenet quod quicumque illi bona fide crediderit, illam ſectando à peccato excuſabitur.

Sic ergò dico, & fateor, quod cuicumque licitum erit operari contra propriam ſententiam, *modo bona fide credat ſententiæ benignæ id eſſe licitum reflexè docenti.* Sed ex hoc minimè infertur veritas ſententiæ benignæ inquantum hoc docet, imò quanvis falſiſsimè doceat inter probabilia licere operari contra propriam ſententiam, iuxta opinionem aliorũ probabilem, verum tenebit, quod ſiquis bona fide crediderit illam eſſe veram in hoc puncto, ſeu id eſſe vere licitum, abſque culpa illud facere poterit. Vnde, cùm ad talem conditionalem reflexam ſuprà reflexam recurſum facis, dicendo: *dummodo bona fide credat reflexè dicenti, &c.* manifeſtè ſubterfugis, àc renuis examinare àn talis reflexa ſit re ipſa vera, vel potius falſa, & recurſum facis ad aliam quæſtionem valde diſtinctam, àn ſcilicet *bona fides de veritate alicuius opinionis excuſet*, cui omnes affirmativè reſpondent, & de qua tecum non diſputo; ſed vnicè àn re ipſa ſit vera, vel potius falſa tua reflexa, qua doces abſolutè eſſe licitum contra propriam opinionem ſequi oppoſitam probabilem, ſed operanti habitualiter falſam.

16 Et circa hoc contendo tibi ſuadere ne præſtes fidem tali reflexæ, quià falſiſsima eſt, quià falſiſsimum eſt quod docet, nimirum licitum eſſe diſcordare in vita, & moribus à doctrina propria ingenuè inquiſita, & credita vt vera, habitualiterque retenta, & non retractata. Vndè iàm tibi non licet reſpondere hoc ipſum eſſe iuxta tuam ſententiam reflexam, àc proinde te ſic operantem vivere conformiter ad tuam doctrinam propriam reflexam bona fide creditam. Nàm hoc planè erit obturare aures, & nolle examinare àn iſta tua doctrina reflexa vera ſit, vel falſa, àn verum, vel falſum doceat: ego oſtendo te falſo credere tali doctrinæ reflexæ, tuamque fidem; quam illi præſtas, eſſe falſam, tu dicis eſſe bonam fidem; ſed de hoc non eſt quæſtio, ſed àn ſit vera tua doctrina, & fides: ergò fugis certamèn, & examen veritatis, àc proinde convinceris iàm nedum non vera, ſed nec bona fide tuæ reflexæ credere in poſterum.

17 Ex quibus patet, idem dicendum de conſultore, quod ſcilicet conſulere non poſsit contra propriam opinionem, quià quod nemini licet facere, nemini licet conſulere alteri vt faciat; ſed nemini licet facere, quod propria opinione exiſtimat prohibitum: ergò nec illi licet conſulere alteri vt illud faciat, quod conſulens propria opinione exiſtimat prohibitum.

Secundò quià ſicut nemo poteſt licite facere contra legem Dei directam, & per ſe exiſtentem, ità nemini licet conſulere alteri vt faciat contra legem Dei directam, & per ſe exiſtentem; ſed propter primum nemo poteſt licite operari contra propriam opinionem directam: ergò propter ſecundum nemo poteſt licitè contra propriam opinionem directam alteri conſulere. Tertiò nàm duplex poteſt excogitari mendacium, & mendacium operis, & mendacium locutionis, vel doctrinæ. Mendacium operis, eſt in opere contra mentem ire, hoc eſt, operari contra propriam mentem, & neceſſariò eſt peccatum. Mendacium locutionis, & doctrinæ eſt contra mentem loqui vel docere, hoc eſt docere alijs vt licitum, quod ipſe docens putat eſſe illicitum, & hoc mendacium etiam evidentiſsimè eſt peccatum; ſed à primo mendacio, & peccato non liberatur, qui operatur contra propriam opinionem directam, iuxta oppoſitam aliorum probabilem: ergò nec à ſecundo liberabitur, qui conſulerit contra propriam opinionem, iuxta oppoſitam probabilem.

18 Multiplicitèr conantuar Doctores oppoſiti, ſic conſulentem à mendacio liberare. Imprimis dicunt eum poſſe ſuſpendere propriam ſententiam circa veritatem propriæ ſententiæ, & falſitatem oppoſitæ, & tunc conſulendo iuxta oppoſitam, non loquitur contra mentem.

Sed contra, quià ſi iuxta oppoſitam dicit opus, vel contractum, de quo interrogatur, eſſe licitum, cùm tamèn intus teneat ſuſpenſum iudicium àn ſit licitum, vel illicitum, neutrum intus affirmando mentaliter, abſdubio loquitur contra, vel ſaltem præter mentem, quià

dicit externè eſſe licitum opus, de quo mentaliter non credit, nec putat eſſe licitum; nemo autem dubitat etiam eſſe mendacium, dum quis affirmat externè, quod internè non ſentit, licet nec oppoſitum internè iudicet; ſicut ego nunc metirer, ſi affirmarem ſtellas eſſe pares, quanvis nec internè iudicem eas eſſe impares, quiâ ſi neutrum iudico, & alterum externè affirmo, profectò mentior: ergò quanvis Doctor conſultus ſuſpenderet iudicium, neutrum intus iudicando actu, nec opus eſſe licitum, nec eſſe illicitum, & interroganti reſponderet affirmando determinatè eſſe licitum, minimè liberari poſſet à mendacio.

19 Dicunt ſecundo, Doctorem conſultum in tali caſu reſpondere poſſe, non quidem opus directè eſſe licitum, nec directè eſſe illicitum, ſed de hoc tacendo, dicendo tamèn eſſe probabile apud Theologos eſſe licitum, pluresque Doctores id exiſtimare, & aſſerere; & hoc pacto abſque omni prorſus mendacio reſponderet.

Sed contra primo; quiâ etſi hoc pacto formaliter non mentiretur, virtualiter tamèn mentiretur, ſi vlterius nihil adderet, propter reſtrictionem non dicendi integrè ſuum ſenſum, ex quo alter interrogans induceretur ad falsò opinandum, quantum ex mente, & locutione reſpondentis. Non aliter àc ſi ego ſcirem duos eſſe teſtes affirmantes Petrũ eſſe homicidã, & alios duos negantes, & dicentes non Petrum, ſed Paulum fuiſſe occiſſorem, & vlterius alijs indicijs ego motus putarem primos teſtes falli, ſeu falſum dicere, ſanè ſi tunc alicui mihi interroganti: quinam fuit occiſſor? Vnicè reſponderem: Duo ſunt teſtes fidedigni aſſerentes fuiſſe Petrum, & tacerem alios duos teſtes contradicentes, & etiam meam exiſtimationẽ de falſitate teſtium affirmantium, abſdubio virtualiter, & indirectè mentirer, ſiquidem interrogantem inducerem ad opinandum, & credendum Petrum fuiſſe occiſſorem, quod ego ingenuè putabam eſſe falſum; vndè ex æquitate tenerer integrè reſpondere, & non truncare relationem, dicendo præcisè: *Sunt duo teſtes affirmantes fuiſſe Petrum*, ſed addendo: *Sunt duo alij contradicentes, & de primis ſuſpicor falſum dicere.* Ità igitur interrogatus de licito, vel illicito, teneor integrè reſpondere: *Sunt Authores affirmantes eſſe licitum, ſed etiam ſunt Authores contradicentes, & dicentes eſſe illicitum talem contractum celebrare: primum eſt probabile, ſed ſecundum oppoſitum etiam, imò & mihi verum.*

20 Contra ſecundo; quiâ reſpondendo præcisè per probabile, dato caſu quod liberetur à mendacio, tamèn non reſpondet ad propoſitum interrogantis. Nàm interrogans, ſi debitè, àc rectè interrogat, debet inquirere veritatem, nàm ſi contempta veritate, aut de veritate non curans, interrogat, iàm non procedit bona fide ad formandam conſcientiam; omnes enim fatentur bonàm fidem non haberi, niſi poſt exactam inquiſitionem veritatis. Si autem exactè inquirit veritatem, interrogare debet àn talis contractus ſit verè, ſeu re ipſa licitus, & honeſtus, àn re ipſa & verè prohibitus? Et in hoc ſenſu debet intelligi interrogatio inquirentis exactè veritatem. Huic autem interrogationi non reſponderet dicens: *Probabile eſt eſſe licitum, & probabile eſt non eſſe licitum.* Nàm interrogans, non quid eſſet probabile, ſed quid eſſet verè licitum interrogabat.

21 Sed dices, conſulentem tunc reſponſurum, non ſolum dicendo: *Illud eſſe probabile*, ſed addendo, & tibi licitum eſt ſequi in praxi quodcumque probabile. Quo pacto reſponderet per probabile directum, & per veritatem reflexam, ſufficientem vt interrogans poſſet formare bonàm conſcientiam, licet non per veritatem directam, tamèn per veritatem reflexam.

Sed contra, quiâ illa aſſertio reflexa *licitum tibi eſt ſequi quodcumque probabile*, nedum non eſt veritas, ſed apertiſsima falſitas in caſu, quo loquimur, nimirum, quando interrogans dubitat de veritate directa, hoc eſt, àn opus ſit directè prohibitum, vel directè licitum, & huic dubio illi nihil reſpondetur; nàm ſi nihil illi reſpondes huic dubio, profecto manet dubius àn re ipſa opus illud directè ſit prohibitum, vel directè licitum: dicere autem illi, tibi licitum eſt ſequi quodcumque probabile, de quo actu dubitas, àn ſit directè licitum, vel prohibitum, hoc dubio inſoluto, prout inſolutum ſupponitur, eſt aſſertio reflexa manifeſtè falſa, imò & contra ipſum Terillum, qui vt ſuprà vidimus quæſt. 16. expreſsè ait eſſe legem reflexam prohibentem agere id, de quo dubitas àn ſit licitum, vel illicitum: ergò qui ſic reſponderet interroganti, non reſponderet per veritatem reflexam, ſed per reflexam falſitatem.

22 Denique Terillus quæſt. 30. num. 17. hæc omnia rite componi exiſtimat, ſi conſultus reſpondeat ſic: *Ego quidem ex rationibus dire-*

directis exiſtimo hoc opus eſſe illicitum, & niſi aliud formem iudicium, peccabo tale opus faciendo. Sed tu non teneris conformari meæ ſententiæ, ſed potes alijs viris doctiſsimis fidem dare, qui dicunt tale opus eſſe licitum. Et ego ſcio te tutum fore in conſcientia, ſi dubium deponas, & propter illorum authoritatem iudices id tibi licere. Conſulo ergò vt illis potius, quàm mihi credas in hac re. Sed vt videas qualis ſit huiuſmodi reſolutio moralis, ſuppone te eſſe Doctorem conſultum, me interrogantem. Et ſic argumentor: Sanè, ſi tu tenes ſententiam affirmantem tale opus eſſe prohibitum, abs dubio exiſtimas oppoſitam contradicentem eſſe falſam, & oppoſitos Authores falli in hac parte, nàm inter contradicentes, ſi tu verum tenes, vt exiſtimas, neceſſe eſt exiſtimes tibi contradicentes falli. Cùr ergò, aut quà fide, & charitate mihi conſulis, vt credam potius Doctoribus, quos tu ipſe putas falli, & errare, in eo ipſo, in quo eos deceptos exiſtimas? Cùr mihi conſulis vt tibi non credam in re, in qua te verum dicere putas, & mihi ſuades vt credam potius alijs in eo ipſo, in quo illos falſum dicere dicis? Sanè ſi hoc mihi ſuades, me falli contendis cùm alijs, quos falli iàm exiſtimas, & à veritate, quàm putas, me removere conaris. Et cùr tu illis Doctoribus, quos Doctiſsimos appellas, non credis? & mihi ſuades vt illis credam? Si eſt tutum in conſcientia illis credere, cùr illis contradicis? Sanè quià & ipſis contradicunt alij Doctiſsimi, vel quià ſunt rationes præponderantes contra ipſos, aut Doctores maioris authoritatis, aliter enim imprudenter illis contradiceres. At, ſi hoc ità eſt, qua veritate, & charitate mihi dicis. *Conſulo vt illis potius, quàm mihi, & eis, qui mecum ſentiunt, credas?*

23 Ac denique ego non conſulo nunc alios, ſed te, te eligo in directorem meæ conſcientiæ, non alios: ergò omiſſa tua ſententia, mihi dicere, *conſulo vt alteri potius, quàm mihi credas*, eſt nihil mihi te conſulere, ſed tantum me remittere ad libros, vel ad alios conſultores, & Doctores, quos tu falli exiſtimas in re, de qua interrogo: ſed nec hoc eſt licitum, nec eſt propriè conſulere contra propriam opinionem: ergò.

24 Deinde in eo, quod mihi dicis, me poſſe tuta conſcientia credere alijs tibi contradicentibus, vel id intelligis caſu, quo quantum ad punctum, de quo eſt interrogatio, ſint mihi maioris authoritatis, quàm tu, vel caſu quo ſint minoris authoritatis, vti revera mihi ſunt; ideò enim illis prætermiſsis, adij te ipſum. Si primum, non eſt ad propoſitum, quià nec ego eos exiſtimo eſſe maioris authoritatis in hoc puncto, nec tu mihi id dicere potes, quandoquidem illos in hac parte ingenuè dicis eſſe deceptos, & falli, illiſque non credis. Si ſecundum, qualiter tutus ero in conſcientia, credens Doctori, qui mihi eſt minoris authoritatis, contradicente Doctore, qui mihi eſt maioris authoritatis in hac parte? Ergò in nullo vero ſenſu verum eſt quod tuta conſcientia poſsim credere alijs tibi contradicentibus. Et tandem hoc non eſt, de quo te interrogo, ſed àn licitum ſit te ipſa tale opus. Cuinam autem credere poſsim tuta conſcientia, à te minimè quæſivi.

25 Ex quo iàm colligitur, minimè licere Doctori, aut Magiſtro conſulto remittere interrogantem ad alios Doctores, quorum ſententiam ipſe putat falſam, licet, nec etiam poſsit interrogantem abſolutè cogere, vel obligare in conſcientia, vt ſuam ſententiam ſequatur, ſed circa hoc permiſsive debet ſe habere. Et ratio eſt, quià interrogans inquirens veritatem, poteſt exiſtimare eſſe alios Doctores maioris authoritatis, & tunc conſultus nequit prohibere interrogantem, ne illos conſulat, nec illum obligare, vt ſe ipſum iudicet maioris authoritatis præ alijs. Vnde ſemper Doctor conſultus debet concludere. *Ità ſentio, ſalvo meliori: quære ſapientiorem, ſed cave ne inventas præſumptionem.* Quinam autem ex Doctoribus ſit ſapientior, non debent dicere ipſi Doctores conſulti, ſed permittendum eſt iudicio conſulentis ex fama, aut ex alijs indicijs, & motivis credibilitatis diſcernenti. Et ſi forsàn conſulens ſequatur doctrinam alterius, ille, cuius doctrinam non eſt ſecutus, non ideò debet exiſtimare conſulentem peccare, quià forsàn excuſatur à culpa, ſi nimirum alter Doctor, cuius doctrinam eſt ſecutus, habuit maiorem authoritatem apud conſulentem, cui proinde licite credere potuit.

26 Infertur denique, nec Prælatum poſſe præcipere contra propriam opinionem. Quià aliàs præciperet ſubdito, vt violaret legem Dei directam, ſiquidem exiſtimat opus eſſe directè à Deo prohibitũ, & nihilominus præcipit ſubdito, vt tale opus exerceat: ergò attenta propria exiſtimatione Prælati, præcipit quod exerceat opus lege Dei prohibitũ: ergò & quod violet legẽ Dei directam. Secundò quià quod Prælatus præcipit ſubdito, etſi phyſicè loquendo, fiat à ſolo ſubdito, moraliter tamen illud operatur Prælatus: ſed vt probatum manet, nemini licet operari contra propriam opinionem, iuxta aliorum probabi-

babilem: ergò nec Prælato licet præcipere ſubdito contra propriam opinionem, iuxta probabilem aliorum.

27 Sed dices: tunc caſus Prælatus præciperet, quod ſciebat ſubditum poſſe facere abſque peccato, quià ſubditus in tali caſu abſque peccato poſſet obedire, vt infra dicemus. Sed Prælatus licitè poteſt præcipere ſubdito, quod ſcit ſubditum poſſe facere abſque peccato: ergò tunc licitè poteſt præcipere ſubdito contra propriam opinionem, vt eliciat opus, quod iuxta probabilem aliorum opinionem eſt licitum.

Sed hoc argumentum multa probat abſurda, imprimis probat poſſe Prælatum præcipere ſubdito, vt iuret, quod ſubditus putat eſſe verum, & Prælatus ſcit eſſe falſum; quià tunc caſus ſubditus id facere poſſet ſine peccato. Imò Laico ſimplici dubitanti àn ſit licitum peierare advitandum damnum proximi, poſſet præcipere periurium, & neſcienti vtrum eſſet dies abſtinentiæ poſſet præcipere comeſtionem carnis, & neſcienti vtrum poſt parietem eſſet homo, quod illam inclinaret, & everteret ità vt hominem interficeret, & alia huiuſmodi, nàm videlicet ſubditus in ſimilibus caſibus propter ignorantiam, aut neſcientiam, non peccaret formaliter, & illud faceret ſine peccato: ſed abſurdum eſt dicere Prælatum poſſe præcipere omnia iſta: ergò prædictum argumentum nimis probat.

28 Vnde ad illud reſpondeo diſtinguendo maiorem, tunc caſus Prælatus præciperet, quod ſciret ſubditum poſſe facere abſque peccato formali ipſius ſubditi, concedo maiorem: quod ſciret ſubditum poſſe facere abſque peccato etiam materiali, & ex parte operis, nego maiorem, & diſtincta minore eodem modo, nego conſequentiam. Quià Prælatus, & quilibet alius non ſolum tenetur vitare pro poſſe peccata formalia ſua, & ſubditorum, ſed per prius tenetur pro poſſe vitare peccatum obiectivum, ſeu materiale ex parte operis, vt diximus quæſt. 28. num. 65. & 102. quàm doctrinam valde notandam, quià non conſiderant contrarij, propterea his, & ſimilibus argumentis vtuntur. Verumtamen illa veriſsima eſt, nàm ſi non teneamur ad vitanda pro poſſe peccata materialia ex parte operis, ſed ſolum formalia, nulla erit ratio cùr Prælatus omnia peccata materialia, quæ ſubditus abſque formali culpa facere poteſt, non poſsit præcipere, & ſimiliter quilibet alius ſuadere talia peccata materialia; quod niſi abſurdiſsimè dici non poteſt. Et item Prælatus non teneretur curare ne ſubditi re ipſa in opere violarent legem Dei, aut illi contradicerent, ſed tantùm ne illam violarent in ſua illorum exiſtimatione, nihil zelando de vera Dei lege, ſed permittendo, imò & præcipiendo ſubditis, vt illam re ipſa violarent, & illi contrairent, vbi ſcilicet eam non exiſtimarent: quod ſanè mihi abſurdiſsimum eſt. Dicendum ergò eſt Prælatum, & conſultum teneri ex proprio officio, & miniſterio, & ex lege charitatis ad vitanda pro poſſe non ſolum peccata formalia, ſed per prius ad vitanda materialia, & obiectiva ex parte operis, hoc eſt, ad vitandum pro poſſe ne lex Dei vera contemnatur, aut ne contra eam aliquid fiat. Vnde quandocumque Prælatus, vel conſultus exiſtimat aliquid re ipſa eſſe lege Dei vera prohibitum, aut iudicat probabiliter, ſivè actualiter, ſivè habitualiter illud eſſe contra legem Dei veram, tenetur curare ne illud fiat, & multo magis non præcipere, nec conſulere vt fiat, & hoc quanvis ab alio poſsit fieri ſine peccato formali, ideò enim à ſubdito, v.g. fit ſine peccato, quià ignorat illud opus eſſe prohibitum, & peccatum materiale eſt ſibi involuntarium. At Prælato non eſt involuntarium, nec ex ignorantia, ſiquidem ſupponimus eum in ea eſſe opinione quæ dicit illud eſſe prohibitum, & peccatum obiectivum contra Dei legem: excuſabitur ergò ſubditus, ſed culpabilis erit Prælatus, ſi tale præcipiat vide ſupra dicta quæſt. 12.

§. III.

Deciditur quæſtio in tertio, quarto, & quinto caſu.

29 DICO Tertiò: *Accedente caſu ſingulari, de quo eſt opinio propria, non licet pro mero libito abſque novo motivo retractare, aut mutare ſententiam, credendo vt veram, quam antea reieceram, vt falſam.* Patet, tum quià id eſt impoſsibile forsàn intellectui, nimirum, ſtante identitate motivorum, variare, & mutare opinionem, cùm, vt probatum manet quæſt. 26. per totam opinari non ſit ſitum immediate in noſtra libera poteſtate, ità vt pro libito poſsimus opinari quodlibet, idque eſt expreſſa ſententia Philoſophi tertiò de Anima. Tunc quià dato quod hoc ſit poſsibile, eſt manifeſta inconſtantia, & imprudentia, nimirum ſtantibus eiſdem motivis nunc affirmare, nunc negare id ipſum, quod affirmaverim.

30 Dices, quod licet ſient eadem

dem motiva ex parte intellectus, poſſunt eſſe diverſa ex parte voluntatis. Nimirum, vel amicitia interrogantis, qui optat deciſionem pro licito, vel aliqua vtilitas, lucrum, aut commoditas, vel aliud bonum ſperatum ex opere, de quo eſt dubium, vel conſultatio, & niſi decidatur pro licito, vel amittendum eſt bonum inde ſperatum, vel peccandum contra conſcientiam. Poterit ergò tunc conſultus ab amico, qui ex propria ſententia hucuſque exiſtimavit opus illud eſſe illicitum, mutare nunc ſententiam iudicando cùm alijs doctoribus eſſe licitum, & ſic reſpondere amico, vt cùm tali reſponſione dignitatem, & commoditatem, honorem, delectationem, vtilitatem, aut aliud bonum aſſequatur, & immunis ſit à peccato.

31 Sed contra eſt, quià præpoſterum eſt, & contra ordinem naturalem intellectus, & voluntatis, veri, & boni, velle dijudicare de vero per bonum, aut velle regere intellectum in iudicio de vero, vel falſo, per amorem boni, vel odium mali. Vt late probatum manet quæſt. 28. num. 40. Nec poteſt excogitari aliquid perniciosius ad mores regendos, quàm intellectum, & rationem lesbiam facere, & accomodabilem ad quod quiſque vult. Hoc ſanè eſt rationem ancillam facere voluntatis, eiuſque pediſequam, vt intra probabilitatis confinia honeſtet quidquid appetitus voluerit. In quo modo procedendi voluntas non vult aliquid, quià ratio dictat illud eſſe honeſtum, ſed ratio illud apparenter honeſtat, quià voluntas illud appetit. Honeſtatem quandam affectatam, & apparentem proſequitur, quidquid ſit àn ſit vera, vel falſa in re. Et alia ſequuntur, quæ per ſe abſurda, & apertiſsimè illicita ſunt, vnde talem modum conſulendi, licet tantum vſurpatum intra terminos probabilitatis, illicitum omninò cenſeo. Vide ſupra dictat loco citato.

32 Rurſus, ſi eſſet licitum hoc pacto mutare ſententiam, & opinionem, poſſet conſultus reſpondere vni conſulenti ſecundum vnam ſententiam pro libertate, alteri ſecundum oppoſitam pro lege, vnicuique dicendo ſe ità ſentire, imò, & eidem conſulenti ſi hodie eſſet amicus reſpondere pro libertate, & ſi cras eſſet infenſus, aut ingratus, reſpondere illi pro lege, abſque omni nova ratione, aut motivo, niſi quià heri erat amicus, hodie non.

Cùm hoc cuidam objicerem, reſpondit id licitè fieri poſſe, dummodo non ſequeretur ſcandalum: Sed quis rogo non ſcandalizaretur ex Doctore ſic conſulenti, & ſic mutante opinionem. Si autem ſcandalizaretur quiſque: ergò ideò eſt, quià ille modus mutandi opinionem, & conſilium eſt de ſe iniquus & occaſio ſcandali. Rurſus: ponamus aliquem contraxiſſe duo matrimonia, & quod ſit inter opiniones probabiles, quodnam illorum ſit validum, & cuinam ſtandum ſit: vna opinio probabilis dicat ſtandum eſſe primò matrimonia, alia probabilis etiam, ſecundò. Sanè ſic coniugatus poterit iuxta contrarios quolibet menſe, vel, ſi volueris, qualibet hebdomada mutare opinionem. Vna hebdomada opinari primum matrimonium eſſe validum, & illi ſtandum, & ſic cohabitare cùm prima muliere: & alia hebdomada opinari ſtandum potius eſſe ſecundò matrimonio, & cohabitare cùm ſecunda, & ſic alternatim mutando opinionem, qualibet hebdomada mutare vxorem, ſicut ſubuculam. Quod quis non rideat? Nec id ſanè cuique deberet generare ſcandalum, ſi vera eſt ſententia, quàm impugno. quandoquidem ille poſſet ſe defendere dicendo vtrumque matrimonium eſt probabile; cuilibet opinioni pro libito credere poſſum: liberum mihi eſt opinari quodlibet, ſtantibus eiſdem motivis; ſi ergò hac hebdomada opinor ſolum primum matrimonium eſſe validum, & ſecundum irritum, cùr non potero, imò & debeo ſtare primò, relicto ſecundò; & idem vice verſa dicere altera hebdomada de ſecundò. Nec video aliquid momenti, quod à contrarijs reſponderi poſsit, niſi per puram petitionem principij.

33 Ex hac tamen concluſione infero idem dicendum, quanvis operanti adſint nova motiva ad mutandam opinionem, ſi ideò talia motiva apparent, quià ipſe omiſſa, aut contempta opinione pro lege, totam diligentiam exhibuit ad quærenda motiva pro libertate, ex cupiditate alicuius boni temporalis. Patet, tum quià iàm mala fide procedit, & non inquirit ingenue veritatem, ſed libertatem potius, & licètiam ad bonum temporale obtinendum. Tum quià hoc pacto, facile eſſet cuique quotidie mutare opinionem, & ſequerentur abſurda illata, quià ſi velimus nunc diſcurrere pro vna parte, & poſtea pro alia, conſiderando nunc tantum rationes pro vna, & poſtea, his inconſideratis, vnicè quærendo, & conſiderando rationes pro oppoſita, facilimum nobis erit mutare opinionem, & poterimus hodiè vnam opinionem tenere pro amico, & cras oppoſitam contra eundem, quià ingratum, & ille vir vxoratus, hac hebdomada diſcurrere pro vno matrimonio, & ſequenti pro alio: non ergò eſt licitus talis

mo-

modus retractandi ſententiam de moribus, aut mutandi opinionem.

34 Dico quartò: *Licitè poteſt quiſque operari, conſulere, aut præcipere contra propriam opinionem præteritam, ſi facto diligentiori examine veritatis, invenerit nova motiva pro oppoſita, vi quorum ingenuè exiſtimat talem ſuam opinionem fuiſſe falſam, & oppoſitam potius eſſe veram. Ceterum hoc non eſt operari contra propriam opinionem.* Hoc aſſertum à nemine negatur, & ideò ab eo probando ſupersedeo.

Sed dices forsàn, ex hoc aſſerto eadem abſurda ſequi poſſe, àc ex aſſerto à nobis impugnato concluſione præcedenti. Nàm ille vir vxoratus poſſet facto diligentiori examine veritatis invenire nova motiva, & mutare matrimonium cùm ſententia. Sed reſpondeo ipſum teneri in prima electione facere examen poſsibile veritatis, &, ſi in illo examine apparuerint motiva potiora pro vno, quàm pro alio, vi quorum exiſtimet probabiliter illud vnice eſſe validum, debet illi ſtare: poſt modum vero non manet penès eius libitum mutare opinionem; *non enim* (vt inquit Philoſophus) *eſt in nobis opinari*, nec opus eſt ei novum facere examen, cùm ſupponatur factum debitè pro poſſe ſufficiens. Si tamen novum examen facere velit, tenetur in illo procedere non ex affectu licentiæ, vel libertatis, nec alterius boni temporalis, ſed purè, ingenuèque pro veritate melius detegenda, àc proinde debet ex æquo pro validitate vtriuſque diſcurrere, & vtramque ſententiam inſpicere æquali affectu, & indifferentia, quod ſi fecerit, difficile erit quod nova motiva inveniat ad mutandam opinionem, & ad minus, quanvis hoc in aliquo caſu contingere poſsit, non eſt relictum eius arbitrio, aut induſtria, ſed occurſui rationum, qui occurſus non eſt in libera poteſtate opinantis, ſed ſola inquiſitio. Caſu tamen, quo non pro eius affectu, nec libito, ſed propter novam occurrentiam appareat motivum oſtendens antiquam opinionem eſſe falſam; tunc, tali oſtenſa ratione, mutari poteſt matrimonium, relicto eo quod poſt novum examen apparet invalidum, & aſſumpto eo, quod apparet validum: quod quidem fieri poterit ſine ſcandalo activo, conteſtato prius novo motivo occurrenti, & publicè coram legitimo ſuperiore denunciato, & ab illo approbato vt ſufficienti ad variandum, & retractandum iudicium de valore prioris matrimonij, & hoc pacto mutationem non ſemel contigiſſe conſtat. At hoc poſt exactiſsimam diligentiam, vix vnquam contingere poteſt, àc proinde impoſsibile eſt quod qualibet hebdomada, aut menſe, aut anno contingat invenire novum motivum. At iuxta contrarios cùm neceſſe non ſit invenire novum motivum, ſed pro libito poſsit retractari opinio antiqua, vel etiam ad libitum poſsit diſcurrere pro vno matrimonio, & non pro alio, liceret ſanè decies, vel vigeties in anno mutare ſententiam, & matrimonium, & Iudex, aut ſuperior poſſet hoc approbare, vtpote licitum, iuxta contrarios: eſt ergò magna diſparitas.

35 Dixi item in aſſerto, quod hoc non eſſet operari contra propriam ſententiam, ſiquidem ſemel iàm retractata propter novum motivum occurrens, iàm illa ſententia non eſſet propria, ſed magis oppoſita, quam teneret vt veram; operando ergò iuxta hanc, & contra illam, iàm operaretur non contra, ſed iuxta propriam ſententiam.

36 Dico quintò: *Caſu, quo occurrat nova circunſtantia varians ſubiectum, de quo erat opinio propria, ità vt non comprehendere caſum ſub illa circunſtantia, ſi aliunde conſtet ſub illa circunſtantia opus licitum eſſe, licitum eſt tale opus elicere, ſed nec hoc eſt agere contra propriam ſententiam, aut opinionem.* Patet, quià ſtat optimè me opinari, quod pingere ſit illicitum in die feſto, & tamen quod adveniente caſu neceſsitatis, iudicem id eſſe licitum, & illud eſſe licitum conſulenti reſpondeam, aut ego ipſe exerceam, quo in caſu minimè conſulo, aut operor contra propriam ſententiam, quià propria ſententia non erat de tali opere pro caſu neceſsitatis, ſed extra neceſsitatem: ergò idem dicendum de alio quocumque ſimili caſu, in quo varietur ſubiectum opinionis ratione novæ circunſtantiæ. Ex quibus iàm patet abſolute loquendo, & vniverſaliter nemini licere operari contra propriam opinionem, in quocumque caſu ex quingue annumeratis loquamur.

§. IV.

Solvuntur obiecta.

37 SED Obijcies primò, illo communi argumento: qui tenet vnam opinionem vt veram, poteſt credere oppoſitam eſſe probabilem: ſed quiſque licitè ſequi poſſet opinionem, quàm credit certò eſſe probabilem: ergò poteſt licitè ſequi oppoſitam. Sed ad hoc ex dictis patet, diſtinguendo maiorem, poteſt credere oppoſitam eſſe probabilem probabilitate fallente, vel fallaci concedo, probabilitate veraci, aut verum ſuadente, nego

nego maiorem, & diſtinguo minorem, eodem modo, negoque conſequentiam. Quià ſi ſemel credo, & teneo meam opinionem, vt veram, non poſſum non tenere oppoſitam contradicentem eſſe falſam, ac proinde probabilitatem eius, quæ ipſam probat, & ſuadet, eſſe probabilitatem fallacem, vel fallentem, quandoquidem credo eſſe falſam opinionem, quàm ſuadet vt veram: quis autem dicat cuique licitum eſſe ſequi opinionem, quàm certò credit eſſe probabilem probabilitate fallaci, vel fallenti, ſeu falſum probanti.

38 Sed dices: imò ſcit oppoſitam eſſe verè probabilem probabilitate vera, ſiquidem quod mea opinio, v.g. ſit vera, vt opinor, non tollit quod oppoſita guadeat vera probabilitate: ſed eo ipſo quod ſit probabilis vera probabilitate illam licitè ſequi poſſum: ergò. Diſtinguendo maiorem non tollit quod oppoſita gaudeat vera probabilitate in eſſendo, ſeu entitativè vera, concedo maiorem: quæ ſit vera ſuaſivè, aut in ſuadendo, & probando, nego maiorem: & diſtinguo minorem eodem modo. Itàque hic detegitur alia æquivocatio conſiderabilis, ſeu potius fallacia contrariorum. Solent enim millies reppetere illam conditionem: *Dummodo ſit verè probabilis, vera probabilitate*, ſub quibus terminis latet fallacia non ſatis ab aliquibus detecta, dum probabilitatem quodammodo veritate fulcire conantur, vt nimirum probabilitas, quæ de ſe eſt pura apparientia, ſeu veroſimilitudo, & inquantum ſola apparientia, quærentibus veritatem placere non poteſt, ſicuti nec quærenti margaritas, margarita ſolum apparens, propterea addunt *verè* eſſe probabilem, gaudere *vera* probabilitate, & ingeminant verbum *veritatis*, vt probabilitatem fulcire videantur. Ceterum, ſicuti ſi quis quærenti veras margaritas, diceret hæc eſt verè apparens; hæc eſt vera apparientia margaritæ, eſt vera ſimilitudo margaritæ, nihil proficeret, quià tota illa veritas eſt veritas apparientiæ in eſſendo, ſeu entitativa, non vero in ſuadendo, hoc eſt, erat vera apparientia, quià non ficta, ſed nihilominus fallax, quià fallebat occulos eis repræſentando vt margaritam, quod non erat margarita. Ità ſimiliter, ſi quæris veram virtutem, & honeſtatem, nemo tibi ſatisfaciet, quantumvis tibi dicat aliquid eſſe probabile, etiam ſi addat eſſe verè probabile, gaudere vera probabilitate, ſi nihilominus non ſit verax, ſeu verum ſuadens, ſed fallax, aut fallens mentem. Nam quid eſt taliter eſſe verè probabilem? Sanè non aliud, quàm eſſe veram ſimilitudinem veri, ſub qua falſum re ipſa latet, eſſe veram apparentiam honeſtatis, ſed falſam repræſentativè, aut ſuaſivè, hoc eſt, fallentem occulos mentis, ſuadentemque vt veram honeſtatem, quæ re ipſa non eſt: ergò tibi talis vera probabilitas placere non poterit, quià licet ſit vera in eſſe probabilitatis, ſeu entitativè, & in eſſendo, eſt tamen falſa ſuaſivè, & repræſentativè, quià licet ſit vera, eſt fallax; quià licet ſit verum, quod eſt probabilitas, eſt falſum quod ſuadet eſſe verum: vnde in tali probabilitate ad ſummum habet veram apparientiam honeſtatis, ſed non veram honeſtatem obiectivam, quàm quæris: honeſtatem verè apparentem, ſed non veram, ſed verè falſam: qualiter ergò tibi placere poterit, ſi quæris veram virtutem, & honeſtatem?

39 Obijcies ſecundò: quiſque poteſt, nedum licite, ſed multo ſecurius regere, & gubernare ſe ipſum per conſilium, aut ſententiam aliorum, quàm per propriam, & privatam: ergò licitum erit, & tutum in conſcientia contra propriam, & privatam ſequi in praxi ſententiam aliorum. Hoc argumento nos incuſant, quod doceamus homines eſſe ſuperbos, pertinaces, & indiſplinabiles, dum eos docemus quod in practicis propriam ſententiam, & opinionem præferant ſemper aliorum opinioni, & eis prohibemus oppoſitam virorum gravium, & Doctoſsimorum ſequi. Sanè inquiunt, non eſt ſuperbia, & pertinacia velle potius me ipſum gubernare per ſententiam propriam, quàm per ſententiam Sapientiſsimi P. Suarez? Aut alterius ſimilis? Quanto ſatius mihi foret eorum ſtare ſententiæ, quàm propriæ?

40 Reſpondeo potius hoc argumentum ſub ſpecie humilitatis ſuperbiam non vitare, & laxitatem ſuadere; quod oſtendo, ſic reſpondendo in forma: quiſque licitè poteſt gubernare ſe ipſum per ſententiam aliorum, gubernando potius intellectum, quàm voluntatem, concedo antecedens: retinendo proprium intellectum contra ſententiam aliorum, & eam ſequendo per voluntatem, nego antecedens, & conſequentiam. Quià ſi quis retinet ſivè actualiter, ſivè habitualiter non retractando propriam ſententiam, contra ſententiam aliorum, iàm ſupponitur non regere ſuum intellectum per ſententiam aliorum, ſed potius contra eorum dicta men retinere proprium tenaciter: ergò ſi retineat propriam ſententiam, non vitatur ſuperbia, nec pertinacia; nàm ſi aliqua ſuperbia, vel pertinacia ſit in ſequendo propriam opinionem, contra ſententiam aliorum, potiſsimi hæc ſuperbia, &

per-

pertinacia stat in sequela intellectuali, qua quis intellectum proprium, & proprium sensum præfert aliorum intellectui, & sensui. Aliunde docere quod adhuc non retractata propria sententia, potest voluntatem regere per sententiam aliorum pro libertate, & licentia, est manifesta laxitas, vt probatum manet: ergò prædictum argumentum non vitat pertinaciam, nec superbiam, & aliunde auget laxitatem.

41 Sed dices: ergò saltim poterit quisque regere suum intellectum, & consequenter voluntatem per sententiam aliorum, per prius credendo alijs, quàm sibi; imò id erit humilius, & securius, quià si verè humilis sum, magis me fallibilem existimare debeo, quàm alios; & maioris authoritatis, & credibilitatis debeo alios reputare, quàm me, v.g. Suarium, Sanchez, &c.

Respondeo imprimis, quod hæc replica minimè probat, cuique licitum esse agere contra propriam opinionem probabilem, iuxta opinionem probabilem aliorum, sed potius probat, non esse humilitati conforme retinere opinionem propriam, imò nec illam concipere contra aliorum opinionem, sed quod in omnibus probabilibus debemus alijs cæcis oculis credere, nihilque ex propria sententia opinari contra alios: si autem non habeamus propriam opinionem, iàm non est locus operandi, aut consulendi contra propriam opinionem.

42 Quod si contendas, te posse, advenienti agibili singulari, credere potius alijs dicentibus licet, quàm tibi dicenti non licet, & sic mutare sententiam. Respondeo ex dictis in tertiò asserto, & quartò, quod vel authoritas aliorum contradicentium fuit tibi nota, quandò tuam opinionem concepisti contra illos, vel non. Si non fuerat tibi nota, nec ponderata, & nunc de novo occurrit, præ ponderatque rationibus, & simul authoritati, quæ te movit ad præhabitam opinionem concipiendam, poteris sanè, & debebis mutare opinionem, siquidem iàm tibi magis probabilis, quæ antea erat minus. Si fuerat antea tibi nota illa authoritas aliorum, & nihilominus contra illam conceperas oppositam opinionem, rogo vel prudèter opinatus fuisti contra illos Doctores, vel imprudenter, & temerè, id est, ex amore proprio, aut ex libidine contradicendi, aut ex passione aliqua contra illos, aut ex alia prava affectione, aut dispositione. Si hoc secundum tibi notum sit, debes deponere talem pravam dispositionem, & opinionem inde temere conceptam, & tunc sincerè, àc ingenuè ponderare tua motiva cùm authoritate contraria. Quod si tunc apparuerit probabilior pars opposita, poteris mutare sententiam, & illam sequi; secus tamen, si rebus sine passione consideratis, animoque pacato, & benè dispositio eadem apparientia perseveret. Si primum, id est, si prudenter opinatus fueras contra alios, à te rogo, quænam te movit ratio, aut quod motivum? Nemo enim prudenter contradicit alijs Doctoribus, nisi ex vrgenti ratione, vel motivo.

43 Dices primò, ideò contra illos opinionem concepi, quià alij fama clariores, sapientiores, & maioris authoritatis illis contradicunt. Rectè: ergò adveniente casu singulari, minimè prudenter mutabis opinionem, eo nimirum titulo, quià humilitas exigit vt alijs potius credas, quàm tibi; siquidem dato quod humilitas hoc exigat, exigit etiam, quod ex alijs potius credas sapientioribus, clarioribus, & maiore authoritate pollentibus, quàm ceteris minoris authoritatis, & sapientiæ: ergò si occurrente agibili singulari, præfers alios minus fidedignos, alijs maioris authoritatis, non est ex humilitate, nec ex prudentia, sed amore maioris licentiæ, & libertatis. Vnde cùm inquis: *Cùr non potius credam P. Suarez, & P. Sanchez, quàm mihi?* Hoc non est ad rem. Nàm inquiro potius à te, cùr quandò opinionem illis contrariam tenebas prudenter, illis non credebas? Sanè iàm inquis, quià maior authoritas D. Thomæ v.g. aut Scoti, aut Antonini, aut aliorum eis contradicit. Ergò nunc etiam cùm occurrit singulare agibile, ad perseverandum prudenter antiqua sententia, eadem tibi debet esse ratio, cùm nihil innovatum invenias.

44 Quod si secundò dicas, ideò te contra tales Doctores prudenter, & probabiliter concepisse adversam sententiam, eamque vsque ad præsens tenuisse, quià licet contra illos non esset maior authoritas, erat tamen maior ratio, præponderans eorum authoritati, aut quià inveniſti solutionem fundamenti, quod eos movit, quam ipsi non invenerunt, aut quià consideraſti aliquid, quod ipsi non consideraverunt, quod si ipsi considerassent, & invenissent, oppositum sensissent. Vnde, inquies, mihi non credo præ alijs, sed motivis mihi occurrentibus assentior, præmotivis aliorum, quià forsàn, si quæ mihi occurrunt, alijs occurrissent, oppositam, quàm ego sententiam tenuissent. Si inquam ità respondeas, hæc eadem tibi debet esse ratio, vt occurrente agibili singula-

gula ri, in eadem sententia contra illos perseveres absque superbia, aut pertinacia, vera humilitate retenta, siquidem supponimus nihil innovatum, nec quantum ad circunstantias, nec quantum ad motiva, quæ supponimus fuisse prudentia.

45 Sed dices immediate: licet nihil sit innovatum circa circunstantias, & motiva antiquæ opinionis, quam vsque ad præsens tenebam, tamen nova luce, & dispositione modo ea motiva inspicio, vi cuius novitatis de novo mihi apparet licitum, quod antea apparebat illicitum, modo mihi apparet probabilior, & vera opinio pro licito, quæ mihi antea apparebat minus probabilis, & falsa: ergò invariatis motivis, & circunstantijs, possum mutare sententiam.

Ad hanc subtilem replicam respondeo meliore luce, & dispositione intellectum iudicare de agibilibus in vniversali considerans, antea quàm singulariter, & præsentialiter occurrant, quàm dum singulariter, & præsentialiter occurrunt, considerata enim in vniversali, non movent appetitum, nec irritant passiones, nec excæcant intellectum; at dum singulariter agenda occurrunt, solent vt plurimum movere appetitum, irritare cupiditatem, alterare passiones, quæ pacatæ, quietæque quasi dormiebant, vnde absque dubio melior, clarior, & perspicatior est lux intellectus considerantis agibilia, antequam præsentialiter occurrant agenda, vel omittenda, nàm tunc intellectus pacatus discurrit, & sine affectione, quàm dum præsentialiter occurrunt, quià tunc intellectus facile perturbatur, & obscuratur, irritatis affectionibus, & cupiditatibus per præsentiam agibilis. Vnde informa ad replicam distinguo antecedens, tamen nova luce, & dispositione meliore motiva priora inspicis, nego antecedens: nova sed peiori, magis suspecta, minus tranquila, & magis perturbata, transeat antecedens, & nego consequentiam, quià, ceteris paribus, potius stare debeo, àc credere intellectui melius disposito, magis pacato, & minus tranquilè rem consideranti; potius etiam stare debeo luci clariori, quàm obscuriori, aut minus claræ, & serenæ.

46 Dicunt secundò contrarij, forsàn fallor in mea opinione. Forsàn alij verum dicunt. Vnde sciam me non falli præ alijs? Cùr ergò propriæ sententiæ fidam, & non potius aliorum? Hoc millies reppetunt, & specie quadam demissionis, contendunt ampliare libertatem. Respondeo quod si reflexio fiat super omnia humana iudicia, quæ motivis de se fallibilibus nituntur, forsàn ego fallor forsàn tu falleris, forsàn ille alius fallitur, forsàn fallitur Suarez, forsàn fallitur Vazquez, aut Sanchez, forsàn omnes, divisim loquendo, fallimur. At quid inde? Inter forsàn, & forsàn cùr his præ alijs stabo, quandò illos existimo falli, secus istos? Cur v.g. stabo Patri Suarez, præ Ioanni à S. Thoma, quandò existimo determinatè falli Suarium, secus Ioannem à S. Thoma? Forsàn quidem fallitur Ionnes à S. Thoma, & forsàn fallitur P. Suarez, quià vtriusque Authoritas est fallibilis; sed interim motivis rationalibus existimo P. Suarez falli præ Ioanne à S. Thoma: ergò irrationaliter stabo P. Suarez contra Ioannem à S. Thoma. Vnde hoc dictum, *forsàn fallor, forsàn fallitur ille*, mini nè est motivum rationale deponendi, aut mutandi sententiam, tunc quià inter sententiam forte falsam, & aliam etiam forte fallam non est maior ratio pro vna, quàm pro alia, ex his præcisè terminis fortuitæ falsitatis, vt derelicta vna forte falsa, ad aliam transeam etiam forte falsam. Sed standum est semper motivis probabilioribus, & minus fallibilibus, magisque vero propinquijs, sivè hæc motiva sint P. Suarez, sivè Ioannis à S. Thoma, sivè à me excogitata, & ab illis non considerata; motiva enim probabiliora semper merentur assensum cuiuscumque sint, & à quocumque excogitata, potius quam minus probabilia. Vnde cùm à me interrogas, cùr propriæ sententiæ fidam, quàm aliorum? Respondeo, non quià mea, non quià propria, non ex amore proprij iudicij, præ aliorum, sed quià mea vera est aliorum falsa, ex amore veritatis, non ex amore proprietatis. Et cùm vlterius, me tanquam temerarium interrogas, *vnde sciam meam veram esse, & aliorum falsam*? Directè tibi respondeam per motiva directa, quæ me ad ità sentiendum obligarunt, ostendendo tibi in quo decepti fuerint Authores oppositi, solvendo eorum probationes, & ostendendo meas non solvi, nec enervari, sed efficaciter meam sententiam suadere. Quod si hoc pacto concepi propriam sententiam contra sententiam aliorum, cùr eam pro libito, absque novo motivo, retractabo cùm occurrit agibile singulare, existimando nunc licitum, quod antea prohibitum esse tenebam motus probationibus, quarum solutionem invenire non potui?

47 Dices: etsi ergò tales probationes solvere non sciam, nec possim, alius solvet, alius eas enervare sciet. Hoc pacto non desunt, qui censent omne opus, de quo est *vtrum* inter Authores, àn sit,

vel non ſit licitum, licitè à quocumque fieri poſſe, quantumvis ipſe convincatur rationibus, & motivis probantibus eſſe illicitum, ità vt ea ſolvere non poſsit; quià ſcilicet dicere poteſt: *Alius ſolvere ſciet, alius erit qui ſolvat.* Reſpondeo tamen, quod tunc mihi erit licitum tale opus facere, cùm ſit qui ſolvat, & me à talium motivorum vinculo, aut nodo liberet, motiva enim, & rationes non ſolutæ ligant mentem, ne actu contra illas opinetur, aut in partem oppoſitam inclinetur ſicut vinculum corporale ligat pedes, vt niſi actu ſolvatur, aut ennodetur, ambulare non poſsim: & ſicut vinculo corporali ligatus, ambulare non poſſet, eo præciſsè quod alius poſſet ſolvere vinculum, ſi actu ſibi non ſolveret, nihilque ei prodeſſet dicere, ego ſolvere non poſſum, alius ſolvere poterit. Ità ſimiliter habenti mentem ligatam, aut convictam vinculo rationum, quas ipſe ſolvere nequit, mutare nequit ſententiam, eo præciſsè, quià dicat: *Alius ſolvere ſciet, aut poterit*, neceſſario debet expectare vſquedum ſit alius, qui actu ſolvat, & cum viderit rationes ſolutas, tunc mutare poterit opinionem.

48 Obijcies tertiò, argumento illo impertinenti, deſumpto ex cultu Conceptionis Beatiſsimæ Virginis. Etenim propria ſententia PP. Dominicanorum, eſt quod Beata Virgo fuit in originali concepta; & tamen in praxi ſecuntur oppoſitam opinionem piam de Immaculata eius Conceptione, ſiquidem illam colunt vt immaculatam ex præcepto Eccleſiæ: ergò eſt licitum in praxi operari contra propriam opinionem, ſequendo oppoſitam probabilem.

Reſpondeo vt ſupra quæſt. 26. num. 139. negando quod PP. Dominicani nunc defacto ſint in ea opinione, quod Beatiſsima Virgo fuerit in peccato originali concepta; cùm enim poſt decretum Alex. VII. eam opinionem non defenſaverint, vnde, niſi temere, credi poteſt eos adhuc perdurare in ea ſententia? Deinde, nàm vt Cardenas, Moya, & alij affirmant, opinio de Conceptione Beatiſsimę Virginis in peccato iàm non eſt probabilis, ſed omninò improbabilis; certum autem eſt, quod quiſque tenetur deponere ſententiam improbabilem in rebus fidei, & morum, & oppoſitam amplecti: ergò nullum eſt motivum, vt prædicti AA. cenſeant PP. Dominicanos perſtare in antiqua ſententia.

49 Sed demus quod ſtent in antiqua ſententia: in primis hoc ad nihil probandum aſſumi poteſt vti antecedens, vel præmiſſa, quià eſt nobis omninò incertum, àn ità defacto ſentiant, vel non; ex antecedenti autem nobis omninò incertò, & occulto in corde aliorum, nihil certum probari poteſt in præſenti. Rurſus, nec diſputare licet, àn PP. Dominicani, aut alij Theologi præſentis ſæculi cultum exhibeant Conceptioni contra propriam ſententiam internam, minuſque id de eis præſumere, aut profari, tunc quià hoc pacto, ſi forsàn internè ſentiunt contra Conceptionem Immaculatam, provocantur, vt ſuum ſenſum, vel directè, vel indirectè tueantur, aut fateantur, quod eis prohibitum eſt; non licet autem aliquem provocare ad aliquid ei prohibitum. Tunc quià non licet cogitare de vllo Theologo Catholico, quod conſtanter ſentiat Conceptionem fuiſſe peccato originali infectam, & quod eam cùm Eccleſia Catholica colat vt ſanctam. Diſputare autem vtrum in alio ſenſu poſsit licitè coli à Catholicis adhuc exiſtimando eam fuiſſe peccati labe infectam, exiſtimo etiam valde periculoſum; nàm ſi quis partem affirmativam propugnandam aſſumat, indirectè ſaltem defendit, adhuc poſſe ſuſtineri in Eccleſia Catholica opinionem contrariam opinioni piæ, & indirectè ſaltem eam defendit, quod illicitum eſt. Vnde cenſeo facilimè reſpondendum huic argumento, nimirum, negando ſuppoſitum maioris, quod ſcilicet illa ſit diſputabilis, aut quod ex illa poſsit deſumi argumentum publicum, ſupponendo eam vt veram. Sed ſi contrarij velint veritatem inquirere, ab ea opinione abſtrahere debent, & de alijs innumeris, quibus ab Eccleſia ſilentium non eſt impoſsitum, loqui poſſunt, vel argumentum deſumere.

50 Obijcies quartò, ſubditus in obediendo poteſt ſequi oppoſitam ſententiam aliorum contra propriam: ergò & quilibet. Reſpondeo primò diſparem eſſe rationem, quià ſubditus poteſt agere id, quod ſibi præcipitur, etiam ſi dubitet àn ſit, vel non ſit licitum, & tamen Prælatus non poteſt præcipere id de quo ipſe Prælatus dubitat àn licitum ſit, vel illicitum. Deinde nego antecedens, quià ſi ſubditus perſiſtat in ſua ſententia de illicito, & illam non retractet, minimè poteſt illud facere, quod præcipitur, vt infra oſtendam, quià magis ligat propria conſcientia, quàm præceptum Prælati, vt eſt expreſſa ſententia D. Thom. & noſtra ſupra quæſt. 11.

(***)

QVÆSTIO XXXVI.

An Confessarius possit, vel debeat absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem suæ contrariam.

1 CIRCA Hoc quæsitum variè distinguunt Authores. Primo enim distinguunt àn Confessarius sit, vel non sit ordinarius pœnitentis. In primo casu asserunt teneri eum absolvere, in secundo non teneri, sed posse, dicunt aliqui, & non posse, alij. Aliter alij distinguunt, nimirum, àn opinio, pœnitentis probabilis sit, improbabilisvè Confessori, aut si solum sit dubiæ probabilitatis, aut solum probabiliter probabilis, & variè respondent quæstioni, iuxta suam vnusquisque opinionem de licita, vel illicita sequela opinionis probabilis, faciendo mille reflexiones probabilitatis suprà probabilitatem penitùs imperceptibiles. Vt ergò, qua claritate possim, mentem graviorum Authorum ex primam, imprimis aliqua prænotabo, vt postea veritas clarius eluceſcat.

§. I.

Aliqua prænotantur vtilia.

2 NOTO Primo, distinctionem illam de confessario ordinario, vel non ordinario intèresse quidem vt vnus, nimirum ordinarius, teneatur admittere pœnitentem ad Confessionem, secus alius: semel autem audito pœnitenti in Sacramentali confessione, vel vterque, vel neutèr tenetur eum absolvere. Patet, quià vel pœnitens est dignus, vel indignus. Si dignus, quanvis Confessor non sit ordinarius, semel quod eum admisit ad confessionem, se obligat ad eum absolvendum, si invenerit dignum; alioquin gravem ei iniuriam irrogaret, si audire tantum vellet eius peccata, & quanvis benè dispositum, non absolvere. Si autem pœnitens invenitur à confessario indignus, & indispositus, quanvis Confessor sit ordinarius, nec debet, nec potest licite eum absolvere, quià indigno non est conferenda absolutio, non enim licet sanctum dare canibus.

3 Ex quo noto secundo, falsam esse illam sententiam, quæ docet Confessarium non ordinarium, semel audita confessione, posse, sed non debere pœnitentem absolvere; si enim potest, tenetur, quià eo ipso quod eum ad confessionem admisit, se obligavit ad absolutionem, si possit; nec nisi cùm isto pacto, saltem virtuali, ei pœnitens aperiret peccata sua: ergò si licite potest, tenetur absolutionem impendere. Ex quo noto tertio, quod si Confessarius existimat, aut credit prudentèr pœnitentem esse dispositum, tenetur eum absolvere: si prudentèr credit eum esse indispositum, aut indignum, tenetur eum non absolvere; idemque si dubitet prudentèr àn sit dignus, vel indignus, dispositus, vel indispositus, tunc enim debet differre absolutionem, vsquedum de altero certificetur probabiliter, seu, quod idem intelligo, per coniecturas probabiles. Patet, quià in dubio non debet exponere Sacramentum periculo invaliditatis, multoque minus exponere pœnitentem periculo illud accipiendi in peccato mortali, & idem de Eucharistiæ sumptione, quæ frequentèr sequitur: ergò prius debet se assecurari, saltèm certitudine, & securitate probabili, quod pœnitens sit dispositus rectè.

4 Vnde noto quarto, quod quando opiniones contrariæ probabiles sunt de bona, vel mala dispositione pœnitentis, aut de aliquo requisito ad illam, sine quo illa constare non potest, non tenetur Confessor stare opinioni pœnitentis, quam existimat falsam, imò nec de qua dubitat, nisi ratio, aut motivum aliquod adductum à pœnitente, vel eius maxima authoritas apud Confessarium, ipsum cogat ad mutandam opinionem, in opinionem pœnitentis, certificando eum de veritate ipsius certitudine morali, seu probabili; quod tamèn raro contingere potest. Patet, quià Confessarius debet probabiliter saltem subiectivè certificari de bona dispositione pœnitentis, alitèr autem non potest certificari. Nec valet, quod pœnitens secundum propriam opinionem existimet se dispositum, quià si Confessarius existimat hanc pœnitentis opinionem esse falsam, & revera non esse dispositum sicut ipse opinatur, aut si de hoc dubitat probabiliter, non potest stare opinioni pœnitentis.

5 Ex quo obitèr infero, quod in omnibus quæstionibus de occasione proxima, de periculo probabili, de consuetudine peccandi, de sufficienti, vel insufficienti examine conscientiæ præmisso, de sufficienti, vel insufficienti scientia doctrinæ christianæ, aut obligationum proprij status, & de alijs huius generis, quæ requiruntur in re, vel in proposito ad rectam dispositionem pœnitentis, non debet stare Confessarius opi-

nioni pœnitentis, quam ipſe exiſtimat falſam, ſed debet ſubiectivè certificari, quod pœnitens habeat talia requiſita in re, vel in voto, provt indeſpenſabilitèr requiri iudicat ad bonam eius diſpoſitionem.

6 Quod ſi dicas: confeſſarius debet credere pœnitenti dicenti ſe eſſe diſpoſitum; ſed eo ipſo quod pœnitens exiſtimet probabilitèr ſe eſſe benè diſpoſitum, poteſt dicere confeſſori, ſe accedere cùm recta diſpoſitione: ergò tunc confeſſor debet ſtare opinioni pœnitentis.

Reſpondeo, quod ſi confeſſor credit pœnitenti; iàm deponit ipſo facto propriam opinionem, & aſſumit oppoſitam, & ſic iàm non ſequitur opinionem pœnitentis contra propriam, ſed ſequitur propriam. Deinde dico, quod debet credere pœnitenti, quando nihil obſtat in contra; àt, ſi confeſſor habeat motiva vel inditia, ex quibus prudentèr iudicet pœnitentem falli in illa ſua opinione, & re ipſa non eſſe diſpoſitum, aut de hoc dubitet prudentèr, tunc non tenetur credere pœnitenti. Vbi obſervanda ſunt quæ docet P. Cardenas de propoſitionibus damnatis, diſert. 37. cap. 4. num. 32. nimirum, *debere confeſſarium habere fidem pœnitenti aſſerenti ſe habere contritionem, & propoſitum, quando circunſtantiæ ſunt tales, vt poſsit illud prudentèr credere. Solent tamèn concurrere circunſtantiæ, in quibus confeſſarius prudentèr dubitat. Nunquid ergò tenebitur confeſſarius vel abſolvere dubius de diſpoſitione pœnitentis, vel deponere dubium abſque aliqua ratione probabili?* intellige, ſuperaddita rationi dubitandi; nàm alias non erit ſufficiens vt confeſſarius prudentèr deponat dubium de diſpoſitione, vel indiſpoſitione.

7 Additque cap. 5. num. 37. *Conſtat eſſe aliquos viros doctos, qui admittant opiniones improbabiles, & quæ conſcientiam non relinquunt ſecuram. Vir doctiſsimus fuit Ioannes Sancius, & tamen ſuſtinuit opiniones, quas prius privata ſua authoritate reprobarunt Theologi, deinde authoritate Romanæ Eccleſiæ damnatæ ſunt. Vir doctiſsimus fuit Caramuel, & propugnavit opiniones, quæ eaſdem cenſuras ſubiere. Non ergò eſt concedendum indefinitè viro docto, quod poſsit negare reſponſionem ad interrogata de conſuetudine, &c.* Indeque infert num. 38 *Confeſſorem tales abſolvere non poſſe, niſi certiorem faciant actualitèr ipſum nullum deſiderari ex requiſitis ad licitam, validamque abſolutionem.* Vnde Vazquez tom. 4. in tertiam partem, quæſt. 91 art. 1. dub. 3. num. 4. ait: *Non ſatis eſſe quod pœnitens benè diſpoſitus accedat, ſed oportere quod conſtet confeſſario, & ità ſentiunt communitèr Authores.* Igitur, omnibus inſpectis, ſi confeſſario non conſtet de bona diſpoſitione pœnitentis, nec vllo modo certificari poſsit, quanvis pœnitens alleget in ſui favorem opinionem probabilem, non poteſt confeſſarius, nec tenetur eum abſolvere.

8 Noto quintò, quod ſi opiniones ſint de iuriſditione confeſſarij, quanvis fundata in privilegio conceſſo pœnitenti, non tenetur confeſſor ſe conformare opinioni pœnitentis. Patet, quià confeſſor debet vti ſua iuriſditione ſecundum propriam conſcientiam, quam bona fide, àc prudentèr exiſtimet ſe habere; ſed quod pœnitens habeat opinionem de iuriſditione confeſſarij, ſi confeſſarius reputat eam falſam, non poteſt bona fide exiſtimare ſe habere iuriſditionem, & conſequentèr nec illa vti cùm bona conſcientia: ergò non ſufficit opinio pœnitentis, ſi confeſſarius tenet contrariam. Ex. g. eſt confeſſarius illius opinionis quod confeſſarius non approbatus ſpecialitèr ad mulieres, adhuc ex privilegio Bullæ, non poteſt eas abſolvere. Cui accedit quædam mulier dicens eſſe opinionem probabilem in ſui favorem. Tunc non poteſt confeſſarius tali opinioni ſe conformare. Accedit alius cùm caſibus reſervatis, de quibus ipſe habet opinionem probabilem, quod ego poſsim eum abſolvere; àt ego teneo contrariam, quod ſcilicet non habeo legitimam iuriſditionem. Non poſſum in eo caſu me conformare opinioni pœnitentis, niſi ipſe rationibus, & motivis novis me flectat ad aſſenſum ſuæ opinioni præſtandum, aut eius authoritas ità prævaleat apud me, quod me faciat ſuæ opinionis, mea retractata. Idem in alijs caſibus ſimilibus.

§. II.

Aliquibus aſſertis deciditur dubium.

9 HIS Prænotatis ad quæſitum principale, dico primò: *Quando opinio pœnitentis eſt de opere præterito, in poſterum non committendo ab ipſo, certiſsimum eſt quod poſſit confeſſor abſolvere pœnitentem.* Patet, quià vel pœnitens bona fide ſecutus eſt talem opinionem, vel mala, aut dubia? Si bona, non eſt cùr ei negetur talis abſolutio. Si mala, id fateatur, &

cùm

cùm alias in posterum illam vltra secuturus non sit, dignus est absolutione. Si dubia, id ipsum fateatur, cùm animo non sequendi eam in posterum, & dignus est absolutione: ergò dummodo sit in proposito tale opus non faciendi in posterum, absolvi potest. Difficultas ergò est, quando pœnitens est in animo continuandi illud opus, de quo pœnitens opinatur probabiliter esse licitum, & confessor esse illicitum, & non vult pœnitens in posterum à tali opere abstinere, nec id proponere de futuro, circa quam difficultatem.

10 Dico secundo: *Si confessor existimet pœnitentem mala, aut dubia fide sequi opinionem, quam ipse iudicat falsam, non potest eum licitè absolvere, nisi proponat efficaciter in posterum talem opinionem non practicare, vsquedum, ingenuo examine veritatis præmisso, certificetur moraliter de eo quod tale opus sit licitum.* Hoc patet, quia confessarius non potest pœnitentem absolvere, nisi certus, aut credens pœnitentem habere propositum efficacem de cetero non violandi legem Dei gravitèr, nec efficiendi opus mortaliter illicitum: sed si pœnitens mala, aut dubia fide tenet talem opinionem probabilem; non potest certificari, aut credere confessarius, quod tale propositum habeat, nisi proponat prius examinare veritatem ingenuè, & talem opinionem non sequi vsquedum humano modo certificetur, quod tale opus est licitum; quia si hoc non velit proponere, convincitur esse in animo efficiendi tale opus cùm incertitudine an sit, vel non sit prohibitum, & consequentèr peccandi: ergò nisi ità proponat, non potest eum confessarius absolvere.

11 Dices: sufficit quod pœnitens certificetur de probabilitate suæ opinionis, licèt cùm fide dubia de illius veritate. Sed contra, quia hoc non est aliud, quam certificari quod est probabile opus illud esse licitum, dubitare tamèn an sit licitum, vel prohibitum; sed non sufficit talis certitudo cùm tali dubio ad non peccandum vt probatum manet; quia sic operari, est efficere opus, sivè re ipsa sit prohibitum, sivè licitum, & contemnere ex modo tendendi veram Dei legem: ergò requiritur quod proponat illud opus non facere, vsquedum ingenuè certificetur, non solum de probabilitate, sed etiam de eo quod tale opus sit licitum.

12 Dices secundo: quid si pœnitens assecuret, se bona fide tale opus facere, quia ad hoc habet opinionem Doctorum? Respondeo, quod si eam opinionem Doctorum, quam practicare conatur, nec credit, nec existimat esse veram, sed potius contrariam, aut de hoc dubitat, implicat quod tale opus exerceat bona fide, quia nemo sequitur bona fide opinionem, quam falsam existimat, aut eam, de cuius veritate dubitat, vt probatum manet: àc proinde quantunvis pœnitens sic operans, & operaturus, dicat se procedere bona fide, non tenetur confessor illi credere, quia pœnitens fallitur existimans bonam fidem eam, quæ revera est mala, aut dubia, & hoc agnoscit confessarius, & consequentèr eum non esse rectè dispositum.

13 Dices tertiò: quid si pœnitens sit Probabilista, & contendat sibi sufficere ad bona fide operandum, iudicium de probabilitate opinionis, licet cùm dubio de eius veritate, aut cùm opinione contraria de eius falsitate? Respondeo non Probabilistas omnes hoc asserere, sed paucissimos; ceteri enim tenent esse necessarium, quod bona fide, & prudentèr credat opinionem, quam sequitur esse veram, & quod de hoc formet sibi iudicium verè probabile.

14 Sed non quiescès; quid si pœnitens sit ex illis paucis, & cùm illis existimet sufficere certificari de probabilitate opinionis, quidquid sit de eius veritate? Respondeo quod si pœnitens nolit hanc existimationem, nec propositum ità operandi deponere, debet pœnitentem monere: & si non acquiescat, eum mittere, vt quærat vnum ex illis paucis Probabilistis, qui possit formare iudicium prudens de bona eius dispositione, se autem tale iudicium prudentèr formare non posse. Et minimè velle imponere sibi onus reddendi rationem de tam periculosa susceptione Sacramenti, vel de eius culpa, à qua minimè excusari pœnitentem agnoscit per modum prædictum sequendi opinionem probabilem cùm dubio de eius veritate: & quærat alium, qui se obligare velit ad reddendam rationem de sua dispositione, & modo tam periculoso operandi.

15 Sed amplius rogabis: Quid si confessarius sit ordinarius, qui teneatur confiteri pœnitentem, & ipse iure ab illo petat absolutionem? Respondeo, quod non iure petit, si nollet mutare propositum prædicto modo operandi, sed contra ius, vtpotè re ipsa indispositus. Vnde iustè poterit Parrochus ei respondere, si non vis mutare propositum, expecta vt habeas Parrochum ex illis pau-

cis Probabiliſtis, qui excuſant à culpa tuum modum operandi; nàm dum ego fuerim Parrochus non te abſolvam, niſi mutaveris propoſitum. Potiore ratione teneris conformari tu meæ ſententiæ, quam ego tuæ, potiſsimè cùm ego ſim Parrochus, tu ovis, & pœnitens, cùm tu poſsis conformari meæ ſententiæ, cùm ſola amiſsione alicuius boni temporalis, abſque periculo ſpirituali, non autem ego tuo abſque maximo periculo ſalutis ſpiritualis, & meæ, & tuæ.

16 Denique vrgebis. Quid ſi pœnitens ſit in articulo mortis, & nolit opinioni confeſſoris in hac parte ſe conformare? Reſpondeo, quod eo ipſo certificatur magis confeſſarius quod pœnitens eſt in malo ſtatu, pertinaxque in illo propoſito efficiendi opus hoc modo tendendi, *ſivè re ipſa licitum, ſivè re ipſa prohibitum lege Dei directa*, quod quidem propoſitum pertinax evidentiſsimè eſt culpa mortalis, quidquid inconſideratè aliqui dixerint; àc proinde confeſſarius debet cùm pœnitenti agere, illum totis viribus ſuadendo, vt propoſitum mutet; quod ſi noluerit, agendum eſt cùm illo tanquam cùm impœnitenti.

17 Et totum hoc argumentum inſtari poteſt in caſu, quo pœnitens ſit Caramueliſta, dicatque omne incertum eſſe ſibi regulam tutam conſcientiæ, àc proinde, dummodo incertus ſit àn opus ſit prohibitum, eſſe certum, quod licitè poteſt illud facere, & ſic nolle mutare, ſed velle perſiſtere in propoſito illud faciendi. Quid rogò faceret Anti-Caramueliſta confeſſarius, licet Probabiliſta, cùm tali pœnitenti? Puto quod nemo dicet poſſe, & debere eum abſolvere, ſed deberè ſe gerere vt dictum eſt.

18 Dico tertio: *Quod ſi confeſſor crediderit, aut exiſtimarit pœnitentem bona fide eſſe in ſua opinione exiſtimans opus eſſe licitum, ſeu quod idem eſt ſuam opinionem eſſe veram, tunc quanvis confeſſarius eam iudicet eſſe falſam, poteſt eum abſolvere, ſi non teneatur prius à ſua eum fide deturbare.* In hoc ſenſu intelligo omnes Authores aſſerentes confeſſarium debere abſolvere pœnitentem, qui ſequitur opinionem contrariam opinioni confeſſarij. Et patet, quià tunc confeſſor pruden èr poteſt iudicare pœnitentem eſſe benè diſpoſitum, & ità debet iudicare, niſi ex alio capite ſit indiſpoſitio eius: ſed quoties confeſſarius prudenter iudicat pœnitentem eſſe benè diſpoſitum, poteſt, & debet eum abſolvere; ergò in tali caſu confeſſarius poteſt, & tenetur pœnitentem abſolvere, quanvis ſequatur opinionem ſuæ contrariam. Minor eſt certa. Maiorem probo, quià bona fides alicuius, qua exiſtimat licèt falſo, quod aliquid ſit licitum, excuſat eum à culpa, etiam ſi habeat propoſitum tale opus efficiendi; bona enim fides propterea dicitur talis, quià innocentèr, & abſque culpa concipitur ex ignorantia inculpabili, & invincibili & in hoc ſenſu accipio bonam fidem in antecedentibus & ſubſequentibus: certiſsimum autem eſt quod fides ſic concepta excuſat operantem à culpa; ſed eo ipſo confeſſor poteſt exiſtimare pœnitentem tali fide operantem excuſari à culpa etiam ſi habeat propoſitum ſic in poſterum operandi: ergò poteſt prudentèr iudicare, & credere eum eſſe benè diſpoſitum, non obſtanti tali propoſito.

19 Confirmatur: etiam ſi pœnitens ſequatur ſuum dictamen, vel iudicium prorſus improbabile alijs, àc certiſsimè falſum, ſi tamèn bona fide eſt in illo iudicio ex ignorantia inculpabili, poteſt confeſſor eum abſolvere, caſu quo non oporteat eum ab illa ſua fide, & iudicio deturbare: ergò multo melius poterit, quando pœnitens bona fide ſequitur opinionem probabilem. Conſequentia patet, quià in ea arguitur à magis difficili ad minus difficile. Antecedens eſt etiam certum, quià ſi quis, v. g. vxoratus bona fide credit ſe eſſe in legitimo matrimonio, poſſeque petere, & reddere debitum, confeſſor tamèn ſciat aliquod impedimentum vi cuius matrimonium certo eſt invalidum abſque opinione in contra: videat autem maximum malum ſequendum, vel ſcandalum, vel plura peccata mortalia, ſi tali vxorato manifeſtet veritatem, eumque deturbet ab illa bona fide, omnes fatentur poſſe confeſſorem eum relinquere in ſua bona fide, illumque abſolvere, quià eſt benè diſpoſitus; & tamèn fides illa, ſeu iudicium pœnitentis, quo exiſtimat ſe eſſe legitimè vxoratum eſt certiſsimè falſum, & improbabile de ſe, licèt hoc ignoret pœnitens invincibiliter: ergò confeſſarius poteſt, & tenetur conſequentèr abſolvere pœnitentem, qui bona fide ſequitur iudicium improbabile ipſi confeſſario, certiſsimèque illi falſum.

20 Sed dices: vnde diſcerner

cernere poterit confeſſarius ân pœnitens bona, vel mala fide ſequitur ſuam opinionem? Reſpondeo primo quod ſi pœnitens non ſequitur illam opinionem, quià illam exiſtimat veram, ſed vnicè quià illam iudicat probabilem, incertus omnino ân opus ſit licitum, ſicut dicit opinio, vel illicitum, ſicut dicit contraria, non ſequitur illam bona fide, ſed dubia, & conſequentèr mala fide, id conſtat ex dictis.

Secundò, quod ſi pœnitens patitur graves remorſus conſcientiæ ex motivis in oppoſitum æquè, vel magis probabilibus, & non tantum ex levibus conjecturis, tunc etiam laborat dubia, vel mala fide: quià impoſsibile eſt quod quis bona fide credat aliquid eſſe licitum, quando in oppoſitum pulſant eius animum, non levia, ſed gravia motiva, quæ gravitèr conſcientiam eius lacerant, & mordent. Et hoc plerumque contingere ſolet his, qui ſequuntur opiniones probabiles pro licito, quando non ignorant oppoſitas pro illicito eſſe etiam æquè, vel magis probabiles, hi enim regulariter patiuntur graves remorſus conſcientiæ, qui cùm non ſint ex motivis levibus, ſed ex probabilibus, & gravibus pro oppoſita ſententia, non ſunt meri ſcrupuli, ſed rationes prudentiſſimæ dubitandi, quæ non merentur contemni, ſed potius attendi, & conſiderari, cùm viros doctos, non ſcrupulosos, ſed pacati iudicij fecerint prudenter dubitare, & oppoſitum ſentire, vnde ſi confeſſor invenerit pœnitentem tales remorſus pati ex motivis gravibus, non poteſt licitè eum abſolvere, niſi proponat abſtinere à ſequela talis opinionis: nec poteſt ſinè aperto peccato eum in tali opinione confirmare, vt vult Terillus cito citandus, ſi enim confeſſarius exiſtimat eam eſſe falſam, qua conſcientia, aut veracitate eum confirmabit in falſo?

21 Tertiò reſpondeo quod quanvis pœnitens non patiatur tales graves remorſus conſcientiæ, ſi tamèn non fecit debitam diligentiam inquirendi veritatem, ſed cupiditate terrenorum preſſus pro licentia diſcurrit, laxiores Doctores interrogat, & ſolum dicentibus pro licentia in favorem cupiditatis, credit, dictantes vero pro lege ſpernit, aut ſi alium defectum committit in veritatis inquiſitione culpabilem, vnde inferre poſsit prudens confeſſarius pœnitentem veritatem, & legem Dei contemnere propter terrenorum cupiditatem, tunc caſus non debet eum abſolvere, ſed eum obligare vt meliori diſpoſitione animi veritatem inquirat, non à laxioribus, ſed à viris doctioribus, & probatioris vitæ.

22 Ex quo patet ad hoc argumentum, quo Terillus ſuam reflexam pro libertate omnibus confeſſarijs ſuadere conatur, quinimo & eos obligare vt eam amplectantur, quæſt. 31. num. 17. hoc caſu propoſito. *Sit qui iuxta probabilem opinionem, rem aliquam licite acquiſivit, qui tamèn ex vna parte ſcrupulis vrgetur ad eam reſtituendam, quià eſt directè probabilius quod eam illicitè retineat: Ex altera parte iàm morti proximus vult illam filijs, & vxori indigentibus relinquere, nec adduci poteſt, à confeſſario, vt eam reſtituat, quià iuxta opinionem probabilem eam licitè acquiſivit, & probabilitèr licitè retinet. Peto, quid in hoc caſu confeſſario facere expediat? Nonne expedit illi ſuadere pœnitenti, vt, & propter rationes directè probantes credat ſe poſſe rem illam licitè retinere, prout plures viri docti, paritèr & pij docent, & ob rationes reflexas illud pro certo habeat, cùm in eo omnes fermè conveniant. Hoc certè expedit, & iuxta leges charitatis neceſſe eſt vt ſuadeatur, & doceatur, niſi dixeris expedire vt abſque remedio certiſsimæ deſperationi obnoxius relinquatur.* Et concludit. *Vide quam neceſſaria ſit confeſſarijs benigna ſententia.*

23 Patet inquam ad hoc argumentum, nàm quid proderit illi moribundo, quod iuxta opinionem probabilem licitè acquiſierit, & retineat rem illam, ſi coram Deo, & in rei veritate, vt confeſſarius exiſtimat, mala fide, & illicitè acquiſivit? Aut quomodo bona fide retinet rem, quando ſibi probabilius eſt non eſſe licitam talem retentionem? Aut qua ratione Terillus vocat ſcrupulos ea motiva, vi quorum probabilius eſt eſſe illicitam, ſeu directè illi prohibitam talem retentionem pecuniæ? Sanè ſcrupuli apud omnes ſunt rationes, aut motiva levia, & parvi momenti, quæ apud prudentes contemni, & non attendi merentur, quæ nec ad prudenter dubitandum ſufficiunt, & multo minus ad credendum, quod ſuadent. Sed maior probabilitas pro eo quod talis retentio ſit illicita neceſſario conſiſtere debet in motivo gravi, & magni momenti, quod pluribus viris doctis, & prudentibus ſuaſerit illam eſſe illicitam: ergò maior probabilitas inej titsimè à Teril. appellatur ſcrupulus. Vnde non eſt ſcru-

pulus ; ſed gravis remorſus conſcientiæ , quæ ex motivo graviore pro lege clamat contra cupiditatem ad temporalia.

24 Deinde , ſi in tali bivio, in quo probabilius eſt eſſe lege Dei prohibitam talem retentionem , nihilominus adduci non poteſt à confeſſario , vt rem reſtituat : ergò plus amat temporalem illam rem, aut filios, & vxorem, quam ſervare veram Dei legem : ergò minus timet agere contra Dei legem , quam ſuos filios , aut vxorem indigentiam pati temporalem , & ne iſti patiantur indigentiam , non veretur , ſi lex Dei violetur ea retentione pecuniæ : ergò eſt in ſtatu peccati mortalis , vtpote anteponens æternis temporalia , conuenientias vxoris,& filiorum propriæ ſaluti : ergò ſi confeſſarius eum in tali ſtatu pertinacem abſolvat , & cùm illo conſentiat , conſentit in eius damnationem æternam , in violationem legis Dei , in irritam confeſsionem , & ſacrilegam ſuſceptionem Sacramentorum.

25 Sed inquit Terillus , deberè eum ſuadere vt credat propter rationes directè probantes ſibi eſſe licitam talem retentionem , quià viri docti , & pij ità crediderunt. Sed quid ſi alij viri magis docti , & pij dicunt illos falli , & potius eſſe illicitam , & prohibitam talem retentionem , eaque propter pœnitens ſcit id eſſe magis probabile ? Quid ſi confeſſor facto diligenti examine ſit huius ſententiæ , quod ſcilicet illicita ſit talis retentio? Hic ſanè eſt caſus præſentis quæſtionis. Tenebitur ne ſuadere pœnitenti, vt credat quod ipſe , facto examine , putat falſum , & cuius oppoſitum ipſe pœnitens putat probabilius ? Si ad hoc tenetur , tenetur ſanè ad ipſum formaliter , & ſcienter fallendum in materia peccati mortalis. Quis autem ad hoc confeſſorem obliget? Rurſus inquit Terillus, quod debet eum ſuadere vt propter rationes reflexas credat pro certo ſibi eſſe licitam talem retentionem , quià eſt commune apud ferè omnes , quod licet ſequi quamcumque opinionem probabilem.

Sed contra eſt , nàm qualiter hoc eſt commune apud ferè omnes ? Sanè cùm tali conditione quod operans diligenter examinaverit veritatem , & poſt tale examen ingenuè , & bona fide credat eam opinionem eſſe veram ; at quomodo ingenuè , & bona fide credet eſſe veram opinionem , quam invenit eſſe probabilius falſam ? Ceterum eſſe licitum ſequi opinionem quamlibet , hoc modo tenendi , *ſivè veram* , *ſivè falſam* , pauciſsimi docent , & pauciores , quod quis poſsit credere ingenuè , & bona fide vt veram eam , quam credit eſſe minus probabilem ſua contradicente : ergò pauciſsimi ſunt , qui abſolutè doceant eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem operanti in concurſu ſuæ contradicentis probabilioris. Sed de hoc iàm ſupra.

26 Denique inquit Terillus , quod ità agendum eſt cùm illo pœnitente iuxta leges charitatis , ne abſque remedio damnationi obnoxius relinquatur. Sed contra eſt , quià infirmus habet in ſua manu remedium , nimirum reſtituere : ergò non relinquitur ſinè remedio. Sed inquit Terillus , vel ſupponit, quod infirmus non poteſt adduci, vt reſtituat.

Sed nunquid quià ipſe non vult voluntatem ſuam legi Dei probabiliori, & quam veram exiſtimat confeſſarius, ſubordinare , propterea confeſſarius tenetur accomodare legem Dei voluntati pœnitentis ? Et quid proderit , ſi hoc faciat ? Sanè conſervavit in corde infirmi illam pravam diſpoſitionem , qua pœnitens vult magis legem Dei ſuæ voluntati accomodari , quam ſuam voluntatem legi Dei probabiliori ſubijcere ; qua timet magis indigentiam filiorum , quam voluntatem , & legem Dei fruſtrari ; hanc ſanè internam , & pravam diſpoſitionem infirmi , peiorem in anima , quam in corpore , non vitabit , ſed adulabit, ſi contra id , quod ipſe credit prudenter , ſuadeat pœnitenti , eiuſque inordinatæ voluntati annuat. Debet ergò totis viribus , tota ſuavitate , & charitate, qua poſsit , amicabiliter ſuadere infirmo , vt ſuam voluntatem non præponat legi Dei , vt potius de ſuo bono ſpirituali , quam de indigentia filiorum curare procuret , quod periculoſiſsimum eſt probabilitati committere negotium ſalutis æternæ , potiſsimè in articulo mortis , adeò vt aliqui Probabiliſtæ docuerint non eſſe id licitum in hora mortis ; quod teneat certum , & dimittat incertum , &c. Quod ſi tandem reſtituere nolit , eo ipſo convincitur de prava diſpoſitione. Et melius eſt tantum permiſsivè ſe habere erga eius damnationem , quam eum in eam compellere, aut in ea conſentire , annuendo eius voluntati inordinatæ , qua timet potius indigentiam filiorum , quam ne lex Dei violetur

27 Reſpondeo vltimo. *Quod ſi pœnitens ingenuè inquiſivit veritatem , &*

tan-

tantum invenit opus esse sibi licitum, nihilque in contrarium, vt si consuluit Doctorem, de cuius doctrina, & vita probabile est, quod non consuleret nisi benè, qui sibi dixit, licet, *& nihil habet in contra; vel etiam si id, quod habeat in contra, est leve, & parvi momenti respectu illius, quod eum movet ad credendum opus esse licitum, tunc casus pœnitens gaudet bona fide de licito, & si confessarius invenerit pœnitentem sic informatum, quanvis credat opinionem pœnitentis esse falsam nihilominus potest eum absolvere*, quià prudenter iudicari potest eum esse benè dispositum, vt dictum est, quod iudicium sufficit in confessario ad licitè absolvendum pœnitentem.

28 Dixi tamèn suprà, & nunc dico, *nisi confessarius teneatur deturbare pœnitentem à sua fide*. Nam si ad id teneatur, debet informare pœnitentem, & facere illi conscientiam de peccato in eo quod talem conscientiam non habebat, & quod proponat de cetero illud non facere, quià de cetero peccabit propter novam conscientiam, licèt antea non peccaverit propter bonam fidem. Quod si inquiras quando tenebitur confessarius deturbare pœnitentem à sua bona fide? Respondeo primo quod ad hoc necesse est quod confessarius sit firmus in opinione contraria existimationi pœnitentis, & quod persuasus sit firmiter pœnitentem falli in sua opinione, vel existimatione; nàm si nutat aliqualiter, esset imprudentia velle docere quod sibi incertum est, àc proinde tunc oportet pœnitentem relinquere in sua bona fide. Dico secùdo: si confessarius firmus est in sua opinione post maturum examen illius, ità vt promptus sit rationem suę sententiæ coram sapientibus exhibere, & propugnare, potest, & tenetur ex charitate dissuadere pœnitentem à sua opinione, quam existimat falsam, si adsint circunstantiæ sequentes. Prima, quod habeat authoritatem apud pœnitentem, vi cuius speret probabiliter sibi præstandum assensum. Secunda quod pœnitentem inveniat taliter dispositum, vt habeat animum sufficiens ad vincendam difficultatem, quæ resultabit in abstinentia ab illo opere, quod licitum existimabat pœnitens, vel in elicientia illius, quod bona fide omittebat, quià iudicabat non esse obligatorium. Debet enim in hoc confessarius discretè se gerere, vt prius ponderet vires, animumque pœnitentis, & ei maiorem scientiam non intimet, quam quæ portabilis sit; nàm, qui addit scientiam addit & laborem, & ipse Deus in hac parte cùm hominibus agit benignè, vt lucem interiorem communicet commensuratam viribus voluntatis, neminique interius maiores obligationes intimet, quam possit supportare voluntas eius, vel quià vires supponit præstitas, vel quià eas administrat sufficientes. At nos, qui vires subministrare non possumus, debemus prius metiri discretè animum, fervorem, & dispositionem pœnitentis, & non maiorem lucem præstare pœnitenti bona fide gaudenti, quam eam, quam supportare possit. Quam discretionem docuit nos Christus D. Ioann. 16. dicens ad discipulos: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Et Apost. 1. ad Corint. 3. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis*. August. de pœnit. dist. 7. *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem*.

29 Sed dices subtiliter: vel pœnitens est benè, vel malè dispositus. Si malè dispositus, sua culpa caret animo sufficienti ad implendam obligationem, quam confessarius ei detegere potest. Si benè dispositus, debet habere animum efficacem faciendi quidquid cognoverit esse præceptum sub mortali, aut abstinendi ab omni eo quod cognoverit esse prohibitum sub mortali: quid ergò detrectat confessarius ei obligationem, quam ignorat intimare? Et confirmari potest ex illo Act. 20. vbi Apost. ait. *Mundus ego sum à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi quominus anuntiarem omne consilium Dei vobis*. Ex quo Div. Greg. infert: *Mundus à sanguine eorum non esset, si anuntiare Dei consilium destitisset*. Et ex Div. Ambrosio serm. 84. *Ego interdum patiens vobis tacere vellem, sed malo vos contumatiæ causas reddere, quam me negligentiæ sustinere iudicium*.

Respondeo, quod plerumque quis habet animum, & propositum vniversale de se efficax, quod tamèn, si occurreret agibile valde difficile in singulari, succumberet difficultati, quià non est tam intensum, àc validum, vt contra talem difficultatem singulariter occurrentem prævalere possit, & hoc, licet esset animus vniversaliter absolutus, & efficax vincendi omnes, & quascumque difficultates occurrentes in via divinæ legis. Aliud enim est respicere difficultates in vniversali, & quasi absentes, aliud in singulari præsentialiter occurrentes; multo enim magis terrent in singulari præsentes, quam in vniversali consideratæ. Vnde potest quis habere animum in vniversali absolutum, & efficax abstinendi ab

omni opere, quod cognoverit, aut dubitaverit eſſe prohibitum, & quod diſcretus confeſſarius agnoſcat talem animum, quià remiſſum non fore ſufficientem ad abſtinendum à tali opere ſingulari, ſi pœnitenti notificaretur quod eſſet prohibitum, propter ingentem difficultatem, quam agnoſcit in pœnitente ad abſtinentiam à tali opere ſervandam. Et in his ſanè confeſſarius debet, quam poterit, adhibere diſcretionem.

Ad confirmationem dico, quod illi textus & alij plures rectè probant per ſe loquendo, & vt in plurimum obligationem paſtorum & confeſſariorum ad veritatem moralem detegendam ſubditis & pœnitentibus; ſed hoc munus implendum eſt cùm diſcretione, ſervato nimirum modo debito, occaſione oportuna, & circunſtantijs attentis, in quibus non ſequatur maius malum, potiſsime quando pœnitens eſt in bona fide, & laborat ignorantia inculpabili. Et hanc diſcretionem obſervandam declarant textus à nobis adducti.

30 Dico denique. *Ex eo quod in ſenſu explicato poſsit confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui bona fide ſequitur opinionem probabilem, quam confeſſarius iudicat falſam, ineptiſsimè inferunt contrarij licitum eſſe operari ſecundum opinionem minus, vel æquè probabilem operanti, aut poſſe quemlibet operari, aut conſulere ſecundum opinionem aliorum, contra propriam.* Patet primo, quià etiam ſi opinio pœnitentis ſit improbabilis confeſſario, ſi tamèn pœnitens bona fide exiſtimat illam veram, & non oporteat deturbare eum ab illa bona fide, poteſt confeſſarius eum abſolvere; & tamèn inde ineptiſsimè quis inferret confeſſorem poſſe conſulere ſecundum opinionem ſibi improbabilem: ergò paritèr licet confeſſarius in prædicto ſenſu poſsit abſolvere pœnitentem, qui ſequitur opinionem probabilem, quæ confeſſario vel eſt falſa, vel minus, aut æquè probabilis, minimè infertur confeſſarium poſſe conſulere ſecundum opinionem ſibi minus, aut æquè tantum probabilem, aut ſuæ contrariam.

Rurſus: ideò in tali caſu poteſt confeſſarius abſolvere pœnitentem, quià pœnitens non ſequitur opinionem ſibi minus probabilem præ contradicente, ſed potius ſibi magis probabilem, & veram, alitèr enim, vt diximus, non ſequeretur eam bona fide, nec eſſet dignus abſolutione, niſi proponeret abſtinere à tali modo ſequendi opinionem probabilem: atqui ex eo quod dignè poſsit abſolvi qui ſequitur opinionem ſibi probabiliorem, & veram minimè ſequitur cuique licere ſequi opinionem ſibi minus probabilem, multoque magis poſſe licitè operari & conſulere contra propriam opinionem: ergò ineptiſsimè inferunt contrarij licere confeſſario ſequi opinionem ſibi minus probabilem. Solum ergò ſequitur licere cuilibet ſequi opinionem alteri falſam, & minus probabilem, quæ ſibi ſit probabilior, & vera poſt examen debitum veritatis, quod libentèr fatemur. Nec confeſſarius in eo caſu ſequeretur opinionem pœnitentis ſibi falſam, ſed tantum permitteret pœnitenti eius ſequelam, cui eſſet probabilior & vera. Videantur ſuprà dicta quæſt. 11.

QVÆSTIO XXXVII.

Quid faciendum ei qui verſatur intèr duas opiniones oppoſitas, quarum vtraque eſt pro lege, & obligatione?

1 IN Præcedentibus ſolum locuti ſumus pro caſu, quo quis verſatur intèr duas opiniones, quarum vna eſt pro lege, & obligatione, alia vero pro libertate, & licentia, ità vt nullum ſit periculum in faciendo quod dictat opinio pro lege, ideòque illa opinio appellatur tuta, ſit tamèn periculum violandi legem in ſequendo oppoſitam, quæ ideò appellatur minus tuta, ſeu aliqualitèr periculoſa. Caſus tamèn præſentis quæſtionis eſt toto Cœlo diverſus, nàm contingit, quando quis verſatur intèr duas opiniones, quarum vtraque ſit pro lege, & obligatione, v.g. quando vna ponit obligationem faciendi aliquid, alia ponit obligationem illud non faciendi, ſeu faciendi oppoſitũ, vt ſunt illę opiniones, quarum vna dictat eſſe detegendum complicem in confeſsione quando alitèr peccati ſpecies exprimi non poteſt, alia ait hoc eſſe contra charitatem, & ſic tacendam eſſe tunc ſpeciem peccati ad ſalvandam famam complicis. Vbi vtraque eſt pro lege, vna pro lege confeſsionis obligans ad confitendam ſpeciem peccati, etſi detegatur complex delicti, alia pro lege charitatis obligans ad tacendam talem ſpeciem, ne infametur perſona complicis apud confeſſarium. Ex vtraque parte periculum eſt violandi legem; nàm ſi ſequaris opinionem pro lege confeſsionis, confitendo ſpeciem peccati, eſt periculum violandi legem charitatis, infamando complicem apud confeſſarium. Si ſequaris opinionem pro lege charitatis, tacendo ſpeciem peccati, eſt periculum violandi legem confeſsionis, aut

eius

cius integritatem, in hoc igitur caſu vtraque opinio eſt periculoſa, vtraque pro obligatione, & pro lege, & neceſſum eſt omninò pœnitenti iuxta vnam ex illis operari, ità vt non poſsit ab vtraque abſtinere. In hoc igitur caſu inquirimus quid faciendum ſit, aut quænam opinio ſequenda? Et valde notandum eſt quod non ſit aliud agibile tutum, & ſecurum à violatione legis, quià ſi inter duas opiniones oppoſitas pro legibus diſtinctis eſſet alia tertia, ſeu media præſcribens aliud agibile ſine controverſia licitum, tunc iuxta doctrinam traditam in præcedentibus, obligaretur ad tenendum certum, ſeu certò licitum, & dimittendum incertum, ſeu periculoſum de violatione legis.

2 Quo ſuppoſito: caſus quæſtionis poteſt quadrupliciter convinari, ſeu in quatuor caſus partiri. Primus, quandò vtrinque eſt æqualis probabilitas, & æquale periculum, vel damnum imminens. Secundus, quandò vtrinque eſt æqualis probabilitas, ſed inæquale periculum, aut damnum imminens. Tertius, quandò eſt inæqualis probabilitas, ſed æquale damnum imminens. Quartus quandò eſt vtrinque inæqualis probabilitas, & inæquale damnum imminens. In his ergò quatuor caſibus decidenda eſt quæſtio. Sit ergò.

§. I.

Deciditur quæſtio in primò caſu.

3 DICO Primò: *Quandò vtraque opinio extremè oppoſita eſt æqualis probabilitatis, & periculi, qui inter illas verſatur neceſſitatus ad vnã ex illis amplectendam, vel ſequendam, inculpabiliter quamlibet eligere poteſt.* Probatur: quià neceſſitatus ad vnum è duobus extremis æquè periculoſis, quodcumque eligat, inculpabilis eſt: ſed duæ opiniones æquè probabiles, ex quarum ſequela æquale damnum imminet, ſunt duo extrema æquè periculoſa: ergò qui neceſſitatus eſt operandum iuxta vnam ex illis, inculpabiliter quamlibet eligere poteſt. Maior, in qua eſt difficultas, probatur; quià licet taliter eligens incurrat periculum violandi legem, non tamen incurrit libere tale periculum; ſed eo ipſo inculpabilis eſt, quià non eſt culpa, vbi non eſt libertas: ergò neceſſitatus ad vnum è duobus extremis æquè periculoſis, quodcumque eligat inculpabilis eſt. Maior probatur: quià taliter eligens, quocumque ſe vertat, non poteſt non incurrere tantum periculum; ſiquidem licet vertat ſe ad oppoſitam opinionem, in illa ſupponimus imminere tantum periculum, ſicut in ea, quàm ſequitur, & non datur medium: ſed quotieſcumque aliquis ità incurrit periculum aliquod, vt, quocumque ſe vertat, non poſsit non incurrere tantum periculum, neceſſariò, & non libere incurrit tantum periculum: ergò licet taliter eligens incurrat periculum violandi legem, illud tamen non incurrit liberè, ſed neceſſario.

Confirmatur: ſi eſſet culpabilis in ſequela opinionis pro vna lege præcipiente, v.g. eſſet culpabilis etiam caſu quo ſequeretur oppoſitam, pro oppoſita lege prohibente, ſed implicat aliquem neceſſitatum ad operandum iuxta vnam è duabus opinionibus peccare, ſivè operetur iuxta vnam, ſivè iuxta aliam: ergò implicat ſic neceſſitatum peccare in ſequela primæ opinionis pro lege præcipiente. Minor patet; quià aliàs neceſſario, & inevitabiliter peccaret, eſſetque neceſſitatus ad peccandum, quod omninò chimericum eſt; nàm peccatum formale, de quo ſo quimur petit eſſentialiter in ſubiecto peccante libertatem ad non peccandum.

4 Sed dices, in tali caſu ſalvari libertatem ad peccandum ſufficientem, ſiquidem eligit opinionem, quàm poteſt non eligere; & periculum, quod vitare poteſt. Sed contra: quià licet poſsit vitare illud periculum formaliter tale, non tamen poteſt vitare illud periculum æquivalenter tale: ergò non habet libertatem ſufficientem ad peccandum. Antecedens probatur: quià æquivalenter eſt idem periculum in ſequela oppoſitæ opinionis; ſed ſi non ſequitur illam, quæ eſt pro lege præcipiente. V.g. non poteſt non ſequi oppoſitam: ergò non poteſt non incurrere æquivalenter idem periculum, nec illud vitare.

Sed dices, ſufficere ad peccandum in electione alicuius extremi quod vitari poſsit illud extremum formaliter, licet non poſsit vitari periculum æquivalenter idem in alio extremo. Sed contra eſt: quià ad peccandum requiritur libertas moralis, & non ſufficit libertas purè phyſica; ſed dato quod ad libertatem phyſicam ſufficiat poſſe vitare formaliter extremũ illud, quod quis ponit, ad libertatem moralem hoc non ſufficit, ſed requiritur quod poſsit vitare tale extremum æquivalenter, hoc eſt, illud & aliud quod ſit moraliter eiuſdem periculi: ergò ad peccandum non ſufficit, quod quis vitare poſsit extremum periculoſum formaliter, ſed requiritur quod poſsit illud vitare æquivalenter. Sed de hoc alibi.

6 Dico tamen ſecundò: *Ineptè*

Pro-

Probabiliſtas inde inferre, quod liceat ſequi opinionem æquè probabilem pro libertate, relicta oppoſita æquè probabili pro lege. Patet, quià quandò vna opinio eſt pro libertate, & alia pro lege, in ſequela opinionis pro lege nullum eſt periculum violandi legem, in ſequela tamen opinionis oppoſitæ pro libertate eſt periculum violandi legem, quam æquali probabilitate adſtruit oppoſita ſententia: ergò ibi voluntas non eſt neceſsitata vagè ad duo pericula æqualia, ſed libera vt poſsit, vel incurrere periculum violandi legem, ſi ſequatur opinionem pro libertate, vel vitare omne periculum, ſi ſequatur oppoſitam pro lege: ergò ſi ſequatur æquè probabilem pro libertate, libere, & voluntariè exponitur tali periculo, ità vt poſsit illud periculum tàm formaliter, quàm æquivalenter vitare, ſiquidem poteſt operari ſine illo, & ſine alio æquivalenti periculo, imò & abſque omni periculo, ſequendo oppoſitam pro lege: ergò ſi ſequatur opinionem pro libertate libere, & culpabiliter, ſe exponit tali periculo, & conſequenter peccat: eſt ergò magna diſparitas.

7 Sed dices: dummodo aliqua opinio contra legem ſit tantum æquè probabilis cùm ſua oppoſita, æquale periculum continet violandi legem, qui illam ſequitur, ſivè illa ſit pro libertate contra legem, ſivè pro vna lege contra aliam; ſed vbi eſt æquale periculum, æquale debet eſſe peccatum illud incurrere: ergò vel non eſt peccatum ſequi opinionem pro libertate, relicta oppoſita æquè probabili pro lege, vel etiam debet eſſe peccatum ſequi opinionem probabilem pro vna lege, relicta oppoſita æquè probabili pro oppoſita lege.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: æquale periculum continet, & æqualiter liberum, nego maiorem: & aliter liberum, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quià quandò quis ſequitur opinionem pro libertate, relicta æquè probabili pro lege, non ideò præciſè peccat, quià exponitur periculo probabili violandi legem; ſed ideò quià ità liberè exponitur tali periculo, vt poſſet abſque illo tàm formaliter, quàm æquivalenter operari, ſequendo nimirum quod dictat opinio pro lege; in quo nullum eſt periculum violandi legem. Attamen qui ſequitur opinionem probabilem pro vna lege, relicta æquè probabili pro lege oppoſita neceſſario exponitur periculo probabili violandi legem, quià ſivè illam, ſivè oppoſitam opinionem ſequatur, eidem, ſeu æquali periculo ſe exponit, & ſic caret libertate ad peccandum requiſita.

8 Dico tertiò: *Quando exceſſus periculi, vel probabilitatis in vna opinione præ alia eſt vix perceptibilis, reputari debent æquales, àc proinde idem de illis eſt dicendum, àc quandò ſunt ſtrictè æquales in vtroque.* Patet, quià in moralibus ferè æqualia reputantur æqualia, cùm autem exceſſus eſt levis, & vix perceptibilis, eſt ferè æqualitas vtrinque: ergò illæ opiniones debent reputari æquales in periculo, & probabilitate.

§. II.

Deciditur quæſtio in ſecundo caſu.

9 DICO Quartò: *Quandò opiniones oppoſitæ ſunt æquè probabiles, ſed in ſequela vnius imminet maius damnum, vel periculum, quàm in ſequela alterius, operans tenetur ſequi illam, in qua minus damnum, & periculum imminet.* Patet quià, ſi ſequeretur opinionem, in quà eſſet maius periculum, aut in quà immineret maius damnum, exceſſus ille periculi, vel damni eſſet ei verè imputabilis ad culpam, quià potuit vitare talem exceſſum, non ſolum formaliter, ſed æquivalenter, ſiquidem potuit ſequi opinionem oppoſitam, quæ licet contineret periculum, non tamen æquivalens periculo alterius: ſed tenetur quis vitare exceſſum periculi, vel damni ſibi imputabilem ad culpam: ergò tenetur non ſequi opinionem, in quà ſit maius periculum.

10 Dico quintò: *Si exceſſus periculi ſeu damni imminentis ſit ità notabilis, & gravis, vt ſit ſufficiens materia peccati mortalis, tenetur ſub mortali non ſectari opinionem, in quà eſt maius periculum cùm exceſſu ità notabili: ſi vero exceſſus ſit levis in gradu ſolum ſufficiente ad materiam peccati venialis, tenebitur ſub veniali illam opinionem non ſequi.* Hoc etiam patet, nàm exceſſus ille eſt ſufficienter liber vt imputetur ad culpam: ergò ſi fuerit exceſſus gravis imputabitur ad culpam gravem, ſi vero levis ad culpam levem: ergò ſi fuerit ità gravis vt ſit materia ſufficiens peccati mortalis, cùm alias imputabilitas non deficiat, erit culpa mortalis, ſi vero levis, culpa venialis.

11 Sed dices: hypoteſsim huius aſſerti eſſe implicatoriam, quià ſi vtraque opinio eſt æquè probabilis, & oppoſita ad invicem, vtraque habebit æquale periculum falſitatis: ergò in vtriuſque ſequela erit æquale periculum violandi legem, quàm oppoſita opinio affirmat: ergò non

poteſt

potest esse maius periculum in sequela vnius, quàm in sequela alterius. Respondeo, quod vtraque opinio habet æquale periculum falsitatis, & in vtriusque sequela est æquale periculum violandi legem oppositam; sed aliquando violatio vnius legis est maius malum, & maius damnum, quàm violatio alterius; & tunc illa opinio, quæ asserit vnam legem contra aliam, & in cuius violatione esset maius damnum, & malum, dicitur magis periculosa, non ex parte contingentiæ, quià æqualis contingentia falsitatis, & violatione legis est in vtraque; sed ex parte damni imminentis, seu ex parte violationis legis, de qua est periculum. V.g. si quis constitutus esset inter duo extrema, de quorum vno haberet probabilitatem quod esset peccatum furti, de alio haberet æqualem probabilitatem quod esset peccatum sacrilegij, seu homicidij, licet esset æqualis contingentia furti in primo extremo, quàm contingentia sacrilegij in secundò, & æquale periculum furti in primò, ac periculum sacrilegij in secundò, ex parte contingentiæ loquendo; tamen quià malum imminens in prima contingentia est minus, in secunda maius, ideò in prima dicitur minus periculum ex parte mali imminentis, & in secunda maius periculum, non obstante æquali probabilitate vtrobiquè militante. In hoc ergò sensu componimus cùm æquali probabilitate opinionum militantium pro oppositis legibus, maius periculum in sequela vnius, quàm in sequela alterius, id est, imminentia maioris mali in sequenda vna, quàm in sequenda alia.

§. III.

Deciditur quæstio in tertio casu.

12 DICO Sextò: *Quandò opiniones oppositæ pro legibus oppositis sunt inæqualis probabilitatis, sed æqualis damni, vel mali imminentis, tenemur sequi probabiliorem.* Probatur, quià vnusquisque tenetur pro posse fugere periculum proximum violandi legem Dei: sed qui in dicto casu sequeretur opinionem minus probabilem pro vna lege contra aliam probabiliorem, non fugeret, sed potius amaret periculum proximum violandi legem Dei: ergò in illo casu tenemur non sequi minus probabilem, sed probabiliorem. Minor probatur, nàm qui ex duobus periculis probabilibus, & proximis violandi legem Dei, eligit probabilius, & proximius, convincitur non fugere, sed potius quærere periculum proximum violandi legem Dei: sed in prædicto casu qui sequeretur legem minus probabilem contra probabiliorem, eligeret periculum probabilius, & proximius violandi legem Dei: ergò qui in dicto casu sequeretur legem minus probabilem contra probabiliorem, non fugeret, sed potius amaret periculum proximum violandi veram Dei legem.

§. IV.

Deciditur quæstio in quarto casu.

13 QVARTVS Casus est, quandò vna opinio est notabiliter magis probabilis alia, & ex sequela vnius, si sit falsa, imminet maius malum, quàm ex sequela alterius. Vbi distinguendum est, nàm vel maius malum imminet ex sequela opinionis minus probabilis, vel ex sequela opinionis probabilioris. Vnde subdistinguendi sunt duo casus. Primus quandò ex sequela opinionis minus probabilis, si sit falsa, sequitur maius malum, seu violatio gravioris legis, quàm ex sequela opinionis magis probabilis, si sit falsa. Secundus quandò minus malum sequitur ex sequela opinionis magis probabilis, si forsàn sit falsa. Quo supposito.

14 Dico septimò: *Quandò maius malum imminet ex sequela opinionis minus probabilis, tenemur sequi magis probabilem.* Patet quià tenemur pro posse vitare malũ, iuxta illud: *Diverte à malo, & fac bonum*: ergò quandò ex sequela vnius opinionis imminet maius malum, & cùm maiore probabilitate, quàm ex sequela alterius, tenemur vitare sequelam talis opinionis, vbi periculum est maioris mali, & periculum probabilius, & eligere sequelam alterius, vbi periculum est minoris mali, & periculum minus probabile. Patet consequentia, nàm qui eligit periculum probabilius, & maioris mali, convincitur manifestè non divertere à malo, sed voluntariè inhærere malo.

15 Dico denique: *Quandò malum, quod imminet ex sequela opinionis probabilioris est maius, quàm illud, quod imminet ex sequela opinionis minus probabilis, potest compensari maior probabilitas cùm maioritate mali imminentis, & manent illæ opiniones æqualis conditionis, vt alterutra pro libito practicari possit.* Explicatur: periculum mali tanto est magis fugiendum, quanto est periculum maioris mali. Et item tanto est magis fugiendum, quanto proximius malo: ergò si vnum periculum

ſit maioris mali, quàm aliud, ſed aliud ſit proximius malo, quod primum periculum facit magis fugiendum, compenſatur per hoc, quod ſecundum etiam facit magis fugiendum: ergò æqualiter fugiendum manet vtrumque periculum: ſed ex duobus periculis æquè fugiẽdis, qui eſt neceſsitatus ad vnum ex illis, licitè, & ſine culpa eligit quodlibet: ergò ex duobus periculis, quorũ vnum eſt probabilius, & proximius, ſed minoris mali, aliud minus probabile, & non ità proximum, ſed maioris mali, licite quiſque eligit quod voluerit.

16 Ex prædictis concluſionibus, quæ ſunt quaſi regulæ vniverſales, poſſent deduci reſolutiones plurium caſuum particularium. Sed quià caſuiſtam non ago, & quià facile quiſque prædictas regulas applicare poterit caſibus particularibus, propterea lectori eas applicandas remitto, & ab hoc labore ſuperſedeo, vt quàmprimùm tractatum abſolvam.

QVÆST. XXXVIII.

An ſubditus teneatur obedire Prælato præcipienti ſecundum opinionem minus, aut æquè probabilem, relicta probabiliori pro lege?

1 FAMILIARE Eſt contrarijs Probabiliſtis ex hoc capite argumentum ſumere ad probandum eſſe licitum ſequi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate relicta probabiliori pro lege. Arguunt ſic: ſubditus tenetur ſequi in caſu quæſtionis opinionem æquè, aut minus probabilem, iuxta quàm præcipit Prælatus, ſiquidem tenetur ſe conformare præcepto Prælati: ſed non teneretur ad hoc, ſi hoc non eſſet licitum: ergò licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. Hoc argumentum efficaciſsimum exiſtimant, adeò vt per illud ſe victoriam à noſtris reportare glorientur, noſtroſque contra obedientiæ regulas militare dicant. Et monaſticam diſciplinam perturbare, dum docent homines proprijs opinionibus adhærere, àc ſemper ſequi opiniones ſibi magis probabiles.

§. I.

Oſtenditur inefficatia prædicti argumenti, & retorquetur in adverſarios.

2 SED Quàm ineptum, & prorſus extra chorum ſit hoc argumentum, placuit inſinuare in limine huius quæſtionis. Primò inſtando illud, quià nihil certiùs eſt apud omnes in hoc tractatu, quàm non eſſe licitum operari cùm dubio actuali de licito, vel illicito. En igitur tuum argumentum contra hoc certiſsimum Axioma: qui dubitat de aliquo opere àn licitum ſit, vel illicitum, ſi Prælatus illi præcipiat tale opus, tenetur illud facere: ſed nemo tenetur niſi ad licitum: ergò licitum eſt cuique elicere opus, de quo actu dubitat àn ſit licitum, vel illicitum. Si dicas, quod præceptum Prælati ſolvit dubium, & eo poſito, iàm ſubditus tenetur non dubitare actualiter. Imprimis hoc non ſemper ità eſt, quià aliquando contingere poterit, quod præceptum Prælati minimè ſolvat dubium precedens, ſed illud relinquat in ſuo robore. Secundò, ſi ſolvit dubium: ergò auget rationem, & addit motivum novum pro licito, aliàs quomodo ſolveret dubium pro licito, ſi nullam rationem addit, nec per ſe eſt motivum novum iudicandi opus eſſe licitum. Si autem auget rationem, & motivum pro licito: ergò auget probabilitatem pro licito: ergò æqualem probabilitatem transfert in maiorem probabilitatem: ergò iàm non eſt caſus opinionis minus probabilis. Tertiò, quià, ſecluſo præcepto Prælati, non eſt licitum agere cùm dubio, licet, addito præcepto, ſolvatur dubium, & ſit licitum operari: ergò pariter, ſecluſo præcepto Prælati, non erit licitum ſequi opinionem minus, aut æquè probabilem pro libertate, licet, addito præcepto, id ſit licitum, quià æqualis probabilitas creſcit ad maiorem.

3 Secundò inſto argumentum: nàm potius ex contraria ſententia de licentia iudicandi, & operandi ſecundum opinionem minus probabilem pro libertate ſequeretur primò, quod in omni caſu, in quo eſſet probabile, licet minus, Prælatum non habere iuriſditionem ad aliquid præcipiendum, quanvis eſſet magis probabile Prælatum talem iuriſdictionem habere, poſſet ſubditus non obedire Prælato præcipienti ſecundum opinionem probabiliorem de ſua iuriſdictione: ſed hoc eſt longe maius abſurdum, quàm ſi poſsit non obedire Prælato præcipienti ſecundum opinionem minus probabilem: ergò. Sequela probatur: quià ſi ſemel concedatur licentia iudicandi ſecundum opinionem minus probabilem, poſſet ſubditus in eo caſu iudicare ſecundum opinionem minus probabilem Prælatum non habere iuriſdictionem ad illud præcipiendum; ſemel autem quod hoc iudicaret, cenſeret tale præ-

præceptum eſſe nullum : ergò non teneretur in conſcientia obedire: poſſet igitur negare obedientiam Prælato, quantum ad illud præceptum: quot autem relaxationes diſcordiæ, ac litigia inde ſequerentur, quiſque facile meditare poterit.

4 Secundò, & conſequenter ad hoc, ſequeretur etiam quod quotieſcumque Prælatus præciperet aliquod opus, de quo eſſet probabile, ſivè minus, ſivè magis, quod eſſet illicitum, poſſet ſubditus non obedire. Patet, quià certum eſt Prælatum non habere iuriſdictionem ad præcipiendum illicita : ſed ſubditus poſſet tunc caſus iuxta contrarios prudenter iudicare; illud opus eſſe illicitum, quià poſſet prudenter iudicare ſecundum opinionem minus probabilem, id aſſerentem : ergò poſſet iudicare prudenter, Prælatum non habere iuriſdictionem illud præcipiendi: ergò & poſſet non obedire, vt probatum manet. Dices certum eſſe Prælatum non habere iuriſdictionem ad præcipienda illicita, quæ certo ſunt illicita, habere tamen iuriſdictionem ad præcipienda illicita, quæ probabiliter ſunt licita. Et cùm ſubditus in caſu dicto non poſſet negare opus præceptum eſſe probabiliter licitum, non poſſet negare Prælatum habere iuriſdictionem illud præcipiendi, & conſequenter teneretur obedire. Sed contra, quià Prælatum habere iuriſdictionem præcipiendi illicita, quæ probabiliter, ſivè minus, ſivè magis ſint licita, non eſt ità certum, vt oppoſitum non ſit probabilius, vel ſaltim probabile : ergò ſubditus poſſet illud negare, ſectando opinionem probabilem de oppoſito : ergò poſſet negare iuriſdictionem Prælato ad tale opus præcipiendum.

5 Rurſus : nàm Prælatus non habet iuriſdictionem præcipiendi ſubdito, quod ponat opus, quod ab ipſo ſubdito prudenter iudicatur illicitum : ſed ſi eſt opinio probabilis, licet minus, de eo quod tale opus eſt illicitum, iuxta contrarios poteſt ſubditus prudenter iudicare opus illud eſſe illicitum : ergò poteſt prudenter iudicare Prælatum non habere iuriſdictionem ſibi præcipiendi, vt cùm tali iudicio præcedenti eliciat tale opus : ergò poteſt negare obedientiam. Explicatur : ſubditus non tenetur obedire contra ſuam conſcientiam, vt ſupra vidimus ex D. Thom. quæſt. 11. Sed ſubditus iuxta contrarios poteſt ſecundum opinionem minus probabilem formare ſuam conſcientiam : ergò ſi ſit opinio, licet minus probabilis, dicens opus illud, de quo eſt præceptum Prælati, eſſe illicitum, poterit ſubditus formare conſcientiam de eo quod opus illud ſit illicitum, & tunc non tenebitur obedire Prælato, præcipienti iuxta opinionem oppoſitam, licet probabiliorem.

6 Dices, ſubditum teneri tunc mutare conſcientiam, & illam conformare iuxta opinionem Prælati. Sed contra, nàm vi cuius legis ad hoc obligabitur, ſi ſemel dicatur vnumquemque habere ius naturale iudicandi ſecundum opinionem quamlibet, etiam minus probabilem? Etenim hoc ius naturale prævenit omninò præceptum Prælati, & conſequenter per præceptum Prælati auferri nequit : ergò adhuc ſtante præcepto Prælati, poterit ſubditus perſiſtere in ſuo iudicio formato ſecundum opinionem minus probabilem, & non mutare conſcientiam. Secundò, quià cùm iudicare de moribus, & formare conſcientiam ſit actus internus, non cadit directè ſub lege, aut præcepto humano ; leges enim humanæ directè non præcipiunt actus purè internos : ergò ex præcepto Prælati non obligatur ad mutandam conſcientiam, aut dictamen prudenter formatum ſecundum opinionem minus probabilem. Dices, obligari indirectè, quià obligatur ad actum externum præceptum, quod licite ponere non poteſt, niſi mutando iudicium. Sed contra, quià commitis circulum. Ego enim probo eum non teneri ad actum externum præceptum, quià non tenetur mutare iudicium. Et tu reſpondes teneri mutare iudicium, quià tenetur ad actum externum ; vbi manifeſtè petis principium, & commitis circulum. Nàm quomodo tenetur ad actum externum præceptum, ſi iudicat prudenter illum actum eſſe illicitum? Reſpondes : quià tenetur mutare iudicium, iudicando illum eſſe licitum. Sed rogo ex quo, vel vnde tenetur? Et reſpondes teneri indirectè, quià directè tenetur ad actum externum, quem licitè ponere nequit, niſi mutando iudicium : ergò commitis circulum.

7 Vnde ſic argumentor, vt præceptum indirectè obliget ad mutandum iudicium, vt licitè ponatur actus externus, per prius debet obligare directè ad actum externum : ſed antequam mutetur iudicium, non poteſt obligare directè ad actum externum : ergò ſi velit ſubditus perſeverare in ſuo iudicio de eo quod actus externus eſt illicitus, nunquam obligabitur à præcepto Prælati, nec directè ad actum externum, nec indirectè ad mutandum iudicium.

8 Sed dices : quiſque tenetur ex præcepto Prælati ad faciendum quidquid poteſt, vt implere poſſit tale præceptum; ſed ſubditus poteſt licitè, & prudenter muta-

mutare iudicium, iudicando eſſe licitum quod Prælatus iubet, & hoc eſt neceſſum, vt poſsit licitè implere præceptum: ergò tenetur mutare iudicium. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, quiſque tenetur ex præcepto Prælati obligante directè ad actum præceptum, ad faciendum quidquid poteſt, &c. concedo maiorem, ex præcepto non obligante directè ad actum præceptum, nego maiorem; quià vt præceptum obliget ad faciendum quod requiritur ad actum præceptum, requiritur quod per prius directè obliget ad actum præceptum: antequam autem mutetur iudicium ſubditi nondum obligat directè ad actum præceptum. Sed replicabis: qui ex conſcientia culpabiliter erronea iudicaret eſſe illicitum quod Prælatus præcipit, teneretur de ponere talem conſcientiam culpabiliter erroneam, ad licitè implendum tale præceptum: ergò pariter, qui iuxta opinionem probabilem exiſtimat eſſe illicitum actum præceptum, tenetur mutare exiſtimationem iuxta aliam opinionem de licito, vt licitè impleat tale præceptum. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam, ob duplicem diſparitatem. Prima eſt, quià ad deponendam conſcientiam culpabiliter erroneam obligamur independenter à præcepto, & nemo habet ius naturale, aut licentiam formandi conſcientiam culpabiliter erroneam, & ideò illam tenetur de ponere; attamen iuxta Probabiliſtas quiſque habet ius naturale iudicandi ſecundum quamlibet opinionem probabilem, ſivè minus, ſivè magis probabilem, àc proinde non videtur ità clarum, vnde teneatur deponere iudicium formatum ſecundum opinionem minus probabilem. Secunda diſparitas eſt, quià in ſenſu compoſsito conſcientiæ erroneæ culpabilis obligat præceptum Prælati, vt ſupra vidimus loco citato, attamen in ſenſu compoſsito iudicij prudentis formati ſecundum opinionem minus probabilem, de eo quod opus præceptum ſit illicitum non poteſt obligare præceptum Prælati; nulla ergò eſt paritas ex vno ad aliud.

9 Ex quibus patet, argumentum ſumptum ex obedientia potius premere adverſarios, quàm noſtros, àc proinde eſſe ineptiſsimum ad ſententiam noſtram, prohibentem vſum opinionis minus probabilis in concurſu probabilioris expugnandam. Quod amplius ſuaderi poterit; nàm ſi ſit licitum ſectari pro libito opinionem minus probabilem, licitum erit ſectari noſtram, ſiquidem adminus negari nequit noſtram eſſe minus probabilem: ſed ex noſtra iuxta contrarios ſequitur ſubditum non teneri obedire Prælato præcipienti iuxta opinionem probabilem: ergò licitum erit cuique, ſectando noſtram, ſe eximere à tali obligatione: ergò ſi contraria vera eſt idem inconveniens ſequitur. Sed his omiſsis, ad reſolutionem quæſtionis tranſeo, ſupponendo imprimis ſubditum teneri ad obediendum, quandò ſibi præcipitur quod ſecundum opinionem ſibi probabiliorem eſt licitum, ſeu quandò ſuperior præcipit ſecundum opinionem magis probabilem ipſi ſubdito, de hoc non eſt dubium in noſtris principijs, nàm tunc caſus ſubditus ità iudicat probabiliter actum præceptum eſſe licitum, quod prudenter iudicare nequit eſſe illicitum, ſed eximi nequit ab obligatione obediendi, niſi iudicando actum ſibi præceptum eſſe illicitum: ergò in tali caſu, nullo pacto, eximi poteſt ab obligatione obediendi, ſed neceſſario tenetur obedire. Difficultas: ergò eſt, quandò ſubditus eſt conſtitutus inter duas opiniones æquè ſibi probabiles, quarum vna dictat eſſe illicitum id, quod præcipitur, alia eſſe licitum, vel quando opinio probabilior dictat eſſe illicitum, minus vero probabilis dictat eſſe licitum. Duplici concluſione ſolvenda eſt quæſtio pro vtroque caſu.

§. II.

Statuitur prima concluſio.

10 DICO Primò: *Quandò ſubditus eſt conſtitutus inter duas opiniones æquè probabiles, quarum vna dicit opus præceptum à Prælato eſſe licitum, alia dicit eſſe illicitum, tenetur obedire.* Eſt communis ſententia RR. & Antiquorum, Adriano excepto, qui pro oppoſita citatur quodlib. 2. quos referunt, & ſequuntur Terillus de Conſcient. probabili, quæſt. 23. à num. 79. & Cardenas tom. 1. de Probabilitate diſp. 16. cap. 2. num. 5. contra Ioan. Sancium in ſelect. diſputat. 33. à num. 31. & contra P. Caſtro Palao tom. 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 6. num. 5. & ex parte contra Caramuelem, qui in Theologia fundamentali num. 18844. fundamento 66. ait quod ſtando iure naturæ, ſubditus non tenetur obedire, quando eſt opinionum diverſitas: pro hac etiam ſententia citatur & Lugo lib. 3. reſponſionum moralium dub. 19. necnon Ledeſma tract. *de los eſtados* cap. 4. de regularibus, qui quidem ex eo quod cuique ſit licitum ſequi quamlibet ex opinionibus probabilibus, ad hocque habeat ius

natu-

naturale, inferunt eſſe licitum non obedire Prælato præcipienti quod ſecundum vnam opinionem probabilem eſt licitum, quià poteſt licite ſubditus ſectari oppoſitam dicentem eſſe illicitum quod præcipit: quod argumentum contra Probabiliſtas vrgentiſsimum eſt. Nihilominus noſtra concluſio eſt certiſima, &

11 Probatur primò authoritate. Nàm D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 75. expreſsè ait militem, iubente Rege, poſſe licitè bellare, quandò ſibi incertum eſt àn bellum ſit, vel non ſit contra legem Dei: ſed dum ſubditus conſtitutus eſt inter duas opiniones æquè ſibi probabiles, quarum vna dicit opus ſibi præceptum eſſe licitum, alia dicit eſſet illicitum, eſt incertus àn illud opus ſit contra legem Dei, vel non: ergò poteſt, & conſequenter tenetur obedire. Secundò ex D. Bernardo, qui tract. de præcepto, & diſpenſatione, cap. 12. *Quidquid vice Dei* (inquit) *præcipit homo, quod non ſit certum diſpliceré Deo, haud ſecus omninò accipiendum eſt, àc ſi præcipiat Deus.* Et cùm ſibi obiciſſet, quod *homines facile falli poſſunt in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in præcipiendis fallere poſſunt. Reſpondet: ſed enim quid hoc refert tua, qui conſcius non eſt, præſertim cùm teneas de ſcripturis, quià labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex eius ore requirunt; quià Angelus Domini exercituum eſt. Quod intelligendum eſſe, inquit, non de lege, quam vel authentica vlla ſcriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probaverit, de huiuſmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt, ſed quod ità latere, aut obſcurum eſſe cognoſcitur, vt in dubium venire poſsit, vtrum nàm Deus ſic, vel aliter fore velit, ſi non de labijs cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur.* Et concludit, *ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ ſunt apertè contra Deum, audire debemus.* Confirmatur ex D. Bernardino ſenenſi in dialogo de obedientia, vbi poſtquam doctrinam D. Bernardi approbat, art. 5. argumentum, ait, quod ſi dubium ſubditi ſit ex ignorantia culpabili, ſubditus obediens excuſatur à tanto, ſed non à toto: ſed ſi ſit ex ignorantia inculpabili excuſatur à toto. Vnde concludit: *Quidquid eſt ibi de periculo peccati, aut de peccato non provenit ex obedientiæ lege, ſed potius ex indebito præcepto Prælati, vel ex indebita ignorantia ſubditi.* Et in primò limitè obedientiæ, ait, *ſecundum tamen, quod vbi ſubditus rationabiliter dubitat, àn quod præcipitur ſit peccatum, àn non, tunc profectò obedire debet. Quodſi dubium ſit irrationale, vt ſi dubitetur de eo quod apud omnes conſtat eſſe peccatum, huiuſmodi dubietas, cùm ex ignorantia iuris proveniat, non excuſat ad minus à toto:* ſed qui conſtitutus eſt inter opiniones æquè probabiles oppoſitas, rationabiliter dubitat àn opus ſit, vel non ſit peccatum: ergò tenetur obedire.

12 Confirmatur etiam ex Dyoniſsio Cartuſiano, qui in 2. diſt. 39. quæſt. 3. defendit, quod: *In dubijs àn ſit contra præceptum Dei, ſtandum eſt præcepto Prælati, quia etſi ſit contra Deum, att amen propter obedientiæ bonum, non peccat ſubditus, ſed Prælatus:* ergo. In huius confirmationem eſt etiam illa regula S. Ignatij de Loyola in Epiſt. de virtute obedientiæ, vbi probat omnem verè àc perfectè obedientem debere conformare, non ſolum ſuam voluntatem voluntati ſuperioris, *ſed etiam iudicium ſuum, in quantum poteſt, ſuperioris iudicio in omnibus, quæ manifeſtum peccatum non involvunt;* ad quod præſtandum plures rationes, & motiva congerit, quæ poſsint flectere intellectum ad iudicandum cùm iudicio ſuperioris. Ac tandem confirmatur hoc ipſum ex Leone X. qui, vt refert Caſarubius, verbo *declarare* num. 4. & 5. authoritate Apoſtolica conceſsit fratribus minoribus, *vt poſsint in omnibus dubijs ſtare ſecura conſcientia determinationi ſuorum ſuperiorum* ergò multo melius ſtare poſſunt, àc debent in dubijs præcepto ſuorum ſuperiorum, ſed qui verſatur inter opiniones æquè probabiles circa licitum, & illicitum, eſt in dubio àn opus præceptum ſit contra, vel iuxta legem Dei: ergò poteſt, & tenetur ſtare præcepto ſui ſuperioris.

13 Hæc cùm ſatis clara ſint, ex illis conatur Terillus hos PP. & Doctores adducere in favorem ſuæ ſententiæ, de eo quod liceat cuilibet ſectari opinionem æquè, aut minus probabilem pro libertate. Sed quàm ineptè, quis non videat? Etenim omnes iſti PP. & Doctores vnice loquuntur in caſu dubij rationabilis, mentionem autem minimè fecerunt de probabilitate, vel non probabilitate; & ex terminis dubij rationalis aſſeruerunt ſubditum in dubio teneri ad obediendum: at qui omnes illi extra caſum obedientiæ expreſsè tenent nemini eſſe licitum operari cùm dubio rationali de opere àn ſit licitum, vel illicitum: ergò ineptiſsimè afferuntur hi PP. ad probandum quod extra caſum obedientiæ liceat ſectari opinionem pro libertate, relicta æquè probabili pro lege, cùm oppoſito modo diſcurrant extra caſum obedientiæ, àc in caſu obedientiæ præcipientis. Explicatur: rationes quæ moverunt hos PP. & Doctores ad prædictam

ctam ſententiam vnicè probant in caſu obedientiæ, minimè verò extra talem caſum, quando quis eſt in ſua libertate operandi quodlibet: ergò ineptè adducuntur, quaſi loquantur in vtroque caſu. Antecedens probatur: quià D. Auguſtinus recurrit ad ordinem ſerviendi, vndè ait, quod *militem oſtendit innocentem ordo ſerviendi, licèt iniquum oſtendat Regem iniquitas præcipiendi*, D. Bernardus recurrit ad hoc, quod ſuperior præcipiens eſt *Angelus Domini exercituum, ſcientiam, & legem de ore Dei requirens, cuius labia cuſtodiunt ſcientiam*: & quià, etſi falli, vel fallere poſſit, de hoc curare non debet ſubditus, dummodò conſcius non ſit, quod de facto fallit, aut fallitur, vndè ait: *Quid hoc tua refert, qui conſcius non es?* Et denique *quià Prælatum habemus loco Dei, cui veluti Deo debemus obedire.* D. Bernardinus eiſdem rationibus nititur. Cartuſianus recurrit ad hoc, quod ſi præceptum Prælati ſit contra præceptum Dei, *in hoc non peccat ſubditus, ſed Prælatus*: ſed omnes iſtæ rationes, & motiva oppoſitum omnino probant extra caſum obedientiæ, quià melius ſervabit ordinem ſerviendi, qui in dubio ſequatur partem probabilem pro lege, relicta, quæ eſt æquè probabilis pro libertate: & item, extra caſum obedientiæ non eſt Angelus Domini exercituum, qui dictet ſectandam opinionem pro libertate, relicta æquè probabili pro lege, ſed forsàn Angelus Satanæ ſeducens. Nec item poteſt, qui ſic operatur, dicere: *Quid mea refert, ſi opinio fallitur?* cum ſibi vnicè pro eo caſu incumbat cura examinandi veritatem, non Prælato. Nec poteſt credere opinioni pro libertate loco Dei, aut quaſi eſſet Deus. nec poteſt dicere, *ſi in hoc peccatum eſt, non pecco ego, ſed Prælatus*, cum in eo caſu non dirigatur per conſcientiam Prælati, ſed per ſuam: ergò rationes, quibus Patres prædicti, & Doctores nituntur, oppoſitum probant de caſu æqualis probabilitatis pro lege, & contra legem, non præcipiente Prælato.

14 Confirmatur: Si prædicti Patres, & Doctores ſentirent, quod extra caſum obedientiæ liceret amplecti opinionem probabilem pro libertate, relicta oppoſita pro lege æquè ſibi probabili, pariter ſenſiſſent, quod Prælatus poteſt in dubio vtrinque rationabili, & probabili àn opus ſit, vel non contra legem Dei, illud præcipere; ſed hoc non ſenſerunt, imò oppoſitũ innuunt, nàm imprimis Auguſtinus videtur ſupponere iniquum fore Regem, ſi dubius de iuſtitia belli præciperet militibus bellare, & D. Bernardus tacitè ſupponere videtur, quod ſi Prælatus in ſuo præcepto fallitur, aut fallit, nihil hoc ſubdito refert, ſed imputatur Prælato: & Cartuſianus ait, quod non peccat ſubditus, ſed Prælatus: ergò dicti Patres, & Doctores minimè ſenſerunt in dubio vtrinque probabili extra caſum obedientiæ eſſe licitum operari id, de quo concertant opiniones æquè probabiles, àn ſit licitum, vel illicitum.

§. III.

Rationibus ſuadetur concluſio.

15 MIRVM Eſt quantum laborant Terillus, & Cardenas in probando noſtram concluſionem per ſuas regulas de ſequela licita cuiuslibet opinionis probabilis. Imprimis eam probare conantur, quià Prælatus iuſtè præcipere poteſt ſecundùm quamlibet opinionem probabilem; ſed ſubditus tenetur obedire Prælato iuſtè præcipienti: ergò & præcipienti ſecundùm opinionem æquè probabilem pro licito, licet ſit oppoſita pro illicito æquè etiam probabilis. Sed hæc ratio falſa eſt, & contra mentem Patrum, & Doctorum, & minimè neceſſaria. Non quidem neceſſaria, quià vt ego tenear obedire meo Prælato, non eſt neceſſum per prius ſcire, quod hoc opus mihi iuſtè præcipere poſsit, vel non; ſed hoc ſemper eſt piè præſumendum, quando contrarium non conſtat, minimèque à ſubdito examinandum, vt infra dicam. Item: quià ſtat optimè Prælatum iniuſtè præcipere, & tamen ſubditum teneri ad obediendum, ſi nimirùm Prælatus præcipiat, mala, aut dubia conſcientia, vel malo fine, vel prava intentione, in quo caſu ſubditus de hoc curare non debet, ſed obedire tenetur, præcipuè ſi conſcius non ſit de mala conſcientia, aut intentione Prælati: ergò ad probandum, quod ſubditus tenetur obedire, non eſt neceſſum probare quod Prælatus iuſtè præcipiat.

Eſt etiam prædicta ratio contra prædictos Patres, & Doctores, qui nullam eius mentionem fecerunt, nàm potius videntur ſupponere quod licet ſubditus in dubio probabili teneatur obedire, ſi tamen Prælatus cum eodem dubio præcipiat, iniquè præcipit: ergò eſt contra ipſos, probare ſubditum teneri obedire in dubio probabili vtrinque, quià Prælatus iuſtè in eo caſu præcipit, potiſsimè cum dicat Cartuſianus quod tenetur obedire,

quià

quià ſi ibi ſit peccatum, non peccat ſubditus, ſed Prælatus. Eſt denique prædicta ratio falſa, quià vt ſuprà oſtenſum eſt, falsũ eſt, quod Prælatus poſsit præcipere iuxtà opinionem probabilẽ pro licito in concurſu oppoſitę ęquè ſibi probabilis pro illicito, ſeu poſſe præcipere id, quod cenſet eſſe æquè probabiliter illicitum, quam licitum.

16 Secundò probant: quià ſubditus obedire tenetur in licitis: ſed licitum eſt ſequi quamcumque opinionem probabilem: ergò. Sed hæc ratio, etiam nititur minori falſa, nec eſt neceſſaria, nec Antiquis, & PP. conformis, qui apertè ſupponunt, præciſivè à præcepto Prælati, non eſſe licitum ſequi quamlibet opinionem.

17 His rationibus prætermiſsis, alitèr probatur noſtra concluſio. Primò, quià ille, qui verſatur inter duas opiniones oppoſitas pro oppoſitis legibus, neceſsitatus vagè ad vnam ex illis ſectandam, tenetur eam ſequi, in cuius ſequela minus malum imminet, vt probatum maner quæſt. præcedente à n. 9. ſed ſubditus conſtitutus inter duas opiniones æquè probabiles, quarum vna dicit opus præceptum eſſe licitum, alia dicat eſſe illicitum, eo ipſo verſatur inter duas opiniones æquè probabiles, vna pro lege obedientiæ, quæ præcipit obedire in licitis, alia pro oppoſita lege, quæ prohibet opus præceptum: ergò tenetur eam ſequi, in qua minus malum imminet. Sed minus malum imminet ſequendo opinionem, quę ſtat pro obedientia, quam ſectando oppoſitam, quę ſtat pro lege oppoſita, prohibente actum præceptum: ergò tenetur ſequi eam, quæ ſtat pro obedientia, ſeu obedire præcepto Prælati: Diſcurſus eſt legitimus. Minor conſtat ex quæſt. præcedenti. Prima minor eſt clara, quià licet opinio, dictans opus aliquod eſſe licitum, ante quam tale opus ſit præceptum, ſit opinio pro libertate, eo quod operanti, ex vi talis opinionis, datur licentia, & libertas vt poſsit tale opus elicere, tamen ſuppoſito præcepto de tali opere, opinio, quæ affirmat illud opus eſſe licitum, eo ipſo aſſerit eſſe legitimè, & iuſtè præceptum, & conſequenter ſubditum teneri ex lege obedientiæ ad illud; vndè iam non eſt opinio pro libertate, ſed pro lege obedientiæ; quià eo ipſo quod aſſerit opus præceptum eſſe licitum, aſſerit ſubditum teneri ad illud opus ex obedientiæ lege: ergò ſuppoſito præcepto, iam ſubditus verſatur, non inter duas opiniones, quarum vna ſit pro lege prohibente illud opus, alia pro libertate, & licentia illud eliciendi, vel non eliciendi, ſed inter opiniones, quarum vna eſt pro lege obedientiæ obligante ad opus, alia pro lege oppoſita prohibente tale opus: ergò tenetur eam ſequi, in qua minus malum imminet. Quod autem minus malum immineat ſectando obedientiam, quod aſſerebat minor ſubſumpta, probatur primò, quià ſectando opinionẽ, quæ ſtat pro obedientia, ſi erret, errat, non iudicio proprio, ſed iudicio Prę-lati præcipientis, ſectando verò oppoſitam opinionem, quæ aſſerit opus eſſe prohibitum, & propter illam negando obedientiam, ſi erret, errat iudicio proprio, & non iudicio Prælati; ſed maius malum eſt errare iudicio proprio, quàm iudicio Prælati: ergò maius malum imminet ſectando opinionem, quæ prohibet opus præceptum, quam ſectando opinionem, quæ ſtat pro obedientia, & conſequenter maius malum imminet in hac opinione, quàm in illa.

18 Secundò, quià ex eo quod in tali caſu ſubditus ſequatur opinionem, quæ ſtat pro obedientia, ad ſummum ſequi poteſt, ſi illa ſit falſa, quod violet coram Deo, & re ipſa legem Dei prohibentem opus præceptum, & hoc ex amore obedientiæ, attamen ex eo quod ſubditus ſequatur oppoſitam, ſi illa ſit falſa; imprimis ſequetur illum coràm Deo, & re ipſa violare præceptum obedientiæ, deindè perturbatur ordo ſerviendi, & regimen communitatis, ſcandalizantur ad minus parvuli, ſequuntur iurgia ſubditorum cum ſuperioribus, & alia plura mala ſequi poſſunt, quæ minimè ſequerentur obediendo, licèt opus præceptum re ipſa eſſet prohibitum: ergò minus malum ſequitur, ſectãdo opinionem, quæ ſtat pro obedientia, quàm ſectando illam, quæ ſtat pro lege oppoſita prohibente opus præceptum.

19 Sed demus non eſſe maius, ſed æquale tantum periculũ in contradicendo præcepto Prę-lati, àc in illo implendo cõtra opinionẽ aſſerentem opus præceptum eſſe lege Dei prohibitum: tunc caſus poteſt inculpabiliter ex terminis æqualis periculi eligere quodlibet, vt probatũ manet q. prę-ced. ergò poteſt inculpabiliter eligere periculum violandi legẽ Dei re ipſa ex parte operis, nè incurrat violationẽ obedientiæ debitæ: ergò poteſt inculpabiliter obedire: ſed quoties poteſt quis inculpabiliter obedire prę-cepto ſui Prę-lati tenetur obedire: ergò etiam in caſu ęqualis periculi tenetur obedire Prę-lato. Explicatur: & ponamus te eſſe ſubditum inter prædictas opiniones conſtitutum, & à te rationẽ exigo, cùr renuis obedire Prælato? Inquis, quià eſt opinio probabilis dicens opus mihi præceptum eſſe prohibitum lege Dei. Sed contra, quià etiam eſt opinio probabilis,

dicens illud eſſe licitum, & conſequenter, poſito præcepto, teneri ex obedientia ad tale opus, cùr ergò renuis tale opus exercere, vt tibi præcipitur? Dices iterum, quià eſt periculum tranſgrediendi Dei legem, ſi tale opus aggrediar: forsàn opinio dicens illud eſſe prohibitum lege Dei, vera eſt, & illam violabo, ſi opus exerceam. Sed contrà, quià forsàn etiam vera eſt opinio contraria, quæ dicit eſſe licitum, & ſi hoc ità eſt, legitimè tale opus tibi præcipitur à Prælato, & eſt manifeſtum periculum violandi obedientiam, ſi hoc ità ſit: cùr ergò cum periculo violandi legem obedientiæ renuis tale opus elicere? Etenim non minus malum, imò & maius malum eſt violare obedientiæ votum in regimine regularium, quàm violare legem Dei; cùr ergò intèr duo pericula conſtitutus, eligis magis periculum violandi obedientiæ legem, & votum, ad vitandum periculum violandi legem Dei, quam periculum violandi legem Dei, ad vitandum periculum violandi legem, & votum obedientiæ? Ecce aliud reſpondere nequibis, niſi quià ſic volo, ſic iubeo; ſed quotieſcumque aliquis renuit obedire non aliqua ratione, aut motivo cogente, ſed pro ſola propria voluntate, eo ipſo peccat contra debitam obedientiam: ergò peccabis, ſi in tali caſu non obedieris: teneris ergò obedire.

21 Sed dices maius malum eſſe violare legem Dei, quam violare præceptum Prælati, ac proindè nolle, propter obſervandum præceptum Prælati, exponi periculo violandi legem Dei. Sed contra, quià cum præceptum Prælati eſt de aliquo opere licito, & non contrario legi Dei, tunc tale præceptum obligat in vi legis Dei præcipientis obedire Prælatis ſicut ſibi, iuxtà illud: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*, vndè tunc caſus re ipſa violatur non ſolum præceptum Prælati, ſed etiam lex Dei, & quidem lex Dei maximi momenti, qualis eſt illa, quæ iubet obedire Prælatis in licitis, & honeſtis; ſed non eſt violandum præceptum Prælati, & ſimul lex Dei, propter vitandum periculum violandi aliam legem Dei incertam: ergò iniquè facis, dùm violas præceptum Prælati, ad vitandum periculum tranſgrediendi aliam legem Dei incertam.

22 Dices: incertus ſum omnino àn Prælatus hic, & nunc iubeat opus licitum, & honeſtum, cum potius ſit probabile opus, quod præcipit eſſe contrarium legi Dei. Sed contra, quià æquè etiam tibi probabile eſt eſſe conſonum legi Dei, àc licitum, & honeſtum: ergò æquè probabile tibi debet eſſe quod præcipit licitum, & honeſtum, & cõſequentèr quod obligat in vi legis Dei ad tale opus: ergò ex vna parte tibi probabile eſt violandam re ipſa legem Dei, ſi tale opus elicias, & ex alia eſt tibi æquè probabile violandum præceptum iuſtum Prælati, & legem Dei, generalitèr præcipientem obedire Prælatis, ſi tale opus exercere nolis; ſed hoc eſt æquale, vel maius periculum: ergò æquale, vel maius periculum imminet, ſi nolis obedire, quam ſi obedias. Rurſus. Nàm licet tibi ſit æquè probabile violandam legem Dei, ſive obedias, ſive nolis obedire, ex inobedientia tamen imminet ſcandalũ puſilorum, pervertitur ordo obedientię, & alia plura mala ſequuntur, quæ non ſequerentur ex ſimplici violatione legis Dei incertæ: ergò imminet periculum maioris mali, ſi violetur præceptum Prælati probabilitèr iuſtum, quam ſi violetur lex Dei, æquè probabilitèr exiſtens in contra.

23 Secunda ratio pro concluſione non eſt minus efficax, quam præcedens; quià eo ipſo quod ſuperior præcipiat opus, de quo concertant opiniones æquè probabiles, àn ſit licitum, vel illicitum, hic, & nunc ſit longè magis probabile opus illud eſſe licitum, quam eſſe illicitum: ſed dùm eſt magis probabile opus illud eſſe licitum, quam eſſe illicitum ſubditus tenetur obedire, vt ſuprà oſtenſum manet, cum ſit licitum operari id, quod eſt magis probabilitèr licitum, quam illicitum, & teneamur obedire, quoties licitè poſſumus: ergò ſtantibus prædictis operationibus de ſe æquè probabilibus, ſi accedat præceptum Prælati, tenetur ſubditus obedire. Maior probatur, quià negari non poteſt, quod Prælatus præcipiens aliquod opus iuxtà opinionem dicentem illud eſſe licitum, & præceptibile, addit aliquam probabilitatem practicam illi opinioni in ordine ad ſubditum: tùm quià regularitèr Superiores doctiores ſunt, & peritiores, & qui dubia moralia prudentius decidere poſſunt, quam ſubditi. Tùm quià Deus, qui curat de regimine communitatis, ſpecialitèr aſsiſtit Prælatis in præcipiendo, potiſsimè quando iubent in virtute ſanctæ obedientiæ, vt nihil præcipiant, quod ſuæ legi contrarietur. Tùm quià experientia docet ſuperiores nunquàm præcipere contra legem Dei, nec aliquid, quod poſt maturum examen non cognoſcant eſſe licitum. Vndè ſubditus conſtitutus in

tali

tali conflictu opinionum debet piè præſumere Prælatum habere aliquod motivum pro opinione dicente opus eſſe licitum, vi cuius ipſi Prælato ſit valdè probabiliùs, vel certum quod hic, & nunc eſt licitum; ſæpiſſimè enim ſuperiores plura conſiderant, & attendunt, quæ ſubditos latent; forsàn enim latet mihi (debet dicere ſubditus) aliquod motivum, vel aliqua circunſtantia, vi cuius, vel certò, vel longè probabilius eſt licitum, quod mihi appareat æquè tantum probabilitèr licitum, àc illicitum: facit ergò Prælatus, præcipiens aliquod opus, maiorem probabilitatem practicam pro eo quod tale opus ſit licitum, quàm illicitum: ſed eo ipſo ſubditus poteſt, & tenetur obedire: ergò.

24 Confirmatur: dubitans ex æqualitate opinionum, & motivorum àn aliquod opus ſit licitum, poteſt conſulere virum doctum, qui ſciat dubia moralia decidere, & ab eo quærere ſincerè, & ingenuè, àn opus ſit licitum? quod ſi ille aſſecuraverit eſſe licitum, iam conſulenti opinio pro licito ſit pro tunc magis probabilis, & ex honeſto motivo poteſt illam ſectari: ſed non minorem authoritatem, imò maiorem habet Prælatus decidendi dubia ſuorum ſubditorum, ſiquidem eſt ex munere, & inſtitutione Dei, vel Eccleſiæ Doctor illorum, & Paſtor, qui tenetur eos docere, àc dirigere, & paſcere vera doctrina in via legis Dei, & conſequentèr Deus potiore iure tenetur aſsiſtere Prælato, nè erret, quam Doctori, vel Magiſtro particulari: ergò ſi ſubdito, dubitanti ex opinionum æquali probabilitate àn opus aliquod ſit licitum, vel illicitum, conſtantèr præcipiat illud opus elicere, tanquàm licitum, poteſt, & debet ſubditus illi credere, & eius opinionem, vt ex eius authoritate iam probabiliorem, amplecti.

25 Dices: aliquando Prelatus indoctus eſt, qui neſciat dubia moralia decidere, & tunc qualitèr faciet magis probabilem opinionem, iuxtà quam præcipit? Sed contrà, quià etſi Prælatus doctus non ſit, ſi tamen probus ſit, vt debet à ſubdito præſumi, nihil præcipit ſub obedientia, niſi quod certò ſit licitum, in rebus verò dubijs, & controverſijs conſulit peritiores, & doctiores propriæ communitatis, vel alterius, & nihil præcipit, niſi quod ad minus ex conſilio ſapientium iudicat probabilius valdè eſſe licitum, quàm illicitum, & ità debet præſumere ſubditus de ſuo Prælato legitimo; ſed Prælatus vt informatus conſilio ſeniorum, & peritiorum, etſi ipſe doctus non ſit, facit tamen non levem authoritatem, & probabilitatem pro eo quod ſit licitum, id quod præcipit: ergò etſi indoctus ſit, ſacit arguitivè magis probabilem opinionem, ſecundùm quam præcipit.

Secundò, quià etſi indoctus ſit, non ideò deſeritur à Deo dirigente interius, qui vt implurimum per Prælatos minus humana ſcientia peritos rectiſsimè gubernat peritiores humanarum litterarum, vndè ſubditus peritus in dubio vtrinque probabili credere poteſt ſuum Prælatum ex Dei aſsiſtentia rectum, & licitum præcipere, & ad hoc tenetur, ſi poteſt: ergò etſi Prælatus ſit indoctus, facit nihilominus maiorem probabilitatem pro ſententia, iuxtà quam præcipit, potiſsimè cum illud, *qui vos audit, me audit*, non ſolùm de Prælatis doctis dictum ſit, ſed etiam de illis, qui humanis litteris non ità docti ſunt, dummodo ſint legitimi Prælati; illis enim Deus ſæpè in Scripturis promittit ſuam aſsiſtentiam, potiuſquàm Doctoribus particularibus, aut Scriptoribus caſuum, vndè negari nequit Prælatum, præcipientem in dubio vtrinque probabili, facere maiorem probabilitatem pro eo quod præcipit.

26 Nec valet ſi dicas, non ſemel Prælatos erraſſe, & ex Dei permiſſione, aut ex ſua malitia, vel ignorantia deceptos fuiſſe, aliquandò etiam Prælatos fuiſſe temerarios in præcipiendo: ergò in hoc numero Prælato idem contingere poterit, potiſsimè cum ſit indoctus, & non valdè prudens. Non inquam valet, nàm in ordine ad conciliandam probabilitatem, non attenditur ad caſus raros, ſed ad id, quod vt implurimum contingit; non enim definitur probabile, quod ſemper, & abſque exceptione ità contingit, ſed *quod vt implurimum ità contingit*; ſed quanvis aliquando contigerit Prælatos erraſſe, iubentes contra legem Dei, aut temerè, & imprudentèr præcipientes, nihilominus id ratò contingit, vt implurimum autem contingit oppoſitum, quod ſcilicet non præcipiant contra legem Dei, ſed iuxtà illam, & conformitèr ad illam, etiam ſi non ſint docti, nec valdè prudentes, nàm ferè ſemper in præcipiendo cautè curant, nè id, quod præcipitur, ſit contra legem Dei: ergò quod Prælatus aliquid præcipiat ſemper addit probabilitatem pro eo quod ſit licitum, & non contra legem Dei, ſaltim ex hac præſumptione ſatis probabile, & vt implurimum vera, quod Deus non permit-

teret eum ſic præcipere, ſi eſſet contra legem Dei.

27 Vrgetur, nàm rariſsimè invenietur Prælatus, qui aliquid iubeat contrarium legi Dei, licet enim non raro contingat ipſos ſubditis permittere quæ ſunt illicita, attamen dum præcipiunt, cautiſsimè ſemper procedunt, & nihil præcipiunt, quod vel vmbram quidem violandæ legis Dei præſeferat. Eſt enim authoritas præceptiva in Prælatis adeò ſacra, vt vix inveniatur Prælatus, qui ea vtatur ad præcipiendum aliquid contra legem Dei, imò nec de quo ſit controverſia opinionum vtrum ſit, vel non ſit contra legem Dei, niſi aliqua ſpeciali circunſtantia occurrente, vel motivo aliquo concurrente, quod faciat longè probabilius illud non eſſe legi Dei contrarium. Quod quidem, ni fallor, ex providentia Dei ſpecialitèr provenit, cùm enim Prælatos in Eccleſia poſſuerit; veluti normas viſsibiles ſubditorum, vt per præcepta, & imperia ſubditos dirigant ad ambulandum in lege Dei, ſubditiſque præceperit, vt Prælatos audiant, & obtemperent, ſicut ſibi, ex hoc ipſo ſe Deus quodammodo obligavit ad aſsiſtendum Prælatis ſua directione, ne errent in præceptis imponendis, in quorum præceptorum obedientia ipſe Deus ſecuritatem ſubditorum conſtituit. Facit ergò præceptum Prælati maximam probabilitatem pro eo, quod opus à ſe præceptum hic & nunc non ſit contrarium legi Dei: ergò ſi, ſuppoſita æquali probabilitate, tùm pro eo quod tale opus ſit licitum, tùm pro eo quod ſit illicitum, accedat præceptum Prælati, faciet partem pro licito multo probabiliorem hic & nunc, quam partem pro illicito.

28 Sed dices: etiam Deus conſtituit in Eccleſia Doctores, & AA. vti regulas ceterorũ hominũ: ergò paritèr ſicut in dubijs vtrinque probabilibus, quiſque licitè, & tuta conſcientia obtemperat Prælato præcipienti, ità in ſimilibus dubijs licitè, & ſecura conſcientia poſſumus ſequi dictamen, vel opinionem cuiuſvis authoris dicentis eſſe opus licitum; ſicuti enim Prælati faciunt magnam probabilitatem, ità Doctores, & Authores.

Reſpondeo, eſſe magnam diſparitatem inter Prælatos præcipientes, & Doctores, vel Authores conſulentes, & docentes. Nàm imprimis reſpectu ſubditi in ordine ad vnum opus, non ſunt plures Prælati immediati ſibi contradicentes, ſed vnicus tantum, in quo ad ſe ipſum non eſt contradictio, & cùm alias Deus ſpecialitèr aſsiſtat Prælatis, & hic & nunc Prælatus meus ſit vnicus, debeo piè præſumere illi Deum aſsiſtere, ne erret in hoc, quod præcipit. Contra vero in ordine ad opus, de quo ſunt opiniones vtrinque probabiles, ſunt plures Doctores, & Authores ſibi invicem contradicentes, vbi mihi conſtat alteros ex illis decipi. Deo permittente, & neſcio quinam ex illis: non ergò habeo vnde credam iſtis præ illis, cùm eadem contingentia ſit in his, quam in illis: ergò ſolum erit tutum neutris credere in eo, in quo ſibi contradicunt, ſed facere quod apud vtroſque licitum iudicatur, nimirum ſectari opinionem pro lege, relicta oppoſita pro libertate.

Paritas autem inter Prælatos, & Doctores tunc eſſet, quando eſſent duo Prælati eiuſdem iuriſditionis, contraria præcipientes ſubdito, vnus, qui præciperet quod ſine controverſia eſſet licitum, alius oppoſitum, de quo eſſet controverſia ân eſſet licitum, vel illicitum. Tunc ſanè caſus eſt ſimilis, ſed paritèr dico ſubditum in illo caſu teneri ad obediendum Prælato, præcipienti opus certò licitum, relicto alio præcipiente opus æquè probabilitèr illicitũ, quam licitum.

29 Secunda diſparitas: quià cùm in Eccleſia ſint multi Authores, Doctores, & Magiſtri, inter quos quilibet poſſit eligere probiores, & doctiores, & magis concordantes, non obligatur Deus omnibus illis aſsiſtere, ſed tantum aliquibus, vel pleriſque, quos in Eccleſia ipſe Deus clariores, & veriores oſtendit, & ad homines reliquos attinet illos quærere, ac eligere, relictis minus veridicis, & minore authoritate pollentibus, potiſsime in rebus vtrinque controverſis. Attamen cùm Deus reſpectu cuiuslibet ſubditi vnum tantum Prælatum immediatum conſtituerit, quaſi ſe obligavit illi determinatè aſsiſtere, ſaltèm vt plurimum, ne erret in eo quod præcipit, ac proinde multo certior eſt aſsiſtentia ſpecialis Dei omnibus Prælatis, quam omnibus Doctoribus, & cuilibet Prælato reſpectu ſuorum ſubditorum, quam cuilibet Doctori, & Authori reſpectu diſcipulorum, aut conſulentium. Vndè inter Doctores, & Authores contradicentes ſolum poſſumus tuta conſcientia ſequi in dubijs doctiores, ſapientiores, aut plures, relictis paucioribus, minuſvè doctis, & ſapientibus, inter Prælatos vero non datur locus conſultationi, ſed vnicè tenetur quis ſuo Prælato obtemperare in dubijs, quià non habet niſi vnicum Prælatũ pro regula conſtitutum ex ordine Hyerarchico

chico à Deo instituto in Ecclesia, de quo, & similibus dixit, qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit. Valde autem notandum est hanc authoritatem convenire Prælatis, in eo tantum quod percipiunt subditus, & cùm authoritatem præceptivam exercent, non vero in eo, quod consulunt, vt speciales Doctores, & Magistri, nàm in hoc secundo sensu eandem, & non maiorem authoritatem habent, quam alij Doctores, & quam haberent si Prælati non essent: minusque in eo quod vt amici particulares, vel alijs respectibus suadent, quià sic se habent sicut ceteri homines.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio, & ei applicatur doctrina præcedens.

30 DICO Secundo: *Idem dicendum est, quando opinio asserens opus præceptum esse illicitum, est paulò magis probabilis, quam opinio dicens esse licitum, imò & quando est notabiliter probabilior ante præceptum Prælati, quæ asserit opus esse illicitum. Vnde censeo quod in casibus controversis ferè semper subditus tenetur obedire, cùm rarissimis exceptionibus mox subijciendis.* Prima pars conclusionis patet, quià in moralibus parum pro nihilo reputatur: ergò opinio parum magis probabilis reputatur àc si esset æquè probabilis, levis enim, & parvus excessus probabilitatis ad æqualitatem probabilitatis redduci debet: sed quando opinio asserens esse illicitum opus præceptum est æquè tantum probabilis, àc opinio dicens esse licitum, subditus tenetur obedire, vt probatum manet conclusione præcedente: ergò etiam quando talis opinio est parum magis probabilis.

Explicatur: quando vna opinio est paulò magis probabilis alia, vix discernere potest subditus quænam opinio sit probabilior, vnde cùm excessus est tenuis, plerumque dubitat quænam sit probabior; sed cùm discernere non possumus quænam sit probabilior, perinde se habent tales opiniones, àc si essent æquè probabiles, siquidem eodem modo generant dubium, seu relinquunt intellectum in dubio: ergò cùm excessus probabilitatis est tenuis, idem dicendum est, àc quando est vtrinque probabilitas æqualis.

31 Secunda etiam pars conclusionis, licet difficilior, probatur etiam: quià quanvis ante præceptum, seu præcisivè à præcepto sit notabiliter probabilius opus esse illicitum, tamèn, posito præcepto, adminus opinio pro licito æquabit in probabilitate opinionem pro eo quod opus præceptum sit licitum: sed eo ipso iàm est casus æqualis probabilitatis pro licito, àc pro illicito, & sit casus dubij, in quo, vt probatum manet, subditus tenetur stare pro præcepto Prælati, quià in dubio minus periculum est periculum errandi ex imperio, & iudicio Prælati, quam errandi ex iudicio proprio cùm scandalo pusillorum, & cùm discordia intèr subditum, & Prælatum, quę bonum regimen communitatis pervertit: ergò etiam quando prævià ante præceptū Prælati est notabiliter probabilius opus præceptum esse illicitum, & minus probabile esse licitum, tenetur subditus, posito præcepto, illi obedire. Explicatur: eo antè præceptum Prælati est probabilius opus esse illicitum, vel quià est maior authoritas, vel quià est maior ratio pro eo quod sit illicitum, quam pro eo quod sit licitum; sed præceptum Prælati, eiusque authoritas præceptiva addita pro eo quod opus sit licitum, non potest non aliqualiter compensare rationem maiorem, vel maiorem authoritatem in contra, siquidem, vt diximus, authoritas Prælati præcipientis magnam addit authoritatem, & probabilitatem pro eo quod opus præceptum sit licitum: ergò addito præcepto æquantur in probabilitate, tùm pars pro eo quod opus sit licitum, tùm pars pro eo quod opus sit illicitum; sed posito casu æqualis probabilitatis, minus periculum est amplectēdum, & minus periculum est periculum violandi ex obedientia, & imperio Prætati, legem Ecclesiasticam, vel divinam, quam periculum violandi ex iudicio proprio, & ex propria voluntate, legem obedientiæ, & votum ipsius, cùm inversione, & discordia in regimine communitatis: ergò in prædicto casu, omnibus inspectis, obediendum est.

32 Tertia item pars conclusionis clarè colligitur; nàm in casibus vtrinque controversis, vel est maior probabilitas pro eo quod opus sit licitum, & tunc absdubio tenetur obedire subditus Prælato præcipienti, vt suppossuimus, num. 9. vel est æqualis probabilitas pro eo quod opus sit licitum, quam pro eo quod sit illicitum, & tunc etiam tenetur obedire, vt probatū relinquimus in secunda conclusione. Vel deniq; est maior probabilitas pro eo quod opus sit illicitū, & minor pro eo quod opus sit licitū, & tunc addito præcepto, ad minus intellectus cogitur dubitare, si quidem ponitur in statu æqualis probabilitatis pro eo quod opus sit licitum, & tenetur in dubio

ſubditus obedire: ergò in caſibus vtrinque controverſis, ſi ſemel Prælatus præcipiat ſubditus tenetur obedire.

33 Nihilominus hæc vltima doctrina aliquas patitur exceptiones, nàm poteſt probabilitas pro eo quod opus ſit illicitum adeò excedere probabilitatem pro licito, vt Prælati authoritas addita parti contrariæ non ſit ſufficiens ad hoc, vt ſubditus rationabilitèr dubitet vtrum opus illud ſit licitum, vel illicitum, ſed ſtante adhuc præcepto Prælati, prudentèr nihilominus ſubſiſtat ſubditus in ſua opinione de eo quod opus præceptum ſit illicitum: & tunc caſus, dico quod ſubditus, nec poteſt licitè, nec tenetur obedire; quià conſcientia propria prudentèr retenta magis obligat, quam Prælati præceptum. Secunda exceptio eſt, quando ſubditus ſcit Prælatum ignorare, aut non advertere aliquam circunſtantiam, motivum, aut rationẽ ſubdito cognitam, tunc enim ſubd tus debet humilitèr ſuo Prælato talem circunſtantiam, rationem, vel motivum exponere, qua humilitèr expoſita, forsàn Prælatus reformabit præceptũ; ſed ſi nihilominus conſtiterit in præcipiendo, ſubditus tenebitur obedire iuxta doctrinam traditam. Tertia exceptio eſt, ſi opinio, præcepto Prælati favens, non tantum ſit de licito, ſed etiam ſit de iuriſditione ſubditi, vel de alia circunſtantia, ex qua pendeat eſſentialitèr valor alicuius Sacramenti, tunc enim certo iàm prohibitum eſt vti opinione probabili de valore Sacramenti, & ſic certum eſt Prælatum in eo præcepto excedere ſuam iuriſditionem, & non obligare. Sicut item ſi ſubditus eſſet iudex, eique præciperet Prælatus quod ferret ſententiam ſecundum opinionem minus, aut æquè tantum probabilem; iudex enim, vt iudex in ferendo ſententiam quoad ſpecificationem non ſubditur Prælato, nec Superiori, id eſt, in iudicando pro vna parte præ alia, ſed ſolum quoad exercitium, vnde valide tantũ præcipere poteſt ſubdito, quod proferat ſuam ſententiam, non vero quod proferat illam pro hac parte præ alia; & ſi hoc ſecundum præcipiat, minimè obligabit. Quarta exceptio eſt, ſi Prælatus præcipiat tantum ſub veniali, opus vero præceptum de ſe habeat periculum probabile mortalis, tunc enim conſultius eſt ſe exponere periculo venialis, omittendo opus præceptum, quam ſe exponere mortali adimplendo præceptum.

§. V.

Solvuntur argumenta.

34 OBIJCIES Primò ex Adriano, qui refertur pro oppoſita ſententia, votum vel iuramentum non obligat in probabili dubio peccati mortalis: ergò nec ſuperioris præceptum. Antecedens probatur: quià ſi quis ad habendam ſucceſsionem pro bono Patriæ voviſſet ſingulis menſibus debitum exigere, donec vxor conciperet, & dubium probabile oriretur de valore matrimonij, non teneretur tunc caſus debitum exigere: ergò

Reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam, quià quis per votum minimè ſe ſubdit iudicio alterius, nec tradit ſe gubernandum per alterius imperium, conſequenterque ſolum vovet, aut iurat facere quod ex propria voluntate, & iudicio facere poteſt licitè; cùm autem nemo ex propria voluntate, & iudicio poſsit operari cùm dubio probabili de peccato mortali, inde eſt quod votum, aut iuramentum minimè obligare poteſt ad opus, de quo qui iuravit dubitat àn ſit, vel non ſit peccatum mortale. At per votum obedientiæ ſe obligavit ſubditus, & ſubiecit iudicio alterius, & ſe tradidit alteri gubernandum, ad cuius iudicium per prius attinet decidere quænam opera poſsint, vel non poſsint præcipi, ſint, vel non ſint materia obedientiæ, aut liceant, vel non liceant ſubdito, àc proinde ſubditus in dubio peccati mortalis licitè poteſt, & tenetur credere iudicio Prælati, & eius imperio obedire; & ratio eſt, quià in caſu obedientiæ adeſt in præcepto Authoritas Prælati, faciens maiorem probabilitatem pro eo quod opus præceptum ſit licitum, ſufficientemque, vt ſubditus deponat dubium, credendo probabilitèr opus illud eſſe licitum, Attamen in caſu iuramenti, vel voti facti, ſi ſuboriatur dubium vtrinque probabile, non eſt vnde ſolvatur tale dubium, nec ſolvi poteſt per votum, aut iuramentum factum.

Alia diſparitas eſt, quià in eo quod non impleatur præceptum Prælati adeſt periculum magni mali, nimirum invertendi ordinem communitatis, & ſcandali puſillorum, contentionis etiam, àc diſcordiæ intèr ſubditum, & Prælatum; àt in caſu argumenti, omittẽdo actum promiſſum voto, vel iuramento, ad ſummum eſſet periculum in dubio illo violandi materialitèr tale iuramentum,

tum, vel votum; adimplendo tamen iuramentum, esset periculum, tùm adulterini, vel fornicarij concubitus, tùm generandi prolem illegitimum, tùm dandi Patriæ, vel successoribus hæredem illegitimum; quod sanè maius videtur periculum, & consequenter præ primo vitandum. Quod si aliquandò maius immineat malum, si non impleatur votum, aut iuramentum in dubio, quam si impleatur, aut, si aliundè sit æquè probabile opus iuratum esse licitum, & cadere sub iuramento facto, poterit quis, & tenebitur implere iuramentum in dubio, iuxta regulas traditas quæstione præcedente.

35 Obijcies secundò. Ad nullius præceptū licet se exponere periculo mortis: ergò ad nullius præceptum licet se exponere periculo peccati mortalis, quod longè maius periculum est. Antecedens probatur, nàm vxor non tenetur consorti furioso reddere debitum, dùm adest periculum probabile mortis, aut percussionis, nè fœtus moriatur, aut abortus fiat: ergò multo minus tenebitur quis ad præceptum alterius se exponere periculo mortis. Respondeo imprimis, negando antecedens; nàm cives, & milites ad præceptum Regis tenentur exponere vitam periculo probabili mortis pro defensione, vel magna vtilitate patriæ, & hoc etiam in dubio, cum etiam in dubio àn Rex iustè præcipiat bellum, teneatur miles bellare ex præcepto sui Regis: in bello autem bonus miles debet exponere vitam periculo probabili mortis. Si autem coniux in prædictis periculis non tenetur reddere debitum, ideò est, quià certum est iniustè exigi, seu quià minus valdè periculum imminet, non reddendo debitum in illis casibus, quam illud reddendo: longissima ergò est disparitas. Imò si ex matrimonio paritas desumenda est, potius confirmatur, quàm infirmatur nostra sententia, nàm in dubio de valore matrimonij coniux tenetur reddere debitum consorti exigenti: ergò in dubio de honestate rei præceptæ tenetur subditus obedire Prælato præcipienti.

36 Et hinc infero obiter solutionem rationis dubitandi, quæ valdè torsit ingenium Navarri, cum enim asseruisset in Manuali, dist. 7. de pœnitent. num. 86. in dubio de valore matrimonij vxorem posse, & teneri reddere debitum, non posse autem illud exigere, sibi obijcit hanc rationem dubitandi. Vel matrimonium est validum, vel invalidum? Si validum, non solum licet reddere, sed exigere debitum. Si invalidum, non licet reddere, nec exigere: ergò distinctio inter reddere, & exigere est nulla. Cui argumento varias solutiones adducit, sed quarum nulla sibi videtur satisfacere. Et tandèm ipse ex proprio marte, vt inquit, nova doctrina respondet posse contractum, aut actum aliquem credi validum quoad aliquid, & invalidum quoad aliud, quod multis probare contendit exemplis; & tandem subdit matrimonium dubium esse quidem validum quoad munus reddendi debitum, & invalidum quoad munus illud exigendi.

Sed venia tanti Doctoris, imprimis quidem implicat quod re ipsa matrimonium sit validum quantum ad obligationem reddendi debitum, & quod re ipsa sit invalidum quoad munus illud exigendi, nam essentia indivisibilis matrimonij æquo iure fundat hoc ius, & illam obligationem, vndè si creditur matrimonium esse essentialitèr matrimonium, necessariò fundat ius exigendi debitum, sicut obligationem illud reddendi, nec in matrimonio possunt distingui duæ essentiæ, aut validitates, vna, quæ fundet ius exigendi, & alia, quæ fundet obligationem reddendi. Ratio ergò cur coniux dubius de valore matrimonij potest, & tenetur reddere debitum, & nō potest, exigere, est quià nullus ex propria voluntate, & libertate potest se exponere periculo peccati, quando liberè potest tale periculum, vel æquale vitare; secùs tamen, quando cogitur vagè ad vnum è duobus periculis æqualibus, tunc enim licitè potest vnum ex illis periculis amplecti. Coniux ergò cum dubitat de valore matrimonij, ad exigendum debitum non cogitur periculo aliquo imminente, si debitum non exigat, secùs si exigat, vndè tenetur non exigere. Attamen consorte exigente vtrinque imminet periculum, nimirùm iniustitiæ, si negetur debitum, & fornicationis, si reddatur; nàm si forsàn matrimonium validum sit, fit iniustitia consorti exigenti, negando debitum; si verò invalidum sit, est fornicatio reddere debitum: cum ergò vtrinque sit periculum, pensandum est quodnam sit magis fugiendum, & tunc ratio dictat magis fugiendam esse iniustitiam, seu iniuriam, quæ forsàn fit consorti, & alia mala imminentia, quam fornicationem materialem forsàn imminentem, & ideò tenetur reddere.

37 Tertiò obijcit Adrianus: non est obediendum Prophetæ præcipienti cō-

tra præceptum Dei, etsi probabiliter præcipiat: ergò nec superiori. Antecedens probatur ex lib. 3. Reg. cap. 13. textu à nobis suprà relato quæst. 29. num. 56. Sed facile respondetur ex ibidem dictis, Prophetam illum peccasse, eo quod dubitavit irrationabiliter, & de facili credidit Prophetæ mendaci, contra certum sibi præceptum ab ipso Deo inmediatè intimatum. Nos autem minimè dicimus subditum debere obedire Prælato præcipienti contra certum præceptum Dei, sed solum in dubio rationabili, & prudenti, & vtrinque probabili. Prætèrquam, quod ibi de Propheta mendaci, non aliunde constabat ipsum fuisse verum Prophetam missum à Deo, quam ex dicto eius, àt in casu quæstionis præsentis supponimus quod constet ex communi saltèm acceptione communitatis quod Prælatus sit verus, nec dicimus subditum teneri obedire cuicumque dicenti se esse Prælatum missum à Deo.

38 Objicies quartò: subditus non tenetur obedire, quando sibi præcipitur id, quod sine peccato facere non potest; sed per nos subditus, sicut nec quilibet alius, potest sine peccato facere opus, quod sibi æquè probabiliter est licitum, quam illicitum: ergò quando hoc opus sibi præcipitur, non potest, nec tenetur obedire. Minor probatur: quià per nos non licet sectari opinionem æquè, aut minus probabilem, relicta probabiliore, vel æquè probabili. Respondeo distinguendo minorem: quando etiam omissio operis redditur æquè, vel magis probabiliter illicita quam licita, nego minorem: quando omissio operis manet certo licita, concedo minorem. Ad cuius probationem eadem distinctione respondeo, quod stante præcepto Prælati, omissio operis redditur æquè, magisvè probabiliter illicita, & consequentèr æquè vel magis periculosa, quam opus ipsum; tunc autem licitum iudicamus elicere tale opus, quià omissio in eo casu non est pars tutior, sed æquè vel magis periculosa.

39 Sed dices, præceptum Prælati non tollit periculum peccati materialis, si forsàn opus, quod præcipit, sit prohibitum: sed ratio, proptèrquam præcisivè à præcepto Prælati, non licet tale opus elicere, vnicè est proptèr periculum peccati materialis: ergò nec suppositò præcepto Prælati, licebit tale opus dubium elicere.

40 Respondeo, distinguendo maiorem, præceptum Prælati non tollit periculum peccati materialis in illo opere, & alias ponit æquale, vel maius periculum peccati materialis in omissione illius, concedo maiorem: & alias relinquit omissionem tutã, & securã, sicut erat antea, nego maiorem: & distinguo minorem: ratio, proptèrquam, præcisivè à præcepto Prælati, non licebat illud opus, erat periculum peccati materialis, cùm securitate in omissione illius, concedo minorem: cùm æquali, vel maiore periculo in omissione illius nego minorem, & conseq. quià ideo antè præceptum non licebat tale opus exercere, quià erat periculum probabile peccati materialis in eo eliciendo, nullum vero periculum in eo omittendo; attamen posito præcepto, iàm vtrinque est periculum; nàm si opus elicias, est periculum peccati materialis; si vt autem illum omittas, est etiàm periculum ad minus peccati materialis contra legem obedientiæ. Quando autem vtrinque est periculum, licitè potest, ad vitandum maius, vel æquale periculum, eligere aliud, & ad hoc tenetur, quando præcipitur, vt suprà probatum manet.

41 Objicies quintò: subditus non tenetur obedire, nisi in eo, quod Prælatus iustè illi præcipere potest; sed per nos Prælatus nequit iustè præcipere secundum opinionem minus, aut æquè tantum probabilem pro licito, id est, nequit præcipere opus, quod æquè tantum, aut minus probabiliter est licitum, quam illicitum: ergò nec subditus potest obedire iuxta talem opinionem, eliciendo opus, quod æquè tantum probabiliter sit licitum, quam illicitum. Respondeo distinguendo maiorem: subditus non tenetur obedire, nisi in eo, quod Prælatus iustè præcipere potest, & aliàs in casu dubio subditus decidere potest àn Prælatus iustè, vel iniustè præcipiat, nego maiorem: & alias circa hoc standum est iudicio Prælati, pièque præsumendum de illo, quod non nisi iustè præcipiat, concedo maiorem. Et distinguo minorem, Prælatus nequit præcipere secundum opinionem æquè probabilem sibi, concedo minorem: secundum opinionem æquè probabilem subdito, sed sibi longè probabiliorem pro licito, quam pro illicito, negò minorem, & conseq. quià Prælatus non tenetur in præcipiendo dirigi per mentem, aut iudicium subditi, cùm potius in præcipiendo sit regula subditi: nihil ergò obest, quod opinio iudicio subditi sit minus probabilis ipsi subdito, quo minus possit Prælatus secundum illam præcipere. Si enim Prælatus diligentèr inquisierit veritatem, & sibi appareat notabiliter probabilior opinio, dicens opus esse licitum, potest illud opus

iustè

iustè præcipere, quanvis subdito id sit minus probabile præcisivè à præcepto. An vero Prælatus diligenter inquisierit veritatem, & an illi ingenuè videatur probabilius opus esse licitum, non est diiudicandum à subdito, sed piè credendum & præsumendum.

42 Quintò objici potest ex Terillo quæst. 23. num. 87. volum obedientiæ non emittitur in odium fœlicitatis propriæ, sed vt subditus securius ad eam perveniat: ergò subditus vi illius solum obligatur ad obediendum in eis, quibus securius ipse ad fœlicitatem pervenire potest; sed opus, quod æquè probabiliter est licitum, quàm illicitum, & ècontrà, non est medium, quo ad fœlicitatem securius pervenire possit: ergò non obligatur per votum, aut legem obedientiæ ad obediendum in tali opere. Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens; solum obligatur ad obediendum in eis, quibus securius, &c. & alias in dubijs relinquitur proprio iudicio iudicandum, quænam sint securia, aut licita contra iudicium Prælati, nego consequentiam: & alias se obligat ad conformandum suum iudicium iudicio Prælati, vel saltem illi non repugnandum, concedo consequentiam: & distinguo minorem subsumptam, vt supra, quià videlicet opus illud, licet subdito præcisivè à præcepto sit minus, aut æquè tantum probabiliter licitum, Prælato tamen, vel certò, vel magis probabiliter est licitum; subditus autem ex voto emisso se obligavit in rebus dubijs conformare suum iudicium iudicio Prælati, aut saltem ei non repugnare, nec contradicere; & huius ratio est eadem, qua vtitur arguens, nàm cùm vnusquisque in propria causa facilè decipiatur, amorque proprius fallax, & versatus sæpissimè nobis falsa suadeat in agendis, proponendo vt agenda ea, quæ non sunt agenda, vel vt non agenda ea, quæ sunt agenda, ideò qui securius vult ad fœlicitatem pervenire, & viam tutiorem eligere, oportet vt in agendis suum iudicium, & voluntatem alteri subijciat, qui sine passione, & amore proprio quid à se agendum sit decernat, & hæc via est valde tutior; quià dato casu, quod Prælatus aliquando possit errare in præcipiendo, multo tamen rarius, quàm erraret ipse subditus in sibi consulendo ex proprio iudicio; vnde per votum obedientiæ eo ipso, quod subditus quærit tendere securius ad fœlicitatem, se obligat ad subijciendum proprium iudicium in dubijs iudicio Prælati.

43 Alia etiam ratio est desumpta ex vita communi, quià videlicet, qui profitetur vitam agere in communitate sub vno regimine, se obligat ad iudicandum, de agendis eo modo, quo oporteat ad servandam vnitatem, & concordiam in moribus communitatis, in qua totum communitatis bonum consistit; huiusmodi autem vnitas, & concordia servari nequit nisi assignata vna regula communi, ad cuius normam in quibuslibet disidijs, & controversijs iudicia subditorum regulari debeant, alias vnus iudicaret sic agendum, alius aliter esse agendum, & periret consonantia. Subditus ergò, dum emittit votum obedientię, quod ad hanc vnitatem, & concordiam servandam maximè ordinatur, tanquam ad fœlicitatem communem omnium subditorum, eo ipso se obligat in quibuslibet controversijs circa ea agenda in communitate, in quibus rationabilis sit controversia, aut dubitatio, ità vt subditi sibi ipsis relicti possint probabiliter contraria opinari, in his inquam dubijs, se obligat proprium iudicium conformare iudicio Prælati, vt servetur consonantia debita cùm capite, & cùm ceteris membris. Obligatur ergò ad obediendum in similibus dubijs, & casibus controversis.

46 Sed contra hæc replicat P. Moya, quià durum est obligare subditum ad hoc, quod conformet suum iudicium iudicio Prælati. Etenim durum videtur obligare sub peccato læthali subditum ad vltimum, & perfectissimum gradum obedientiæ, licet enim subditus teneatur obedire, tamen non tenetur obedire cum tanta perfectione; sed conformare proprium iudicium cùm iudicio superioris, est vltimus, ac perfectissimus gradus obedientiæ, qui assignatur à peritis Theologię mysticę; ergò durum videtur obligare subditum ad conformandum proprium iudicium cùm iudicio Prælati. Hoc argumento vtitur prædictus Author, non quidem vt probet absolutè subditum non teneri ad obediendum in dubijs vtrinque probabilibus, sed vt probet posse obedire etiam contra propriam opinionem probabiliorem, sectando opinionem Prælati, licet minus sibi probabilem. Sed contra ipsum placuit statuere sequentem assertionem.

§. VI.

Statuitur alia conclusio.

46 DICO Tertiò: *Subditus non potest licitè obedire Prælato contra propriam opinionem probabiliorem.* Probatur primò, quià non potest licitè obedire contra propriam conscien-

cientiam, vt enim ſupra probatum relinquimus quæſt. 11. magis obligat propria conſcientia, quàm præceptum Prælati; ſed obedire contra propriam opinionem eſt obedire contra propriam conſcientiam, quià eſt obedire contra proprium iudicium practicum, quo iudicat, ſeu opinatur eſſe illicitum, & non faciendum quod Prælatus præcipit facere: ergò non eſt licitum obedire contra propriam opinionem. Secundò probatur, quià obedire contra propriam opinionem probabiliorem, eſt dicere vel formaliter, vel interpretativè: Quidquid Prælatus dicat, hoc opus prohibitum eſt lege divina, & non obſtante eius præcepto, probabilius eſt mihi tale opus eſſe illicitum, nihilominus, quià præcipit illud facio: ſed hic modus obediendi eſt intrinſece illicitus: ergò non eſt licitum obedire contra propriam opinionem probabiliorem. Minor probatur, nàm ille modus obediendi anteponit præceptum Prælati legi Dei, non vult autem anteponere iudicium Prælati iudicio proprio; ſed hic modus obediendi eſt intrinſicè illicitus, quomodo enim non ſit illicitum pluris facere iudicium proprium, quàm iudicium Prælati, & rurſus pluris facere præceptum Prælati, quàm legem Dei: ergò prædictus modus obediendi eſt intrinſicè illicitus.

47 Nec valet recurſus prædicti Authoris ad legem reflexam, dicendo quod dum exiſtimat ſubditus probabiliter opus illud eſſe prohibitum, ſolum exiſtimat eſſe prohibitum directè per legem Dei directam, cùm quo tamen componitur, quod accedente præcepto Prælati, iudicat illud idem opus eſſe à Deo præceptum lege reflexa, qua iubet obedire Prælatis in omnibus. Contra enim eſt primò, quià hanc legem reflexam, præcipientem id ipſum, quod lex directa prohibet, iàm ſupra vt chimericam relinquimus impugnatam, tum quæſt. 6. num. 34. tum quæſt. 28. à num. 140. Contra ſecundò, quià Deus lege reflexa, ſolum poteſt præcipere, quod obediamus Prælatis in omnibus, quæ legi eius non ſunt contraria; ſed quando quis probabiliter exiſtimat opus à Prælato præceptum eſſe lege Dei prohibitum, exiſtimat illud eſſe legi Dei contrarium: ergò obligari nequit ex lege reflexa ad obediendum Prælato in illo opere.

48 Tertiò, nàm idem eſt apud contrarios iudicare probabiliter opus eſſe lege Dei directè prohibitum, àc id iudicare prudenter, idem enim ſignificari dicunt per ly *probabiliter*, àc per ly *prudenter*: ſed implicat Deum lege reflexa præcipere quod obediamus Prælato in eo, quod prudenter iudicamus lege Dei directè prohibitum; ergò quod Deus lege reflexa præcipiat quod obediamus Prælato in opere, quod probabiliter iudicamus lege Dei directè prohibitum. Non ergò poteſt quis ſimul iudicare opus aliquod eſſe directè prohibitum, & ſimul iudicare, accedente præcepto Prælati, eſſe lege reflexa Dei idem opus præceptum. Mitto alia contra hanc legem reflexam, quæ locis citatis videri poſſunt.

49 Dico quartò; *Subditus poteſt obedire Prælato præter propriam opinionem, hoc eſt, quanvis ipſe non opinetur eſſe licitum quod Prælatus iubet.* Patet, quià dubitans, àn ſit, vel non ſit licitum, poteſt obedire, & tenetur, vt ſupra probatum relinquimus; ſed dubitans non opinatur, nec habet propriam opinionem de eo quod ſit licitũ id, de quo dubitat: ergò poteſt obedire præter propriam opinionem. Secundò quià poteſt quis licitè ità dicere: ego quidem dubito àn hoc ſit licitum, vel illicitum, ceterum in dubio obedio, nàm ſi forsàn ſit peccatum, non mihi, ſed Prælato præcipienti imputabitur: vel ità: forsàn hoc eſt peccatum, forsàn licitum, ſi licitum peccabo, non obediendo, & quidem mea culpa, ſiquidem ex meo iudicio; ſi non ſit licitum, tranſgrediar legem Dei, ſed culpa Prælati, ſiquidem hoc facio ex eius imperio, non ex meo iudicio: in dubio ergò potius volo obedire, etſi erravero, Prælatus ſibi imputet. Sane qui ſic operaretur licitè, & ſine peccato obediret; & tamen cùm dubio: ergò.

50 Ex quo ad vltimam replicam ex Moya reſpondeo, minimè eſſe durũ obligare ſubditum, vt conformet, vel poſitivè, vel negativè ſuum iudicium cùm iudicio Prælati in dubijs, hoc eſt, vt vel poſitivè iudicet eſſe licitum quod Prælatus præcipit, vt licitum, vel ſaltim vt non repugnet iudicio Prælati, iudicando vt illicitum quod Prælatus iudicat, vt licitum. Et ad probationem omiſſa maiore, diſtinguo minorem, conformare ſuum iudicium cùm iudicio Prælati poſitivè eſt vltimus gradus perfectionis, tranſeat minor: conformare tale iudicium negative, nego minorem, & conſequentiam in eodem ſenſu. Quià ſubditus non tenetur ad conformandum ſuum iudicium cùm iudicio Prælati poſitivè determinate iudicando opus præceptum eſſe licitum; ſed diſiunctim, vel hoc modo, vel ſuſpenſo iudicio non repugnando menti ſuperioris; vnde non obligamus ſubditum ad vltimum gradum perfectionis in obediendo; ſed ſolum ad obediendum modo licito. Cùm autem modo licito obedire

dire non poſsit, niſi conformando ſuum iudicium cum iudicio Prælati, vel poſitivè, vel negativè, quià ſi iudicat opus præceptum eſſe illicitum, obedire nequit licitè; ideò obligamus ſubditum ad conformandum ſuum iudicium, vel poſitivè, vel negativè. Quod quidem minimè durum reputari debet, nàm vel tanta eſt ratio, quam habet pro eo quod ſit illicitum opus præceptum à Prælato, vt nec iudicare poſsit oppoſitum, nec de hoc dubitare, vel non eſt tanta, vt collata cum motivis oppoſitis, & cum authoritate Prælati præcipientis, non cedat, vel ſaltem det locum dubio. Si primum non obligamus ſubditum ad obe diendum, imò eum obligamus vt non obediat. Siquidem quandiù tanta eſt ratio pro eo quod opus præceptum ſit illicitum, vt ſubditus de hoc dubitare non poſsit, ſed adhuc manet certus de eo quod ſit illicitum, tunc minimè tenetur obedire Si ſecundum, non eſt durum obligare ſubditum, vt vel iudicet opus eſſe licitum, ſicut iudicat Prælatus, vel ſaltem quod dubitet, & temerè non iudicet Prælatum præcipere contra legem Dei: quandoquidem ſic ſe gerere poteſt, & conſequenter debet.

51 Sed inquires, vtrùm prædicta doctrina teneat etiam, quando Prælatus non præcipit rigoroſè, ſed ſimplici ordinatione dictat ſubditis quid ſit agendum? Reſpondeo, idem dicendum, nimirùm ſubditum poſſe licitè obedire in dubio prædictæ ordinationi ſimplici, dirigendo ſe per dictamen ſui Prælati, eique relinquendo onus reddendæ rationis coram Deo de tali opere. Et ratio eſt, nàm Prælatus non ſolùm habet authoritatem, & aſsiſtentiam ſpecialem Dei præ ſubdito in his, quæ præcipit ſub rigore obedientiæ, ſed etiam in his, quæ ordinat vt agenda à ſubditis ad bonum regimen communitatis, ordinatione ſimplici, & non obligatoria ſub mortali: ergò etiam in his poteſt ſubditus in caſu dubio ſe dirigere per ordinationem Prælati. Nihilominus ſemper cavendum eſt ſubdito, nè dubium proprium, vel æqualis probabilitas in ſua mente oriatur ex aliqua circunſtantia, vel motivo occulto, & ignoto ipſi Prælato, ità vt præſumere poſsit, quod ſi Prælato notificetur tale motivum, vel circunſtantia, etiam ipſe dubitaret, & à præcipiendo abſtineret; quià tunc caſus debet ſubditus humilitèr, & modeſtè Prælatum advertere de illa circunſtantia, vel motivo. Quod ſi hoc non obſtante, Prælatus non dubitet, ſed conſtantèr præciat, debet obedire ſubditus abſque litigio.

QVÆSTIO XXXIX.

An liceat Magiſtro, aut Doctori Theologo docere doctrinam minus probabilem, relicta probabiliori oppoſita?

1 QVÆSTIO Hæc haud parvi momenti eſt, & quæ decidi oportebat ab alio, quã ab homine, qui ſuprà humanam maiore polleret authoritate, cui homines refragari non poſſemus. Cum enim diſſertatio iſta neceſſariò continere debeat doctrinam moralem directivam Magiſtrorum in ipſo munere docendi, qualitèr qui nec inter Magiſtros adhuc computari meretur, audebit doctrinam tradere Magiſtrorum directivam, vt talium, ſanè nullam prorſus ex me authoritatem ſibi conciliabit apud Magiſtros, & Doctores, doctrina, quam in præſenti tradidero; ſed quià æquitas, & ratio ipſa, etiam traditore, vel ſcriptore contempto, Magiſtros etiam doctiſsimos diſplicere non valet, potiſsimè, ſi obſervent illud Senecæ: *Non quis dicat, ſed quid dicatur attende*, ideò paucula, quæ meditavi dicere non omittam, anſam poſteris præbens, vt in hac tanti momenti diſſertatione, maiori cum eruditione, & energia, quanta debeat Magiſtris ineſſe cura pro veritate pura, & ſincera in omnibus tradenda diſputationibus, explicare aggrediantur.

§. I.

Noſtra ſententia probatur.

2 DICO Igitur: *Quilibet Doctor, ſeu Magiſter, ſive in ſcriptis, ſive in dictatis, tenetur ſaltem ſub veniali eam ſententiam docere, quæ ſibi probabilior apparuerit, nec poteſt ſine veniali ſaltem docere minus probabilem.* Probatur; quià Doctor, ſeu Magiſter tenetur pro ſuo poſſe docere veritatem, & non falſitatem; ad hoc enim Doctores, & Magiſtri ſunt inſtituti, vt à Diſcipulorum mente errorem, & falſitatem depellant, eoſque veritate imbuant. Sicuti enim Diſcipuli, ſive incipientes, ſivè proficientes, veritatem quærere tenerentur; ità Magiſtri, & Doctores veritatem tradere obligantur, quantum poſſunt; ſed huic inſtituto, muneri, & obligationi deficit Doctor, ſi minus probabilia doceat: tene-

tenetur ergò, ſaltem ſub veniali, minus probabilia non docere. Minor probatur; quià ille, qui doceret ſententiam minus probabilem, & minus veriſimilem, relicta probabiliori oppoſita, convinceretur ſeriò non procurare inſtituere diſcipulos in cognitione veritatis; ſed magis inducere eos in falſitatem, & errorem: ſed eo ipſo deficeret ſuo muneri, & inſtituto: ergò. Maior probatur; nàm inter opiniones oppoſitas, ea, quæ eſt probabilior, eſt proximior veritati, ea verò, quæ eſt minus probabilis, eſt à veritate remotior, & conſequentèr falſitati proximior; ſed qui doceret diſcipulos ſententiam à veritate remotiorem, & proximiorem falſitati, convincitur, quod ſeriò non procuraret imbuere diſcipulos cognitione veritatis; ſed magis eos à veritate removere, & in falſitatem inducere: ergò.

3 Sed dices: quid interſt adinſtructionem diſcipulorum docere, quod continuum componatur ex ſolis indiviſibilibus, aut docere quod componatur ex partibus in infinitum diviſibilibus? Quid interes, ſivè doceat materiam exiſtere per propriam, ſive per alienam exiſtentiam? Quid de alijs huiuſmodi, in quibus neutra ſententia præ altera ad vitam humanam rectè agendam conducit, & ſolùm doceri videntur exercitandi ingenij cauſa? Ergò in his licitè Magiſter, ſeu Doctor docere poterit quamlibet, ſive minus, ſive magis probabilem. Sed contra; nàm licet in his, docendo minus probabilia, valdè levius ſit peccatum, nihilominus adhuc in his nullus Doctor abſque omni veniali peccato poteſt ſcientèr, & voluntariè minus probabilia docere: ergò ruit ſolutio. Probo antecedens; quià adhuc in his, ſeu circa hæc inſtitutus eſt Doctor, vt diſcipulos curet inſtruere in veritate: ſed ſi doceat minus veriſimilia, convincitur procurare eos à veritate removere, & in falſitatem inducere: ergò, licet in materia levi, deficit Magiſter, ſeu Doctor propriæ obligationi, & inſtituto, ſi minus probabilia etiam in dictis controverſijs doceat.

4 Confirmatur primò, quià licèt prædictæ, & ſimiles controverſiæ proximè non conducant ad vitam humanam rectè agendam in obſequium Dei, remotè tamen ſæpè conducere ſolent; nàm ex illis levibus, & parvi momenti controverſijs ſolent deduci conſequentiæ ad alias maioris momenti, & valdè Theologicas; & item quià intellectus ità ſolet diſcurrere in controverſijs magni momenti, ſicut aſſuetus eſt diſcurrere in controverſijs levioris momenti: ergò diſcipuli imbuti in prædictis controverſijs doctrinis minus ſolidis, àc minus veritati inhærentibus, diſponuntur ad diſcurrendum, & iudicandum in controverſijs maioris momenti, etiam ſecundùm opniones minus ſolidas. Qui enim in controverſijs purè philoſophicis pruritu ingenij, aut novitatis, & non veritatis deſiderio, laborat, abſdubio ſic aſſuetus in Philoſophia eundem in Theologia ſervavit morem.

5 Confirmatur ſecundò: Actus, qui in materia gravi, & magni momenti eſt peccatum grave, in materia levi eſt peccatum leve: ſed Doctorem ſcientèr, ſeu voluntariè docere minus probabilia in rebus magni momenti, eſt peccatum grave: ergò docere minus probabilia ſcientèr, aut voluntariè in rebus parvi momenti, erit peccatum leve. Minor probatur; nàm docere minus probabilia in rebus magni momenti, eſt fallere diſcipulos formalitèr, vel æquivalentèr in controverſijs magni momenti: ſed hoc neceſſariò eſt peccatum grave: ergò & docere minus probabilia in rebus magni momenti. Maior probatur; nàm quidquid Magiſter docet ſeriò, docet vt verum, & ſub ratione veri, vel ſaltem vt magis probabile. Quotieſcumque enim Magiſter in docendo vnam ſententiam præfert oppoſitæ, tradens illam diſcipulis, alia reiecta, illam tradit, vt veram, vel ſaltim, vt ſibi probabiliorem: ſed docere vt veram, vel vt probabiliorem ſententiam, quæ ipſi docenti eſt minus probabilis, eſt apertè fallere auditores, vel diſcipulos: ergò docere minus probabilia in rebus magni momenti, eſt fallere diſcipulos in re gravi.

6 Explicatur: Tripliciter poteſt Doctor docere vnam ſententiam, primò purè docendo eam eſſe probabilem, & nihil aliud, & de hoc modo docendi non loquimur; nàm hoc pacto imprimis poteſt vtramque ſententiam oppoſitam docere ſimul, dicendo vtramque eſſe probabilem, quo pacto non docet aliquid minus probabile, ſed aliquid certum. Secundò poteſt docere aliquam ſententiam, dicendo, eam ſibi eſſe minus probabilem oppoſita: & hoc imprimis non eſt docere, ſed potius reijcere illam ſententiam: itemque, ſi illa ſit ſibi minus probabilis, certum eſt, quod non peccabit, nec levitèr quidem; quià docet vt minus ſibi probabile, quod re ipſa ità ſibi videtur. Tertiò poteſt docere aliquam ſententiam, contendendo, & dicendo ipſam eſſe veram præ oppoſita, vel ſaltem probabiliorem, eam confirmando ſeriò, & oppoſitam reijciendo,

& hoc eſt propriè docere aliquam ſententiam; ſed ſi hoc pacto doceat Magiſter ſententiam, quàm agnoſcit minus probabilem præ oppoſita, neceſſario fallit diſcipulos, ſiquidem ipſis docet vt veram, aut probabiliorem opinionem, quæ ſibi vel falſa, vel minus probabilis eſt: ergò hic modus docendi intrinſecè illicitus eſt, vtpotè fallax, & contra veracitatem quam obſervare tenetur Doctor in docendo multò amplius, quàm quilibet ſimplex homo in loquendo.

§. II.

Evaſiones, & Doctrina P. Terilli rijcitur.

7 PATER Terillus Probabiliſmi potiſsimus aſſertor, pluribus in locis contrariam tenet ſententiam, imprimis enim quæſt. 23. num. 11. loquens de opinionibus contrarijs in materia fidei, expreſsè ait: *Quod quando certò conſtat vtramque eſſe probabilem, & neſcitur quænam ſit probabilior, tunc vnuſquiſque eligere poteſt quamcumque voluerit, vt eam teneat, atque etiam in ſcholis tradat, niſi peculiaris lex id ipſum prohibeat. Neque enim ideò quis reprehendi poteſt, quod talem opinionem doceat, alijſque, vt eam teneant, perſuadeat; idem valet de parte minus probabili, &c.* Sed, vbi expreſsius hanc tenet, & explicat ſententiam, eſt in quæſt. 10. per totam; ibi num. 7. ad marginem ſic ait: *Doctor pauper prudentius docet opinionem minus probabilem, vt ſtipendium, quo indiget, obtineat, quàm omittat ſtipendium abſque alio emolumento, ne doceat opinionem minus probabilem.* Vnde num. 6. hanc ponit aſſertionem: *Si finis voluntatis ſpectetur, ſæpè voluntas prudentius agit, imperando aſſenſum motivo minus probabili, quàm magis probabili.* Quod probat, quià poteſt contingere, quod ex aſſenſu præſtito motivo minus probabili, maximum emolumentum accedat voluntati, ſecus autem ſi aſſentiatur motivo probabiliori. Quod exemplificat primò caſu quo in aliqua vniverſitate ſit inſtituta cathedra pro docenda aliqua ſpeciali opinione, cùm ea conditione, vt nullus ſtipendium talis cathedræ accipiat, niſi iuret ſe abſolute exiſtimare veram illam ſententiam. In hoc caſu, inquit Terillus: *Vir doctus, ſed pauper, cui oppoſita ſententia apparet probabilior, ſi invitetur ad lectionem illam, prudentius faciet, determinando intellectum ad illam credendam opinionem, quæ ſibi antecedenter minus probabilis apparebat, quàm oppoſita. Imò imprudenter ageret, tale iudicium non imperando, ſi nulla alia via ad indigentiam ſublevandam ſuppeteret.*

8 Secundò exemplicat in eis, *Qui iurant in verba Magiſtri, qualis eſt tàm illa Thomiſtarum, qui iurant, ſe non receſſuros à doctrina D. Thom. quàm aliorum ordinum, qui abſque vlla obligatione laudabiliter ſuum Authorem mordicus defendunt. Vtilitas enim propagandi ſententias tàm illuſtrium Doctorum ad perpetuum talis familiæ decus, reddit talem vſſum, imò & tale iuramentum valdè prudens, quod alioquin, non adeò prudenter iniri poſſet.* Quod confirmat; quià *fieri nequit, quin plures talium familiarum Doctores in aliqua ſaltem peculiari opinione ſæpè videant rationes antecedenter probabiliores pro parte oppoſita; qui tamen longè prudentius ſententiam ſuam defendunt, docent, & amplectuntur, quàm ſi illam in ſecreto mentis deſererent, maximè quando ſua autheritate debent diſcipulos in ea confirmare; nàm ſi diſcipuli peterent à Magiſtro, vtrum credat illam ſententiam veram eſſe, & ille pro falſa illam ſe habere diceret, ingens inde dedecus familiæ prævenire poſſet, quod certè non expedit.* Et rurſus confirmat, *niſi enim iudicium partis minus probabilis in ſenſu compoſito apparentiæ validioris pro parte oppoſita eſſet intrinſecè prudens, illicitum eſſet Thomiſtis voto ſe obligare ad ſectandam in omnibus doctrinam ſui Magiſtri; illicitum enim eſt obligare ſe ad iudicium intrinſece imprudens:* At neceſſario ad id obligarentur; nàm fieri non poteſt, quin aliquæ ſaltem ſententiæ S. Thom. hic, & nunc aliquibus ſaltem Magiſtris appareant minus probabiles oppoſitis: ergò ſi obligent ſe ad ſectandam doctrinam ſui Magiſtri, obligant ſe ad iudicium imprudens, aut certè ſe exponunt evidenti periculo talium iudiciorum, quod etiam eſt illicitum.

9 Quàm doctrinam immediatè aſſertione 2. applicat ad materiam moralem, dicens, quod: *Si ſermo ſit, àn res aliqua liceat, ſæpè eſt longè prudentius iudicium aſſixum motivo minus probabili, probabiliore relicto.* Quod probat; nàm *non magis refert intellectui, vt intellectus eſt, ſi decipiatur, aut deceptionis periculo exponatur in practicis, quàm in ſpeculativis.* Secundò probat; *nàm voluntas, ſpectato fine ſuo proprio, prudenter affigit intellectum ad probabiliter credendum quod liceat pingere in die feſto, v.g. licet oppoſitum ſit probabilius; quià ſic ex vna parte plurimum promovet bonum ſuum, cùm auferat à ſe obligationem abſtinendi ab illo opere, & ex alia nihil detrimenti patitur; nàm etſi iudicet quod liceat pingere, adhuc fruitur tota ſua libertate ad non pingendum.* Hactenus Terillus.

Con-

10 Contra quem, & in confirmationem noſtræ ſententiæ, ſic inſurgo primò. Nàm Doctor, ſeu Magiſter, quantumvis pauper, ſi ob inopiæ timorem ſententiam ſibi minus probaqilem doceret, vt veram, aut iuraret ſe illam credere, vt veram, minimè liberaretur à mendacio, & periurio: ergò non liceret illi eam ſententiam docere, vt veram, minuſque in eam iurare prædicto modo. Antedens probatur primò, quià licet affectaret ſe illam credere, vt veram, re ipſa, & ingenuè hoc non crederet, ſiquidem impoſsibile eſt, quod in ſenſu compoſito apparientiæ validioris pro oppoſito, crederet ingenuè, & ſeriò minus probabilem eſſe veram, & oppoſitam falſam: ergò docens illam, vt veram, mentiretur, àc peieraret. Secundo: quià manifeſtè falleret audientes; auditores enim alicuius Magiſtri, dùm audiunt eum docentem ſeriò aliquam ſententiam, vt veram, àc iurantem illi vt veræ aſſentire, ſtatim intelligunt Magiſtrum eam tenere, quià probabiliorem ſibi, non præcisè ex maiori affectu voluntatis ergà eam, ſed ex maiori pondere rationum, vel authoritatum: ſed Doctor ille pauper minimè eam ſententiam crederet, aut doceret, vt veram ex maiore pondere rationum, ſed ex maiori affectu voluntatis ergà illam, & ob inopiæ timorem: ergò manifeſtè falleret auditores, eam ſententiam, vt veram præferens oppoſitæ, tanquàm falſæ. Explicatur: iuxtà ipſum Terillum locutio exterior aſſertiva, qua quis ſeriò docet aliquam opinionem, *non ſignificat ſolum eam opinionem eſſe probabilem; ſed eſſe ſimpliciter veram*: ſed qui maiori pondere rationis, & authoritatis fertur, & inclinatur in ſententiam negativam, v. g. licet affectu voluntatis inclinare conetur intellectum in affirmativam, nequit ingenuè, & veracitèr aſſerere affirmativam ſimpliciter eſſe veram poſtpoſita negativa, & ſi hoc diceret, vel formaliter, vel æquivalenter falleret auditores: ergò. Explicatur amplius: ſi aliquis Doctor poſtquam ſeriò in ſcriptis dictaſſet diſcipulis ſententiam, affirmantem, v. g. *eſſentiam creaturæ identificari cum exiſtentia*, tandem diceret diſcipulis, ſe illi ſententiæ aſſentire, non ex maiori pondere motivorum, & fundamentorum pro illa, cum potius præciſivè ab affectu voluntatis, oppoſita eſſet ſibi probabilior, & eius fundamenta graviora; ſed tantùm, ob inopiæ timorem, ſe illi ſententiæ affectum, & aſſenſum inclinaſſe, reiecta oppoſita antecedentèr ſibi probabiliori, manifeſtè diſcipuli ſe deceptos putarent à tali Magiſtro, ipſumque indignum cenſerent, cui fides adhiberetur, ſi in poſterùm ſe diceret ſimili modo ſententias electurum: ergò ſignum eſt, quod talis modus docendi fallax, & deceptorius eſt.

11 Secundò ſic inſurgò: nàm ſi ob inopiæ timorem liceret aſſentiri opinioni antecedentèr minus probabili, eamque publicè diſcipulis dictare, id que prudentius eſſet, vti aſſerit Terillus, prudentius eſſet Doctori pauperi Thomiſtæ abiurare ſcholam Thomiſtarum, licet ſibi antecedentèr probabiliorem, ſcholamque Ieſuitarum, vel Scoticam publicè profiteri, vnicè quià ſub hoc onere promitteretur Cathedra conſiderabilis ſtipendij in Vniverſitate, nec video differentiam vllam huius caſus ab eo, in quo ponit exemplum Terillus: atqui hoc eſt falſiſsimum: ergò & illud. Minor probatur; nàm quod prudentius eſt, laudabilius eſt: atqui ille modus tranſmigrandi de ſchola, aut ſententia probabiliori in minus probabilem ob inopiæ timorem, & ob temporale ſtipendium nedùm non eſt laudabilior, ſed nec laudabilis, imò turpis valdè, & viro gravi indignus prorsùs àc indecorus: ergò non eſt prudentius in illo caſu ſententiam Thomiſticam antecedentèr probabiliorem deſerere, & oppoſitæ aſſenſum, & patrocinium præſtare, vnicè ob inopiæ timorem, & ad paupertatem ſtipendio Cathedræ ſublevandam.

12 Vrgetur primò: illud eſt indecorum viro gravi, quod ab omnibus vituperatur, & quod nullus vir gravis de ſe fateri vellet: atqui ſi forsàn de aliquo Doctore, aut viro alio gravi, credatur eum deſſeruiſſe vnam ſcholam antecedentèr ſibi probabiliorem, vnicè propter obtinendam Cathedram magni ſtipendi, vel ob aliud lucrum temporale, id abomnibus vituperaretur, indeque magna ex parte talis Doctoris authoritas minueretur, & nullus vir gravis talem modum mutandi ſententiam fatebitur: ergò talis modus tranſmigrandi de ſchola ad ſcholam, de ſententia in ſententiam indecorus eſt viro gravi, àc per conſequens illicitus, & non prudens.

Vrgetur ſecundò: nàm aliàs Doctori, qui ſemel pro Cathedra tanti ſtipendij tranſmigravit ad ſcholam, aut ſententiam Ieſuiticam, licitum foret iterum poſt breve tempus ad Thomiſticam redire, ſi ei Cathedra maioris ſtipendij promitteretur, & ſic ob temporalia ſtipendia poſſet Doctor, & vir gravis mutare ſententias, paritèr & ſcholas, idque prudentius eſſet, ſi Terillo credimus: at quis non

videat

videat hoc viris gravibus, àc Doctoribus Theologis indecorum valde esse, imò & apperire viam innumerris absurdis; inde enim liceret Doctoribus, & Magistris vendere opiniones probabiles, imò & veracitatem ipsam, siquidem liceret ità pacisci cùm Thomistis, v.g. Si mihi obtinueritis hanc Cathedram tanti stipendij, docebo doctrinam thomisticam esse veram, & oppositam falsam, & similiter cùm Iesuitis, & cùm Scotistis, imò & vniversaliter sic promittere: illius Scholæ sententiam docebo esse veram, quæ mihi maius stipendium, aut emolumentum temporale obtinuerit: sed hoc esset apertissimè veritatem venundare, eamque nundinis exponere: ergò

13 Inde etiam, si id liceret, magnus sequeretur comtemptus Doctorum, & Magistrorum, imò & vniversitatum si enim huiusmodi stillus eligendi, & præferendi opiniones opinionibus pro temporali lucro, aut stipendio, prudens, aut prudentior reputetur, quàm fidem merebuntur Doctores, & Authores? Nullam sanè. Certè si de me ipso existimarem, quod amore lucri, stipendij, aut alterius emolumenti temporalis, & non potius amore veritatis, & ex maiore rationis, & authoritatis pondere, has sententias, quas publica luce dono, oppositis præferrem, putarem sanè me fallere, àc decipere lecturos, omnique fide proinde indignus existerem, contemptui potius habendus, quàm honori, &, vt sal infatuatum, omnium pedibus merito conculcandus. Id ipsum fateri teneretur de se quicumque Doctor, seu Magister, seu publicus Author, vt publicam fidem suis scriptis, aut assertis conciliet. Nàm aliter, si sal infatuatum fuerit, id est, si mens Doctoris policitatione temporalis emolumenti corrumpatur, & vt Iudex corruptus sententiam proferat, non pro parte, quæ maiori pondere rationum nititur, & quæ præ altera opposita meretur assensum, sed pro ea, ex qua maius emolumentum sperat, ad quid prodest, nisi vt mittatur foras, iuxta sententiam Salvatoris, & conculcetur ab hominibus? Quin imò vlterius sequeretur, quod vniversitates potius essent nundinæ, inquibus Doctores pro temporalibus emolumentis, veritatem proderent maiora promittentibus, quàm Scholæ, inquibus veritatem serio traderent adiscentibus, iuxta integrum, & incorruptum vniuscuiusque iudicium, quod omni absurdo absurdius est.

14 Dices forsàn: negari nequit quod huiusmodi stillus plurimum prævaleat in scholis vniversitatum, permultosque esse, qui pro ea schola, & sententiæ suffragium præstent, non quæ maius pondus authoritatis, & rationis, sed ex quà maius emolumentum temporale assequi sperant: sed rigidum videtur hos omnes reos facere culpæ, & peccati: ergò. Respondeo, prædictum stilum non ità plurimum viguisse, nec ità per multos esse, qui sic se gerant, quin etiam sint plures Doctores mente integra, qui minimè temporali aliciantur emolumento ad præferendam hanc scholam, vel sententiam oppositæ; sed ingenue quod sibi videtur probabilius, præcisivè à passionibus, & affectibus voluntatis, doceant. Quod si alij aliter faciunt, in hoc non sunt laudandi, vt prudentiores, nisi forsàn de prudentia filiorum huius seculi sermo sit; sed id tribuendum est fragilitati humanæ, quæ paucos homines finit integrè, & absque peccato obire munera propria, àc proinde nihil mirum quod paucos patiatur esse Doctores, qui integrè, & incorrupta mente munus impleant docendi, secundum quod ab Ecclesia huic muneri præficiuntur. Et quidem multitudo eorum, qui prædictum stilum eligendi sententias pro maiori temporali emolumento inde sperato ad praxim vertunt, minimè arguit id esse licitum, prudens, & honestum, imò potius oppositum evincit, siquidem id non palam, nec manifestè, sed clam, & in occulto tantum exercent, nullusque erit vir gravis, qui fateri non erubescat se temporali emolumento allectum sententiam sibi antecedenter minus probabilem profiteri vt veram, oppositamque, quià non ità proficuam, licet probabiliorem, deserere tanquam falsam. Inde autem manifestè constat prædictum modum eligendi sententias minimè prudens, aut honestum esse; sed potius inhonestum, & illicitum; nàm qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, quià mala sunt.

15 Iàm secundum exemplum, quo vtitur Terillus, eadem absurda pariter; nàm si Doctori cuiuslibet familiæ licitum, honestum, àc prudentius multo sit, docere vt veram opinionem Authoris domestici, quàm antecedenter ad affectionem voluntatis ingenuè minus probabilem agnoscit, & oppositam probabiliorem, vnicè quià propagare sententias Authorum domesticorum ad perpetuum propriæ familiæ decus conducit maximè. Itemque si licet tali Magistro, discipulis interrogantibus, àn credat eam sententiam, vt veram, affirmativè respondere, etiam si illam antecedenter, & ingenuè existimet mi-

minus ptobabilem, ne videlicet ingens dedecus propriæ familiæ indè proveniat, aperte ſequitur nullam omninò adhibendam fidem talis familiæ Magiſtris, imò nullam auhoritatem, aut probabilitatem addere ſententiæ, cui adſtipulantur, vtpotè cùm eam tradant, non quià rationi, & authoritati conformiorem; ſed quià ad decus propriæ familiæ vtiliorem. Imò tale motivum præferendi ſententias domeſticas ſe ipſum manifeſtè deſtrueret, ſiquidem ea ipſa via, qua decus propriæ familiæ quæreretur, dedecus ingens talis familia incurreret. Quod enim maius dedecus alicui familiæ inferri poſſet, quàm ſi verè de illa dici poſſet, talem, vel talem ſententiam mordicus propugnare, non quià probabiliorem, ſed quià decori, & famæ propriæ vtiliorem? Et vt Terillus ipſe manifeſto experimento convincatur, rogo, àn quis, ſinè Societatis iniuria, aſſerere valeat, quod eius Doctores non ideò propugnaverè mordicùs ſententiam Molinæ de concordia prædeſtinationis, & gratiæ cùm humana libertate per præſcientiam illam conditionatam futuri conſenſus, quam ſcientiam mediam nuncupant, quià eam probabiliorem ingenuè exiſtimarunt, ſed quià ingens dedecus ſequeretur, ſi Molinæ ſententiam, vti falſam, deſſererent; & ne hoc dedecus incurrerent, omnes in eam conſpiraſſe ſententiam, licet minus probabilem oppoſita. Rogo, inquam, àn qui ità proferret, inferret iniuriam præclariſsimæ Societatis familiæ, vel non? Si non inferret calumniam, ſed potius adſcriberet magnam prudentiam, iàm ergò inoffenſo pede, conſentientibus Doctoribus Societatis, id poterunt dicere Thomiſtæ omnes, & nullum erit diſsidium intellectuale inter Thomiſtas, & Ieſuitas, quantum ad hanc partem, ſiquidem vel ipſi Ieſuitæ fatebuntur doctrinam Thomiſtarum, præciſivè ab affectione voluntatis, probabiliorem eſſe maiorique rationum, & authoritatum pondere innixam, quàm ſcientia media, ſolumque erit diſsidium, quatenus, hoc non obſtante, Societatis Doctores ad decus propriæ familiæ conſervandum affectum, & aſſenſum inclinant in talem ſententiam præ oppoſita.

16 Si verò id dicere ad iniuriam, & calumniam ducunt, vti revera eſſet, ſi talis modus propugnandi ſententias præclariſsimis eius familiæ Doctoribus adſcriberetur: ergò ſignum eſt, quod talis modus propugnandi ſententias domeſticorum, nedum non conducit ad perpetuum propriæ familiæ decus, ſed potius ingens dedecus ei afferret, vtpotè qui eorum authoritati maxima ex parte derogaret, adeò vt nec illis quantum ad veracitatem opinionis aſſertæ vix vlla fides adhibenda foret, nec eorum patrocinium vllam afferret maiorem probabilitatem parti, cui faveret.

17 Quanto ergò vtilius eſt ad perpetuum decus cuiuſvis familiæ, quod eius Doctores, & Magiſtri eas tantum ſententias docere ſtudeant, quas præciſivè ab affectione voluntatis erga proprios Doctores, aut independenter ab vlla connexione temporali, conformiores invenerint rationi, & authoritati, id eſt, probabiliores: hoc ſanè Doctoribus talis familiæ magnam conciliaret authoritatem, vtpotè de quibus crederetur, quod veritatem, authoritatem, & rationem humanis reſpectibus præferrent, & omni temporali vtilitate poſthabita, veritati, rationi, & authoritati vnicè conſulerent, indeque verum, àc ſolidum decus propriè familiæ accreſceret, ſicuti re ipſa accreſcit eis Religionibus, qui publicis ſtatutis ſuis Doctoribus, & Magiſtris præcipiunt, vt pro diſcipulis erudiendis probabiliores eligant ſententias, àc doctrinas.

18 Et quod mihi maximoperè diſplicet, eſt quod P. Terillus eundem morem eligendi, & dictandi ſententias minus probabiles, conetur extendere ad moralia, quandò ſcilicet controvertitur de alquo opere àn liceat, necne? Cùm tamen inde multò maiora ſequantur abſurda, ſi enim propter emolumentum temporale liceat docere ſententiam minus probabilem pro licito, quis non videat, hoc pacto, aperiri viam, vt quilibet Doctor venundare poſsit ſententias morales, maius emolumentum temporale pollicentibus. Et quod aliter pro amico, aliter pro inimico dubia moralia decidere licebit, nimirum amico pro libertate, quià amicus eſt, inimico pro lege, quià infenſus eſt. Imò & licebit divitibus pro libertate, & licentia conſulere, quià ex illis magnum poteſt ſperari emolumentum; non divitibus vero pro lege, & obligatione, quià inde nullum Doctori accedit ſubſidium. Item ſequitur, quod Doctor, relictis probabilioribus pro lege, ſemper minus probabilia dictet, & ſecundum ea conſulat pro libertate, & licentia, ſiquidem hoc pacto conſulentes liberabit ab obligatione legis, iuxta Terillum, & conſequenter magnam apud eos comparabit acceptationem; indeque fiet, vt ſententiæ veriores, & probabiliores pro æquitate, pro lege, pro obligatione, & pro officio, àc Doctores, qui eas docere, àc tradere ſtuduerint,

con-

contemptui habeantur, & riſui. Sileo alia plura, quæ facilè ingeminare poſſent, quià cuique obvia.

§. III.

Solvuntur aliquæ obiectiones.

19 IGITVR Primò ex doctrina Terilli obijcies in hac forma. Licitum eſt voto, vel iuramento ſe obligare ad docendas aliquas ſcientias minus probabiles: ergò & licitum eſt eas docere. Antecedens probatur; nàm in Salmantina Vniverſitate conſuetudo, vel conſtitutio eſt Laureandis, vt iurent ſe non receſſuros à doctrina D. Auguſtini, & D. Thom. ſed hoc iuramento neceſſariò ſe obligant ad docendas aliquas ſaltem opiniones minus probabiles: ergò. Minor probatur; nàm hoc iuramento ſe obligant ad docendas omnes, & ſingulas doctrinas, & ſententias D. Thom. ſed impoſsibile eſt quod eis Laureatis non appareant plures, vel ſaltem aliquæ ex illis minus probabiles oppoſitis: ergò ſe obligant ad docendas plures, vel aliquas doctrinas ſibi antecedenter probabiliores Confirmatur primò: nàm idem iuramentum poſſent emittere Doctores cuiuſvis religioſæ famllię de docendis opinionibus alicuius domeſtici, & illuſtris Doctoris, vt Sacra Minorum Familia pro Scoto, Auguſtiniana pro Ægidio, Carmelitana pro Baconio, &c. Vel ſaltem ad id poſſunt generalibus conſtitutionibus Doctores obligare: ſed horum Doctorum ſententiæ, & ſcholæ non ſunt probabiliores: ergò poſſunt iuramento, vel conſtitutione obligari ad docendas opiniones minus probabiles, vel non probabiliores. Confirmatur ſecundò: nàm mos eſt in quacumque vniverſitate, vt Doctores Laureati patrocinium præſtent cuicumque propugnatori, quaslibet opiniones probabiles propugnanti: ſed impoſsibile eſt, quod Doctoribus illis omnes opiniones, quas propugnatores tuentur antecedentèr appareant probabiliores oppoſitis, cum ſæpè in vno menſe ſub eodem Doctore patrocinante propugnent ſubſtentantes contrariarum ſcholarum, & opinionum: ergò tunc neceſſum eſt Doctorem patrocinantem docere opinionem ſibi antecedentèr minus probabilem: atqui hoc laudi, & non vituperio vertendum eſt: ergò idem dicendum, ſi Doctor aliquis doceat opinionem minus probabilem.

20 Confirmatur tertiò; quià ſæpè in Vniverſitatibus occurrit publicus concurſus pro obtinenda Cathedra Durandi, vel Scoti, v. g. cum tamen opiniones Durandi omnibus ferè parum, aut minus probabiles antecedentèr videantur: ſed hoc non obſtante, in illo concurſu pro Durando legunt Thomiſtæ, Scotiſtæ, Ieſuitæ, &c. eiuſque opinionibus patrocinium præſtant, imò quicumque Cathedram obtinuerit, obligatur doctrinam Durandi tradere: ergò licitum eſt, imò & laudabile opiniones minus probabiles tradere, & docere. Quartò: nàm Doctores cuiuſlibet familiæ melius, & laudabilius faciunt, ſi opiniones domeſticorum promovere ſtuduerint, & publicè docere, quam ſi eas in ſecreto mentis deferant, ſiquidem illud ad decus familiæ, vel religionis conducit, ſecus iſtud: ſed ſæpè opiniones domeſticorum ſunt minus probabiles oppoſitis: ergò. Ac denique poteſt vrgeri exemplo illlo Doctoris pauperis ſuprà à Terillo oppoſito; durum enim eſt obligare ipſum, nè doceat eam opinionem ſibi minus probabilem antecedentèr, quando alitèr vix poſsit vitam decentèr alere, & eo pacto, ſublevare poſſet inopiam.

21 Reſpondetur, negando antecedens, ad eius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad eius probationem imprimis negari poteſt maior; nàm aliud eſt non recedere à doctrina D. Thom. aliud omnes, & ſingulas eius ſententias docere, hoc ſecundum vix eſſet poſsibile Doctori Theologo per diuturnam vitam, vndè ad hoc minimè obligatur vi talis iuramenti, ſed ſolùm ad illud primum, quod abſdubio implere valet, nullam docendo opinionem, niſi quæ ſibi antecedentèr probabilior viſſa fuerit cum oppoſita comparata, nàm cum ex innumeris concluſionibus D. Thom. & doctrinis eius liberum ſit ei eligere, quas maluerit, ad doctrinam publicam, dato caſu quod aliqua ſibi minus probabilis videretur, poſt legitimum examen illius, ea omiſſa, alias innumeras ad manum haberet ſibi probabiliores, quas licitè, & prudentèr docere poſſet: nec poſsibile exiſtimabo, quin Doctori ingenuo, tot occurrant in Div. Thom. doctrinæ probabiliores oppoſitis, quot ſufficiant ad docendum per integram vitam.

22 Deindè tranſacta maiori, nego minorem; nàm authoritas, & credibilitas doctrinæ D. Thom. tanta eſt,

vt meritò apud Doctores ingenuos, & docilitate animi pollentes poſsit reddere quamlibet ſuam ſententiam probabiliorem oppoſita, cùm peregrina, & rariſsima exceptione. Quod facilè quiſque fatebitur, ſi conſideret eius credibilitatis motiva. Primum quod ipſe Chriſtus eius doctrinam divino illo firmaverit oraculo: *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* Secundum, quod plures Chriſti Vicarij eam mirum in modum commendaverint, adeò vt dixerint tot miracula feciſſe, quot ſcripſerit articulos. Tertium, quod communi conſpiratione omnes Eccleſiæ vniverſitates, omnes familiæ religioſæ eum ſibi in communem, & præcipuum adſcripſere Magiſtrum, adeò vt ferè omnes, vel conſtitutionibus, vel ſtatutis ſuos obligaverint Magiſtros, vt eius doctrinæ in ſuis lectionibus conformentur, pœnis impoſitis eis, qui ab ea diſcordaverint. Quartum, quod Doctor fuerit præ omnibus alijs ad ſuſcipiendam divinam illuminationem aptiſsimus, tum ob eius ſilentij diuturnitatem; nàm ſilentium illud mirè diſponit ad audiendum Deum, interius docentem hominem ſcientiam. Tum quià à curis ſæcularibus, & vitæ activæ negotijs abſtractiſsimus, vtpotè qui curam animarum, nec paſtorale munus nunquam ſuſcepit, vt liberius ſtudio cæleſti vacaret. Tum, quià genium paccatiſsimum habuit, vtpotè cuius animus ſereniſsima tranquilitate vigebat ſemper, vt eius ſcripta manifeſtè declarant, in quibus nec adverſus Hæreticos ipſos bilem movet, ſed modeſtia quadam ſuperna, veluti copioſus, àc ingens fluvius perenniter pariter, & quietè decurrit, quod aperte declarat animum eius humanis affectionibus ſuperiorem, Angelicum potius, quàm humanum extitiſſe. Quintum, quod in omnium SS PP. & Antiquorum Philoſophorum lectione verſatiſsimus, nihil non eructat Antiquæ Philoſophiæ, àc Theologiæ conſentaneum, ità vt in ipſo per compendium habeatur, quidquid melior antiqua philoſophia ratione naturali detexit, & quidquid SS. PP. vnanimis conſenſus edocuit. Sextum, quod Sacram Theologiam non ſemel, aut bis, ſed ſexies, vel ſepties dictaverit, in eiſdem placitis ſemper conſtans, & ferè nihil correctione dignum inveniens. Ac denique, vt alia innumera omittam, quod ipſe de ſe ipſo teſtatus fuerit, quidquid ſciret, non tàm labore acquiſitum, quàm divinitus traditum accepiſſe. Hæc igitur, & alia motiva ità extollunt Authoritatem, & credibilitatem doctrinæ Div. Thom. vt iure meritò præferri debeat cuilibet noſtro naturali diſcurſui, & rationi, ità vt apud genium docile pluris ſit vnum Div. Thomæ teſtimonium, quàm in contra per plura ratiocinia propriæ mentis. Ac proinde nihil mirum ſi dicam omnes, & ſingulas doctrinas Div. Thom. ſemel quod conſtet ipſius eſſe aſſerta, probabiliores evadere ex ſola Authoritate Angelici Præceptoris, quidquid in contra militet poſterorum authoritas, aut ratiocinium; nàm omnibus longè præſtat D. Thom. teſtimonium. Præterquam quod ipſe Angelicus P. profundiori diſcurſu, quidquid dicit, ad prima principia reſolvit, in quo nec præſtantiorem habuit, nec habebit æqualem. Quod ſi forsàn aliquis Div. Thom. diſcurſus alicui, attenta ſua propria intelligentia, minus videatur probabilis, eius tamen authoritas tanta eſt, vt iure quis in ſimili conflictu potius exiſtimare debeat ſe non capere mentem ipſius, quàm Sanctum Doctorem minus probabilia, aut falſa docuiſſe, & tandem concludere apud ſe probabilius eſſe, vel re ipſa verum quod Angelicus Præceptor edocuit, quidquid propria mens reluctet, quod enim ratio propria reſiſtit vincit authoritas tanta, & iure merito fides tantæ debita authoritati præferri meretur noſtræ, (quantumvis viſæ nobis efficaci) rationi.

23 Hæc quidem omnia ſufficientiſsimè honeſtant iuramentum exhiberi conſuetum à Laureandis Salmantinæ Vniverſitatis, àc laudabiles valde reddunt conſtitutiones plurium familiarum, quibus ſub certis pœnis obligant ſuos Magiſtros ad ſequelam Doctoris Angelici, non quià licitum, prudens, aut prudentius ſit docere minus probabilia contra probabiliora, ſed potius, quià prædicta vniverſitas, & ceteræ religioſæ familiæ obligare contendunt ſuos, vt probabiliora ſemper doceant, & ad hoc præſcribunt pro regula Doctoribus, & Magiſtris, vt doctrinæ Div. Thom. conformentur in omnibus, in qua non niſi probabiliora, imò niſi vera, docentur.

24 Ad primam confirmationem dico', quamlibet religionem poſſe ſtatuere ſuis Doctoribus quod ſequantur domeſticum Authorem in eis, in quibus concordaverit, aut non contradixerit expreſsè Div. Thomæ, vel etiam in eis, in quibus ei adverſatur, cùm hac tamen ſemper ſervanda conditione, quod poſt exactam exa-

examen veritatis, & authoritatis talis Doctoris, eius doctrina inveniatur probabilior oppoſita, minimè tamen poſſe obligare domeſticos Doctores, vt ſequantur authorem domeſticum contra Div. Thomam, etiam ſi talis authoris doctrina non ſit probabilior, quam oppoſita Divi Thomæ, minuſque ſi ſit minus probabilis. An autem aliqua familia, vel Religio poſſit exiſtimare invincibiliter domeſtici authoris doctrinam eſſe probabiliorem doctrina D. Thomæ, ipſi viderint; non enim eſt mei iuris de hoc diſputare, licet in aliquibus punctis id valdè poſsibile eſſe non dubitem; ſed tantummodo tueri, quod niſi invincibiliter exiſtiment eam doctrinam, omnibus inſpectis, tàm à ratione, quàm ab authoritate, eſſe probabiliorem, minimè poſsint Doctores domeſticos obligare, nec iuramento, nec præcepto ad eam doctrinam ſeriò propugnandam, & diſcipulis tradendam contra doctrinam D. Thomæ.

25 Ad ſecundam confirmationem diſtinguo maiorem: mos eſt in quacumque vniverſitate, quod Doctores Laureati patrocinium præſtent cuicumque propugnatori ex animo, & ingenuè tradentes, & docentes vt veram opinionem propugnantis, nego maiorem; purè exhibentes omnia motiva, & fundamenta, quæ ſtare poſſunt pro ſententia propugnantis, abſque aſſenſu, & aſſertione illius ex animo, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Nàm quando Doctores Laureati patrocinium præſtant, propugnatoribus, non ſemper ex animo, & ingenuè eius ſententiam docent, aut tradunt. Quandoque enim Doctor Thomiſta patrocinium præſtat Scotiſtæ propugnanti inter prædicata divina diſtinctionem formalem ex natura rei, quin tamen cenſeatur indè, quod ex animo, & ingenuè illam tradit, aut docet, vel aſſerit. Similiterque quando Propugnator Ieſuita tenet phiſycam prædeterminationem auferre libertatem, Deumque nobiſcum concurrere per decretum indifferens, regularique per ſcientiam mediam, cui tamen Doctor Thomiſta, ſi ſors exegerit, opitulatur. Quis enim tunc dicat Doctorem Thomiſtam ex animo tradere ſcientiam mediam, prædeterminationemque reijcere? Sanè ſenſus illius hic non eſt, ſed ſolùm oſtendere, qualiter illa ſententia defendi poſsit probabiliter. Nec indè inferas tales Doctores mendacium incurrere, nàm omnibus notum eſt eos pro tunc loqui ex ſententia propugnantis, ac proindè neminem fallunt, nec contra mentem loquuntur, ſiquidem vnicè dicunt ex ſententia propugnantis, quidquid mente iudicant in illa ſententia dicendum; & in hoc ſenſu ſonat apud auditores, quidquid pro illa ſententia proferunt. Sicut qui arguit contra aliquam ſententiam, quam veram mente tenet, non ideò mentitur, quià ex munere arguentis non eſt propriam ſententiam proferre, nec ex proprio marte dicere: ſic ſimiliter ex munere patrocinantis non eſt propriam ſententiam exprimere, aut quid verum ſentiat tradere, vndè ſicut nullus vnquàm, niſi fatuè, poterit numerare inter aſſertores ſcientiæ mediæ Doctorem aliquem, eo quod pro ſcientia media argumento publico contenderit, ità nec illum numerare poterit inter prædictos aſſertores, eo quod ex munere Doctoris Præſidentis propugnanti ſcientiam mediam patrocinium tulerit. Quod quidem ſignum eſt manifeſtum tales Doctores aſſertivè non loqui, nec in hoc ſenſu ab auditoribus accipi, quod proferunt, ſed vnicè relativè, referendo nimirùm quod iuxta illam ſententiam Doctores contrarij dicunt, aut dicere poſſunt probabiliter, & intrà terminos diſcurſus probabilis.

26 Ex quo iam patet ad tertiam confirmationem, dico enim prædictos oppoſitores, illumque, qui Cathedram obtinuerit, minimè teneri ad tradendam doctrinam Durandi, v. g. aſſertivè, tanquàm aſſertorem illius eam docendo auditoribus, ſed vnicè teneri ad fidelitèr exhibendum munus commentatoris talis doctrinæ, eam iuxtà ſenſum authoris fidelitèr explicando. Quod licitè facere poteſt, etſi illa ſententia, aut doctrina ſit ſibi minus probabilis; nàm ad munus commentatoris non attinet aſſertivè tradere doctrinam authoris, ſed relativè tantùm quid ipſe ſenſerit exprimere, nihil autem obſtat, quod quis referat, vt propriam Durandi, ſententiam ſibi minus probabilem.

27 Ad quartam dico Doctores alicuius familiæ melius facere, ſi doctrinas domeſticorum authorum ingenuè ſtudeant evolvere, & cum oppoſitis aliorum conferre, & eas tantùm aſſertivè diſcipulis tradere curent,

quas probabiliores, veritati, & rationi conformiores, præciſivè ab affectione voluntatis invenerint, eas autem, quas minus probabiles in debito veritatis invenerint examine, vel omittant, vel impugnent, hoc enim potius cedet in perpetuum decus talis familiæ, vtpotè cui veritas placeat, præ Doctoribus domeſticis, & quæ iure, & verè dicere poſſit: *Amicus Plato, ſed magis amica veritas.* Et illud: *Super omnia autem vincit veritas.* Econtrà autem: ſi ob plauſum domeſticis Doctoribus acquirendum, doctrinas eorum, ingenuè minus probabiles, vti veras aſſertivè tradere curent, hocque auditores ſuſpicentur, nedùm non cedet in decus talis familiæ, ſed dedecori potius reputabitur, vtpotè cuius Doctoribus vix vlla erit adhibenda fides, de quibus nimirùm creditur, quod plauſum, & famam publicam domeſticorum veritati doctrinæ proponant.

28 Ad quintam denique iam etiam patet ex dictis, ſi enim opus ſit ad obtinendam illam Cathedram, non ſolùm eam doctrinam per modum Commentatoris referre, aut quid ſecundùm illam dici poſſit ex ſententia alterius exprimere, ſed aſſertivè illam tradere, eique ex propria ſententia ſubſcribere, dico illum Doctorem ex munere Doctoris teneri ad eam doctrinam non tradendam in ſenſu prædicto, etiam ſi ſtipendio Cathedræ careat, & in paupertate vivere obligetur, & hoc in illo fore laudabiliſsimum. Quid enim laudabilius, quàm paupertatem libentèr ſuſtinere ob veritatis amorem, & inopiam pro veritate lucrum putare. Econtrà autem turpe foret pro ſtipendio temporali obtinendo eam relinquere ſententiam, & doctrinam, quam ingenuè, ac debitè examinatam, & probabiliorem, & veram exiſtimabat, & oppoſitæ ſibi falſæ ſubſcribere, quaſi ſtipendium adderet probabilitatem, aut veritatem opinioni antecedentèr minus probabili, & ſibi falſæ.

29 Dices forsàn: ridiculum foret videre Doctorem Theologum, viventem in paupertate, & abſque decentia proprij ſtatus vnicè nè doceret aliquam opinionem philoſophicam parvi momenti, v. g. *materiam exiſtere propria exiſtentia.* Quid intereſt, quod hæc, vel oppoſita tradatur diſcipulis? Eſt nè opinio oppoſita tantæ excellentiæ, vt pro illa quis in paupertate vivere prudentèr poſsit? Reſpondeo primò inſtando argumentum, ſupponamus Equiti nobili, ſed pauperi promitti ſummam ingentem pecuniarum, qua decentèr in ſuo ſtatu vivere poſsit, ſub hac conditione, quod ſimplici teſtimonio affirmet aliquam rem parvi momenti ſibi dubiam, aut falſam, ex qua nulli damnum immineat. Erit nè ridiculum, quod ille velit potius in paupertate manere, quam tale teſtimonium, ſibi falſum, aut dubium aſſertivè proferre? Hoc ſanè ridiculum erit apud eos, qui plus commodis adquirendis, quàm veritati ſtudent, à quibus deridetur iuſti ſimplicitas, quorum ſapientia eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Minimè verò apud eos, quorum ſapientia eſt nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa devitare, pro veritate contumeliam lucrum putare. Apud hos enim potius laudabilis habetur, qui vel in minimis etiam rebus nihil loquitur, niſi quod ingenuè verum putat, qui nihil ſibi dubium aſſertivè proferre audet, nè veritati inferat detrimentum. Veritas enim adeo per ſe expetenda eſt, & amanda, vt etiam in rebus vilibus ſine peccato ſaltem levi contemni nequeat, aut rebus poſtponi caducis, quinimò nec æternis, nàm ob ſalutem æternam totius mundi nemini vnquam licet, vel leve proferre mendatium, patet autem non liberari à menddatio, qui aſſertivè profert, quod ſibi ingenuè conſideranti, probabilius apparet falſum eſſe, quàm verum.

30 Ex quo iam patet ſolutio ad replicam; ſuppoſito enim quod poſt debitum examen veritatis Doctori pauperi ea opinio falſa appareat præciſivè, & antecedentèr ad affectum voluntatis nequit, niſi fallendo auditores, eam aſſertivè tradere pro vera, nè autem auditores fallat, aut mendacium incurrat, prudentiſsimè, & laudabiliſsimè in paupertate maneret, & tanto prudentius, & laudabilius, quanto nec in leviori materia, & minimi momenti quæſtione veritatem contemnere auderet, ſicuti laudabilior eſſet, qui nec peccatum veniale patrare veliet, etiam pro ingentibus theſauris oblatis, quam qui ſolum peccatum mortale vitaret. Cum autem dicis, quod opinio oppoſita non eſt tanti momenti, vt pro ea quis debeat in paupertate vivere. Dico, quod licet opinio illa tantæ excellentiæ non ſit, veritas tamen, quæ in ea probabi-

lius

lius ſibi apparet, quam in oppoſita tantæ excelentiæ eſt, vt pro vniverſo mundo contemni non debeat, minuſque divendi. Vndè cenſeo, ſuppoſito quod alicui Doctori, poſt debitum examen veritatis, aliqua opinio, etiam parvi momenti, appareat minus probabilis, aut falſa, ſi ei quis alius vniverſum oſtenderet orbem, & diceret: *Hæc omnia tibi dabo, ſi talem opinionem dixeris veram, & vti veram, eam aſſertivè tradideris*, minimè eum poſſe ſine veritatis iniuria promiſsioni annuere; quià veritatis iniuria manifeſta foret, eam pro vniverſo mundo vendere, vel vt melius dicam, prodere. Patet autem quod omnis veritatis iniuria peccatum eſt intrinſecè tale, quod nulla omnino via honeſtari poteſt.

31 Sed inquires primò pro complemento quæſtionis, àn ſemper Doctor minus probabilia docens contra probabiliora, peccet mortaliter? Reſpondeo negativè, quià docere minus probabilia in rebus philoſophicis, & ſpeculabilibus, quæ nec ad fidem, nec ad mores pertinent, ex ſuo genere tantùm poteſt eſſe veniale, quatenus deeſt proprio muneri, & veracitati in materia de ſe levi, abſque damno notabili proximi.

32 Inquires ſecundò. An aliquandò poſsit eſſe mortale docere minus probabilia? Reſpondeo affirmativè; nàm in quæſtionibus moralibus, vbi agitur de peccato, vel non peccato mortali, maximè periculoſum eſt determinare quæſtionem pro illa parte, pro qua veritas ambigua eſt; vt ſuprà vidimus ex D. Thom. quæſt. 29. n. 155. ſed in parte minus probabili, nedum veritas eſt ambigua, ſed probabilius apparet falſa, quam vera: ergò decidere quæſtionem pro parte minus probabili maximè periculoſum eſt; ſed peccatum tantùm veniale non eſt maximè periculoſum, vel ſolum hoc dici valet de mortali: ergò decidere quæſtionem pro parte minus probabili, in ſimilibus caſibus peccatum mortale eſt. Relege dicta loco citato in explicatione mentis D. Thomæ.

33 Confirmatur: nàm exponere diſcipulos periculo proximo violandi veram legem Dei in materia gravi peccati mortalis, eſt peccatum mortale, cum hoc nequeat fieri, ſinè contemptu gravi veræ legis Dei; ſed Magiſter docens diſcipulos opinionem minus probabilem in controverſia, in qua dubitatur de aliquo opere, àn ſit, vel non ſit peccatum mortale, eſt exponere diſcipulos periculo gravi violandi veram Dei legem, aut peccandi mortaliter; diſcipuli enim credentes Magiſtro inducuntur ad practicandam illam opinionem minus probabilem pro libertate, in cuius praxi, vt ſuprà monſtratum manet, eſt periculum proximum violandi veram Dei legem: ergò Magiſter tradens aſſertivè diſcipulis in ſimilibus controverſijs de peccato, vel non peccato mortali, opinionem minus probabilem pro libertate, peccat mortaliter. Idemque ſi talis opinio ſit pro lege dicendum venit, nàm ſi talis opinio ſit falſa, vt probabilius contingere poteſt, facit diſcipulis conſcientiam peccati mortalis in eo opere, vbi non eſt peccatum mortale: ſed non poteſt non eſſe peccatum mortale facere diſcipulis conſcientiam de peccato mortali, vbi non eſt peccatum mortale, ſiquidem eſt illos obligare ad peccandum mortaliter, ſi velint facere illud opus, quod ſecundùm rei veritatem poterant facere ſinè peccato mortali: ergò peccat mortaliter Doctor, ſi tradiderit aſſertivè diſcipulis opinionem minus probabilem, etiam ſi ſit pro lege in diſsidio de peccato, vel non peccato mortali. Ex quo patet quanto opus ſit examine, quam matura conſideratione Magiſtris, & Doctoribus Theologis ad proferendam ſententiam deciſsivam, eamque publicè tradendam diſcipulis, & quam periculoſum ſit, veluti per fortunã eligere opinionem docendam, ſivè magis, ſivè minus probabilẽ. Quod quidem periculum multo maius eſt in Doctoribus maioris authoritatis, & magis publicè docentibus, aut ſcribentibus; nàm ſi opinio tradita ſit falſa, quod probabilius eſt, ſi ſit minus probabilis, error, & falſitas talis opinionis neceſſariò promanat non in vnum, vel in duos, ſed in plures diſcipulos, auditores, vel lectores, & ex illis in plurimos alios. Quodnam ergò maius periculum excogitari poteſt? Tenentur ergò Magiſtri, & Doctores diligentiſsimè in ſimilibus diſsidijs veritatem inquirere, & vllam opinionem aſſertivè non tradere, niſi quàm poſt diuturnum examen, vel expreſsè veram, vel adminus longè probabiliorem ſua contradicente invenerint.

34 Idemque dicendum exiſtimo circa controverſias, ad fidem proximè ſpectantes, in quibus ſi opinio falſa ſit, error erit in materia gravi; nàm in his controverſijs gravitèr periculoſum eſt ſententiam minus probabilem aſſertivè tradere, & ratio eſt; nàm ex illa proximum periculum imminet errandi in cognitione Dei, attributorum eius, Sacramentorum, & aliorum pertinentium ad fidem; ſiqui-

ſiquidem in opinione minus probabili ſua contradicente ſemper eſt periculum proximum errandi circa obiectum talis opinionis. Sed peccatum mortale eſt inducere diſcipulos in periculum proximum errandi circa intelligentiam Dei, circa Sacramenta, circà authoritatem Sedis Apoſtolicæ, & circa alia ſpectantia ad fidem; ſiquidèm non minus tenemur rectè ſentire de Deo, quàm iuſtè vivere cum hominibus: ergò.

Secundò idem etiam dicendum exiſtimo de Iuriſperitis; nàm Doctorem Legiſtam, aut Canoniſtam docere aſſertivè opinionem minus probabilem in controverſijs de foro iuſtitiæ, & externo, etiam per ſe loquendo eſt peccatum mortale, niſi excuſet levitas materiæ. Patet; nàm vbi reducere ad praxim aliquam opinionem eſt mortale, eam tradere aſſertivè diſcipulis nequit culpa læthali carere, ſiquidèm eam ſic docendo aſſertivè, vt veram, diſcipulos inducit ad praxim illius: ſed peccatum lætale eſt iudicem in foro externo, & iuſtitię reducere ad praxim opinionem minus probabilem, iudicando ſecundùm illam; nàm opinio, quæ id licitum aſſerebat, iam proſcripta fuit ab Innocentio XI. ergò ſi non excuſet materia levis controverſiæ, erit peccatum mortale aſſertivè tradere ſententiam minus probabilem in diſsidio de foro externo, & iuſtitię, relicta probabiliori oppoſita.

Tertiò: idem dicendum exiſtimo de Doctore Medico; nàm eas tantùm opiniones docere tenetur, ex quarum praxi probabilius ſperatur ſalus infirmi, & ſi alitèr faciant, peccant læthalitèr, ſi non excuſet materia levis: ſed ſi Medicus curet in praxi ſecundùm opinionem minus probabilem, relicta probabiliori oppoſita, ex huiuſmodi praxi non ſperatur probabilius ſalus infirmi, ſed magis probabilitèr ſperari poſſet medendo iuxta probabiliorem oppoſitam: ergò.

Ex quibus iam inferes, quam certum ſit noſtrum principale aſſertum, quod ſcilicet non licet Doctori, aut Magiſtro docere opinionem minus probabilem, relicta probabiliori oppoſita. Eoque noſtram ſententiam præter omnes Antiprobabiliſtas, tenent etiam ex Probabiliſtis Sanchez lib. 1. Deciſ. cap. 9. num. 26. Suar. 1. 2. tract. 3. diſp. 12. ſect. 6. num. 9. Pereira, in Summa Theol. Moral. tract. 2. quæſt. 10. num. 62. & alij plures. Imò Navar. lib. 2. de reſt. cap. 2. dub. 1. num. 82. affirmat Rectorem Cathedræ, docentem minus probabilia, vt vera, teneri ad reſtitutionem ſtipendij, vel ad tollendam deceptionem retractando ſententiam.

QVÆSTIO XXXX.

Qualitèr medenda ſit, vel deponenda conſcientia ſcrupuloſa?

1 PRO Vniverſalitate doctrinæ hanc quæſtionem inſtituo, quæ magis ad Myſticũ, quàm ad Theologum ſcholaſticum ſpectat; eoque breviter ab ea me expediam, vt finem præſenti operi imponam. Notando primò conſcientiam ſcrupuloſam eam eſſe, quæ repræſentat vt peccatum, quod re ipſa peccatum non eſt ex levibus motivis, & coniecturis, aut ex ſuſpicione trepida, vel nimio timore cadendi in via Dei. Ità communitèr Doctores. Noto ſecundò varia poſſe eſſe capita, vndè oriantur ſcrupuli. Prima, ex parte corporis pravis humoribus redundantis, vi quorum lædatur imaginatio, & phantaſia, & inducatur in melancolicas, & pavidas apprehenſiones, ita vt malum leve appareat grave, & culex camellum ratione abundantis melancoliæ. Secunda ex parte ſociorum, quibus ſcrupuloſus convivit, ſi nimirum illi ſint valdè ſcrupuloſi, parumque libertate ſpirituali gaudentes. Tertia ex parte amoris proprij, ex hoc enim procedere ſolet, quod aliquis nimiam quærat ſatisfactionem de ſuo non peccato mortali; indeque per nimiam reflexionem omnia ſua opera, & intentiones ità ſcrutatur, vt velit evidentèr, & quaſi experimentalitèr certificari de ſuo ſtatu in gratia, & cum ad hoc pervenire nequeat, nunquàm quieſcit, plures, & plures conſulit ſapientes, rationes ſine numero inquirit, confeſsiones iterat generales, & nunquàm facit finem; quià nunquã ad optatam ſatisfactionem, & ſecuritatem pervenit. Quarta cauſa ſolet eſſe amor mũdi, & nimia adhæſio ad bona temporalia, vi cuius cor timentis Deum quaſi ſcinditur, & à ſe ipſo dividitur, dũ partim Deum, partim temporalia amittere formidat, & interim, nec temporalibus rebus pacificè fruitur, quià quatitur in contrà Cœleſtib⁹ inſpirationibus, nec Cœleſti refectione potitur, quià nondùm à temporalium cupiditate evacuatur, indeque ſcrupulis agitatur. Quinta cauſa ſolet eſſe ſuperbia, vi cuius ſcrupuloſus neminem invenit, quẽ cenſeat ſufficienter peritum, & probum, vt ſuæ conſcientiæ nodos diſolvere poſsit, ac proinde nullũ exiſtimat dignum, cui ſuum iudicium, & voluntatem ex integro ſubij-

ciat,

ciat, eoque suæ opinionis tenax nunquam sincerè Directori credit, & cùm nec sibi ipsi fidere possit in quadam tenebrositate scrupulis agitatus miserè iacet, ac penè irremediabiliter. Sexta causa est: nimius timor servilis inferni, vel aliarum pœnarum, quas Deus peccatoribus minatur, proprium enim est huiusmodi timoris, reddere apparenter magna, & gravia peccata minima, & ob quamlibet culpam infernum suspicari proximum, & ex inde velle incessanter confiteri, & importunè omnes Confessores molestare. Septima solet esse fervor noviter conversi ad Deum, illi enim, qui relicta improba vita, vel periculosa, ad meliorem frugem se recipiunt, eo magis scrupulis agitari solent de retractata vita, & resiliuis periculis, & occasionibus, quo ferventiori animo viam perfectionis aggrediuntur, & quo maiori dolore præterita detestantur mala. Octava, Diaboli suggestio, qui quos ad malam vitam trahere non valet, inutiles saltem reddere conatur ad proximiorum edificationem, scrupulis eorum mentes perturbando, quinimo, & ad desperationem vrgere solet, innumera afflictis repræsentando peccata, vti magna, & imposterum in evitabilia; re ipsa tamen omnia sunt ficta, vel levia. Vltima denique est divina permissio, nàm Deus ad iustum exercitandum, vel probandum hanc afflictionem, & tribulationem immittere solet, vel permittere.

His suppositis, dico primò. *Ineptum est remedium ad medendum conscientiæ scrupulosæ suadere vt licitum scrupuloso vsum cuiusvis opinionis, sivè magis, sivè minus probabilis sua contradicente.* Probatur primò; quià prædictus vsus est intrinsecè illicitus, vt in præcelentibus commostratum manet: sed non est medendum conscientiæ scrupulosæ per medium intrinsece illicitum: ergò. Secundò; nàm vel conscientia hæsitat, aut pungit ex motivo æquè vel magis probabili preeo quod opus sit peccatum, quàm sit motivum pro non peccato; vel ex motivo levi, & improbabili pro peccato. In neutro cãu est aptum remedium docere, vt licitũ scrupuloso vsum cuiusvis opinionis probabili: ergò. Probo minorem, & primò quoad primam partem; nàm si hæsitat conscientia ex motivo æquè, vel magis probabili pro peccato, quàm pro non peccato, non est conscientia scrupulosa, sed prudenter dubia, nec est scrupulosus, qui ex prædicto motivo hæsitat, sed prudentissimè dubitans ergò malè aptatur ei medela pro conscientia scrupulosa, cùm potius debeat negari suppositum, nimirum quod eius conscientia, aut ille sic hæsitans sit scrupulosus. Antecedens patet; nàm dubitare ex motivo æquè, vel magis probabili pro vna parte contradictionis, quàm pro alia, non est imprudenter dubitare, nec scrupulosè, sed graviter, & prudenter, siquidem est dubitare non ex motivo levi, & parvi momenti, sed ex motivo gravi, & probabili: ergò. Confirmatur; nàm ad medendum conscientiæ scrupulosæ per prius diligenter est examinandum, quænam sit conscientia scrupulosa, sicuti ad medendum cuilibet infirmitati per prius oportet examinare diligenter, quænam, & qualis sit illa infirmitas, & si inventum fuerit laborare vna, non est applicanda medela alterius propria. Sed qui patitur remorsus, & stimulos conscientiæ ex motivo æquè, vel magis probabili pro peccato, quàm pro non peccato, non laborat conscientia scrupulosa, sed prudenter dubia, si adhuc hæsitat; vel temeraria, si contra motivum æquè, vel magis probabili pro peccato sibi persuadeat non peccare: ergò huic ineptissimè applicabitur medela conscientiæ scrupulosæ.

Sed dices: quidquid sit àn prædicta conscientia debeat appellari scrupulosa, vel non, & àn stimuli, & remorsus, quibus pungit mentem, debeant appellari scrupuli, tamen huiusmodi conscientia cùm suis stimulis aliter curari nequit, nisi per regulam præcitatam de sequela licita cuiusvis opinionis probabilis: ergò ità curari debet. Respondeo, negando antecedens; nàm potius prædicta regula, vel extinguet conscientiam penitùs, vel non liberabitur ab eius importunis clamoribus; cùm enim motivum probabile sit ratio gravis dubitandi, minimè contemptibilis, sed sua magnitudine animum pulsans, & ad suam partem trahens, non est aliud remedium ad vitandum stimulum ex illa ortum, aut clamorem conscientiæ, nisi conscientiam penitùs iugulando, ne dicat non *licet tibi*, sicuti & Ioannem iugulavit Herodes: nàm si conscientia vivat, considerans motivum illud grave, & probabile æquè, vel magis pro peccato, quàm pro non peccato, impossibile est quod non stimulet mentem, dicens: *Forsàn peccas, probabilius est te peccare, tibi hoc opus non licere*; & his sanè clamoribus non semel anguntur in articulo mortis illi, qui in vita opiniones minus probabiles, & minus tutas, quià libertati faventes, amplexabantur; qui quidem remorsus minimè sunt scrupuli contemnendi, sed stimuli valde considerandi, & proposse humano præcavendi, dùm vitam gerimus incolumen, ne ad illorum deveniamus statum, in quo vermis eorum non morie-

morietur. Quod quidem facile præſtabimus, ſi pro humano poſſe eam obſervemus regulam, quæ dictat: *In conflictu opinionum æquè, vel fermè æquè probabilium ſectandam eſſe partem tutiorem pro lege.*

4 Iàm ergò minor primi ſyllogiſmi quoad ſecundam partem, ſcilicet pro caſu, quo conſcientia hæſitat ex motivo levi, & improbabili, eſſe ineptam medelam pro tali conſcientia ſedanda, licentiam illam ſectandi quævis probabilia pro libertate, ſuadetur facile; nàm pro ſimili caſu ille non verſatur inter duas opiniones probabiles, vnam pro peccato, & aliam pro non peccato, ſed inter vnam certam pro non peccato, & aliam improbabilem pro peccato: ſed ad huiuſmodi conſcientiam aſſecurandam de non peccato non eſt ad rem ſuadere vt licitam ſequelam opinionis minus, aut æquè probabilis contra probabiliorem, cùm ille non ſit caſus, in quo ille verſatur, ſed vnicè conducit ſuadere illi vt licitam ſequelam opinionis certæ, aut in ſolidum probabilis pro licito, relicta improbabilis pro illicito, quià hic eſt caſus eius: ergò in prædicto caſu non eſt neceſſaria, ſed potius importuna medela licentia illa ſectandi opinionem minus, aut æquè probabilem pro licito, relicta probabiliori, aut æquè probabili pro illicito.

5 Dico ſecundò, ſi ſcrupuli oriantur ex prima cauſa ſupra aſſignata, remedium erit, quod ſcrupuloſus ad exercitationes aliquas corporales, & honeſtas diſtrahatur, quæ eius imaginationem occupare poſſint, & à vehementi peccatorum ſuſpicione retrahere. Secundum remedium interdum erit, eum aliqua pœna, vel afflictione, quæ ipſius honorem attingat, aut famam lædere videatur exercere, huiuſmodi enim afflictio vim ſolet habere trahendi ad ſe penitùs imaginationem, & eam retrahendi à quocumque alio, quantumvis vehementi obiecto. Et hoc pacto, refertur in collationibus Patrum quemdam Monachum ſanatum fuiſſe à vehementi tentatione, & imaginatione turpi, quàm à ſe propellere non valebat, impoſſita nimirum ei falſa calumnia contra ipſius honorem, & famam, quæ adeò ſolitum ipſum reddidit de ſuo honore, vt ab eo die, quo calumnia fuit ei coram iudice ſuperiori impoſita, amplius de obiecto turpi non cogitaverit, & interrogatus octo poſt dies de tentationis ſtatu, reſpondit tentationem penitùs oblitam, ex quo calumniam ſibi impoſitam ſenſit. Fuerat autem impoſita ſolum apparenter, & quaſi per ſcœnam ad finem abolendæ tentationis & imaginationis diſtrahendæ ab illo obiecto turpi; quo fine conſequuto, & fictione detecta, inventus eſt ſimul liber à tentatione, & calumnia. Sed hoc remedium magna cùm diſcretione, & præcautione cuiuſvis mali adhibendum eſt in rariſ caſibus. Tertium remedium eſt conſulere Medicum corporalem, qui corporalibus medicinis extenuare conetur melancoliam prædominantem, vel humectare cerebri ſiccitatem, vel quamcumque aliam improportionem humorum, aut qualitatum aufferre, quam cauſam exiſtimaverit triſtium imaginationum, & pavidę phantaſię.

6 Dico tertiò. Si ſcrupuli oriantur ex ſecunda cauſa ſupra relata, quàm primum ſegregandus eſt ſcrupuloſus ab ſcrupuloſis, & alijs tradendus comitibus libertate ſpirituali gaudentibus, qui cor ipſius in charitate Chriſti dilatare conentur, & anguſtiam, nimiumque angorem ab eo propulſare ſtudeant. Quę commutatio tunc maximè facienda eſt, quandò ex patre ſpirituali conſcientia ſcrupuloſa in pœnitentem cernitur promanare; tunc enim quàm primum commitendus eſt directori liberiori ſpiritu, & diſcretione pollente.

7 Dico quartò, quod ſi ſcrupuli oriantur ex tertia cauſa, nimirum ex amore propriæ ſatisfactionis, & ſecuritatis, conſulendus eſt pœnitens, vt maiorem ſecuritatem, quàm moralem, & humanam de ſuo non peccato non quærat, vtpotè in præſenti vita nemini abſque ſpecialiſſimo privilegio conceſſam. Item quod totam ſuam fiduciam non tam in operibus proprijs, quàm in Dei miſericordia colloceat, in qua vnicè tutum nobis reſtat confugium, & aſylum. Item quod ſciat non aliter magis reddi poſſe ſecuram viam vitæ, quàm ſi inter timorem, & ſpem greſus hominis dirigantur, ac proinde quod non conetur tantam invenire ſecuritatem, & ſatisfactionem, vt iàm de ſuo peccato meum omnem excludat, cùm ſcriptum ſit: *De peccato condonato noli eſſe ſine metu*; & nulla ſit magis falſa ſecuritas, quàm quæ timorem cautum propulſat, ſicuti nec ſecuritas magis tuta, quàm quæ in timore ſancto Dei collocatur.

8 Si autem, vt non ſemel contingere ſolet, oriatur ex quarta cauſa, ico quintò, remedium eſſe, quod huiuſmodi ſcrupuloſus ex integro renuntiet affectum ad temporalia, & ſe totum Deo ſubijciat; ſunt enim duo regna ſibi invicem adverſantia regnum mundi, & cœlorum; illi autem, qui partim mundo, partim Deo adhærere affectant, quaſi in confini huius duplicis regni vitam degunt, & ſicut contingere ſolet habitantibus confinia regnorum,

rum, adinvicem bella gerentium, quod ſcilicet ab vtriuſque regni militibus impugnantur, vtriſque vectigalia ſolvere coguntur, quietè non permittuntur vivere, nec pacificè, ſed nocte, dieque mille timoribus anguntur, & ad quodcumque belli ſignum tremefaciunt, ità ſimiliter tepidis in confinio Regni Cœlorum, & mundi degentibus contingit, quod à mundi pollicitationibus, minis, & rumoribus ex vna parte agitantur, & à Dei inſpirationibus, ipſiuſque iuſtitiæ minis ex alia quatiuntur, & quaſi ſimul coguntur Deo ſimul, & mundo ſervire, vtrique tributum ſolvere, nunquam quietè vivere, nec pacificè, ſed mille timoribus angi, & ſtimulis agitari conſcientiæ, vt meritò de illo intelligatur illud Iob: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cùm pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur, circunſpectans vndique gladium*, & illud commune affatum: *ſemper ſæva præſumit perturbata conſcientia.* Et ſimiliter in hoc ſenſu explicandum venit illud Davidici Pſalmi 64. *Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à ſignis tuis*, nàm, videlicet, à quibuſlibet divinæ iræ, àc iuſtitiæ ſignis turbantur, & pavent illi, qui terminos, ſeu confinia Regni Dei, & mundi incolunt. Ceterum ſicuti habitantibus in confinio duplicis regni terreni remedium vnicum eſt ad vitam in pace, & tranquilitate gerendam habitationem illam deſſerere, & ad interiora Regni permeare, ibique ſedem figere, vbi adverſantis regni ſpicula, nec ſagittæ pertingere valeant; ità degentibus in confinio Regni Cælorum, & mundi, ſi tranquilam, & ſedatam conſcientiam poſsidere velint, vnicum eſt remedium contermina mundi deſſerere, & procul ab illis pro poſſe vivere, ſaltem quantum ad affectum, & interiora Regni Cœlorum penetrare, id eſt, ad culmen perfectionis pro poſſe aſpirare.

9 Si verò ſcrupuli oriantur ex quinta cauſa, dico ſextò: difficile adhiberi poſſe remedium; nàm ſuperbia illa occulta, quæ aliorum iudicia propriæ poſtponit prudentiæ, oſtium occludit ſanis conſilijs, quibus mederi poſſet. Vnde aliam ſimilibus medelam non invenio, niſi quod propriam agnoſcant ſuperbiam, vt ſuæ prudentiæ non innitantur, ſed aliorum regimini ſe ſubijciant, ſcientes Chriſtum Dominum aliam viam ſecuriorem in Eccleſia non inſtituiſſe præ illa, in qua obedientia exercetur, & proprium iudicium aliorum ſummittitur dictamini. Quod ſi dicat quis nullum invenio, quem ingenuè prudentiorem, & ſapientiorem agnoſcam, vt illi meam conſcientiam committam, nodoſque illius diſolvere poſsit. Et hoc ipſum imprimis ſignum eſt latentis ſuperbiæ. Deinde, ſi tantiſpèr humiliari velit, poteſt eum virum in Directorem eligere, quem inter eos, qui commodè haberi poſſunt, præ ceteris prudentem agnoverit, fidenter credens, eum à Deo illuminandum in eis, quibus eius humana ſapientia non ſufficiat, ad Dei enim miſſericordiam ſpectat ſuplere in Directore ſcientiæ defectum propter humilitatem eorum, qui eius regimini ſubijciuntur. Quod pluribus exemplis, àc doctrinis Sanctorum PP. probari poſſet, à quibus abſtineo vitandæ prolixitatis cauſa.

10 Dico ſextò: ſi ſcrupuli oriantur ex ſexta cauſa, medela etit oportuna, quod ſcrupuloſus interim abſtineat à meditatione inferni, iudicij, mortis, divinæ iuſtitiæ, & aliorum ſimilium, quæ terrorem incutere ſolent, & à lectione librorum, qui huiuſmodi materias concernunt, meditetur que in ſumma Dei bonitate immenſo eius amore, quo pro nobis paſsionem, & mortem ſubire, vt nos redimeret à peccato, non dubitabit, itemque infinita ipſius miſericordia, & liberalitate, æternaque illa gloria, quàm præparavit diligentibus ſe, & in alijs huiuſmodi, quæ fiduciam, & ſpem augere ſolent, & charitatem perficere, quæ perfecta, foras mittit timorem ſervilem.

11 Dico octavò: ſi ſcrupuli oriantur ex ſeptima cauſa, remedium aptum erit, quod recenter converſus per tempus octo, vel Decem dierum vitam ſuam retroactam per legitimum interrogatorium diligenter ſcrutetur, de illaque confeſsionem admittat generalem. Quo ſemel facto, ei confeſſarius præceptum iniungat, vt de cetero minimè cogitet de retroactæ vitæ peccatis, niſi tantum in vniverſali, & in communi, & quod ſciat ſe amplius confeſsionem generalem non facturum. Imò ſi adhuc importunus ſit, & de peccatis præteritis in particulari oblivionem facere, vel nequeat, vel non velit, poterit confeſſarius eum non audire, ſed audita ſufficienti materia, quàm primum eum abſolvere, & ad Euchariſtiam mittere; in quo oportebit confeſſarium eſſe conſtantem, & non facile flecti ad preces pœnitentis, quantumvis dicat ſe recordari de pluribus peccatis, & circunſtantijs ſuo videri lethalibus, & quod ſi de huiuſmodi non audiatur, quieſcere non valeat, nec pace frui. Nàm in hoc ipſo manifeſte fallitur ſcrupuloſus, dum cogitat quod ſi de his audiatur, quietem, & pacem acquiret, nàm potius oppoſitum e veniet; protinus enim alia pecca-

ta,

ta, & aliæ circunſtantiæ de novo memoriæ occurrent, novaque exoriẽtur dubia, finiſque nõ erit vllus, niſi confeſſarius conſtãter renuat de ſimilibus audire pœnitentem.

12 Si dicas hoc eſſe valde periculoſum, nàm contingere poteſt, quod reipſa pœnitens afferat aliquod peccatum, aut circũſtantiam lethalem non confeſſam, & conſequenter quod, ea non audita confeſsio fiat ſacrilega, & ſimiliter communio ſubſecuta: ſed hoc periculum ſemper eſt vitandum: ergò & ſcrupuloſus audiendus. Reſpondeo in prædicto caſu duo eſſe pericula, vnum aſsignatum ab argumento; aliud ne pœnitens confirmetur in ægritudine ſcrupulorum. Et hoc ſecundum eſſe valde maius & cavendus præ primò. Nàm per talem ægritudinem ſolent ſcrupuloſi reddi invtiles ad propria munera, & officia obeunda, ad proximorum ædificationem, & ad communem Reipublicæ, vel communitatis, in qua degunt, neceſsitudinem; quinimò fatuitatem, & amentiam non ſemel incurrunt; & quod peſsimum eſt malorum, ad obſequium rationabile Deo præſtandum penitùs inhabiles inveniuntur. Nec tunc talis confeſsio ſacrilega erit, ſed licita, honeſta, imò & maximè meritoria, ſi obedientiæ cauſa pœnitens fileat, quæ confeſſarius prudens audire renuit. Et hoc remedium cùm quibuſlibet ſcrupuloſis verè talibus obſervandum eſt.

13 Dico nonò: quod ſi ſcrupuli oriantur ex diaboli ſuggeſtione, ei eſt reſiſtendum ſcuto fidei, ità vt ſcrupuloſus viriliter, àc fortiter actus fidei, & ſpei exercere conetur, maxime circa Dei miſericordiam, quæ omnium peccatorum poſſibilium malitiam ſuperat, & qua Deus non vult mortem peccatoris, ſed magis vt convertatur, & vivat, & circa alia motiva, quę ſpem accuere, & charitatem erga Chriſtum ſerventiorem excitare valeant.

14 Dico dezimò: quod ſi oriantur, vti ſemper oriuntur, ex divina permiſſione, imprimis exorandus eſt Deus, & invocandus, vt talem ægritudinem ab animo propulſare dignetur; ex defectu enim orationis non ſemel oritur quod ſcrupuloſi plus timeant, vel ea, quæ timeri non deberent, iuxta illud Pſalmi regij: *Deum non invocaverunt, illi tripidaverunt timore, vbi non erat timor.* Quod ſi tandem, nec oratio, nec aliud ex prædictis remedijs efficaciter proſſit, vt quies, & animi ſerenitas optata conſequatur, perſeverandum eſt in obedientia ad confeſſarium, in pacientia ad tormentum, & in conformitate ad divinam voluntatem, vſque dum Deus miſereri dignetur.

15 Inquires, àn liceat contra conſcientiam ſcrupuloſam operari? Reſpondeo affirmativè cùm communi DD. conſcientia enim ſcrupuloſa, cùm imprudens ſit, & contemptibili motivo innixa, quàm primum deponenda eſt, vel ſi deponi nequeat contemnenda, & contra illam etiam actu perſeverantem, obediendum confeſſario, nã aliter ſcrupulis mederi impoſsibile erit.

16 Sed contra hanc communem reſolutionem obſtare videtur ſequens, & non levis obiectio, nàm iuxta communem Theologorum ſententiam ſupra quæſt. 6. propugnatam, non licet agere contra conſcientiam etiam culpabiliter erroneam: ſed conſcientia culpabiliter erronea eſt imprudens, & levi fundamento fulcita; nàm aliter non erraret culpabiliter: ergò etiam ſi conſcientia ſcrupuloſa ſit imprudens, & levi fundamento innixa, illicitum erit agere contra illam.

17 Reſpondeo tamen duplici diſparitate, prima nàm conſcientia culpabiliter erronea eſt voluntaria operanti, & in ea voluntariè perſeverat; nequit autem non eſſe culpabile quod, quis voluntariè, & ſpontaneè exiſtimans aliquid eſſe peccatum illud nihilominus contra talem exiſtimationem facere audeat. Attamen conſcientia ſcrupuloſa non eſt voluntaria operanti; (ſupponimus enim ſcrupuloſum exhibuiſſe diligentiam ſibi poſsibilem pro ea deponenda; nàm aliter non eſſet conſcientia ſcrupuloſa, ſed culpabiliter erronea.) Cùm autem non ſit peccatum agere contra exiſtimatimationem imprudentem, quàm quis invitè, & coactè patitur; inde eſt non eſſe culpabile, ſed potius laudabile agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, licet ſit culpabile agere contra culpabiliter erroneam. Secunda diſparitas eſt, quod conſcientia culpabiliter erronea eſt aſſenſus verus, & proprius intellectus, quo iudicat opus eſſe peccatum, & ideò contra illam agere culpabile eſt. Attamen conſcientia ſcrupuloſa, vt implurimum, non eſt iudicium verum intellectus, nec aſſenſus illius, ſed purè imaginatio, & phantaſia; non autem eſt culpabile, ſed potius laudabile agere contra imaginationem, & phantaſiam.

(***)

OMNIA S. M. E. SVPERIORVM, ET SAPIENTIORVM iudicia corrigenda ſubijcimus.

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A.

ACTVS Voluntatis etiam quãdo procedit ex conſcientia vniverſalitèr erronea regulatur cognitione vniverſali vera, q. 5. à n. 68. & tunc eſt honeſtus ſecundùm quid, ibid. imò etiã quando procedit ex conſcientia culpabilitèr erronea, n. 82. cum triplici tamen diſparitate, n. 83. Non ſpecificatur in eſſe boni moralis ſimplicitèr à bono vtcumque apprehenſo, ſed à bono ſtudioſè, & rectè apprehenſo, à n. 87. Vt ſit re ipſa honeſtus non ſufficit quod cadat ſub præcepto falso exiſtimato, ſed requiritur quod cadat ſub vero n. 93.

Actus, quo quis honorat per errorem aliquem vt patrem non procedit ex conſcientia erronea, ſed recta, q. 5. n. 95. & ſi procedat ex conſcientia erronea, illa eſt erronea tantùm applicativè, non formalitèr, & ſimilitèr actus illa regulatus, n. 96 Idem dic de actu, quo quis adorat Hoſtiam falsò conſecratam, n. 97

Actus humanus non poteſt eſſe indifferens in individuo, intelligitur de illo in quãtum voluntario, q. 5. n. 108. in quantum procedit ex errore, & ignorantia invincibili non eſt voluntarius, n. 109. Nunquàm eſt indifferens in individuo, q. 16. n. 85. In eſſe moris ſpecificatur ab obiecto, vt circuſtantiato, non præciſivè ſumpto, q. 33. n. 4.

Academicorum error explicatur, q. 29. n. 94. In quo differat Academiſmus à Probabiliſmo explicatur, n. 99.

Affectio indeliberata præveniens iudicium rationis ſolet vnam partem reddere probabiliorem, & eſſe cauſa erroris, excuſat à mortali, rarò tamen à veniali, q. 28. n. 39. Affectio debet regulari per rationem, non ratio per affectum, n. 40.

Anima. Vertex eius explicatur luculentèr à D. Thom. q. 9 n. 17. Qualitèr vſque ad verticem conſtrupatur, ibid.

Authores ſe contradicentes non faciunt maiorem fidem, quam teſtes ſe contradicentes, q. 26 à n. 26. Neutri fit iniuria nulli credendo ſi ſunt æqualis authoritatis, imò vni aſſentiendo, alteri iniuria fieret, n. 32. In quæſtionibus Mortalibus ſæpè ſe contradicere adinvicem, evidentiſsimum eſt, q. 28. n. 260. Non ſolùm quoad veritatem ſpeculativam, ſed quoad practicam, n. 261. Contradictio, & pugna illorum non eſt pro veritate purè ſpeculativa, ſed potiſſimè pro practica, n. 262. Illorum contrarietas vndè procedat, explicatur, q. 29. à n. 163. Et potiſsimè à n. 171.

Author gravis non poteſt eſſe tantæ authoritatis ad regendos mores, quantæ Sum. Pont. eſſet autem iuxtà Probabiliſtas, q. 28. n. 324. Iuxtà ipſos non poſſet errare practicè, n. 362. Licet erraret directè, non tamen reflexè, indeque eſſet maioris authoritatis, quam Sum. Pont. ibid. Indè ſequeretur, quod DD. ſapientiſsimi minoris eſſent authoritatis, quo ſapientiores, n. 330. Authores ſententiæ reflexæ pro libertate non eſt neceſſum dicere perpetuo damnatos, nec mortalitèr peccaſſe, q. 30. n. 24.

Authores, in quo numero, & qualitate ſint neceſſarij ad faciendam opinionem probabilem, q. 28. n. 325. Opinantes pro libertate faciliùs falli poſſunt, quàm pro lege, n. 385.

Authoritas Eccleſiæ foret limitatior, & duplo minor, quàm authoritas Doctoris gravis, ſi teneret Probabiliſmum, q. 28. n. 329.

Auguſtinus reprobat licentiam ſectandi quælibet probabilia, q. 29. à n. 94. Impugnat in hoc Academicos, ibid.

B.

BAPTISMVM Debet accipi potiùs vbi certum eſt non eſſe peccatum, quàm vbi incertum eſt an ſit peccatum in eius acceptione, q. 29. à num. 117.

Benignitas opinionis non eſt attendenda ex bono privato illam ſectantis, ſed ex bono communi ergà Deum, & Eccleſiam,

ſiam & quæſt. 29. n. 4. Non eſt benigna reflexa pro libertate. Ibid.
D. Bernardus adverſatur Probabiliſmo q. 29. num. 188.

C.

CASSVISTÆ Iuxta Terillum plures laxitates non ferendas introduxerant q. 29. num. 31 cupiditate famæ, & vanæ opinionis laxiores introduxerunt ſententias, & precepta ab omnibus prius agnita, non minus impudenter, quàm imprudenter è tabulis divinæ legis eraſſerunt, num. 36.
Certum eſt tenendum, & dimittendum incertum, iuxta Auguſt. q. 29. à n. 117. Certitudo, quæ requiritur ad honeſte operandum, explicatur q. 33. per totam.
Charitas prius eligit in ſe ſæpè falli, quàm proximum infamare, aut de illo male iudicare, q. 5 n. 102.
Circunſtantiæ qualiter debeant cognoſci, vt refundant malitiam in actu, q. 16. à n. 51. & q. 33 n. 5. Earum conſideratio non ſolum ſpectat ad praxim, ſed etiam ad conſiderationem vniverſalem, quàm vocant ſpeculativam, Theologiæ, & Philoſophiæ moralis, q. 18. n. 7. Opiniones vniverſales de obiecto non ſunt circunſtantiæ conſiderandæ ex parte obiecti ad honeſtatem, vel inhoneſtatem actus, q. 28. n. 20. & à n. 220. Si ità eſſent ad formandam conſcientiam deberet conſiderari vtraque probabilitas pro licito, & pro illicito, nàm ſi prima eſt circunſtantia honeſtans, ſecunda inhoneſtans, n. 21. & n. 221.
Confeſsio, in ea tenetur pœnitens ſe accuſare, non ſolum de negligentia, & ignorantia doctrinæ, ſed de peccatis ex tali ignorantia commiſsis, q 7. n. 10. Si ex ignorantia nullum fuit ſequutum peccatum, nullum aliud tenetur confiteri, ſed de ſola ignorantia accuſari. Ibid.
Confeſſarius, quo pacto poſsit abſolvere pœnitentem, qui ſequitur opinionem ſuæ contrariam, explicatur, q. 36. per totam. Si pœnitens eſt dignus, & diſpoſitus tenetur eum abſolvere, ſecus ſi ſit indignus, & indiſpoſitus, ſivè confeſſarius ſit ordinarius, ſivè non, n. 2. Si eſt ordinarius, tenetur eum admittere ad confeſsionem, ſi non eſt ordinarius non tenetur eum admittere, ſemel autem audita confeſsione nulla eſt differentia inter ordinarium, & non ordinarium, n. 3.
Conſcientia non eſt habitus, nec potentia, ſed actus, q. 1. n. 2. Eius munera explicantur. Ibid. Qui operatur contra conſcientiam operatur contra, & iuxta proprium iudicium, explicatur, n. 6. & 7. Conſcientia eſt actus intellectus, & non voluntatis, n. 9. Non eſt applicatio ſcientiæ ad opus in agendo, ſed in cognoſcendo, & ideò non eſt vſus activus, n. 10. Eius definitiones expenduntur, à n. 11. Dividitur primò in certam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam, q. 2. à n. 2. Secundò in bonam, & malam, veram, & falſam, n. 4. Alia eſt bona, & tranquilla, alia bonà, & turbata, alia mala, & turbata, alia mala, & tranquilla. Ex his prima optima, vltima peſsima, ſecunda minus bona, tertia minus mala. Ibid. Alia eſt recta, alia erronea, n. 5. Erronea alia vincibilis, alia invincibilis, n. 10. Erronea vincibilis alia ex ignorantia craſa, alia ex ignorantia affectata, illa minuit culpam, iſta auget, neutra totaliter excuſat, n. 11.
Conſcientia dubia non eſt perfecte, & ſimpliciter conſcientia, q. 3. n. 2. & q. 14. n. 7. Probabilis, quando eſt vera, pertinet ad conſcientiam rectam, ſi falſa, ad erroneam, q. 3. à n. 3. Modus formandi conſcientiam rectam ex conſcientia probabili falſa per reflexas eſt fallax, à n. 7. Vnde ex illa nequit formari niſi conſcientia erronea, n. 9. Erronea invincibilis excuſat à culpa, q. 4. n. 2. Non tamen actum à ſe regulatum reddit poſitivè honeſtum per conformitatem ad ſe, q. 5. per totam.
Conſcientia directa, non expectata, reflexa ſæpè regulat actus voluntatis, q. 5. n. 21. Nec eſt obligatio expectandi iudicium reflexum, alioquin in fœlices eſſent ruſtici, & ſimplices, n. 22. Licet conſcientia invincibiliter errans non reddat actum poſitivè honeſtum, ipſe tamen actus poteſt evadere honeſtus ſecundum quid per conformitatem ad vniverſalia principia ſyndereſis, quæſt. 5. num. 68.
Conſcientia eſt concluſio ſyllogiſmi practici, quando eſt erronea formatur ex maiori vniverſali vera, & minori particulari falſa, quo in caſu eſt recta ſecundum quid, licet ſimpliciter erronea, à n. 70. *Eſt doctrina notabilis.* Non poſſumus ſcire evidenter, ſed tantum morali certitudine quando conſcientia noſtra eſt recta, & quando erronea, q. 6. n. 69. Conſcientia dictans orandum pro aliquo defuncto non eſt adhuc materialiter erronea, etſi ille forsàn non ſit in purgatorio, q. 5. n. 103. Similiter conſcientia dictans orandum pro ſalute æterna

na alicuius ; etſi re ipſa ſit reprobus, num. 104. Per conſcientiam erroneam non poſſunt regulari actus ſupernaturales, num. 105.

Conſcientia erronea invincibilis obligat errantem quæſt. 6. num. 2. Qui contra illam ageret, violaret legem Dei veram affectivè, licet non effectivè, num. 4. Non obligat in vi legis reflexè, à num. 10. Conſcientia directa obligat non expectata reflexa, queſt. 6. num. 11. Sepiſsimè datur vna ſine alia, ibid. Vnde ex directa non pullulat neceſſario reflexa, à num. 15. Saltem de potentia abſoluta, à num. 17. Caſu quo eſſet conſcientia directa ſine reflexa agens contra illam peccaret, à num. 24. Non fortaſſe, ſed certiſsimè, num. 28.

Conſcientia non obligat per ſubordinationem phyſicam ad legem, ſed per obiectivam, & intentionalem, vnde non requiritur vt obliget, quod lex re ipſa exiſtat, ſed ſufficit ſi exiſtat in mente exiſtimative, à num. 70. & 79. Licet conſcientia erronea obliget, quia falſò exiſtimat legem exiſtere, non tamen falsò, ſed vere obligat, à num. 73. & num. 140. Huiuſmodi obligatio quomodo deſcendat ex Deo, explicatur, num. 80. Obligat formaliter, & motive in vi maioris vniverſalis veræ, applicative in vi minoris falſæ. Explicatur, à num. 82. Obligat igitur in vi legis veræ Dei falsò applicatæ ad determinatam materiam, à num. 93. Etiam quando errat culpabiliter, n. 138. Non poteſt dari conſcientia ità penitus errans, vt nec ſecundum quid ſit recta, à num. 95.

Conſcientia vincibiliter errans obligat, quæſt. 6. à num. 97. In cuius vi? num. 98. Quo ordine formetur conſcientia, num. 100. In diverſis ſignis.

Conſcientia erronea non ſolum obligat in indifferentibus, ſed etiam in intrinſicè bonis, vel malis, quæſt. 6. num. 141. Non rectè deponitur per puram non applicationem rationis vniverſalis ad agibile ſingulare, quæſt. 10. à num. 1. & quæſt. 28. à num. 9. Qualiter ſit deponenda, explicatur, quæſt. 10. à num. 19. Magis obligat, quam præceptum Prælati, quæſt. 11. num. 2. Nemo poteſt licitè inducere alium ad formandam conſcientiam erroneam, quæſt. 12. num. 1. Nec ad operandum ſecundum illam, quando eſt culpabiliter erronea, num. 2. Oppoſitum ſequitur ex Terillo, num. 3. Nec etiam id licet quando eſt invincibiliter erronea, num. 5. Poteſt tamen alium inducere ad ſervandam vniverſaliter legem Dei, ex quo ille inducatur ad ſequendam ſuam conſcientiam erroneam, num. 9. Ex quo nec indirectè illum induceret ad opus illicitum, num. 11. Hoc tamen intellige in raris caſibus, ibid.

Conſcientia dubia datur, quæſt. 14. num. 2. Eſt applicatio rationis dubitandi ad opus ſingulare, num. 4. Non ad illud efficiendum, ſed ad illud dubie cognoſcendum, à num. 5. Non eſt perfectè, & conſummate conſcientia, vnde nec regula agendi, num. 7. Non licet operari cùm conſcientia dubia, quæſt. 15. à num. 2. Vi cuius legis obliget, quæſt. 16. à num. 1. Datur lex reflexa ſequendi partem tutiorem in dubio, à num. 5. Quænam pars dicatur minus tuta, & an minus tuta ſit tuta? Num. 3. & 4. Independenter à tali lege reflexa eſt peccatum agere cùm dubio de licito, vel illicito, num. 28. Quia eſt formaliſsimè contemnere legem Dei directam, num. 19. ſi non effectivè, ſaltem affectivè à num. 30. affectu obiectivè conditionato, n. 31. Ex quo non ſequitur peccati tantum conditionate, ſed abſolute, n. 33.

Conſcientia dubia non obligat directè, & poſitivè, ſed indirectè, & remotivè, quæſt. 16. à num. 39. Operari ſine conſcientia eſt intrinſecè malum, num. 41. & 42. Non præciſe quia eſt contra dictamen reflexum id prohibens, ſed potius id prohibet dictamen reflexum quia intrinſecè malum, num. 43. & 55. Idem de modo operandi cùm conſcientia dubia, quia periculoſo, num. 59. In quo non eſt periculum de peccato formali, ſed certitudo, non certitudo de peccato materiali, ſed periculum, num. 60. Qui dubitat in conſcientia an aliqua actio levitèr diſpliceat, vel plurimum placeat Deo, peccat ſi eam eligat, à num. 65. Neceſsitatus vage ad duo extrema, dubiuſque de vtroque an ſit peccatum, ſi neſcit diſcernere in quo maius peccatum immineat, quodcumque eligat non peccat, quæſt. 16. à num. 73. non quidem per recurſum ad conſcientiam reflexam, num. 74. Eſt enim contra experientiam dicerei quod nunquam deficit conſcientia certa re-

flexa in ſimilibus dubijs, num. 75. ſed quiâ licet operetur ſine conſcientia, & cùm periculo peccati, caret tamèn libertate ad vitandum tale periculum, num. 76. Si autem in prædicto dubio immineat in vno extremo peccatum maius exceſu gravi, tenetur ſub lethali illud extremum vitare, ſi exceſu levi, ſub veniali, num. 69.

Conſcientia ſcrupuloſa qualitèr medenda ſit. Explicatur, quæſt. 40. per totam

Conſultus non poteſt conſulere ſecundum opinionem minus probabilem, minuſque contra propriam, quæſt. 35. per totam.

D

DEVS, Etſi poſsit ignorari, aut negari, nequit tamèn in humano intellectu cadere exiſtimatio de eo, quod præcipiat nobis eum odio proſequi, aut quod nobis prohibeat eum amare, quæſt. 6. num. 144. Nec indirecte poteſt Deus præcipere nobis ne eum diligamus, durante vſu rationis, num. 145. ipſum omnes audiunt in actu exercito præcipientem per ſyndereſim, & legem naturalem ſaltem ſub ratione confuſa Numinis, quæſt. 9. num. 5. Maiori cura nos Deus inſtruit de ſe ipſo, quam de alijs, num. 8. & 9. Nec vincibiliter ignorari poteſt ſub ratione confuſa Numinis, num. 10. Omnes homines naturaliter, & immediatè inſtruit circa prima principia tam ſpeculativa, quam practica, num. 14. Dei obſequium non eſt quærendum per fortunam, ſed per ſe, quæſt. 16. num. 66. Deus obſequia vltronea non admittit cùm periculo violandi eius mandata. num. 68. & 69. Præcisè quiâ Deus eſt, nulla de cauſa contemni debet, quantunvis leviſsime, quanvis exinde eſſet ſalvandus totus mundus, & alioquin omnes damnandi, num. 71. Non indiget noſtris obſequijs, ideoque nullum ei placet exhibitum cùm periculo offenſæ, ibid. Diſtricte ſcrutabitur modum formandi conſcientiam per abuſum probabilitatis, quæſt. 28. à num. 38. Nihil proderit coram ipſo recurſus ad reflexas, num. 44. Deus non poteſt habere duas voluntates contrarias, à num. 104. Deus ſolus peritus in arte gubernandi vniverſum, quæſt. 28. num. 450. Homines inſtruit in hac arte per ſuas leges, num 451 Ordo ab ipſo ſtatutus in Eccleſia eſt optimus. num. 452.

Diſputatio Rectus ordo ipſius exigit quod prius diſputetur de veritate opinionis, quam de eius probabilitate, quæſt. 27. num. 48. Prohibet aſſumere maiorem probabilitatem ad probandam veritatem ibid. Sicuti ad ſolvenda argumenta contra veritatem, num. 49.

Diſcurſus practicus qualitèr formandus vt vitetur error, quæſt. 9 num. 21. & 22.

Doctor ſervus eſt legis, nihil poteſt addere, nec detrahere de illa, quæſt. 30. num. Non poteſt licite docere minus probabilia, quæſt. 39. per totam.

Doctrina ſana debet eſſe vera, & non poteſt eſſe erronea. Primo quiâ eſt à Deo Authore. Secundo quiâ doctrinæ ſanitas eſt veritas. Tertio, quia bonum intellectus eſt verum. Quarto, quiâ doctrina ſana non ſeducit, ſecus falſa, & erronea, quæſt. 5. num. 56. Erronea invincibilis non eſt ſana adhuc præſervative, quiâ non præſervat à culpa perficiendo, ſed malificando, à num. 57. Imò non eſt illa, quæ præſervat à culpa adhuc negative, ſed bona intentio operantis, num. 59. Dum errat contra legem ſupernaturalem, excuſat, ſed non honeſtat actum in ordine ſupernaturali; idem ergò dicendum dum errat intra ordinem naturalem, num. 63. Non eſt ſana per ſe ad ſalutem naturalem animæ, num. 64. Imò illam corrumpit, ibid. & num. 65. Etiam ſi erret in materia opinabili, num. 66. Cavenda eſt quantum caveri poſsit, quiâ ſeducit circa mores, num. 67.

Dubium definitur, quæſt. 12. à num. 2. Ligat mentem, num. 3. Non tamèn privat omni motu, ibid. Aliud negativum, aliud poſitivum, explicatur quæſt. 2. n. 1 Dubitare proprie, & poſitive ſemper eſt cùm ratione, q. 13. num. 6. Benè, & prudentèr dubitare cùm bona, & gravi ratione, num 8. Quænam ſit ratio ſufficiens ad aſſenſum, num. 9. Poteſt eſſe ratio dubitandi pro vna parte tantum contradictionis, num. 12. Dubium tamèn in eo caſu non eſt adæquatè poſitivum, ſed partim negativum, nec ſtrictè dubium, ſed magis ſuſpicio, num. 13. Cùm dubio negativo de bonitate, vel malitia operis vt hic, & nunc vndique circunſtantiati non licet operari, quæſt. 16. num. 81. Benè tamèn cùm dubio negativo circa opus ſecundum ſe, adveniente circunſtantia honeſtante, n. 82. Dubium negativum facile ſolvitur per appoſitionem finis honeſti, vel alterius cir-

circunſtantiæ, ſecus dubium poſitivum, num. 82. & 83. Dubitans negative de honeſtate, vel in honeſtate operis, etiam attentis omnibus circunſtantijs, non operatur indifferenter in individuo, n. 85. Sed malè ex modo tendendi ſine regula, num. 86.

Dubium ſolvere ſemper eſt cùm ratione, & non pro mero libito, q. 17. à n. 2. requiritur nova ratio quoad modum, vel quod ſubſtantiam, n. 4. Ratio prudenter dubitandi invariata non poteſt ſuffice ad prudentem aſſenſum, n. 5. Etiam ſi ſit ratio verè probabilis, n. 6. Cùm ſolvitur ratio dubitandi pro parte affirmativa variatur ſaltem extrinſece ratio, quæ erat pro negativa, n. 8. Ad ſolutionem dubij pro non lege, non ſufficit legem certo non inveniri poſt exactam diligentiam, n. 9. & q. 21. n. 22. & q. 28. num. 382. Nec quod materia ſit ardua, & difficilis, q. 21. num. 76. Etiam loquendo de legibus Eccleſiæ, num. 77. Nec Epikeia eſt regula generalis ſolvendi dubia conſcientiæ, num. 78. Solum ergò rectè ſolvitur per ſtudium, & inquiſitionem veritatis, num. 79. Poteſt ſolvi dubium per non conſiderationem motivorum pro vna parte, ſed tunc aſſenſus erit imprudens, quæſt. 17. num. 11. Solutio dubij ſemper eſt per veritatis inventionem veram, vel exiſtimatam, n. 12. Non ſemper ad hoc eſt neceſſum ſolvere rationem dubitandi, n. 14. Non ſufficit ad ſolutionem dubij æqualitas rationum, & authoritatum pro vtraque parte contradictionis, imò talis æqualitas eſt propria diſpoſitio dubitantis, n. 17. Et quidem, iuxta Auguſtinum, q. 26. n. 125. Quanvis rationes, & authoritates ſint vere probabiles, q. 17. n. 19. Tunc enim tantum reſolvi poteſt, quod vtraque pars ſit probabilis, de quo non erat dubium, non autem quænam ſit vera, de quo erat dubium, n. 20.

Dubium in ſingulari non ſolvitur per probabilitatem æqualem pro vtraque parte contradictionis in vniverſali, q. 19. per totam. Cum dubio ſpeculativo, ſeu in vniverſali cohæret certitudo practica in ſingulari, ſi pro ſingulari, caſu accedat novum motivum, vel nova circunſtantia, quæſt. 18. num. 1. Secus ſi nulla accedat circunſtantia non prævisſa in conſideratione vniverſali, à num. 2. Cum dubio de obiecto ſalvis eiſdem circunſtantijs, ſtare nequit certitudo de honeſtate formali operationis. quæſt. 20. à num. 1. Imò cùm tali dubio ſtat certitudo de honeſtate operationis, num. 3. & 5. Dubium de honeſtate obiecti vt hic, & nunc circunſtantiati eſt propriſſimè dubium practicum, non ſpeculativum, num. 4. & eſt conſcientia dubia, num. 3.

Dubium in tribunali iuſtitiæ ſolvitur per poſſeſſionem in favorem partis poſſidentis ſaltem quoad retentionem rei, quæſt. 21. num. 3. Intellige, ſi poſſeſſio non ingrediatur rationem dubitandi, num. 10. Vide *poſſeſſio*. In dubio de licito, vel illicito, pars litigans pro lege nequit eſſe peioris conditionis, num. 24.

Dubium de peccato, vel non peccato mortali, quando veritas eſt ambigua periculoſiſsime determinatur, num. 31. quæſt. 26. num. 155. Non eſt neceſſum tale dubium ſolvere, etſi inſtet tempus agendi, ſed oportet eligere tutiorem partem, dubio permanente, quæſt. 21. num. 32. In dubio non tenemur legem admittere, ſed de illa dubitare, num. 52. Dubium de poſsibilitate, vel impoſsibilitate alicuius termini, ſi ſit negativum, poteſt prudenter ſolvi pro poſsibilitate, ſecus ſi ſit poſsitivum, niſi nova ſuperveniat ratio, num. 64. Dubium iuris ità conſiſtit in indiviſsibili ſicut dubium facti. quæſt. 26. num. 33.

Dubitare non eſt manere inſtar ſtipitis, nec denſiſsima ignorantiæ nox, vt ait Terillus, ſed actus ſapientiæ, & prudentiæ, quando rationes contradicentes ſunt æquales, quæſt. 26. num. 48. & 91. Non eſt deterius dubitare, quam errare, num. 49. & 56.

E

ECCLESIA Catholica facile eminet vniverſis Sectis, quæſt. 26. num. 125. Nulla Secta niſi per inconſiderationem motivorum noſtræ fidei poteſt apparere credibilior præ Eccleſia, ibid. Eccleſia ſæpè tolerat ab opiniones nocivas, & pernicioſas. quæſt. 29. à num. 184.

Eccleſiaſtici non debent exigere vota fidelium in maiori quantitate, ne exactores videantur, quæſt. 29. num. 90.

Electio medij re ipſa prohibiti, licet exiſtimati honeſti, re ipſa eſt contra intentionem charitatis, & contra appetitum rectum finis, quæſt. 5. num. 38. Continet inordinationem, & pravitatem, de qua eſt accuſabilis, quæſt. 5. num. 51. & 52. Talis tamèn inordinatio non eſt culpa, nec peccatum formale, num 53.

An ſit moralis, vel phyſica, explicatur, num. 166. Electio defectuoſa, & materialitèr prava poteſt procedere ex intẽtione recta, non perſe, ſed per accidens, n. 111. Quo in caſu talis electio eamdem inordinationem continet, & deformitatem, àc ſi procederet ex mala intentione, cùm hac ſola differentia quod in primo caſu eſt involuntaria, in ſecundo voluntaria, num. 118. Prædicta electio materialitèr prava poteſt procedere per accidens à Deo Authore ſupernaturali mediante intentione charitatis, num. 119. & ſecundum quid etiam perſe, num. 120. Electio obiecti directè, & perſe prohibiti quod eligenti probabiliter apparet prohibitum, nequit Deo placere, quæſt. 28. à num. 160. Eſt peccatum formale, à num. 107. Quod potiſſimè verificatur de electione iudicandi ſecundum opinionem minus probabilem, à num. 111. Electio directa non regitur per opinionem reflexam, quæſt. 28. num. 315. Electionem opinionis debet præcedere examen, & certa probabatio veritatis, quæſt. 29. num. 19. Hoc non ſolum eſt conſilium, ſed præceptum, num. 31.

Eleemoſyna, licet prohibitum ſit eam largiri quærenti illam ad continuanda peccata, non tamèn oportet examinare curioſe vitas pauperum, quæſt. 5. n. 101.

Epikeia non eſt regula vniverſalis ad ſolvenda dubia conſcientiæ, quæſt. 21. n. 78. Quando tenet, & quando non, explicatur, q. 28. n. 426. Non tenet nec in lege naturali, nec in lege poſitiva divina; nec etiam in lege humana, quando præſens adeſt legiſlator, ibid Ex illa non recte præſumitur quod legiſlator velit excipere obiectum, de quo fuerint opiniones æquè probabiles contradicentes, ibid. Solum habet locum quando lex in aliquo particulari peccat, num. 427. Non ergò in lege naturali, nec divina, neq; in concurſu opinionum contradicentium, quando pars pro lege eſt tuta, ibid.

Error in iudicio practico regulante electionem vnde proveniat quando eligens eligit ex bona intentione, explicatur, q. 5 num. 121. Error in opinando eſt vulnus, venenum, & naufragium intellectus, q. 26 à num. 44. Non ſolum quando eſt vincibilis, n. 51. Sed etiam ſi ſit invincibilis, à num. 53. Semper eſt malum intellectus, num. 55. Qui exponit ſe periculo proximo errandi, & errat, culpabilitèr errat, num. 51. 52. & 56. & q. 28. num. 92. Qualitèr intellectus poſsit errare ſpeculative non errando practice, & è contra, quæſt. 28. n. 286.

F

FIDES Divina eſt libera nobis quoad exercitium, & quoad ſpecificationem, q. 26. n. 101. Non eſt libera immediate, ſed mediate tantum loquendo de libertate contrarietatis, num. 111. & 136. Qui audientes prædicationem fidei adhæſerunt erroribus oppoſitis fuit per inconſiderationem, num. 112. & 118. Nemo diſſentitur fidei ſibi apparenti probabiliori, num. 113. & 117. Obligatio conſiderandi debite motiva fidei non oritur ex ipſis motivis conſiderandis, ſed ex regulis generalibus ſyndereſis, num. 122. Antequam aliquod Myſterium proponatur ab Eccleſia, vt credendum debent examinari motiva in pro, & in contra, & propterea congregata fuerunt tot concilia, nullus vero Catholicus in particulari tenetur examinare motiva hæreticorum, num. 124. Econtra vero hæretici tenentur examinare, & conſiderare motiva noſtræ fidei, ibid. Crediturus ſolum tenetur conferre credibilitatem Eccleſiæ cui credit cùm alijs ſectis in vniverſali, non vero motiva articulorum in particulari; quiſque autem facile dignoſcit Eccleſiam noſtram omnibus Sectis antecellere, num. 125. Pluſquam falſum eſt quod infidelis, cui proponitur noſtra fides, vt credibilior ſua ſecta, non teneatur noſtram fidem recipere, id tamen aſſerunt aliqui Probabiliſtæ, quæſt. 28. à num. 356. Ceteri reijciunt, ſed inconſequentèr, num. 357.

G

GRATIA. Nemo ſcit certitudine evidenti ſe eſſe in gratia abſque ſpeciali revelatione, quæſt. 33. n. 20. oppoſitum ſequeretur ex certitudine evidenti reflexa à Probabiliſtis aſſerta, num. 21.

H

HÆRETICVS Tam materialis, quam formalis eſt talis per non conſiderationem motivorum fidei, ille per inconſiderationem inculpabilem, iſte per culpabilem, quæſt. 26. n. 118. Hæreticus

cus formalis dum mente negat fidem, non habet motivum proximè, & abſolute ſufficiens ad aſſenſum fidei, ſua culpa, num. 127.

Hæreſis. Nolle attendere motivis fidei non eſt formaliter peccatum hereſis, benè vero cauſaliter, quæſt. 26. num 119.

Hæreſis Ianſeniana procul ab illa diſtat noſtra ſententia, quæſt. 28. num. 435.

Homines. Eorum communitas creata propter obſequium Dei. Optimum bonum eius conſiſtit in eo, quod omnes partes rectè inter ſe, & ad finem ſuum ordinentur, quæſt. 28. num. 450. Talis ordo vniverſalis ſub nullius providentia, niſi Dei, cadit, ibid.

Honeſtas iudicata ex affectu voluntatis ſecundum opinionem æquè, aut minus probabilem non eſt vera, ſed affectata, quæſt. 28. num. 42. & num. 318. Alia eſt honeſtas obiectiva, formalis, alia, quæſt. 33. num. 2. formalis ſumitur ab obiectiva, num. 3 Vt actus evadat ab obiecto inhoneſtus non requiritur, quod tendat in obiectum, *quià turpe*, ſed ſufficit *quanvis turpe*, econtra vt evadat honeſtus ab obiecto, ibid. Ad honeſtatem formalem operationis requiritur certitudo aliqua honeſtatis obiectivæ operis eligendi, num. 6. Ad inhoneſtatem vero formalem ſufficit incertitudo. num. 7. Honeſtas formalis operationis eſt prævia, & indepen-dens à ſui cognitione reflexa, quæſt. 33. à num. 32. Vt ſit voluntaria non requiritur quod ſit cognita, num. 34. Requiritur tamèn certitudo reflexa fundamentalis. num. 36. Ad honeſtatem formalem non requiritur quod operans excludat omnem formidinem peccandi, num. 37. & à num. 45. Honeſtatis regulę explicantur, quæſt. 34 per totam.

I

IGNORANTIA. Etiam ſi lex menti non occurrat, nec vlla eius ſuſpicio poteſt ignorari culpabiliter, q. 8. n. 23. Vnde, qui operatus eſt abſque omni ſuſpicione malitiæ putans ſe placere Deo, ſi poſt inveniat fuiſſe contra placitum Dei, oportet vt à Deo veniam poſtulet, num. 25. Ignorantia invincibilis iuris naturalis ſi detur, excuſat à culpa, quæſt. 9. num. 1. Ignorantia legis naturalis, alia reflexa, & ſignata, alia directa, & exercita, num. 2. Nemo rationis compos ignorat invincibiliter exiſtentiam Dei Authoris naturæ, à num. 3. Nec poteſt id contingere per miraculum, ibid. Alias homo ſic ignorans redderetur impeccabilis contra Deum, num. 4. Imo etiam contra conſcientiam, n. 6. & periret omnis diſcurſus moralis practicus ignorato vltimo fine, num. 8. nemo poteſt dicere in vniverſo: invincibiliter ignoro meum vltimum finem, num. 9. Nec vinciviliter, num. 10. ipſi Idolatræ cognoſcunt Deitatem, num. 12. Nec datur ignorantia adhuc culpabilis legis naturalis quantum ad prima, & vniverſaliſsima principia ipſius, num. 13. benè vero quantum ad applicationem ad ſingularia agibilia, num. 16. & etiam quantum ad particularia, & minus vniverſalia præcepta, quanvis hæc per ſe loquendo invincibiliter ignorari nequeant, num. 19. Ignorantia, qua pueri rationis compotes incurrunt pollutiones, periuria, furta, & alia huiuſmodi contra legem naturalem, non eſt excuſanda vt invincibilis, ſed confitenda vt culpabilis, n. 24. & 41. Principium vnde poſsit, & debeat depelli talis ignorantia, etiam quando nulla eſt ſuſpicio malitiæ, explicatur, à n. 25. Etiam in viris ſanctis cadere potuit ignorantia aliqua iuris naturalis venialiter culpabilis, num. 37. Vt ignorantia ſit culpabilis ſufficit quod phyſicè vinci poſit, licet moraliter ſit invincibilis, num. 39. Per accidens in aliquo raro caſu admitti poteſt ignorantia invincibilis iuris naturalis, num. 44. Quid requiratur vt talis ignorantia ſit inculpabilis, ibid. Quando erit mortaliter, & quando venialiter culpabilis, ibid. Quando ſolum venialiter eſt culpabilis, peccatum inde ſequutum ſolū eſt veniale, n. 46. Nō datur ignorantia invincibilis legis Evangelicæ, ea tamèn admiſa, non inde infertur ignorantia invincibilis legis naturalis, num. 49. Datur ignorantia invincibilis legis humanæ n. 51. & etiam ignorantia invincibilis facti n. 52. & legis naturalis vt contractæ ad caſus particulares, à num. 53.

Ignorantia probabilis excuſat, ſed illa non eſt in opinione minus, aut æquè tantum probabili, q. 29. n. 91. Nemo poteſt ignorare invincibiliter deberi peccato gravi pœnam æternā, q. 4. n. 4. etſi tamèn hoc ignoraret peccans mortaliter eam mereretur, ibid. Ignorantia vincibilis, non tolit voluntarium, ſed ſola invincibilis, n. 5. ignorantia culpabilis vnius legis non eſt peccatum ſpecie diſtinctum ab ignorantia alterius, & ſimiliter negli-

gentia addiſcendi vnam præ alia, q. 7. n. 10. Recurſus ad ignorantiam non iuvat Probabiliſtarum ſententiam, quæſt 28. à num. 90. Ignorantia valde diſtat ab errore, ibid.

Illiterati qualitèr quærere debeant veritatem, quæſt. 32. à num. 20.

Intentio bona ſine veritate in electione non reddit opus ſimplicitèr honeſtum, q. 5. n. 6. Ipſa tamèn condigna remuneratione non fraudabitur, n. 10. Levius admodum peccatur ex bona intentione cùm fide falſa, quam cùm intentione maligna. n. 11. Intentio charitatis conatur ſervare vera Dei mandata vt ſunt in re, quæſt. 5. num. 34. licet cognita modo humano, & non Angelico. num. 36.

Intellectus practicus qualitèr diſcurrat ex vniverſalibus ad ſingularia, q. 6. n. 91. & q. 25. n. 1. evidenter repugnat intellectui ſimul opinari vtramque partem contradictionis, q. 24. à num. 1. Poteſt aſſentiri vtrique parti vt probabili terminative, & ſignate, non vero exercite, & motivè, n. 11. Poteſt opinari in ſingulari oppoſitum ac in vniverſali, concurrente nova circunſtantia, q. 25. n. 2. ſecus ſi nulla ſuperveniat circunſtantia non prævia in iudicio vniverſali, à n. 5. Intellectus actu conſiderans motiva vtriuſque opinionis contradicentis nequit aſſentiri parti minus, aut æquè probabili, quæſt. 26. à num. 3. Inter æqualia motiva conſtitutus ſtateræ comparatur aptiſsimè, n. 5. & 11. 74. & 133. licet non moveatur ad aſſentiendum vni parti ex motivis in contra cauſalitèr attactis, benè vero ex ipſis adverſative attactis, n. 21. Dato quod aſſentiret parti æquè probabili, non aſſentiret prudenter, num. 26. & potiſsimè à n. 41. Nec poſt aſſentire parti minus probabili à num. 57. Cui, ſi aſſentiret, magis quæreret falſitatem, quam veritatem, contra ſuam naturam à num. 61. Ad aſſenſum non movetur ex apparientia conſequenti, ſed antecedenti, à num 65.

Intellectus, vt obediat voluntatis imperio, requirit, vltra motivum voluntatis ad imperandum, motivum intellectus ad aſſentiendum, n. 75. & 134. Dato quod voluntas inter bona æqualia poſsit eligere quodlibet, non inde ſequitur intellectum poſſe inter opiniones contradicentes æquè probabiles aſſentire cuilibet, num. 77. & 84. Intellectus tractus æqualibus motivis in contraria nulli poteſt aſſentire determinate in ſenſu compoſito conſiderationis vtriuſque motivi, benè vero in ſenſu diviſo talis conſiderationis, ſeu aliter conſiderando motiva. num. 81. & 133. Durante æqualitate motivorum in contrarias partes inclinatio intellectus ad aſſenſum eſt ligata, & impedita, num. 82. & quidem impedimento non ſolum difficilitante, ſed impoſsibilitante aſſenſum in ſenſu compoſito, num. 84.

Intellectus non quærit veritatem per fortunam, ſed per ſe, num. 89. & 116. Circa res obſcuras nequit invenire veritatem per evidentiam, num. 95. Si tamen ſit revelata, poteſt illam invenire per certitudinem metaphyſicam, circa non revelata per opinionem, aut fidem humanam, ibid. & ſeq. Quando intellectus aſſentitur opinioni probabili falſæ fruitur probabilitate veritatis, non autem fruitur probabilitèr veritate, valde enim vnum differt ab alio, num. 99. Non æquè benè ſe habet cùm opinione probabili falſa, ac cùm probabili vera num. 102. Nequit aſſentiri parti levi exceſu probabiliori per opinionem perfectam, ſed tantum per ſuſpicionem quandam; ſi exceſus ſit notabilis, per opinionem perfectam, ſi nullus manebit in æquilibrio, num. 106. In obſcuris, dum ſuſpendit iudicium vt vitet periculum erroris nullam partitur violentiam, num. 115. Non habet libertatem ad opinandum pro parte minus, aut æquè probabili, niſi mediante diverſa conſideratione motivorum. num. 133. Vt aſsẽſus opinativus ſit liber quoad ſpecificationem ſufficit quod intellectus poſsit opinari oppoſitum pro inſtanti ſequenti, n. 136. Etiam in eodem inſtanti, in quo conſiderat motiva vrgentiora pro parte negativa, compatitur potentia antecedens ad aſſentiendum affirmativæ, num. 137.

Intellectus eſt Iudex naturaliter à Deo conſtitutus in homine pro decidendis quibuſlibet dubijs conſcientiæ, ac proinde obligatur ad iudicandum ſecundum opinionem probabiliorem æquo iure, ac Iudex publicus in foro iuſtitiæ. q. 27. per totam. Vide *Iudex*. Debet gubernare voluntatem, non gubernari per illam, q. 28. n. 40. Quænam diligentia requiratur ex parte ipſius ad rectè quærendam veritatem, q. 32. n. 10.

Irregularitas non incurritur, niſi in caſibus expreſsis in iure, q. 16. n. 12. & 19. Nihilominus poteſt dari dubium verum de irregularitate, ibid. & n. 20. Non ſolum facti, ſed iuris, n. 21. In quo dubio homo non tenetur ſe iudicare irregularem,

rem, ſed non poteſt prudenter ſe iudicare ab ea immunem, vnde tenetur non celebrare ratione dubij, n. 22. Quæ obligatio non eſt pœna, ſed ius naturale reſultans ex dubio pœnæ, n. 25.

Iudex recta conſcientia, & non erronea damnat reum iuxta allegata, & probata talem, quem privativè ſcit eſſe innocentem iuxta D. Thom. q. 5. n. 98. In lite iuſtitiæ, quando iura ſunt æqualia, aut æqualis adeſt probabilitas vtrique parti, ſi vna pars pacifice poſſideat, tenetur pro illa decidere, ſaltem quoad retentionem fundi. Si neutra poſſideat, tenetur deividere fundum, aut componere partes, q. 21. n. 6. Tenetur ex proprio munere deſignare poſſeſſorem fundi, n. 7. Habet authoritatem à republica in dubijs deſignandi dominum fundi, etſi forsàn fundum ad alium pertinuerit, n. 60.

Iudex non poteſt iudicare ſecundum opinionem minus, aut æquè tantum probabilem, q. 27. à n. 1. Debet ita partes æquo affectu reſpicere, ac ſi nullam videret, nec agnoſceret, à n. 4. Tenetur non duci affectione in alteram ex partibus, ſed ſola ratione, & æquitate, n. 5. Affectus voluntatis ſolet excæcare intellectum iudicis ne iudicet ſecundum æquitatem, n. 10. Si iudicaret ſecundum opinionem ante affectum voluntatis minus probabilem, ſed conſequenter probabiliorem, iudicaret excæcatus à voluntate, n. 11. Si Iudex proferret ſententiam ſecundum minus probabilem opinionem, mentiretur, n. 12. Debet ergò dicere ſententiam ſecundum id quod ſibi probabilius apparet ante affectum, & aſſenſum, n. 14. Si iudici concedatur facultas iudicandi ſecundum quælibet probabilia, male proviſſum erit pauperibus, pupillis, viduis, &c. n. 16. Si Iudex fateretur ſe proferre ſententiam ſecundum partem minus probabilem, odium reipublicæ in ſe concitaret, num. 15. & 25. Tenetur implere proprium munus meliori modo quo commodè poſsit, n. 19. Non ſolum ex vi iuramenti, aut promiſsionis, ſed ex proprio inſtituto iudicis, n. 23. Tale munus non impleret iudicando ſecundum partem minus probabilem, n. 19. Rationes, quibus Probabiliſtæ ſuadere conantur poſſe intellectum prudenter iudicare de moribus ſecũdum opinionem minus probabilem, idem abſque vlla diſparitate probant de iudice in foro iuſtitiæ, à n. 27. vſque ad finem.

Iugum divinæ legis ſuave diligentibus, negligentibus ſecus, q. 29. à n. 44. Comparativè ad vires naturæ corruptæ, vel ad noſtram diſsidiam, iugum legis ſcriptæ ſuavius foret, quàm legis gratiæ, ſecus comparative ad naturam vt gratia, & Spiritu Chriſti imbutam, n. 46. Obligatio ſectandi tutiora, vel probabiliora non eſt iugum intolerabile, à n. 16. vſque ad 55.

Iudicium dictans faciendum, quod reipſa eſt legi Dei contrarium, licet per ignorantiam, non poteſt eſſe practice verum, nec prudentiale, q 5. n. 45. Adhuc ſuppoſita conſcientia invincibiliter erronea, iudicium reflexe dictans faciendum, quod illa dictat, non eſt rectum, nec recta regula, n. 48. Non eſt conforme bonæ intentioni operantis, etſi ab illa procedat, quià ſolum procedit per accidens, n. 110. & à n. 123. Nec eſt iudicium prudens, licet procedens à virtute prudentiæ, à n. 131. & 159.

Iudicium temerarium non eſt tale, quià motiva in contra ſint iudicanti longe probabiliora, & ſua levia; ſed quià licet ita ſint in re, paſsione tamen ductus plus ſua, quã oppoſita conſiderat, & ideò ſua ſibi apparent probabiliora, q. 26. n. 129.

Iudicium Chriſti quam ſtrictè ſcrutabitur modum formandi conſcientiam, q. 28. num. 38.

Iuramentum factum ex ignorantia culpabili eſt novum peccatum, & diſtinctum à peccato ignorantiæ, q. 7. à n. 4. Et quidem directe contrarium virtuti religionis, à n. 70. Ita vt teneatur in confeſsione ſe accuſare ſpecialiter de periurio, n. 10. Non licet inducere teſtem ad iurandum, quod inducens ſcit eſſe falſum, iuraturus vero putat eſſe verum, q. 12. n 14.

Iuriſprudentia non minus practica eſt circa iuſtum, & iniuſtum, quam Theologia moralis circa licitum, & illicitum, q. 27. n. 33. Plures ſunt in Iuriſprudentia opiniones practice probabiles, n. 35.

L

LEX Dei reflexa non datur de ſequenda conſcientia erronea, q. 5. n. 49. & q. 6. à n. 34. Nec præcipiens agere indifferenter ſecundum conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, q. 6. à n. 36. Alias ſuperflua eſſet diligentia pro formanda conſcientia recta, à n. 37. Alias etiam Deus vellet, & præciperet ſimul contraria, à n. 39. Quod eſt impoſsibile adhuc per duas leges directam, & reflexam, à n. 42. Etſi reflexa dicatur exiſte-

exiſtere in Deo per accidens, ibid. Primo, quià implicat lex poſitiva exiſtens in Deo per accidens, à n. 43. & 47. Secundo, quià adhuc per accidens nequit coexiſtere cùm alia directa præcipiente oppoſitum, n. 45. Tertio, quià per talem legem reflexam ſubordinaret Deus ſuas leges iudicio hominis, ſivè recto, ſivè erroneo, à n. 48. Ad ſummum datur lex reflexa præcipiens agere ſecũdum conſcientiam rectam, n. 59. Ex hac enim non ſequuntur abſurda relata, n. 60. Et hæc ſufficit vt homo obligetur ad ſequendam conſcientiam erroneam, à n. 63. Reflexa iſta vnice præcipit ſequi conſcientiã rectam, ſed non præcipit ſequi vnice conſcientiam rectam, à n. 65. Iterum impugnatur lex reflexa ſequendi conſcientiam erroneam, à n. 113 Primo, quià per illam Deus directe præciperet mendacium, à n. 114. Secundo, quià præciperet nobis formaliter peccare, n. 116. Tertio, quià aliàs Deus eſſet pater mendacij, poſſetque nobis præcipere prædicare doctrinam falſam, & eſſe author illius, quod eſt valde abſurdum, n. 122. Si Deus reflexe præciperet ſequi quamlibet conſcientiam, faceret rationem humanam primam regulam morum, poſſetque quiſque quamlibet actum ſuum honeſtare, q. 6. n. 134. Et ſe ipſum facere impeccabilem, à n. 135.

Lex reflexa datur de ſequenda parte tutiori in dubio, q. 16. à n. 5. Et non ſolum conſilium, à n. 8. Talis lex non ſolum eſt pro caſibus expreſsis in iure canonico, ſed pro omnibus ſimilibus, n. 11. Eſt naturalis, & non ſolum poſitiva, illam agnovere gentiles, n. 27.

Lex divina vt obliget non requiritur quod reipſa exiſtat apparte rei, ſed ſat eſt quòd exiſtimetur, vel dubitetur exiſtere, q. 16. n. 35.

Lex naturalis continet alia præcepta vniverſalia, alia particularia, q 9. n. 1. Nequit ſupponere hominem liberum ab obligatione ſui, q. 21. n. 18. & 42. Non eſt pro noſtro arbitrio verſatilis, q. 30. n. 11. Non eſt limitatio iuris naturalis, ſed eius perfectio, & melioratio, à n. 48. Tenemur omnes ad ſervandam divinam legem pro poſſe, non minus quàm Iudex ad ſervandum cuique ius ſuum, q. 27. n. 54. Lex Dei non reſtringitur in præcipiendo per noſtram ignorantiam, aut errorem, q. 28. n. 116 Non datur lex reflexa Dei diſpenſativa in legibus directis pro caſu ignorantiæ, erroris, vel falſæ opinionis, n. 128. Licentia ſectandi quæcumque probabilia aufert à divina lege, ne ſit prima regula morum, à n. 136. & 155. Subordinat omnes Dei leges noſtro iudicio, à n. 140. Eſt penitùs adverſa Scholæ D. Thomæ, à n. 144. Ea poſita nihil præciperet Deus ex propria determinatione, n. 150. Sed cæco, & ignoranti modo, n. 51. Quod non evitatur per ſcientiam mediam, à n. 163. Probabiliſmum facit divinam legem regulam leſbiam, n. 167. Quam abſurdum hoc ſit, n. 168. Quanvis admitteremus legem reflexam ſectandi conſcientiam invincibiliter erroneam non inde æquale ſequeretur abſurdum, àc ex licentia reflexa ſectandi quamlibet opinionem, ſivè magis, ſivè minus probabilem, n. 171. Sed nec illam admittimus, n. 172. Etſi lex divina limitaretur in ſua vniverſalitate per noſtrum errorem invincibilem, non eſſet æquale abſurdum, àc limitari per iudicium arbitrarium ſecundum quamlibet opinionem probabilem, n. 174. Sed nec illud admittimus, ſed ſolum quod limitetur in obligando formaliter, n. 175. Lex in præcipiendo omninò prior, & independens eſt à noſtra cognitione, ſecus in obligando formaliter, ibid. & n. 176. Eſt prima regula immobiliter idem præcipiens, quidquid homines opinentur varia, n. 178. Non reflexa, ſed directa eſt prima regula, num. 180.

Lex inter opiniones controverſa quomodo obliget, explicatur, q. 28. à n. 391. Falſo negat Terillus eam obligare, quià non promulgatam, à n. 401. Si eſt naturalis implicat quod non ſit ſufficienter promulgata, n. 405. Sæpè controverſia inter Authores ſupponit certã promulgationem legie, ibid. Vt lex obliget non debet ità eſſe certo promulgata, quod evidenter conſtet ſubditis præſentibus, n. 406. Qualis promulgatio requiratur, n 407. Lex dubia eſt ſufficienter promulgata ad obligãdum indirecte, n. 411.

Lex obligans ad ſectanda probabiliora, vel tutiora non eſt ſtulta, nec noxia, quidquid dicat Terillus, à n. 442. Nulla adducit per ſe peccata, licet aliunde ex fragilitate naturæ ſit neceſſum moraliter homines contra illam ſæpè peccare, n. 444 Imò per ſe ordinatur ad vitanda ea peccata, n. 445. Non obligat ad impoſſibile, n. 447. Lex debet eſſe obſervatu poſsibilis per ſe, & vt implurimum, non vero in omni caſu etiam per accidens contingenti, n. 447. Leges divinæ ex primaria intentione non ordinantur ad vitanda peccata contra ſe ipſas, n. 449.

Lex charitatis obligat nos ad vitandum peri-

periculum probabile peccati materialis, q. 28. à n. 65. & à n. 102 Et ad non iudicandum de moribus ſecundum opinionem minus probabilem, à n 73. & 101. Per prius tenemur non iudicare contra veram Dei legem, quam non operari contra illam, à n. 86.

Lex evangelica non per accidens, ſed perſe præcipit diligere inimicos, & alia difficilia, q. 29. n. 48.

Legiſlator quando prohibet aliquid in vniverſali, non tenetur ſcire omnia particularia contenta ſub illo vniverſali prohibito, q. 28. n. 418. Non regulatur in condendis legibus per ſcientiam erroris, opinionis, aut ignorantiæ futuræ de talibus legibus, n. 118. & 420. Debet condere leges breves, n. 421. Non debet exprimere omnia particularia prohibita, ibid. Dictum Terilli adverſus legiſlatores, num. 423.

Libertas duplex, phyſica, & moralis, illa à neceſsitate, iſta ab obligatione, q. 21. n. 11. Prima non tollitur per legem prohibentem, quantumvis certiſsimam, n. 12. Libertas ab obligatione non ſupponitur vt materia ſupra quam cadit lex, n. 18. Imò nec ſemper vt materia deſtruenda, n. 19. Libertas ab obligatione non eſt melior, quam libertas ſubdita legi, à n. 28. & 40. Libertas hominis non eſt diſpotica, ſed ſubordinata Deo vt ſupremo legiſlatori, n. 47. Non limitatur per legem naturalem, ſed perficitur, à n. 48. Lex Dei, & Eccleſiæ non eſt nociva libertati, nec reputanda odioſa, n. 57. Libertas fidei. Vide *fides*. Libertas intellectus in opinando. Vide *intellectus*. Qui eſt vage neceſsitatus ad duo mala, vel pericula æqualia non habet libertatem ſufficientem ad peccandum in electione vnius, q. 27. à num. 4.

M

MARIA Sanctiſsima, dum puerum Ieſum amiſſum Solimis reliquit exiſtimans illum eſſe in comitatu non eſt ſequuta opinionem minus, aut æquè, tantum probabilem, q. 29. n. 60.

Magiſtri qualiter debent inquirere veritatem, q. 32. à n. 37. Tenentur docere ſemper probabiliora, q. 39. per tota m.

Matrimonium dubiũ, qualiter in eo coniux dubius ſe gerere debeat, q. 29. à n. 65. Matrimonium prius ratum præferendum eſt ſecundo conſummato, licet olim fuerit oppoſita conſuetudo in Eccleſia Mutinenſi, n. 87. Si liceret ſequi quamlibet opinionem probabilem, liceret quælibet hæbdomada mutare coniugem, n. 89. Durante credulitate levi, & non contempta de nullitate matrimonij, coniux nequit petere debitum, ſecus illa contempta, vel depoſita, q. 31. n. 8.

Mendacium adhuc ex errore invincibili non poteſt eſſe Deo gratum, nec eius Author Deus, q. 5. n. 55. & q. 6. n. 122. Quo ſenſu dici poſsit Deum indirecte, & per accidens præcipere mendacium, n. 131. & 132. Pro nullo damno vitando eſt proferendum mendacium, q. 9. n. 43. Mendacium loquutionis, & operis explicatur, q. 35. n. 17. Conſulens contra propriam opinionem ſecundum alienam nequit liberari à mendacio, n. 18.

Mercatores non ſunt conſolandi, nec eorum peccata excuſanda per licentiam ſectandi quælibet probabilia, q. 30. n. 34. Quod remedium illis adhibendum, num. 35.

Miraculum fieri poteſt in quolibet ordine ſuperiori particulari, non tamen in ordine ſupremo vniverſaliſsimo illum invertendo, q. 6. n. 21.

O

OBEDIENTIA. Subditus obediens Prælato præcipienti ſecundum opinionem probabilem non obedit ex conſcientia erronea, ſed ex conſcientia recta formaliter, q. 5. n. 100. Votum obedientiæ ſolum eſt de obediendo in his, quæ non ſunt contra Dei legem, q. 11. n. 3. Vnde ſubditus non tenetur obedire in his, quę per conſcientiam invincibiliter erroneam exiſtimat eſſe contra legem Dei, ib. Vide *ſubditus*.

Oculus ſimplex iuxta *Bernardum* non ſolum requirit charitatem in intentione, ſed etiam veritatem in electione, q. 5. num. 6.

Opinio quid ſit, q. 22. n. 2. Duplex opinio oppoſita qualiter poſsit, vel non poſsit eſſe ſimul probabilis, q. 23. per totam. Duplex opinio oppoſita non poteſt eſſe in eodem intellectu, q. 24. Opinio non eſt ſola apparientia, vel aprehenſio, ſed abſoluta ſententia, & iudicium intellectus, à n. 9. Non eſt propoſitio modalis, ſed abſoluta, à n. 15. Duæ opiniones contradicentes non ſunt veluti contraria in gradibus remiſsis, n. 18. Opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris, non eſt proxime, ſed tantum remote, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid probabilis, q. 26. n. 70. Nec inde

sequitur esse simpliciter improbabilem, sed dubitabilem, n. 71. Quando est longè minus probabilis, aliquo in sensu manet improbabilis, n. 72.

Opinio pro libertate vt licite sequibilis sit, non sat est quod alijs sit probabilis, aut probabilior, sed debet ita esse operanti, q. 31. n. 2. Requiritur quod excessu gravi sit probabilior opposita, n. 5. Nec hoc sufficit nisi post exactam inquisitionem veritatis, n. 21. Quænam opinio sit reipsa probabilis difficillimè sciri potest cum evidentia, q. 33. n. 24. Nemini licet consulere, aut operari contra propriam opinionem, q. 35. per totam. Qui versatur inter opiniones oppositas pro diversis legibus, quid teneatur facere, explicatur, quatuor casibus distinctis, q. 37. per totam.

Opus, & operatio qualiter distinguatur, q. 33. num. 2.

P

PECCATVM. Qualiter possit homo esse necessitatus vage ad peccandum, q. 6. à n. 106 Peccatum formale non exigit esse liberum directe, & immediate, sed sufficit indirecte, & in causa, n. 108. & q. 81. n. 21. & q. 16. n. 53. Repugnat aliquem omninò antecedenter, & inculpabiliter esse necessitatum ad peccandum formaliter, n. 109. Peccatum commissum in sequela conscientiæ erroneæ vincibilis habet distinctam rationem peccati quoad malitiam, licet non quoad voluntarietatem, q. 7. n. 2. per totam, vbi plura de hac re.

Peccata ignorantiæ videntur negare plures recentiores, q 8. à n. 1. Censuræ contra talem sententiam expenduntur, à n. 3 Dari peccata vera & propria ex ignorantia commissa multis probatur ex Scriptura, & Patribus, à n. 4. Persequutionem Sauli contra Ecclesiam solum fuisse culpam venialem, & absurdum est, & maiora producit absurda, q. 8. n. 9. Vnde fuit peccatum læthale, non solum negligentiæ, aut ignorantiæ, sed blasphemiæ, persequutionis, & crudelitatis, n. 13. Non tamen peccavit cum actuali advertentia malitiæ, n. 14. Non requiritur ad peccandum indispensabiliter plena advertentia malitiæ, imò nec actualis scrupulus, à n. 15. Peccatum philosophicum proscriptum, q. 9. n. 4. & 5. Ad peccandum sufficit iudicium vniversale de malitia operis, etsi non applicatum per conscientiam, q. 10. n. 15. Vt electio sit peccaminosa non requiritur quod procedat ex dictamine reflexo, aut certò malitiæ formalis, q. 16. à n. 51. & 54. Nec quod procedat ex cognitione certa, imò, nec probabili singulorum, quæ possunt inhonestare actum, sed sat est si tales circunstantiæ cognoscantur dubiè, vel debuerint considerari, & cognosci, etsi actu non considerentur, n. 52. Si esset opus dictamini certò reflexo de malitia ad peccandum mortaliter, fere nullus ex hominibus peccaret vnquam mortaliter, q. 16. n. 49. Peccat qui operatur nesciens se peccare, si voluntarie operetur nesciens etiam àn recte agat, n. 57. Peccatum materiale reipsa offendit Deum ex parte operis, licet involuntarie ex parte operantis, n. 61. Violat saltem materialiter legem Dei, q. 28. à n. 113. & 460. Peccatum plus se extendit, quam culpa, n. 127. Peccatum materiale plurimum nocet Ecclesiæ, à n. 452. Tenemur illud vitare quantum in nobis fuerit, q. 28. n. 456. Tenemur id procurare, licet non sit necessum ad salutem illud consequi, n 458. Qui tantum procuraret excusari à culpa, & non vitare peccatum materiale, eo ipso non excusaretur, n. 461.

Peccatores consummati, etiam dum non advertunt ad malitiam sui operis, peccant vere, & proprie, & formaliter, etiam si quiete, & sine scrupulo actuali operentur, n. 16. Et absque actuali remorsu, q. 19. num. 18.

Periculum. Exponere se periculo peccati materialis est peccatum formale, q. 16. n. 61. vide *lex charitatis*.

Pœna non debet esse præcognita, & voluntaria ad distinctionem cu pæ, q. 3. à n. 4.

Præsumptio est de ignorantis sententiam ferre, q. 28. n. 90.

Prudentia quid sit, & quod eius obiectum, q. 5. n. 132. Obiectum per se ab illa inspectum est verum practicum in re, n. 134. & 141. & 157. Non petit esse certum omninò infallibiliter, sed solum certitudine probabili iuxta capacitatem materiæ, n. 135. Prudentiæ potest per accidens subesse falsum in re, à n. 144. Non est ita infallibilis sicut fides divina, à n. 145. Quando eius actus est erroneus, quid prudentia in illo influat, explicatur, n. 155 Si errat non errat speculative, sed practice, n. 156.

Prudentia, & conscientia maximè distinguntur, q. 28. n. 248. Ista non regulatur per illam, sed è contrà, n. 240. Prudentia non est prima regula virtutis, sed secunda, & regulata, non per probabile in

in genere, n. 242. Sed per probabile conducens ad finem intentum, non quemcumque, ſed honeſtum, n. 243. Non vtcumque conducens, ſed iuxta præſcriptum divinæ legis, n. 244. Vnde prudentia regulatur per probabile conſcientiæ proximè, primo autem per divinam legem, n. 245. Non eſt prudentia ad incertam honeſtatem laborare, n. 412. Prudentiæ ſuæ inniti, pravum, q. 29. n. 37. Prudentiæ ſuæ non innituntur qui obligant ad credendum probabiliori præ minus probabili, n. 38. Sed potius illi qui credunt minus probabili opinioni relicta probabiliori, 39. Non videtur prudẽtia eligere in regulam conſcientię reflexam pro libertate, q. 30. à n. 2. Non eſt noſtræ relictum prudentiæ quamlibet eligere ſententiam pro regula conſcientiæ, à n. 10.

Probabile, quid ſit, explicatur, q. 22. à n. 3. per totam. Vtraque pars contradictionis qualiter poſsit, vel non poſsit eſſe ſimul probabilis, explicatur, q. 23. per totam. Magis, & minus probabile non eſt ſicut magis, & minus perfectum, q. 28. à n. 429 Probabile citra aſſenſum non ſufficit rectificare actus noſtros iuxta D. Auguſtinum, q. 29. à n. 100. Si licitum ſit ſequi quodcumque probabile, ſequitur omne nefas ſine vituperatione committi poſſe, n. 109. Nullum eſt ſcelus quod probabile alicui fieri non poſsit, n. 110. Nemo tenetur vivere ex alieno probabili, ibid.

Probabiliſtæ, dum contendunt facere iugum Chriſti ſuave, illud per reflexas, quas iudicant neceſſarias ad recte operandum, reddunt importabile, q. 5. n. 22. Petunt principium, & probant idem per idem, q. 27. n. 37. & 44. Invertunt ordinem diſputandi, & violant leges diſputationis, n. 47.

Praxis debet gubernari per ſpeculationem, q. 28. n. 9.

Poſsibilitas. Ex eo quod nõ probetur certo aliquid eſſe impoſsibile, non ideò poſſumus certo affirmare illud eſſe poſsibile, q. 21. n. 65.

Poſſeſsio. Per poſſeſsionem fundi ſolvitur dubium in lite iuſtitiæ, ſaltem quantum ad retentionem illius, q. 21. n. 3. In dubijs de licito, vel illicito non poteſt ſolvi dubium per poſſeſsionem libertatis oppoſitis de cauſis, à n. 11. Admiſſo privilegio poſſeſsionis in tribunali conſcientiæ ſæpius ſolvendum eſſet dubium pro lege, quam pro libertate, n. 42.

Præſcriptiones dantur in tribunali iuſtitiæ vti valde vtiles ad regimen reipublicæ, non tamen in tribunali conſcientiæ adverſus legem Dei, q. 21. n. 34.

Q

QVÆSTIO Reflexa, & directa aprime diſtinguitur, q. 28. à n. 288. & 301. Quæſtio moralis, in qua veritas eſt ambigua, periculosè determinatur, q. 29. n. 155. Periculum eſt in quæſtionibus moralibus diverſa ſentire, num. 158.

R

RATIO Recta quid ſit, explicatur, q. 2. à n. 6. Ratio probabilis falſa eſt ratio errans, q. 2. à n. 4. Imò etſi ſit certa quoad nos, ibid. Ratio errans obligat errantem vt acceptetur in regulam, niſi adſit iuſta exceptio, q. 10. n. 5. Idem dicendum de ratione vniverſali recta, à n. 9. Ratio ſuperior litigat pro lege Dei, inferior pro libertate, melior debet eſſe illius quam iſtius conditio, q. 21. n. 20. Ratio ſuperior intra hominem eſt veluti Dei vices gerens pro Deo procurans, n. 21.

Recentiorum mens circa Probabiliſmum, exponitur, q. 29. n. 264. Plurimi videntur illi patrocinari, ibid. Plures exceptiones patiuntur, à n. 267. Nihilominus plures, graviſsimique ſtant pro noſtra ſententia, qui recenſentur, à num. 283.

Regula moralitatis, cui tenemur conformari in operando, tam obiectiva, quam formalis, explicatur, q. 34. per totam.

Reus favendus eſt cùm partium iura ſunt obſcura, q. 16. n. 12. Reus dubius de irregularitate in foro exteriori non eſt damnandus ſententia pœnali, à n. 15. Etiam ſi non neget delictum, ſed fateatur ſuum dubium ingenuè, n. 16. Eſſet ergò abſolvendus negative, n. 17. Quo caſu declarat Summus Pontifex, non quidem eum eſſe irregularem, cùm hoc maneat ſub dubio, ſed debere non celebrare, ibid. Quæ declaratio non eſt ſentẽtia pœnalis, ſed deciſio Theologica, n. 18. Non valet conſequentia; Deus in dubio abſolvitur in foro exteriori; ergò ſe ipſum poteſt abſolvi in foro interiori, n. 24.

Rex non poteſt imponere tributum ſecundum opinionem paucorum contra dictamen plurium æqualis vel maioris authoritatis, q. 43. Nihil ei prodeſſet ex-

torquere ſententiam à conſultis, nec recurſus ad reflexas, à n. 44.

S

SANITAS, Vel ſalus ſpiritualis animæ, alia naturalis, ſupernaturalis alia, explicatur, q. 5. num. 61.

Sapiens vere talis difficillime invenitur, q. 33. num. 27.

Sententia noſtra obligans ad probabiliora, vel tutiora non obligat ad impoſsibile, q. 28. n. 435. Aliquando ad difficilia, quià via cœli eſt arcta, n. 436. Contra leges rectæ diſputationis contraria appellatur benigna, noſtra rigida, q. 29. n. 2. Noſtra pro lege ad minus eſt longe probabilior oppoſita attenta ratione, n. 7. Etiam ab authoritate, n. 10. Contraria pro libertate minimè viguit in Eccleſia ante præſens ſæculum, q. 29. n. 85. Noſtra pro lege ſemper fuit nota in omni portione Eccleſiæ, intimataque ſufficienter, n. 310. Non eſt neceſſum alteram ex his reflexis acceptare pro regula, q. 30. n. 9. Noſtra pro lege minimè eſt periculoſa, contraria ſecus, n. 14. Non eſt noſtro relictum arbitrio eligere hanc præ illa, n. 19. Reflexa pro libertate non eſt remedium ad vitanda peccata, num. 20.

Scrupuli. Ad eos vitandos infœlix remedium licentia ſectandi minus probabilia, & minus tuta, q. 28. n. 438. Exquibus cauſis oriantur, & qualiter illis medendum ſit, q. 40. per totam.

Subditus non debet iudicare de præcepto Prælati, bene vero de eius adimpletione àn ſit licita, q. 11. à n. 6. In dubijs ſtare debet præcepto Prælati, n. 9. Cùm laborat conſcientia culpabiliter erronea contra præceptum Prælati obligatur duplici, & contraria obligatione ad obediendum, & non obediendum, quarum vna ſolubilior, ſed intenſior, alia ècontrà, ibid. Subditus tenetur obedire Prælato conſtitutus inter opiniones æquè, vel circiter probabiles, q 38. per totam.

Syllogiſmus practicus explicatur, q. 5. n. 70. Et qualiter erret, q. 6. n. 84. Et tunc etiam concludit in virtute primorum principiorum, n. 93.

Syndereſis extingui totaliter nequit in homine rationis compote, q. 9. n. 7. Bene tamen quoad applicationem ad agibilia, num. 16.

T

THEOLOGVS Æquo iure, àc iudex obligatur ad iudicandum de moribus ſecundum probabilius, q. 27. per totam. Non eſt Theologi prudentis inter æqualiter probabilia reſolvere pro libito, q. 26. n. 39. Theologi antiqui refellunt Probabiliſmum, q. 29. à n. 190.

Theologia Moralis directa, & reflexa explicatur, q. 27. n. 40.

Timor. Quanto timore vivere debeamus coram Deo de noſtris operibus, q 8 n 24.

Tribunal conſcientiæ, & iuſtitiæ multiplici diſparitate diſcernitur, q. 21. à n. 36. & 37.

V

VERVM Aliud practicum, aliud ſpeculativum, q. 5. n. 31. & q. 28. n. 284. Non eſt idem, àc certum, num. 133.

Veritas inutiliter quæreretur, ſi probabilitas ſufficeret, q. 28. n. 322. Qualiter quærenda ſit, q. 30. n 12. & q. 32. per totam. Quærenda per ſe, & non per fortunam, q. 26. n. 89. Pluſquam omnia temporalia, quæſt. 8. num. 23. & q. 9. num. 23. Quo pacto à nemine ignorabitur, ibid. Poſt peccatum originale, licet valde difficile, non tamen impoſsibile manſit invenire veritatem moralem, num. 39.

Voluntas ab æquè moventibus non movetur, q. 26. n. 77. Non poteſt per ſe, ſolvere dubium intellectuale, n. 6.

Voluntarium non debet eſſe actu cognitum, ſed ſat eſt ſi debuerit cognoſci, q. 4. num. 5.

Virtutes morales inclinant ad bonum in re, & non ſolum in exiſtimatione, q. 5. n. 141. Virtus non eſt quærenda per ſortem, ſed per ſe, q. 16. n. 66.

Votum poſitive dubium debet ſolvi quantum ad partem ſaltem, q. 21. n. 70.

FINIS.

Fran.co Polanco

1 tomo

545